bis omnibus appares, eundem te in hac ipſa ſtola integra & immaculata, iuſto & ſancto iudici ſiſtas; vt hic ipſe habitus & ornatus, illo die, ſplendor & decus ſit in te, non teſtimonium contra te. Et quod humano ore iam diceris, ante eius qui te tali dignatus eſt honore, æquiſsimos oculos exiſtas. Benedicat igitur tibi Dominus ex Sion, & videas bona Hieruſalē. Det verbum Euangelizanti virtute multa: ipſe dextram tuam manu ſua teneat, & in conſilio deducat, & cum gloria ſuſcipiat: Paſtorem paſcat, ductorem ducat; vt ipſius gregem ſcitè ac peritè paſcas, & videas filios filiorum miniſterii & functionis tuæ: pacem ſuper Iſraël. Dicat omnis populus Amen.

REVERENDISSIMO AC NOBILISSIMO ANTISTITI, IACOBO BIELENSKI, Epiſcopo Lacedæmonienſi, Suffraganeo Plocenſi &c. fautori & educatori ſuo.

Oncionem noſtram, pro cultu & adoratione Ieſu Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ, apud Sereniſs. Regem meum aliquando habitam, nunc autem in hac ſolenni corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti panegyri diligentius recognitam, ac ad eiusdem Ieſu Chriſti laudem & gloriam, Chriſtiani autem populi ædificationem & conſolationem editam, ad R. P. V. fautorem & educatorem meum mitto: vt ſit aliquod ſaltem teſtimonium & ſignificatio meæ perpetuæ erga R. P. V. obſeruantiæ atque pietatis: ipſius autem erga me immortalium beneficiorum, memoria extet ſempiterna. Neque enim diſsimulare volo, quin ſemper libenter vbique fateor, quicquid in his ſtudiis profeci, quicquid ornamentorum conſequutus ſum, id me illius hortatu, cura, ac ſtudio, ſingulariſque liberalitate conſequutum eſſe. In qua Ieſu Chriſti alumnorum agricultura ac ſegete, ſi alii quoq; longè locupletiores eodē modo elaborare vellēt, multò maiores & vberiores profectò Eccleſię Dei fructus parerent, longè cultior & fertilior vinea Domini exercituum appareret, longè plures operarios haberet. Verùm nos nihil præter nos noſtráq; curare ſolemus, vtqúe vel mundo poſt mortem noſtram terra, iuxta vetus dictum, dehiſcat, obitúmque noſtrum obitus omnium rerum conſequatur, nihili ducimus. Quam mentem ſi maiores noſtri itidem habuiſſent, longè deterius vel nobiſcum ageretur, quàm nunc agitur. Tu quidem nobiliſsime Antiſtes, mactè ea laude eſto, cui non erat ſatis ipſum his præſtantiſsimis virtutibus & doctrinis, quibus affatim abundas eſſe prędítum, niſi & alios ipſis excoli curares, ac veluti hæredes illarum relinqueres. Quo nomine te Deus omnis honeſtatis ac ſapientiæ parens, felicem ac beatum in multos

tos annos conſeruet, omniúmq; bonorum vbertate augeat, ac ex ſeptuagenario centenarium faciat. Ego quidem eius educationis meæ nomine tibi maximas apud omnes bonos gratias ago & habeo, neque vnquam agere deſinam: vtqúe maiores longè fructus ſtudiorum meorum indies decerpas, ſi Dominus valetudinem hanc meam fractam erexerit, etiam atque etiam vehementer curabo. Vale venerande mihíque chariſsime ſenex.

STANISLAI SOCOLOVII
ORATIO ECCLESIASTICA QVINTA,
Pro cultu & adoratione Ieſu Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento.

Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ, in conſpectu eius cadent omnes, qui deſcendunt in terram. Pſalm. xxi.

Glorioſiſsimam corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti panegyrim, ſiue celebritatē, anniuerſario ritu hodierna die magno gaudio & lętitia peragimus, quē pleno corde & toto animo, veráq; latria, id autē eſt, vero ac proprio cultu diuino, in tam ſublimi ſacramento cernui colimus & veneramur. Atque hoc illud eſt, quod nobis loco extremę impietatis obiicitur à filiis Belial, propter quod nos ex Chriſtianis idololatras, ex populo Dei populum infidelem, ex filiis Dei filios gehennæ æternæ, factos eſſe clamitant: monſtroſísq; cognominationibus ipſi maiora monſtra conſcindunt, dum iam Artolatras, id eſt, panis adoratores, iam Sarcolatras, id eſt, carnis cultores, iam Anthropolatras, hominis ſcilicet adoratores nos appellare ſolent. In qua re cùm ſummus quaſi cardo cauſę verſetur, cúmque hoc totum in ipſius Ieſu Chriſti caſtiſsimi & ſanctiſsimi coniugii dedecus & contumeliam, eiúsq; ſanctæ & immaculatæ ſponſæ conuitium, feratur, diſsimulandum tantum nefas non putaui, atque de hoc toto genere apud vos ſeriò aliquid dicere inſtitui: ipſum enim caput petunt, ipſum ſponſum accuſant, quaſi ille thalami ſui non fuerit ſatis diligens cuſtos: quaſi ſponſam ſuam in fœdiſsimum ſpiritualis fornicationis, idololatriæ inquam peccatum, contra veterum

STANISLAI SOCOLOVII CANONICI CRACOVIEN:

APVD STEPHANVM I.
POLONIÆ REGEM,
concionatoris

OPERA.



enalitate, multorum doctrina & pietate præstantium hominum, quorum memoria sit in benedictione, & nomina in libro vitæ,

CRACOVIÆ,
IN ARCHITYPOGRAPHIA REGIA ET
Ecclesiastica Lazari, edita,
M. D. XCI.

4386. 1969

Omnia iudicio, cenſuræ, & authoritati ſanctæ Romanæ & Catholicæ Eccleſiæ, pro qua & in qua militamus, & Sanctiſs: eius Antiſtiti Gregorio XIIII. qui nunc illi piè & ſanctè præeſt, ſubiecta eſſe volumus. Cuius benedictioni nos, noſtrósq; conatus commẽdamus.

U 594/69

STANISLAI SOCOLOVII
CANONICI CRACOVIENSIS,
Operum Tomus Primus,

AD SERENISSIMVM
SIGISMVNDVM III.
POLONIÆ REGEM.

QVÆSITVM est, idq; à doctis, SIGISMVNDE REX, quid sit illud, quod Regibus & Principibus in tam difficili regendi populos munere, ac in ipsius terræ quasi cardinibus ferendis, apprimè vtile, & necessarium esset: quódque illi pro duce, magistro, comite & consiliario, secundùm illud cæleste lumen & gratiam, maximè sequi & amplecti debeant. Nihil potius illis in mentem venire potuit, quàm varia & multiplex optimorum librorum lectio. Quid enim magis necessarium, magísque vtile esse potest, quam vt ille, cui de omnibus cogitandum est, plurimorum inuenta & cogitata discat: cui omnibus prouidendum & consulendum, vt multorum seculorum prudentia & consiliis fulciatur: cui omnia videnda, vt multarum ætatum oculis videat & sentiat? Qui formosissimus esse debet; eum limpidissima specula intueri oportet: cui plurimorum agri irrigandi; eum plurimis riuis, & fontibus scatere necesse est: duci omnium, multis facibus opus est; ne & ipse aberret, & alios in præcipitium agat. Nescire autem, quid antea quàm natus sis, acciderit; id est semper esse puerum. Quid enim est ætas hominis, nisi cùm ea, memoria rerum veterum, cum superiorum ætate contexitur? Ideóque prima lex illa est in sacra scriptura primò electi Regis: Postquam autem sederit in solio regni Deuter: 17.
sui Rex, describet sibi deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit secum, legétq; illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere Domi-

num Deum ſuum, & cuſtodire verba & cæremonias eius, quæ in lege ſcriptæ ſunt. Regem ſiquidem inprimis ſapientem eſſe oportet. Sapientis autem illa ſtudia eſſe debere, docet Dei ipſa ſapientia. Sapientiam, inquit, omnium antiquorum exquiret ſapiens, & in Prophetis vacabit, narrationem virorum nominatorum conſeruabit, & in verſutias parabolarum ſimul introibit: occulta prouerbiorum exquiret, & in abſconditis parabolarum conuerſabitur. Proinde omnes illi, qui magni cenſebantur, nunquam ſine his præſidiis & inſtrumentis ſapientiæ & literarum, ad gubernandam Rempub: ſe contulerunt. Moyſes inprimis, qui priusquam iuſſu Dei gubernacula regendi populi præhendiſſet, in omni ſcientia Ægyptiorum atque Æthiopum verſatus eſſe dicitur. Dauid, quanta doctrina fuerit, teſtatur vel ipſum pſalterium, quod D. Auguſt: communem bonæ doctrinæ theſaurum vocat. Nam de Salomone quid dicam? qui hoc donum præcipuè ſibi à Deo dari petiit, vt haberet cor docile regendo tanto populo, ſediúmque diuinarum aſſiſtricem ſapientiam, quæ cum eo eſſet, cum eóq. laboraret. Hic non ſolum alienos libros diligenter euoluebat, ſed & ipſe ſuos quàmplurimos cõpoſuit.

Eccle: 39.

3. Regum 4. *Locutus eſt Salomon, inquit ſcriptura, tria millia parabolas: & fuerũt carmina eius quinq; millia. Et diſputauit ſuper lignis à Cedro, quæ eſt in Libano, vſque ad Hyſſopum, quæ egreditur de pariete: & diſſeruit de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piſcibus. Minos (vt ad eos qui foris fuerunt veniam) Rhadamantus, Solon, Lycurgus, Numa, principum Rerump: rectores ac primi legiſlatores fuerũt, iidémq; ſapientes ac viri doctiſſimi habiti ſunt. Alexander Macedo Homerum culcitræ ſuæ ſubijcere ſolebat, quem comitem rerum geſtarum ſuarum vocabat. Cúmque aliquando precioſi operis arca ex Darij ſupellectili ad eum delata fuiſſet, ac diu deliberaretur, quid in ea potiſſimum reponendum eſſet, aliúque aliud cenſerent, ipſe ſoli Homero illum locum deberi pronunciauit. Quos quidem Homeri libros Piſiſtratus, Rex itidem ipſe, antea confuſos ſic diſpoſuiſſe dicitur, vt nunc habemus. Nota eſt illa Alexandri de Ariſtotele, cùm ab ipſo eam doctrinam, quam illo magiſtro didicerat, in vulgus editam cognouiſſet, etſi ea tempeſtate armis exercitúq; omnem prope Aſiam teneret, Regémq; Darium præliis & victoriis vrgeret, ſcripta ad eum epiſtola conqueſtio: Non eum rectè feciſſe, quòd diſciplinas ἀκροαματικὰς, quibus ab eo eruditus fuerat, libris foras editis inuulgaſſet: Nam qua, inquit, alia re præſtare cæteris poterimus, ſi ea quæ ex te accepimus, omnibus prorſus*

ſus fient communia. Quippe ego doctrina anteire malim, quàm copiis atque opulentiis. Scipio quidem Africanus, Cyri παιδείαν à Xenophonte, non tam ad fidem hyſtoriæ, quàm ad formam iuſti imperij conſcriptam, nunquam de manu deponebat: q. etiam in comitatu ſuo vbiq; Ennium pòëtam circumducebat. Dionis, Hieronis, Dionyſii, Siracuſanorum Tyrannorum, quod fuerit ſapientiæ ſtudium, conſuetudo illa, quam cum Simonide, Platonéque habuerunt, abundè docet. Apud Ægyptios & Perſas nemo Rex fuerat, qui non prius aut Sacerdos, aut Philoſophus fuiſſet. Mitto Ptolomæum, Lucullum, Auguſtum, Agrippam, Mecænatem, Senecam, & cæteros infinitos, qui non ſolùm lectione varia delectabantur, ſed etiam ampliſſimas bibliothecas ſumptibus ſuis comparatas reliquerunt. Mitto alios poſteriores Claudios, Traianos, Titos, Antoninos, Seueros, Pios, Leones, Theodoſios, Alphonſos, Carolos, & alios tam Chriſtianos quàm ethnicos principes, qui non magis imperij amplitudine, quàm literarum & ſapientiæ ſtudio excellere voluerunt, ac quidam ex iis libros & volumina integra conſcripſerunt. Alphonſus quidem decimus Hiſpanorum Rex, cognomento ſapiens, ſeptipartitum opus iuris ciuilis, Hiſpanorum hiſtoriam generalem, librum theſauri, & tabulas Aſtronomicas conſcripſit: quaterdecies vniuerſa Biblia, cum ſuis commentariis, inter tot negotia, legit. Carolus Quintus Francorum Rex, fuit literarum & literatorum amator ſummus, ac ſcripturarum ſacrarum ſtudioſus. Cuius ſapientiæ ſtudium Deus magno rerum omnium ſucceſſu cumulauerat. Nam quidquid patri ablatum fuerat, id omne recuperauit, theſauros exhauſtos compleuit, ac poſt mortem ſuam reliquit centies & octogies centena millia aureorum, vt impleretur illud ſapientis: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. Quod idem maiores tuos Sereniſs: Sueciæ Reges ſedulò feciſſe legimus, ac tu ipſe vides. Ad quos te quoque magnum Regem acceſſiſſe, exemplúmq; poſteritati, iam nunc vel in hac tua iuuenili ætate relinquere, & paulopòſt procedente ætate magis relicturum, eſt quod gaudeamus, & tibi gratulemur omnes, téque Rege ac principe beatam remp: noſtram fore, iuxta Platonis diuinationem, ſperemus, nobisq; polliceamur. Habet autem ea res præter eam, de qua dixi, neceſſitatem & vtilitatẽ, alia præclara multa; occupationem & delectationem inprimis honeſtam, ac plane Regiam, à vitiis auocantem, ad virtutes autem impellentem, ac tædij cuiusdam relaxationem. Nam quid aliud eſt vita hæc noſtra ſine ſtudiis & ſapientia,

quàm tædium quoddam & fastidium rerum perpetuum. Itaq; præclarè Africanus dicere solebat, nunquam se minus otiosum esse, quàm cùm otiosus; nec minus solum, quàm cum solus esset. Magnificam vocem, & magno viro ac sapiente dignam vocat Tullius, quæ declarat illum, & in otio de negotiis cogitare, & in solitudine secum loqui solitum, vt neque cessaret vnquam; & interdum colloquio alterius non egeret. Itáque duæ res, quæ languorem adferunt cæteris, illum acuebant, otium & solitudo. Quid enim est minus otiosum esse, quàm inter Diuos & beatas mentes animo se inferre, quàm rerum naturas legendo & contemplando peragrare, formas ac genera rerumpub: perlustrare, virtutes & mores hominum exploratos habere? Quid minus solum, quàm cum vniuersa antiquitate colloqui, omnésq; præteriti seculi Reges, Imperatores, Duces, & vt ad nostros veniam Patriarchas, Prophetas, Apostolos etiam, Martyres, Doctores, Christum denique ipsum, præsentes quasi aspicere, cum illis colloqui; tot consiliis, tot bellis, tot disceptationibus, solum domi, sine cura & periculo interesse: hæreses confutatas, schismata dissipata, ac demum in vnitatem compulsa, vitia expugnata, virtutes insitas videre? Iam iucunditatem & voluptatem, quænam res maiorem & præstantiorem adferre potest? Quæ enim voluptas maior est, quàm indies seipso meliorem & doctiorem euadere; semper aliquid, quod alij non viderint, obseruare; quotidie quidpiam apud suos deponere, nec semper auditorem, sed quandoq; etiam doctorem esse ac videri? Quod si Marcus Tullius de stulta & sterili sapientia, eiúsque studiis dixit, eam esse ducem vitæ, virtutis indagatricem, expultricémq; vitiorum, eam adolescentiam alere, senectutem oblectare, secundas res ornare, aduersis perfugium & solatium præbere: quid de vera illa quæ ex mente & pectore Dei promanauit, diceret sapientia? Dignitatem verò & authoritatem habet ea res maximam: nam cùm illud secundùm naturam imperium doceat esse Plato; vbi fortiores imbecillioribus, meliores deterioribus, imperitis sapientes præsint; ille demum verè imperabit, qui sapiens erit. Nemini enim animus parere benè à natura informatus vult, nisi præcipienti aut docenti, aut vtilitatis causa iustè & legitimè imperanti. Nam iis fidem facilè habemus, quos plus intelligere quàm nos arbitramur, quósq; & futura prospicere credimus: & cùm res agatur, inque discrimen ventum sit, expedire rem, & consilium ex tempore capere posse. Princeps autem, qui aliqua ex parte admirationem non habet, nullus esse videtur. Re-

rum

rum quidem aduersarum, quod aliud melius præsidium? quis receptus? quis portus? quomodo ille se in grauissimis actibus ad studia, magna iactatum tempestate, confugere solitum dicebat; neq; se ferre tanta mala potuisse, nisi ab iisdem studiis malorũ remedia petijsset. Vnde illud communi prouerbio approbatum, Dionysius Corinthi. Sed & Stephanus ille magnus antecessor & affinis tuus, se his iisdem studiis res aduersas & propemodum carcerem aliquandò solatum fuisse, apud suos testari solebat; fortunámq; illam, scholam & palestram suam, in qua plurimum profecerat, vocabat: Vnde non tàm cùm iura daret, aut aciem ordinaret, quàm cùm de omni genere rerum maximarum grauiter copioséque diceret, mirari eum solebamus. Errant igitur toto cælo illi, qui hæc studia, ad homines priuatos otiosósque, tanquam regibus virísque ciuilibus minus digna reiiciunt, neque aliud faciunt, quàm si quis artem gubernandi à gubernatore ad cocum, vel architectonicam ab architecto ad cerdonem, aut musicam ad fulonem reijciat. Quasi verò multum priuati hominis interst, ea quæ in sacra historia Ducum, Regum, Principum gesta continentur, cognoscere; aut ea, quæ D. Augustinus de ciuitate Dei, omniúmque rerump: summa ac decursu, cæteríq; sancti patres literis tradiderunt; ea item quæ in Pædia Cyri de rebus gestis tanti regis apud Xenophontẽ, de fortuna bellísq; Alexandri apud Arianũ, apud Curtium, & reliquos, de virtute populi Romani apud Polybium, Liuiũ, Salustium habentur, & quæ Cæsar de se laboribúsque suis conscripsit: illa item quæ Plato, Aristoteles, Cicero de Rep: composuerunt. Priuati scilicet hominis hæc cognoscere multum interest? Scholæ scilicet hæc sunt necessaria, aut claustro monastico; & non potius Regibus atque Principibus? Suggerent docti talia, inquunt isti. Atqui hoc est alienis tantùm oculis, aut auribus videre aut audire. Quid si non audebunt? quid si non semper ad manum erunt? Pulchrè Demetrius Phalereus admonebat Ptolomæum regem, vt sibi conscriptos de regno imperióque libros compararet atque lectitaret. Nam quæ amici non audent reges monere, ea in libris plenè & liberè descripta esse. Occupationes negotiáque regum iactant isti. Quasi verò illi, de quibus diximus, occupatissimi non fuerint, aut quasi ab actione non sæpe fiat intermissio, multíque dentur ad studia reditus. Confitetur Romanus orator, neque suppetere sibi posse quid quotidie dicat in tanta varietate rerum, nisi animum doctrina excolat, neque ferre animum tantam contentionem, nisi eum doctrina eadem rela-

xet. Itáque quantum cæteris ad ſuas res obeundas, quantum ad feſtos ludorum dies celebrandos, quantum ad alias voluptates, & ad ipſam requiem animi & corporis conceditur temporis, quantum alij tribuunt intempeſtiuis conuiuiis, quantum deniq. aleæ, quantũ pilæ, tantum ille ſibi ad ſtudia recolenda ſumebat. Si ergo dele-

Sapien: 6. *ctamini, inquit ſapiens, ſedibus & ſceptris, o Reges populi, diligite ſa-*

Eccleſ: 7. *pientiam, vt in perpetuum regnetis: diligite lumen ſapientiæ, omnes qui præeſtis populis. Vtilior eſt ſapientia cum diuitiis, & magis prodeſt videntibus ſolem. Sicut enim protegit ſapientia, ſic protegit pecunia. Hoc autem plus habet eruditio & ſapientia, quòd vitam tribuunt poſſeſſori ſuo. Quæ cùm ita ſint, hæc item qualiacunque noſtra eiusdem generis, in quibus hæreſes & ſchiſmata ſimul deteximus, ac refutauimus; cauſas & remedia malorum, vt poſſumus, explicamus; quæ ipſa, Stephanus ille Rex ſapientiſſimus, non inuitus audire & legere ſolebat, & quorum tu aliquam partem pro tuo ſingulari in bonas literas ſtudio deguſtaſti, in vnum volumen collecta, S. M. V. Regi, domino, benefactori meo dicanda putaui; qui priusquam nos de facie noueras, amaſti, ac beneficiis affeciſti. Nam etſi ſacra & cæleſtia, in quibus tamen inprimis reges & principes ſe exercere oportet, tractamus; multa tamen alia, quæ ad rempub: recte gubernandam pertinent, ex veterum ſententia afferimus. Cũm enim ad eos, qui vtrisque his opus habebant, & in quibus maxime verſabantur, partim ſcripta, partim habita eſſent, ex vtroque genere comparata eſſe oportuit. Tu munus noſtrum, qualecunq; apud teipſum ipſe pro tua ſingulari pietate & clementia ornes: lectioni bonorum autorum (nam hæc noſtra nihil moramur) etiam atque etiam diligenter, quod ſedulò iam à tua pueritia facis, incumbas. Quod tanto facilius conſequeris, quantò magis ad omnem grauitatem natura compoſitus es, quantò ſtabilius & moderatius ingenium habes, & quantò remotius ab illis voluptatibus in hoc loco & ætate abes, quæ his ſtudiis inimicæ ſunt, mentíq. nebulas offundunt. Eos denique, qui tibi fontes ſapientiæ commonſtrant ad eámque duces ſunt, ſequaris atque diligas; vt ita in hac quidem præſenti vita diu felix, omnibus charus & amabilis, in altera vero ſempiternùm victor & triumphator viuas atque regnes. Quod tibi excelſus ille præ omnibus Regibus terræ, Chriſtus Dominus, clemens ac benignus largiatur.*

GREGO-

GREGORIVS PAPA XIII.

DILECTO FILIO STANISLAO SOCOLOVIO, CRACOVIENSIS ECCLESIAE CANONICO.

Dilecte fili, Salutem & Apostolicam benedictionem.

ACcepimus pios, & eruditos libros tuos de notis Ecclesiæ Dei, & versionem Orientalis Ecclesiæ: cognouimus te non solùm scribendo, sed concionibus etiam habendis, Christi gloriæ, Catholicæque eius religionis amplitudini inseruire. Diligimus te hoc nomine, plurimique facimus pietatem tuam: neque dubitamus, quin pari semper studio versaturus sis in hoc negotio laudatissimo, fructuosissimo, diuinæ bonitati acceptissimo. Nihil igitur est, quod te hortemur: est autem multum, quod Deo gratias agamus, quodque virtuti tuæ gratulemur. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris xij. Maij, M. D. Lxxxiiij. Pontificatus nostri Anno xij.

Ant: Buccapadulius.

FRAGMENTVM

EPISTOLÆ ILLVSTRIS: AC REVERENDISS: Stanislai Hosij Cardinalis Varmiensis, ad Serenissimum Stephanum Poloniæ Regem.

LEgi, quas coram Maiestate vestra duas conciones habuit vir pius & doctus, quas ardens quidam ab eo communis patriæ nostræ conseruandæ zelus extorsit, Stanislaus Socolouius. Quem quòd M. vestra hoc, in aula sua, munere fungi præ cæteris voluit, iudicium hoc illius non possum non vehementer probare. Quamùis enim viuam illius vocem non audierim, quæ multò plus habere solet energiæ: tamen & hæc, quam literis ille mandauit, oratio, vita quadam sua non videtur esse destituta. Proximo superiore anno missam vestræ Maiestati Prophetam Isaiam Tullianè loquentem, & vt inter preces quas è lecto surgens, ad Deum fundere consueuit, vnam aut alteram paginam in eo libro legeret, sum hortatus. Huic meo consilio si quid loci datum est, quod omninò factum existimo, bona spe sum, quòd in solo Deo fiducia sua collocata, Ægyptiorum præsidiis non ita multum confidet. Quid autem aliud facit hic noster Socolouius, quàm quòd nonnullis in locis inculcat eadem illa, quæ præclarè apud Isaiam scripta legimus: quando, quibus artibus, imperia parta & amplificata; contrà, quibus peccatis atq; flagitiis prolapsa sunt, & funditus euersa,

uersa, commemorat: vt pulchrè cum Isaia Propheta, huic Maiestatis vestræ Prophetæ conueniat: Cuius cùm ego posteriorem orationem legissem, quam de causis supremi excidij Ierosolymitani ex Iosepho & Hegesippo collectis, conscripsit, quandoquidem imaginem quandam illorum temporum in regno vestræ Maiestatis ad viuum expressam videre mihi sum visus, totus cohorrui: nec enim potui non vehementer metuere, ne cum aliis grauibus peccatis & flagitiis nostris, præcipuè tot sectis inter se dissectis, grauiter offensus Deus, quibus olim Ierosolymam, iisdem & nos nihilo ciuibus illis meliores, cladibus affectos, & calamitatibus oppressos velit. Nam si quæ germana fuit oliua, nationem illius habendam Deus non putauit; qui fieri potest, vt pluris faciat syluestrem oleaginem: si nõ pepercit electæ suæ genti, sceleribus illius prouocatus; quomodo parcet ei, quæ multitudine grauitateq; scelerum illam longè superare videtur, in qua plures etiam, quã in illa, sectas mirabiliter inter se dissectas, non sine magno stupore quodam cernimus? De quarũ numero nõ modo non detrahitur quidquam, verùmetiam indies ad priores maior accessio fieri dicitur.

ALIVD FRAGMENTVM.

Staniſlaus Hoſius Cardinalis Varmieñ:

Reuerendo Staniſlao Socolouio, Sereniſsimi Stephani Poloniæ Regis Theologo.

Reuerende Dominẽ, frater in Christo chariſsime.

QVas ad me dediſti literas 19. Ianuarij, redditæ mihi ſunt 21. Maij. Conciones vero tuas ante vnum aut alterum menſem legi, magna cum animi mei voluptate: quin & Maieſtati Regiæ ſum gratulatus, qui munus hoc Euangeliſtæ tibi mandandum curauerit, qui non loqueris placentia (quod multi faciunt) ſed nudè nudam veritatem exprimis, & Iſaiam (quem ego purè latinè loquentem Regiæ Maieſtati ſuperioribus menſibus miſi) repræſentare nobis videris. Mirabiliter me affecerunt, quæ ſcribis de cauſis ſupremi excidij Ieroſolymitani: & vt ea memori mente teneret, nec vnquã è pectore ſuo elabi pateretur, Sereniſſimum Regem noſtrum diligenter ſum hortatus; quandoquidem etiam ea vrbs, quæ ſolebat ſine armis vincere, ille populus, cui ſol ſtetit, mare & Iordanis ceſſit, non alia de cauſa periit, quàm quòd autorem vitæ & incolumitatis ſuæ, grauibus peccatis ſuis offenſum, reconciliandum non curauit. Quamobrẽ inſta opportunè, importunè, clama ne ceſſes, argue, obſecra, increpa, nec vllum clamandi finem facias, donec Regi perſuadeas; vt primam de reconciliando Deo patrum noſtrorum, déq; eijciendis de regno ſuo dijs alienis, quos ignouerunt patres noſtri, curam cogitationémq; ſuſcipiat. Quod cùm fecerit, ſicut olim populus Iſrael, etiam ſine armis vincet quemlibet potentem hoſtem: ſi minus, non reconciliato Deo, ne ſibi parum feliciter conſilia ſua cedant, etiam atque etiam reformidet. Bene vale. Datum Criptaferrata. 22. Maij. 1579.

CATALO-

CATALOGVS LIBRORVM.

CENsura Orientalis Ecclesiæ de præcipuis nostri seculi hæreticorum dogmatibus, ex græco in latinum conuersa, & annotationibus illustrata. fol. 1.

VLtima responsio Tubingensium ad tertium Patriarchæ scriptum, ex Græco in Latinum conuersa. fol. 141.

AD Virtenbergen. Theologorum inuectiuam, quam suis cum Ieremia Patriarcha Cõstantinopolitano de Augusta na cõfessione actis & scriptis prefixerunt, respõsio. fo. 147.

DE veræ & falsæ Ecclesiæ discrimine libri tres. fol. 191.

ORationes Ecclesiasticæ septem. fol. 331.

NVncius salutis, seu de incarnatione Domini nostri IESV CHristi sermones quinque. fol. 535.

IVstus Ioseph, siue in Iesu Christi D. N. mortem & passionem meditationes quinque. fol. 625.

PArtitiones Ecclesiasticæ. fol. 751.

QVæstor, siue de parsimonia & frugalitate. fol. 765.

NÆnia funebris Simonidæ. fol. 785.

HAERESIN VNO ICTV CVM SCHISMATE CONFODIT, ET QVÆ CAVSA MALI TANTI, QVÆVE MEDELA DOCET.

VOS

VOS MISISTIS AD IOANNEM
ET TESTIMONIVM PER-
HIBVIT VERITATI.
Ioannis V.

CENSVRA

CENSVRA ORIENTALIS ECCLESIÆ.

De præcipuis noſtri ſeculi hæreticorum dogmatibus,

Ex Græco in Latinum conuerſa: ac annotationibus, ad proprias Græcorum opiniones reſpondentibus, illuſtrata.

AD GREGORIVM XIII.

Pontificem Maximum.

LEX ET CONSVETVDO BELLI eſt, Gregori XIII. Pontifex Max: vt qui transfugam in aliena caſtra trãſeuntem deprehenderit; illum imperatori ſuo, aut cuipiam alteri ex ducibus militiæ ſiſtat, atq; præſentet. Non diſsimile quid hoc tali tempore in ſpirituali hac noſtra militia deprehenſum, ad ſacroſanctum S. V. tribunal, eadem lege pro officio meo adfero. Dum enim ante hoc bienniũ, vnà cum Sereniſs. Rege meo, Principe integerrimo, ac religionis catholicæ ſtudioſiſs. principio regni illius, has oras Sarmatiæ noſtræ peragro, atq; perluſtro; Leopolim Metropolim Ruſsiæ, emporium apud nos imprimis nobile, veni. Habet hoc ea vrbs ante alias ſingulare, vt cùm reliquarum planè omnium religionum ritus, & cæremonias ex antiquo admiſerit; ab huius tamen ſeculi hæreſibus peculiari quodam Dei munere penitus ſit libera, illiſque ſummo ſtudio ac diligentia mirè obſiſtat. Incidi tum fortè ibi in quendam Archimandritam Græcum, hominem non indoctum, nec illiberalem: cum quo, vbi multa de multis, vt ſit ſæpè, familiariter contuliſſem; deuenimus tandem in ſermonem, de his hæreſibus, ac magiſtris earum, quæ hoc noſtro infelici ſeculo, orbem exercent Chriſtianum. Ac cùm vtrinque eam temporum noſtrorum calamitatem, hominumque temeritatem, abundè ita vti par fuit, deploraſſemus; intulit ille, ad Patriarcham item ſuum iſtos ex Germania, non ita multò antè ſcripſiſſe, illique ſumma fidei & confeſsionis ſuæ capita obtuliſſe; ac, vt in communionem eius Eccleſiarum reciperentur, petiiſſe: quos tamen ille tantùm abeſt, vt recipiendos duxerit; vt etiam ſcripto quodam ſuo, illa ipſa, quæ tum ei propoſuerant capita, confutârit. Agnoui hoc idem planè quondam Pelagianos, temporibus D. Auguſtini feciſſe, eodemque modo ab occidentali Eccleſia ad orientalem nequidquam confugiſſe: Obiicit eam rem his verbis Iuliano Pelagij diſcipulo D. Auguſti-

nus : Non est, inquit, quòd prouoces ad orientales Antistites ; quia & ipsi vtique Christiani sunt, & vtriusque partis terrarum fides ista vna est ; quia & fides ista Christiana est, & te certè occidentalis terra genuerat, occidentalis regenerauit Ecclesia. Quid ei quæris inferre, quod in ea non inueneris ; quando in eius membra veneris ? imò quid quæris auferre, quod in ea tu quoque accepisti ? puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum Dominus voluit glorioſissimo martyrio coronari. Cui Ecclesiæ præsidentem beatum Innocentium, si audire voluisses; iam nunc periculosam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis excusisses. Quid enim potuit vir ita sanctus Africanis respondere consiliis, nisi quod antiquitùs Apostolica sedes & Romana cum cæteris tenet perseueranter Ecclesia ? Hæc & alia his similia D. Augustinus. Lætabar iam tum, me nouas istorum artes, nouum nocendi studium deprehendisse. Et quoniam eodem ipso tempore, homo ille Græcus Byzanthiũ repetebat, petij, vt exemplum eorum, quæ vtrinq; scripta sunt, Patriarchæ præsertim sui ad nos mitteret. Quod ille libenter, & promtè se facturũ obtulit; vt & postea quãtùm potuit fecit. Quod, vbi primùm Græcè legi; dici non potest, quantam ex eius lectione voluptatẽ cepi : statimq; operam dedi ; vt illud quàm diligentisimè in linguam Latinam, pro nostra tenuitate translatum, publicè nostris hominibus legendũ proponerem. Idq; plurimas, easq; iustissimas ob causas. Primùm, vt istos homines nihil non contra matrem suam molientes, nullamq; partem nocendi relinquentes proderem, eorumq; artes, clandestinaq; consilia in lucem proferrem, ac detegerem. Deinde, vt quantùm eos ipsos huius suæ nouitatis pudeat atq; tædeat ; quòd cum nulla Apostolica, veteriq́ue sede coniuncti sint ; quòd successionem nullam demonstrare possint ; quòd ἀκέφαλοι hoc est, membra sine capite mutila sint, vel ex hoc ipsorũ facto demonstrem. Tùm, vt quàm sit vtriusque Ecclesiæ, occidentalis, inquam, & orientalis de his rebus, quas isti ex sede sua commouerunt, incredibilis consensus, summa concordia ; vt non eadem tantùm dicamus omnes, sed iisdem penè verbis etiam, omnibus clarum fiat, quò ampliùs conuiciari desinant, hæc Latina esse, ab hoc vel illo Romano Pontifice profecta : cùm hæc eadem ab his, qui Romanis, vniuersisque Latinis, insito quodam odio infensi sunt, non minore studio atq. contentione colantur atque defendantur : simulque perspiciant, se non solùm à Romano Pontifice, sed ab ipso terrarum orbe, omnibusque Ecclesiis defeciisse : in eoque mentis suæ errorem recognoscant, quòd illud se sub his frigidis septemtrionibus videre, profiteri non erubescant ; quod vniuersus occidens & oriens orbis, longè antiquiùs & benigniùs ab illo diuino & cælesti sole Christo Iesu collustratus, hactenus non viderit. Demùm ne ampliùs in suis confirmandis, incautaque plebecula decipienda, orientalis Ecclesiæ authoritate, & testimoniis (quod quidem hactenus fecerunt) abutantur; cuius contra se tam insignia referant testimonia. Postremò, vt agnoscant, nusquam sibi in orbe Christiano, nusquam in Ecclesia Catholica locum relictum esse ; nusquam cum istis moribus, & sententiis consistere posse : &

quem-

quemadmodum ipſi impiè gremium eius matris, quæ eos genuit, lacteque ſuo aluit, ſpreuerunt, ab eoque longè aberrârunt; ita eos viciſsim tanquã proteruos, parentibuſque inobedientes filios, vbique ſperni ac repudiari; vt illud Iſaiæ in eis abundè completum eſſe videatur: Væ, qui ſpernis: nonné & ipſe ſperneris? cùm defatigatus, deſieris contemnere; tum ipſe contemneris. A caſtris, in quæ confugiunt, arcentur: ab illis, quos patronos parabant, accuſantur: eorum, quos ipſi iudices communis cauſæ conſtituerunt, ſententiis condemnantur; ita, vt vel hoc ſolum tam clarum & illuſtre orientalis Eccleſiæ teſtimonium, & eos, & alios omnes, ſi modò ſecum conſentire velint, ſi veritatem ipſam ex animo quærant, & non ipſa pertinacia, opinioneque ingenij, ac ſtudio nocendi vincantur, ab errore quidem reuocare, ad rectam autem & Catholicam fidem reducere meritò debeat. Nam cùm neque illi, neque nos, vt quidem iſti dicunt, communis cauſæ, propter priuatum cuiuſque in re ſua ſtudium, æqui iudices eſſe poſsimus; detur ſanè rectè hoc ab illis factum eſſe, quòd ad eos iudices prouocârunt, qui neque cum hac, neque cum illa parte coniunguntur. Quòd autem eorum iudiciis & ſententiis acquieſcere nolunt, quos ipſi iudices delegerunt; in hac quidem certè parte, iam non cum aliis, ſed ſecum ipſi pugnant; ſuumque contumacem, & incurabilem morbum aperiunt; nec tam ſe in hac cauſa iudices, quàm aſſentatores quæſiuiſſe, abundè docent. His, inquam, ex cauſis, hanc ipſam orientalis Eccleſiæ, de eorum confeſsione Cenſuram, quam iſti non ſine cauſa ſuppreſſerunt, ipſe magna ratione in lucem proferre volui. Ad te autem potiſsimùm Beatiſsime Pater, hanc totam cauſam deferendam eſſe putaui. Primùm, quòd in caſtris Dei exercituum dux & Imperator ſecundùm Ieſum Chriſtum ſis, ad quem omnem cognitionem de perfugis pertinere, ſuperiùs diximus. Deinde, quòd ante alios omnes, iis ſtudiis, quæ vel ad illuſtrandam, vel exornandam Catholicam religionẽ ſpectant, mirificè delecteris; quorum tot gymnaſia, tot ſcholas, tot ſeminaria per orbem terrarum vno tempore inaudita liberalitate, & incredibili erga exteras nationes charitate, ſimul aperuiſti: vt verè te non nomine tantùm, ſed re ipſa multò magis, illius hominis agricolæ vicarium eſſe demonſtres, qui largè & munificè ſeminat ſemen bonum; ſiue illud cadat ſecus viam, & conculcetur ab hominibus, volucreſque cæli comedant illud; ſiue ſuper petram, & ſtatim areſcat; ſiue inter ſpinas, & ſuffocetur; ſiue in terram bonam, & ferat fructum centuplum: illiuſque patris familias, qui primo mane ad conducendos operarios vineæ ſuę egreditur, munificéq. operarios, ac vinitores omni hora in eam conducit. Quo fit, vt te tam diligente, & aſsiduo agri dominici cultore, flores apparuerint in terra noſtra; vineæ florentes odorem dederint ſuum; fruges, quas iam infelix lolium planè obruerat, ita creſcant, vt ipſum loliũ vix iam appareat. Huc accedit, quòd hoc idem Regẽ meum velle ſuſpicabar, qui omnia ſua, & ſuorũ in hac parte S. V. ſubiecta eſſe expetit: quiq. item in hac Dei agricultura, non ita multis poſt paſsibus, veſtigia S. Veſtræ ſecutus, & ipſe ſtrenuè torquet aratrum. Quem quidem virum, Deus ille immortalis, (cuius prouidentia omni pro-

uidet ſeculo) tanquam alterum Abraham quendam, aut Iob, ex reliquiis illis, florentiſsimi quondam Pannonici regni ſolum ferè, vnà cum pientiſsimo fratre ſuo, ad excitanda iterum in ea gente Catholicæ religionis ſemina, omnipotenti dextera ſua, ab omni labe hęretica, purum & liberum conſeruauit, nec genu ſuum coram Baal flectere permiſit: quem poſtea de domo, & de cognatione ſua eduxit: in gentemque magnam, & regnum eximium, iſtius conſtantiæ & pietatis cauſa, creſcere fecit: pulcherrimiſque, ac quaſi repetitis ex potentiſsimis, ſediſque S. V. inimicis, hoſtibus, victoriis illuſtrauit, magnificéque exornauit; ac in dies magis ac magis nouo rerum ſucceſſu ornat, augetq;. vt omnibus mortalibus, Regibus item & Principibus, ſpecimen detur; eum qui habitat in adiutorio altiſsimi, in protectione Dei cœli non commoueri: & diuites quidem ac potentes ſæpiùs eſu rire, & egere; inquirentes autem Dominum, non diminui omni bono. Vltimò, quòd aliquãdo te Pontifice, his ipſis ſtudiis Romæ operam dederim, quorum nunc hunc ipſum exiguum fructũ in publicam vtilitatem confero. Et contendi quidem ego ſedulò, vt in hac mea verſione, ab ipſius authoris verbis, ne latum quidem vnguem, quò ad eius fieri poſſet, recederem. Verùm, cùm præſens Græcia, multum mutauerit dicendi genus, à priſcaq. illa orationis ſinceritate, & ſanitate, compoſitionis item & ſtructuræ veritate, & concinnitate, plurimùm diſceſſerit: cumque hoc ipſum exemplar valdè incorrectè, & inconcinnè deſcriptum ad nos miſſum fuerit; neceſſe item, & ipſe habui paucis quibuſdam in locis, ad ſententiam magis, quàm ad verba, ipſam interpretationem accommodare; ita tamen vt omnibus ſententiis, integritatem, & religionem ſuam, eandemque planè ſimplicitatem, ac vt dicam, ruditatem, quantùm poſſem, conſeruarem. Reliquum eſt, vt hanc meam liberiorem S. V. compellationem deprecer; ac ipſius Paternæ, & Apoſtolicæ benedictioni, me, ſtudiaque mea humillimè ſubmittam: Deum immortalem precatus, vt quàm diutiſsimè publicæ vtilitati S. V. viuat; ac demum cum gaudio, & exultatione, portans manipulum vberis conſitionis ſuæ, ad principem paſtorem Chriſtum redeat. Cracouiæ, tertio Idus Aprilis. Anno à natiuitate Domini, M. D. LXXXI.

HIERE-

HIEREMIAS MISERICORDIA DIVINA,

CONSTANTINOPOLIS NOVÆ ROMÆ ARCHIEPISCOPVS, ET OECVMENICVS Patriarcha.

Sapientissimis & doctissimis viris dominis, IACOBO, Theologiæ Doctori, & MARTINO Crusio, benè & feliciter agere.

DIV, multumq. à vobis desideratam, & ex animo penitus optatã, viri doctissimi Germani, in Spiritu sancto filij mediocritatis nostræ charissimi, Epistolam, iam tandem Dei immortalis munere absolutã, charitati vestræ mittimus: idq. cum ea, qua par est, lætitia, ac spirituali gaudio, paternique vultus erga filios hilaritate. Precamur autem Deum Opt: Max: eiusq. omni parte beatissimam matrem; vt vos hæc epistola vtriusq. hominis, interioris, inquam, & exterioris, perfundat gaudio. Quòd si fortè in quibusdam partibus dogmatum pietatis nostræ, prima statim quasi fronte, vos non exhilaramus; confidimus tamen, quæ vestra est sapientia, doctrinæque & prudentiæ vbertas, nihil vos rectæ & sanæ doctrinæ antelaturos: neq. instituta, & sanctiones planè nouas, ac quasi ex diametro, cum Euangelica IESV Christi philosophia pugnantes, complexuros: neque temporis diuturnitatem, quam tamen in alijs vestris dogmatibus floccipenditis, prætexturos: neque consuetas, & præiudicatas opiniones vestras, cum omni recta ratione pugnantes, (homines enim sumus omnes; ideo timidæ parumque securæ sunt, iuxta sapientissimi Salomonis dictum, omnes cogitationes ac studia nostra) potius quàm id, quod verum & sincerum est, sequuturos: magis autem ipsissimæ veritati, ac sapientię Domini nostri Iesu Christi, quam diuini eius discipuli, atq. Apostoli, in suis canonicis ac salutaribus scriptis profitentur: quam omnes vniuersales & particulares sanctorum Patrum Synodi sequutæ sunt: quam vnius Sanctæ Ecclesiæ diuina scientia pleni præcones atque Doctores nobis tradunt; omnesque in eam, communi concordia & voluntate, clarè consentiunt, animo & confessione adhæsuros. Qui his quidem omnibus, qui eorum præcepta & instituta, verbo, & opere sequuntur; certam salutem regnique cœlestis hæreditatem, pollicentur: vt iterum illis, qui eorum sanctis mandatis & institutis non parent, eaque temerè transgrediuntur, supplicium, ac damnationem æternam comminantur: Si enim volueritis, inquit scriptura, & audieritis me, bona terræ comedetis. Quibus sanè verbis, mediocritas item nostra, quæ & ipsa, Christi Domini miseratione, successione quadam, hic in terris, eius locum tenet, ad amabilem concordiam,

& conſenſum cum ea, quæ apud nos eſt Ieſu Chriſti Eccleſia, charitatem veſtram cohortatur: quam, ſi verè, & ex animo, non tam verbis, quàm re ipſa, nobiſcum ingreſsi fueritis; dici non poteſt, quantum, & in cœlo, & in terra, ex ea vtriuſque Eccleſiæ coniunctione, futurum ſit gaudium: quã ad laudem, & gloriam Domini noſtri Ieſu Chriſti ceſſuram eſſe, certiſsimã ſpem habemus. Valete. Mense Maio, indictione quarta.

Ex omnibus partibus Syntagmatis huius, Epiſtola hæc, vicioſiſſimè deſcripta, ad nos perlata fuit: quam nunc ex iſtorum, quod pòſt deprehenſi ediderunt Exemplari, correximus.

Hieremiæ

Hieremię
MISERATIONE DIVINA
NOVAE ROMAE ARCHIEPISCOPI,
OECVMENICI PATRIARCHÆ,

Doctrina exhortatoria, ad Germanos conscripta.

POSTEAQVAM LITERAS A DILECTIone vestra nobis missas, simulque opusculum, in quo summa capita fidei vestræ continebantur, accepimus; vestram charitatem complexi & exosculantes, illud, de quo inter nos conuenit, & in quo item discrepamus, ita vti postulatis, vobis aperiendum duximus. Charitatis enim officium atque debitum, Legis & Prophetarum adimpletio est; perfici autem charitatem, certum est, non verborum inani strepitu, sed factis & operibus præclarè illam testificantibus: vt & pretiosissimæ quæque gemmæ, non inde pretium & commendationem suam accipiunt, quòd verbis laudantur; sed quia præstanti sua virtute & operatione, illos, qui talia, nôrunt, in admirationem sui rapiunt. Quam eandem charitatem erga nos, vos item doctissimi viri Germani, declarâstis; dum nobis non solùm significâstis eam simpliciter, sed eius quoque laudabile specimen, hæc vestra nobiscum communicando, edidistis. Quibus nos mutuò responsuri, in eo maximè elaborandum putauimus; vt nihil ex priuato nostro sensu diceremus; sed ea omnia, quæ in medium adferentur, ex sanctis, & vniuersalibus septem Synodis, quas item & vos, vt scribitis, præclarè facientes, amplectimini & exosculamini: ex sensu item Sanctorum Patrum, diuinitusque nobis traditæ scripturæ, interpretum, quos Sancta, & vniuersalis Iesu Christi vnanimi consensu laudat, & approbat Ecclesia, depromamus. Hi enim, quasi hæc omnia Spiritu sancto per eos spirante, ac in ore illorum loquente, admirabili doctrina, varijs signis, & portentis, tanquam lucidissima astra, orbem terrarum illustrârunt: horum doctrina, & institutio, nullo vnquam æuo, nulla temporis diuturnitate, aut commoueri, aut aboleri poterit; vt quæ omnipotenti verbo Domini sit fundata. Christi enim Ecclesia, teste Diuo Paulo, columna est, & firmamentum veritatis: contra quam, ipsæ portæ inferni, iuxta Diuinam & immortalem Iesu Christi promissionem, præualere non poterunt. Etsi enim mali & peruersi homines, aliquam eius partem, prauis & alienis dogmatibus, perturbare, & transuersim agere possint; ipsa tamen nihilominus stabilis, & inconcussa, fundata super firmam petram, & ea firmamenta, quibus veritas innititur, perpetuò manet: Qui enim ciues & domestici Ecclesiæ Dei sunt; ijdem per omnia veritatem sequuntur: vt qui veritati non adhærent, illi itidem Ecclesiæ Dei membra, nullo modo esse possunt. Eidem nos igitur veritati insistentes; præsentem hanc sanam & incorruptam doctrinam, ad publicam vtilitatem, ac veræ fi-

dei ædificationem instituimus: ac pro parte nostra in medium adferimus: etsi, dum id facimus, multum in ea re, eorum, qui diligunt Dominum, ope, & precibus opus habeamus, quo eius diuina & cælesti gratia, mens nostra, in viam pacis dirigatur.

ANNOTATIONES.

Quas item & vos vt scribitis, &c. *Quàm falsi vtrinq; sunt: si enim vel has solas septem Synodos sequerentur, neq; istis schismate, neq; illis hæresi quicquam opus esset: cùm in his septem abundè explicatum sit, quid de quaq; re sentiendũ, quid quoq; loco habendum sit. Ideò autem septem solas amplectuntur Synodos: quòd cùm antea tacitas simultates tantùm, cum occidentalibus intus alerent; tũ iam post septimam Synodum apertos se hostes Latinorũ sunt professi, eosq; hæreseos insimulare non dubitarunt. Primùm, quòd iam planè desperarunt fore aliquãdo, vt Latini illorũ ambitioni, cui semper mirè obstiterunt, essent subscripturi: et qua, non solùm se his sedibus Patriarchalibus anteferre voluerunt, in quibus illi, qui columnæ inter Apostolos dicebantur, consederunt: Antiochenæ, inquam, Alexandrinæ & Hierosolymitanæ: sed etiam illi, in qua princeps ipse Apostolorum Petrus consederat, et qui ex ore ipso Dominico summam Ecclesiæ Dei gubernandæ acceperat. Secundò, quòd Imperatores eorum, propter orientis imperij, ad occidentales Principes, ob hæreses, rerumq; Christianarum proditionem, præcipua summorum pontificum authoritate translationem, quæ circa illa tempora contigerat, nihil eos commune cum occidentalibus habere, nullamq; obedientiam illis præstare voluerunt: quod tamen à volentibus, & sponte in omnem dissensionem effusis, facilè impetrari potuit. Deinde ob contentionem, quæ illis cum occidentalibus populis, ex gentis Bulgarorum, aliarumq; gentium, quas ad se pertractas voluerunt, conuersione, circa idem ferè tempus acciderat. Demùm, quòd in consequentibus Synodis maximè de Saracenorum Imperio comprimendo, Terraq; Sancta restituenda, deliberabatur: cui pio conatui Græci, ob summum, quod contra occidentales ex translato imperio conceperant odium, iniquissimè aduersati sunt, illiq;, quantum potuerunt, obstiterunt. Postremò, quòd in quarta Constantinopolitana Synodo, quæ verè & propriè octaua dicitur, & in qua, præter trecentos octoginta septem Episcopos, Vicarij omnium primarum sedium, ac ipse præsens Imperator, adfuerunt, euidentiùs quasi, quàm in alijs omnibus declaratum est; quam potestatem & authoritatem, Romanus Pontifex, in Patriarchas Constantinopolitanos, haberet: cùm in ipsa eorundem vrbe Constantinopoli, trecentis octoginta tribus collectis Episcopis, Adrianus Romanus Pontifex, Nicolai I. successor, per legatos suos, resistentibus primùm & reclamantibus Imperatoribus, postea autem assentientibus, & quasi pœnitentiam agentibus, ipsiusq; facti authoribus, Photium, ex Magistro curiæ, atque militiæ Præfecto, à Michaële Imperatore, Patriarcham Constantinopolitanum factum, deiecit: gnuiq; anathemate, cum omnibus sequacibus, percussit: ordinationesq; eius abrogauit: Ignatium in sedem suam, quam totis duodecim annis integerrimè tutatus est, restituit: vnaq;, qui, & qua-*

& quales, & ex quibus Patriarchæ eligi, & creari deberent, docuit: atq; ita vniuersum Ecclesiæ illius statum & ordinem restituit. In eadem q; Synodo decernitur: omnes quidem honorandos Patriarchas esse, præcipuè tamen sanctissimum Papam senioris Romæ: nec oportere etiam sententiam dicere in vniuersali Synodo, contra summos seniores Romæ Pontifices. In eadem pulcherrimum illud Pij Imperatoris Basilij exauditur, de Sedis Apostolicæ authoritate, testimonium: Neque enim, vt sacratissimus Patriarcha ad proprium regrederetur thronum, Imperij mei opus, vel excogitatio facta est: sed multum antè, sanctissimus & beatissimus Papa Nicolaus, quæ circa illum erant certissimè discens, synodicè decreuit, reddi ei ius proprij throni: & anathema, cum tota Sancta Romanorum Ecclesia, pronunciauit, contra resistentes huiusmodi consilio ac sententiæ. Hoc autem nos olim scientes, & pauentes anathematis iudicium; promulgari, obsecundare Synodico iudicio, Romanæ Ecclesiæ necessarium duximus: & huius rei gratia, reddidimus ei proprium thronum. *Hæc q; illa est causa, cur Græcis tantopere octaua non placeat Synodus. Quanquam & aliis postea interfuerunt Synodis, vndecimæ & duodecimæ Lateranensi, Florentinæ item, quam illi octauam vocant, & cui Imperator, ipse q; Patriarcha, vniuersæ item Græciæ Patres interfuerunt, eam q; manu sua obsignârunt. Sed idem odij, & ambitionis æstus, omnia deinceps euertit ac perturbauit. Earum autem rerum, quas diximus, authores eam ob causam hoc loco non appellamus; quia nemo, tam ex Græcis, quàm ex Latinis, eorum seculorum historiam scripsit, qui non idem doceat, atque testetur: tum ipsius octauæ Synodi acta, hoc idem clarè confirmant.*

Symbolum Nicenum approbatur: PROPRIVS GRÆCORVM DE PROCESsione Spiritus Sancti error asseritur.

Caput I.

PRimum igitur caput confessionis vestræ, vniuersum Christianæ fidei dogma: id autem sacrum sanctæ vniuersalis Nicenæ synodi complectitur Symbolum: de vna, in tribus personis, omnia excedente natura, & substantia Diuina. Quod quidem præclarè à vobis teneri, ac piè prædicari, libenter confitemur: præter quàm, quòd Nicena Synodus, & reliquæ cum ea consentientes, omnes decreuerunt; Spiritum sanctum ex ipso solo Patre procedere. Quod quidem sacra illa & incorrupta fidei Christianæ confessio, sacrum, inquam, Symbolum, hoc ita esse, disertissimis verbis explicat; Spiritum, scilicet Sanctum, ex solo patre procedere. Quam quidem sententiam, à trecentis decemocto plenis Deo

patribus,

patribus, in Nicena primùm Synodo propositam; deinde in Constantinopolitana à centum quinquaginta confirmatam: quam reliquæ item vniuersales quinq. synodi; nihil addentes, nihil detrahentes, verùm in idem planè vno Spiritu sancto conspirantes, obsignârunt: quam denique tot sanctissimi viri, qui in mediis illis temporibus claruerunt, à sacris synodis edocti, confessi sunt: nos item cum illis omnibus, Dei gratia sequimur, atque confitemur. Quem quidem sensum præclarè illius confessionis esse, ex ipsius Symboli verbis, quod in medium adferimus, faciliùs quàm aliundè perspici potest. Credo in vnum Deum, patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium. Et in vnum Dominum nostrum Iesum Christum, filium Dei vnigenitum, & ex patre natum ante omnia secula. Lumen de lumine: Deum verum de Deo vero: genitum, non factum: consubstantialem patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de cœlis: & incarnatus est de Spiritu Sancto, & Maria virgine: & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundùm scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos & mortuos: cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum, & viuificantem: qui ex Patre procedit: qui cum patre & filio simul adoratur, & conglorificatur: qui locutus est per prophetas. Et vnam sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma, in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi seculi. Amen. Atque hic quidem est ille veræ, & incorruptæ fidei thesaurus: ab ipso Spiritu sancto, ne quid ex eo aut auferatur, aut aliquid alienum & adulterinum illi addatur, sanctè obsignatus. Hæc est illa diuina, sanctissima, & omnibus numeris absoluta tessera. Hæc est illa communis confessio, omnium sanctorum Patrum. Hic est certissimus vniuersæ Christianæ fidei limes: quem in pectore nostro recondentes: quem vtrisq. manibus amplectentes: quem vbique magna libertate & alacritate confitentes, integrum & incorruptum, nullaq. parte contaminatum, tanquam quoddam cœleste, sanctorum diuinoque numine afflatorum hominum depositum, ad extremum vsque finem vitæ nostræ conseruamus: quo, precibus & interceſsionibus eorum, qui nobis eam fidem exposuerunt, atque sanctè conseruârunt, tanquam mundam hostiam, eam pulcherrimam confessionem, & nos ipsi sanctissimæ Trinitati offerentes, ab æterna liberemur damnatione, ac sempiterna in Christo cœlestis regni ipsius possessione potiamur. Quod vt consequamur gratia & misericordia Christi nostri; etiam atque etiam vehementer oramus.

Annotationes.

Nicena Synodus. *Nusquàm hoc decreuit Nicena Synodus, in cuius Symbolo, non plura de Spiritu Sancto pronunciata esse, quàm illud,* Et in Spiritum San-

tum Sanctum, *testantur acta eiusdem Synodi: testantur duo grauissimi authores, illisq; temporibus proximi, D. Basilius, atque Gregorius Nazianzenus. Basilij verba in epistola quadam ad Ecclesiam Antiochenam hæc sunt:* Quoniam verò doctrina de Spiritu sancto indefinita est, quòd nondum comparerent impugnatores Spiritus Sancti: an condemnandi sint, qui Spiritum Sanctum creatæ, & seruilis naturæ dicunt, in ea Synodo. nulla facta est mentio: nihil enim prorsus creatum est in diuina & beata Trinitate. *In Constantinopolitana igitur demum secunda vniuersali Synodo, quæ contra Eunomium, Photinum, Macedonium, Constantinopolitanum Episcopum, qui negabat Spiritum Sanctum Deum esse, cumq; inter creaturas impiè conijciebat, collecta fuit, hoc totum additum est:* Et in Spiritum Sanctum, Dominum, & viuificantem: qui ex Patre procedit: qui cum Patre & Filio simul adoratur,& conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. *In Romana autem Synodo, quam in idem tempus frequentissimam contra Arrium, Macedonium, Photinum, Apollinarem, Damasus Romanus Pontifex, Romæ congregauerat: & in qua item Petrus, Alexandrinus Patriarcha, adfuit, hoc ipsum* Filioque *per quandam Constantinopolitanæ Synodi interpretationem, additum fuit. Cùm enim centum quinquaginta illi Patres, qui item à Damaso, opera Theodosij Imperatoris Constantinopolim vocati erant, omninò, cùm propter persequutionum metum, à quibus necdum, exitiosissimè vrgente atque defendente, Arrianam & Macedonianam impietatem, Constantio atque Valente, respirarant; tum propter hæreticorum insidias, quas illis absentibus, Ecclesiis illorum struxissent, ipsamq; itineris longitudinem, & difficultatem, Romam ipsi venire non possent; eam de Spiritu sancto confessionem, per Eusebium, & Priscianum Episcopos, legatos ad Damasum, cæterosq; Patres, confirmationis causa, Romam miserunt: quam per omnia idem sentientes sancti illi Patres, vnà cum Damaso pontifice, approbarunt: hocq; solum, quod dictum erat,* qui ex Patre procedit, *per additionem huius particulæ* Filioque, *propter eos hæreticos, qui tum dicebant, Sanctum Spiritum per filium fuisse factum, quos ibidem sancta anathematizat Synodus, & qui itidem Spiritum Sanctum filij quidem filium, patris autem nepotem dicebant, sanctè & piè interpretati sunt. Ita ex vtriusque partis orbis ternarum sententiarum collatione, vna perfecta, de Spiritu Sancto, confessio conscripta fuit: eum esse Spiritum viuificantem, qui ex Patre, Filioq; procedit: qui cum Patre & Filio, simul adoratur, & conglorificatur. Qui quidem sancti patres, tam illi, qui Constantinopoli cum Imperatore, quam isti, qui Romæ cum Damaso congregati erant, etsi loco disiuncti fuerant, re tamen vnum vniuersale concilium constituebant: cùm & ab eodem, & sub eodem capite, congregati fuissent: & in eodem spiritu, & eiusdem Spiritus sancti causa, ad eosdem etiam hæreticos damnandos, & conuincendos, collecti essent: ex mutuaq; sententiarum collatione, & approbatione, vnum vniuersale symbolum ediderunt. Quorum deinceps sententiam, sine vlla controuersia, vniuersa Ecclesia secuta est, vsque ad octauam synodum. Nam tum demùm post octauam synodum, eam, de Spiritus Sancti processione, tragœdiam,*

recentiores

recentiores Græci excitârunt. Constant hæc omnia primùm ex Epistola ea, qua orientales patres respondent Damaso, causam, cur Romam venire non possent, explicantes: constant item ex eiusdem Damasi Epistola, qua Constantinopolitanis respondet Patribus, eorumq; decreta approbat: constant ex Actis vtriusque Concilij: constant ex libro 9. Tripartitæ historiæ cap. 16: constant ex Hugone Etteriano libro 3. de processione Spiritus sancti, cap. 16. & alijs multis authoribus, antiquæ vetustatis peritissimis, fideq; dignissimis.

Omnes vniuersales Synodi obsignârunt, nihil addentes, nihil detrahentes, &c.

Duæ sunt partes vniuersi prætextus, quo Græci schisma suum, in quæstione, de Spiritus Sancti processione, velare, ac veluti integumento quodam tegere volunt. Primùm falsò Latinos, contraq; sanctorum Patrum sententiam, & iudicium, Spiritum sanctum ex Patre & Filio procedere, opinari. Secundò, quamùis hoc rectè & verè dicatur; non tamen illos, vel hoc, vel aliud quicquam sacro Symbolo adijcere debuisse. Et cùm primum illud manifestè sit falsum, & erroneum, vt paulò pòst docebimus, posterius hoc, in quo se arcem negotij tenere putant, Canone potissimùm Ephesini Concilij septimo, confirmant, cuius illa sunt verba: His igitur recitatis, (*Canones autem Niceni Concilij tum lecti erant*) constituit sanctum Concilium, vt nemini liceat aliam fidem, vel proferre, vel conscribere, vel componere; quàm eam, quæ præstituta, ac perscripta est à sanctis Patribus, qui in Nicenorum vrbe, cum auxilio Spiritus sancti, coacti fuerunt. Qui autem audeant aliam fidem vel componere, vel producere, vel proferre, volentibus conuerti ad agnitionem veritatis, siue ex gentilitate, siue ex Iudaismo, siue alia quacunque facta; vt hi siquidem Episcopi aut Clerici sint; isti ab Episcopatu, hi à Clero remoueantur, ac prohibeantur: sin autem Laici sint, vt extrema detestatione & execratione percellantur. *hactenus sancta Synodus Ephesina. Quo quidem Canone docent Græci, post duo illa œcumenica Concilia, Nicenum, inquũ, atq; Constantinopolitanũ, ita Symbolum, ita fidem Christianam, ab Ephesina Synodo concluſam & obsignatã esse, vt illi nihil amplius à quoquam mortalium addi, aut adijci liceat. Quod cùm Latini in huius particulæ adiectione* Filioq; *sint ausi, meritò illos supradicto anathemati subiacere, seq; iustè ab illorum coniunctione & cõmunione disiunxisse. Atq; hic est ille summus Græci schismatis aries, primũ præsidium. Verùm longè aliã mentem sacri Canonis esse, quàm isti putant, vel ipsa Canonis verba clarè docent. Primum enim, vbi dicit:* Ne quis aut Episcopus, aut Clericus, aut Laicus quicquam adiicere audeat: *proculdubiò singulos & priuatos homines, non autem vniuersum concilium vel publicam authoritatem intelligit, quod plenius ipsa Canonis occasio indicat. Cùm enim post Nicenam, atq; Constantinopolitanam Synodum, singuli ferè Episcopi, in suis Diœcesibus, sua conscriberent Symbola: eaq; populis sibi subiectis proponerent: nec Episcopi tantum, verùm & laici nonnunquam: eaq; cùm collectis demùm vniuersalibus Synodis, publicè vnusquisq; ambitiosè legi, ac recitari in Synodo vellet, & posteaquàm item Theodori Mopsuesteñ. Episcopi Symbolum, à Charioso presbytero Philadelphen.*

delphen. ſacro etiam Epheſino Concilio oblatum, publicéq; lectum eſſet: in eáq; re plurimum periculi, & confuſionis, moræq; & ambitionis, ſacra animaduertiſſet ineſſe ſynodus, ſtatim poſt eius lectionem hunc tulit Canonem: Ne quis in poſterum, aut Epiſcopus, aut Clericus, aut Laicus, ſuum proferat ſymbolum: hocque genere & vnitatem fidei Catholicæ turbet: nouisque erroribus occaſionem præbeat: & Sacras ſynodos impediat: tempusque fruſtrà extrahat; ſed vt omnes communem fidei, à trecentis decemocto ſanctis Patribus, in Nicena ſynodo, formulam conſcriptam, ſequantur, illique adhæreant. *Secundò, cùm idem ſanctus Canon doceat:* Vt nemini liceat aliam fidem, vel proferre, vel conſcribere: *manifeſtè explicat, non illud prohiberi, ne quid ſymbolo conueniens & conſentaneum interpretationis cauſa addatur; ſed ſimpliciter,* ne quis aliam fidem conſcribat, *hoc autem eſt, diuerſam, pugnantem, planéque contrariam ab illa, quam ſancti tradiderunt Patres. Quomodo hoc noſtro infelici tempore multi exoriuntur improbi, qui vel Ebionem, vel Cerinthum, vel Arium quendam ſequuti, Luterum item, aut Caluinum, aliam fidem componere non erubeſcunt, ſuáque ſomnia pro vniuerſali Canone, & Regula fidei Chriſtianæ, miſeris populis, obtrudere non verentur. Tertiò cùm dicit,* componere, producere, proferre, conſcribere: *non excludit interpretari, explanare, illuſtrare: quæ longè diuerſa ſunt, & nonnunquam planè neceſſaria. Non illud igitur ſacer Canon docet, nihil ſimpliciter ſymbolo addendum eſſe: ſed hoc potiùs: nihil priuata authoritate, nihil priuato ſenſu, pugnans præſertim, & diuerſum aut cõtrarium his, quæ à ſacris ſynodis inſtituta ſunt, confeßioni fidei apponendũ eße. Quanquam autẽ ex his ipſis ſacri Canonis verbis hoc ita eße clarè demonſtratum eſt; tamen et aliundè hoc idẽ manifeſtè doceri poteſt. Niſi enim ſymbolo aliquid adijcere liceret; tum contingeret, vt quod corde creditur ad iuſtitiam, id ore confiteri ad ſalutem non permitteretur: contrà quàm D. Paulus docet, atq; præcipit. Deinde, ſi amplius neque illuſtrare, neque amplificare, neque obſcura in fide chriſtiana explicare poſt Concilium Epheſinum liceret; fruſtra igitur paulò pòſt contra Eutychen ſexcentorum quadraginta Patrum Chalcedonenẽ. Concilium conuocatum fuit: fruſtra & aliæ quæ pòſt conſequutæ ſunt ſynodi: quæ non aliam ob cauſam conuocabantur, quàm, nouis erroribus & hæreſibus exorientibus, illuſtrandæ & explicandæ fidei chriſtianæ cauſa: eidemq; anathemati ſubiecta erunt conſilia omnia. Verùm vt propiùs ad id quod totam cauſam continet, accedamus. Fuit idẽ penitus canon, ijsdem ferè verbis à Nicena etiam ſynodo perſcriptus, qui quanquam vt multa alia, nunc in actis eius ſynodi non reperiatur, in ea tamen Epiſtola Liberij Papæ, quam ad Beatum Athanaſium Alexandrinæ Patriarcham conſcripſit, eſt, quæ ſic incipit:* Iam à principio accepimus à Beato Petro principe Apoſtolorũ, &c. *his verbis legitur.* Prædicta namque vti legimus, ſancta decreuit Nicena ſynodus, aliam fidem nulli proferre licere, aut conſcribere, aut componere, aut ſapere, aut aliquid docere, nec aliquid in fide vel intelligere, quod horum Patrum decretis contrarium ſit. Qui verò aliam fidem proferre, aut docere, aut aliud ſymbolum tradere illis, qui ad viam veritatis, de quacunq;

fide, velint cõuerti, aut ex Iudaismo, aut ex Gẽtilitate audeat, si Episcopus sit, aut Clericus, priuetur Episcopus ea dignitate, & Clericus clero: si verò Monachus aut Laicus, anathematizetur. *Recognoscimus eadem verba, eãdemq; verborum sententiam Concilij Niceni, quæ fuerunt synodi Ephesinæ. Si igitur Canon hic hunc sensum habet, vt non liceat quicquam symbolo addere, vti quidem Græci putant; subiectum igitur erit eidem anathemati ipsum, quod paulò pòst sequutum est generale Constantinopolitanum Concilium: ipseq; adeò magnus ille Theologus Nazianzenus, quem ex sententia vniuersæ synodi propter eius præstantem doctrinam, qua tum excellebat, inter omnes, symbolum illud conscripsisse, plurimi censent. Multa enim, vltra ea, quæ Niceno continebantur symbolo, vel illustrandæ, vel explicandæ veritatis causa, in ea synodo adiecta fuisse, multa detracta, non aliunde melius patet, quàm ex vtriusq; symboli mutua collatione. Et Niceni quidem symboli forma hæc est:*

Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium, & inuisibilium conditorem. Et in vnum dominum Iesum Christum, filium Dei, de Patre natum, vnigenitum, id est, ex substantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, *hoc est, eiusdem cum Patre substantiæ*: per quem omnia facta sunt, siue, quæ in cælo, siue quæ in terra sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit, & incarnatus, & homo factus, passus est: & resurrexit tertio die, & ascendit in cœlos, inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Et in Spiritum Sanctum. Eos autem q̃ dicunt, erat aliquando, quando non erat, & antequam nasceretur, non erat: & quia ex non extantibus factus est, aut ex alia subsistentia, vel substã tia dicentes esse, aut conuertibilem, aut mutabilem filium Dei; hos anatematizat Catholica & Apostolica Ecclesia.

Constantinopolitani autem hæc.

Credimus in vnũ Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli ac terræ, visibilium omnium & inuisibilium. Et in vnum Dominum nostrum Iesum Christum, filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia secula: Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero: natum, non factum, homousion patri, hoc est, eiusdem cum patre substantiæ, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit. & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, homo factus: crucifixus est pro nobis, sub Pontio Pilato, & sepultus: tertio die resurrexit, ascendit ad cælos, sedet ad dexteram patris, iterum venturus est in gloria iudicare viuos & mortuos: cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, dominum, & viuificatorem, ex patre procedentem, cum patre & filio coadorandum & conglorificandum: qui loquutus est per Prophetas. In vnam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confitemur vnum baptisma, in remissionem peccatorum: expectamus resurrectionem mortuorm: & vitam fuuturi seculi, Amen.

Vbi multa detracta, multa addita esse, quis non videt? in quibus hoc est, incarnatus de spiritu sancto ex Maria virgine: *& hoc*, & sepultus: *& hoc*,

sedet

ſedet ad dexteram patris: & *hoc*, cuius regni non erit finis: & *alia, quæ ſequuntur, ad finem vſque ſymboli. Sed & Epheſina ſynodus, eidem ſubiacebit anathemati. Multa ſiquidem & ipſa illuſtrauit: ad fidem Chriſtianam pertinentia, multa addidit, multa interpretata eſt. Et quanquam hæc clariſſima ſint, tamen ſi demonſtrauerimus eundem ſpiritum ſanctum, qui & in Nicena prius, & poſtea in Epheſina ſynodo, eius Canonis author fuit & magiſter, ipſummet eiuſdem interpretem, ac enarratorem, in conſequenti Chalcedonenſi ſynodo fuiſſe, longéq; alium ſenſum eius eſſe docere; num amplius quidquam ad eam cauſam confirmandam deſiderari poterit? In quarta igitur vniuerſali Chalcedonenſi ſynodo, cùm Eutyches, qui naturas in* CHRISTO *confundebat, libellum ſacræ ſynodo obtuliſſet, neque quidquam aliud ſe ſentire profeſſus fuiſſet, quàm id, quod in Niceno ſymbolo perſcriptum eſſet, vbi ne verbum quidem vllum de diſtinctione naturarum poſitum erat. Indéq; cùm Patres ipſos cohortatus eſſet, ne aliquid ſymbolo contra Epheſinæ ſynodi Canonem addant, hæc inter cætera dixit:* Hanc, inquit, fidem, memorata hæc anterior ſancta & vniuerſalis ſynodus confirmauit, cuius Præſul fuit beatæ & ſanctę recordationis Pater noſter & Epiſcopus Cyrillus, eamque definitionem protulit. Qui præter iſta addiderit aliquid, aut inuenerit, aut docuerit; eum damnationibus, quæ tunc ſcriptæ ſunt, ſubiacere: quorum exemplaria in codice deſtinauit mihi memoratus Pater noſter & Epiſcopus Cyrillus, quæ & piè in manibus habeo. Subijciens igitur meipſum ſanctæ ſynodo; definitionem eius vſque nunc cuſtodiui. *Quæ vbi publicè lecta ſunt, reſponſum eſt Eutychi à ſanctis Patribus, primùm per Euſebium Epiſcopum Dorithei:* Mentitus es: non eſt definitio talis: non eſt regula hæc præcipiens. *Deinde per Diogenem Epiſcopum Cyſici:* Doloſè, inquit, propoſuit ſynodum ſanctorum Patrum, quæ in Nicea facta eſt. Accepit namque additamenta à ſanctis Patribus; propter peruerſum intellectum Apollinaris, & Valentini, & Macedonij, & qui eis ſimiles ſunt: & additum eſt in ſymbolo ſanctorum Patrum: Qui deſcendit, & incarnatus eſt de ſpiritu ſancto, ex Maria virgine. *Hoc idem igitur & iſti ſibi dictum putent, à ſexcentis quadraginta ſanctiſſimis Patribus, veteriq; Græcia dignis, eos minus vera dicere, doloſéq; eodem modo, in allegatione iſtius Canonis agere. Quid enim hac interpretatione clarius? quid iſtis verbis ſpiritus ſancti illuſtrius eſſe potuit? Ruit igitur firmamentum Græciæ: detractum eſt velamen malicioſi Schiſmatis, cùm neq; diuerſum quidquam, neq; priuata authoritate, ſymbolo Latini addiderint; ſed potius ex ſententiis veterum, tam Græcorum, quàm Latinorum Patrum, vt poſt docebimus, nouis hæreſibus vrgentibus, illud interpretati ſint: cùm in prioribus illis vniuerſalibus ſynodis, nondum planè de ſpiritu ſancto, totum dogma definitum, aut explicatum fuerit: vti quidem magnum illum Baſilium, in ea, quam ſcribit, ad Eccleſiam Antiochenam, epiſtola, teſtari ſuperius diximus. Sed & Patres ipſos temporis illius, inprimis autẽ Baſilium, quem Chalcedonenſis ſynodus miniſtrum gratiæ, & eũ, qui primus doctrinã de ſpiritu ſancto illuſtrauit, appellare ſolet, multa indefinitè, multa minus clarè, de ſpiritu ſancto, ac quaſi diſſimulanter dixiſſe, ex quadam epiſtola Gregorij Nazianzeni perſpi-*

citur: vbi eam querelam, quam philosophus quidam contra Basilium magnum, atq; adeò ipsum Gregorium, in quodam conuiuio proposuerat, his verbis exponit. Cætera quidem laudentur viri illius, si ita lubet, nec ipse quidem contradico: cæterùm quod maximum est, non illis concedam. Orthodoxiæ nomine, frustrà laudatur Basilius: frustrà Gregorius: ille, quia veritatem suis disputationibus prodit; hic, quia tolerantia sua, proditionis socium se præbet. Audiui siquidem Basilium Magnum, de patre quidem, & filio, optimè ac præstantissimè, atque vt vix quisquam alius queat, differentem, Spiritum autem Sanctum conuellentem, ac deijcientem. *Ac cùm libenum Gregorij confessionem Spiritum Sanctum Deum esse confitentis, idem philosophus attulisset, de Basilio ibidem sic inquit:* Basilius autem fidei doctrinã obscurè subindicat, ac velut adumbrat, nec veritatem liberè profitetur. *Ac deinde, quæ ipse Gregorius in Basilij defensionem dixerit, paulò pòst subijcit.* Quoniam, inquit, ego in obscuro positus, ac plerisque incognitus; sic, vt nec quæ loquar, nec an loquar, fermè homines sciant, tutò philosophor: illius autem maior habetur ratio, vtpotè & à seipso clarioris, & ab Ecclesia: tum etiam, quia id omne, quod dicit, in publico hominum cœtu dicit: grauiq́ue hęreticorum bello vrgetur; nudam præsertim à Basilio vocẽ arripere quærentium; vt eo (qui solus fermè reliquus est veritatis fomes, visq́; viuifica) vicinis omnibus captis, ac subiugatis, ex Ecclesia pulso, & exturbato, malum istud in ciuitate radices agat: atque ab hac Ecclesia nõ secus, atque ex aggere quodam & propugnaculo, terrarum orbem peruastet, ac populetur. Præstare itaque veritatis doctrinam cautiùs aliquãtò minusque liberè profiteri, temporiq́ue quasi nebulæ cuidam cedere, quàm eam aperta prædicatione opprimere. *Deinde ipsum alloquitur Basilium: ab eoq; petit, vt, quantum in doctrina de Spiritu sancto sit progrediendum, quid de ea pronunciandum ipse putet, sibi explicet.* Tu verò diuine vir, & sacrosancte, facito, vt nos doceas, quousque in disputatione de Spiritus sancti diuinitate progredi: quasque voces vsurpare, & quousque cautione, certaque dispensatione vti debeamus; vt ea, aduersus eos, qui contradicunt, in promptu habeamus. *Quod idem in eius laudibus ijsdem ferè verbis prolixius docet. Sed hæc quidem hactenus.*

Quod idem Sanctissimi viri, qui medijs illis temporibus vixerunt, confessi sunt.

Cæca esse eorum, qui nocere volunt, consilia, præclarè dixit quidã. Euenit enim plerumq;, vt non modò falsa se dicere non animaduertant, verùm etiam pugnantia: ac nõ tantùm cum alijs, sed etiam secum ipsos pugnare. Quod idem in hac causa, Græcis ambitione elatis, euenisse video: nam & hoc falsum est veteres Patres ita, vt isti dicunt, sentire: & isti non magis cum Latinis, quàm cum ipsis Græcis incauti, & imprudentes, in hac parte pugnant. Et de Latinis quidem nihil attinet dicere: de Græcis paucis id, quod proposuimus, demonstremus. Duo sunt potissima Græciæ lumina, Diuus Basilius, atque Gregorius, quos isti maximè suspiciunt, ac eos se in omnibus sequi profitentur: horum vterque eam proponunt quæstionem: Cur Spiritus sanctus non

dicatur

dicatur filius filij. *Quod nunquam facerent, niſi eundem, quemadmodum à Patre, ſic & à filio procedere iudicarent. Iuuat ipſius Baſilij hac de re verba audire. Hic igitur lib. 5. contra Eunomium, eam in hunc modum proponit quæſtionem:* Quare, inquit, & Spiritus ſanctus filius filij non dicitur? *Et ſtatim reſpondet: non illud quod iſti volunt, quòd ex filio non procedat, ex eóq; ſuum eſſe non accipiat, (quod quidem proximè & propriè, ſi ita iudicaſſet, dicendum fuit,) ſed contrarium:* Non, inquit, propter hoc, quòd non ſit ex Deo per filium; ſed ne Trinitas exiſtimetur multitudo infinita, filiosque ex filijs, vt fit in hominibus, ſuscipere iudicetur. Sed dices, inquit, ſi Dei imago eſt filius, filij autem Spiritus ſanctus; quare filius Spiritus ſanctus nõ dicitur? hoc enim fortiſsimo argumento ad ſuam impietatem firmandam abutuntur Eunomiani: aut enim filium, aut creaturam iubes ſuſpicari. Cùm autem filius non appelletur: propterea creaturã eſſe dicis illum, qui creaturam ſanctificat. *Hæc Baſilius. Quid his verbis clarius eſt? Quid hac conſequentia magis perſpicuum? Quid enim neceſſe fuit D. Baſilio, alias cauſas eius rei quærere, cur Spiritus ſanctus filius filij, non dicatur, & non ſimpliciter illam, quæ veriſſima & ſimpliciſſima eſſet, adferre: quòd ſcilicet ex filio ita non procedat, quemadmodum ex patre filius generatur: ſi id tantus vir ſenſiſſet? At non dicit hoc, ſed contrarium potius.* Sicut, inquit, filius ſe ad patrem habet: ſic & ſpiritus ad filium. Propterea, inquit, & Dei quidem verbum filius eſt, filij autem verbum ſpiritus. *Idem ferè dicit magnus Athanaſius in epiſtola ad Serapionem:* Talem inquit, habet ordinem & naturam ſpiritus erga filium, qualem habet filius erga patrem, &c. *Quid hac oratione clarius? quid explicatius, aut quid euidentius eſſe poteſt? Niſi fortè illud à nobis expectat, dum iiſdem quoq; verbis,* ex patre filioque procedere, *ipſos eorundem orientales patres vſos fuiſſe, doceamus. Pareamus igitur & in hac parte illis. Audiant primùm D. Athanaſium Alexandriæ Patriarchã in Dialogo, quem in ſynodo Nicena contra Arium habuit, ita dicentem:* Siquidem ſpiritus ex patris filiiq; ſubſtantia non eſt: cur filius, cùm ſanctum baptiſma ſuis diſcipulis traderet, de eo fecit mentionem? dicens: Euntes in mundum vniuerſum &c. *Et alio loco:* Ipſe, inquit, ſpiritum dat, & quęcunque ſpiritus habet, à verbo habet. *Et ad Serapionem ſcribens:* Spiritus inquit, à verbo accipit, iuxta Domini vocem: De meo accipiet, & annunciabit vobis. *Et in illo, vniuerſi orbis terrarum iudicio, omnibus ſeculis approbato ſymbolo:* Pater inquit, à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus. Filius à Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus. Spiritus ſanctus à patre & filio, non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens. *Et in ſermone de incarnata diſpenſatione:* Ne credat quis, quòd is, quod non habeat, accipiebat: is enim ſupernè demittebat, vt Deus; & infernè ipſe eum ſuſcipiebat, vt homo. Ex eo igitur in eum deſcendebat: ex eius deitate in humanitatem ipſius. Audis? ipſe ſupernè mittebat vt Deus: & ipſe ipſum infernè ſuſcipiebat, vt homo: & veluti Deus mittebat, veluti homo recipiebat: nam totus erat in terra: nulloq; modo à cælo aberat: quippè, cùm in eo õnis deitatis plenitudo corporaliter reſideret. Cùm ergo carne

esset circumscriptus, in Iordane conspiciebatur: sed deitate cùm esset incircumscriptus, paternum sinum non relinquebat; vnde ex eo in eum descendebat. Ideò nihil prodest, quod à vobis allatum est: imò pro nobis videtur facere, vobisque magnum importat detrimentum. *Audiant D. Epiphanium, qui sic in suo Ancyroto sermone inquit:* Spiritus sanctus ex patre & filio, tertius nominatione. *Et rursus:* vterque habitat in iusto homine; CHRISTVS, & spiritus eius. quòdsi CHRISTVS ex patre creditur, DEVS ex Deo; Spiritus quoque ex ipso, vel ex vtroq;: quemadmodum ait Christus: Qui ex Patre procedit: Et ex meo accipiet. *Et iterum*: Sed dicet quispiam: Ergo duos filios esse dicimus: & quomodo est vnigenitus? At quisnam es tu, qui contradicis Deo? Si enim filium nominat, qui ex Patre est: Spiritum verò sanctum, qui ex vtroque, &c. *Et rursus.* Spiritus sanctus, spiritus veritatis est, tertium lumen à patre & filio. *Et demùm.* Quemadmodum enim nemo nouit patrem nisi filius, nec filium nisi pater; ita dicere audeo, nec spiritum nisi pater & filius, à quo procedit, & à quo accipit; neque filium & patrem, nisi spiritus sanctus, qui verè glorificat, qui omnia docet, qui ex patre & filio est. *Audiant aureum illud os Chrysostomum, in expositione Symboli Homil: I. ad Neophytos.* Iste est spiritus procedens de patre & filio, qui diuidit propria bona singulis prout vult. *Et in alio Sermone:* Itaque credendum esse dicimus, spiritum sanctum patri esse & filio coæqualem, & procedentem de patre & filio. *Ita & alio loco, fonti quidem patrem, fluuio autem filium, aquæ verò, quæ inde hauritur, spiritum sanctum, testimonio vtens domini, comparat, qui ait: Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Audiant Gregorium Nazianzenum, qui sic inquit:* Item aliam differentiam intelligimus, vnum nempe propinquum ex primo, scilicet, filium ex patre; alium autem ex propinquo, spiritum sanctum ex filio. *Audiant iterum illustratorem illum doctrinæ de spiritu sancto Basilium, qui in eodem libro 3. contra Eunomium sic inquit.*: Fuitné vnquam homo sic audax, qui diuinorum dogmatum innouationes induceret? Cur enim necesse est, si dignitate ac ordine tertius est spiritus, natura quoque ipsum tertium esse? dignitate namque ipsum secundum à filio, cùm ab ipso esse habeat, & ab ipso accipiat, & annunciet nobis, & omninò ab illa causa dependeat, pietatis ratio tradit: natura verò tertia vti, nec à diuinis scripturis docti sumus, nec à dictis possibile est consequenter ratiocinari. Nam quemadmodum filius ordine quidem à patre secundus est: quoniam ab illo & dignitate est, quia origo atque causa essendi, Pater ipsi est: & quoniam per ipsum accessus & adductio ad Deum patrem est: natura verò nullo modo secundus, quoniam in vtroq; vna est Deitas; ita videlicet & spiritus sanctus, etsi dignitate & ordine secundus à filio est, non tamen verisimiliter alienæ ipsum esse naturæ, inde consequetur. *Et in eo capite, quod inscribitur: Quòd spiritus diuina natura est:* Spiritus namque inquiens, viuenti verbo ad creandum adiunctus, viuens potentia diuina, natura ineffabilis, ex ore ineffabili manifestata, ineffabiliter per sufflationē ad hominem missa, & secundùm corporalem à Christo monstratam figuram,

guram,rursus ab eo per sufflationem reddita : conuenire namq; decet creationi nouam reparationem. Conuenientiam autem figurauit, sufflans ; quòd non est alius præter illum, qui à principio sufflauit ; sed idem, per quem Deus sufflauit; tum quidem cum anima, nunc verò in animam. *Audiant Cyrillum non in vno, sed in multis locis, ac primò in expositione Ioëlis Prophetæ, super illum locum :* Effundam de spiritu meo, sic ait : Inquantùm etenim Deus ex Deo, secundùm naturam filius est, cùm natus sit ex Deo & patre ; proprius eius, & in eo, & ex eo, spiritus est : quemadmodum, & de ipso Deo & patre intelligitur. Et ex eo est, inquit : & ita ex eo, quemadmodum de ipso Deo & patre intelligitur, omne dubium quærentibus causam tollens. *Idem rursus in sermone ad Theodosium Imperatorem :* Baptizantem, inquit, IESVM in igne & spiritu sancto, non alienum baptizantis effudisse spiritum, seruiliter & instrumentaliter ; sed tanquam Deum secundùm naturam cum authoritate summa, qui ex eo, & proprius eius est. *Et iterum in thesauris :* Legem igitur cùm ferat Christus, ita condit eam, tanquam in eo, & ex eo, sic spiritus eius. *Et rursus.* Nullam igitur naturæ differentiam filij & spiritus sancti Paulus nouit ; sed tanquam ex eo, & in eo, naturaliter sit, Dominico nomine eum vocat. *Et in expositione noni Anathematismi :* Homo factus inquit,vnigenitus Dei filius, non minus permansit Deus, omnia habens quæcunque & pater ; præterquàm quòd nõ sit pater : & propriũ habens, qui ex eo, & in eo insitus est spiritus sanctus. *Et alio loco:* Procedit quidem spiritus sanctus ex Deo patre,secundùm verba saluatoris ; non tamen est alienus à filio: omnia namque cum patre habet. Et hoc ipsemet docuit, dicens de spiritu sancto: Omnia quæcunq; habet pater, mea sunt : ideò dixi vobis : ex meo accipiet, & annunciabit vobis. Nam etsi à patre procedere spiritum sanctum saluator dixit ; non minus tamen est etiam filij. Est autem filij, quemadmodum & patris. *Et in epistola ad Nestorium :* Etsi est, inquit, spiritus in propria hypostasi, provt spiritus est non filius ; non tamen ab eo alienus : profluit enim ex eo, sicuti ex Deo & patre. *Et in sermone ad Theodosium Imperatorem :* Non ex mensura (inquit secundùm Ioannem) dat spiritum filius ; sed ipse eum ex seipso emittit, quemadmodum & ipse pater. Quare B. Paulus omni in hoc differentia postposita, nunc quidem Deo & patri illum attribuit, nunc rursus filio. *Et in illis, quæ ad Palladium in forma Dialogi scribit:* Mutabilis verò minimè,inquit,est spiritus. Nam si mutabilitati subiaceret ; ipsi diuinæ naturæ iste defectus ascriberetur : siquidem Dei & patris, nec non & filij est, qui essentialiter ex vtroque, scilicet ex patre per filium, profluit spiritus. *Item in quinto ad Hermiam reddens causſam, cur ſpiritus filij, dicatur ſpiritus:* Cuiusnam, inquit, proprium dicimus esse spiritum sanctum ? Vtrum solius Dei,& patris ? an etiam filij ? an & disiunctim vtriusque & simul amborum, tanquam vnum ex patre per filium propter identitatem essentiæ ? *Et in septimo ad Hermiam :* Inhabitantem enim sibi,& insitum quis haberet eum, qui natura & verè Deus est, (de filio dicens) cùm spiritum accipiat, qui non alienus & essentia disiunctus ab eo est ; sed qui ex eo, & in eo, & eius

proprius est, & æquè atque ille Dominus est? *Et post pauca:* Misit autem nobis è cælo paracletum, per quem, & in quo nobiscum est, & in nobis inhabitat: non alienum in nobis affluens; sed qui essentiæ suæ, & patris sui proprius est spiritus. *Obsignemus rem totam primæ Synodi testimonio, quæ dicit:* Spiritum sanctum ex patre procedere: proprium autem esse filij, & ab eo scaturire. *Vnde manifestò constat, falsò istos dicere, omnes sanctos Patres diuersum quid à Latinis sensisse: & non minus ab illis, quos duces sequuntur, quàm à nobis dissidere, ac æquè ab vtrisque iniquo Schismate disiunctos esse; cùm inter veteres Græcos & Latinos, nulla sit in hac parte differentia; præter id, quòd Latini quidem summam quandam patris & filij æqualitatem declarantes, particulâ, Ex, quæ parem quandam, & æqualem vim designare solet, vtuntur: Græci autem veteres, ordinem quendam in diuinis connotare volentes, sæpiùs particulâ, Per, magis ad eam rem comparata vti solent: ita vt dicant, spiritum sanctum ex patre per filium procedere. Quomodo Basilius, Gregorius Nyssenus, Damascenus, & alij sæpiùs loquuntur: vti quidem doctissimè, doctissimus ipse, in eo libello, quem hac de re ad Lascarim conscripsit, annotauit Bessarion, quorum vterq; patrio schismate damnato, Latinis se adiunxerunt. Neq; verò aut veteres Græci, aut ipsi Latini, dum spiritum sanctum ex patre & filio procedere dicunt, hoc ita intelligunt: vt aut duo principia spiritus sancti constituant, aut patris & filij personas confundant, aut aliquam diminutionem personarum, vel imperfectionem processionis faciant: quæ omnia imperitè & malitiosè noua Græcia nobis obijcit. Quod ita esse, vt rectius intelligatur, rem totam paucis vt est, penitiùs explicemus.*

Cùm igitur vnaquæque res aut persona, duplicem quodammodo habeat formam & proprietatem: aliam quidem communem cum cæteris eiusdem naturæ & generis rebus: aliam autem sibi propriam & immediatam, quæ & personam eius constituat, & ab alijs eiusdem generis rebus eam distinguat, & ex qua omnia quæ sequuntur, promanant: quam, personalem, constitutiuam, particularem, incommunicabilem, immediatam, principium indiuiduationis philosophi appellare solent. Vnaquæq; item simili modo in diuinis persona, hac vtraq; prædita est forma & proprietate: quemadmodum patris quidem persona, communem habet formam, qua cum filio & Spiritu sancto communicat ipsam Deitatem, secundùm quam vnus est cum illis Deus: habet autem & aliam propriam, quæ eius propriam constituit personam, eamq; à filio & Spiritu sancto discernit: à qua item prima operatio, eaq; immediata proficiscitur, quam cæteræ omnes consequuntur. Et forma quidem est, atq; proprietas, paternitas ipsa, à qua & nomen, & rem ipsam patris accipit. Prima autem, & propria operatio, generatio ipsa: generare siquidem prima, & immediata est operatio patris. Cùm igitur hæc sit prima, & immediata, & incommunicabilis patris proprietas, eiusq; personæ constitutiua: hæcq; ipsa prima eius propria operatio, generare inquã, necesse est omnes alias eius cõsequutiuas esse: non vt accidentia, quod in Deo non est; sed secundùm naturam & essentialiter. Vt enim prima & immediata cuiusq; operatio, ab eius constitutiua forma pendet; ita omnes aliæ operationes hanc ipsam consequuntur. Cùm igitur patris prima &

immedi-

immediata sit operatio generare: spirare autem, & reliquæ omnes secundæ & immediatæ sint operationes; necesse est per ipsam generandi vim, spirandi rationem prouenire. Cùm autem ipsa spirandi facultas Spiritus sancti sit productiua; necesse erit Spiritum S. ex patre per filium procedere: vt, quemadmodũ generationem vi & natura sua, spiratio consequitur; ita Spiritus S. productionem, ipsam filii generationem consequi oportet, ipsumq; Spiritum S. ex patre & filio procedere; non tanquam à duobus principiis, sed tanquã ab vno. Si enim vt à duabus personis proficiscitur Spiritus S. sic à duabus formis distinctis, secũdùm quas producitur, promanaret; tum necessariò duo eius essent principia. Cùm autem à duabus quidem personis producitur: forma tamen qua producitur, vna numero est, & omninò indistincta: est enim ipsa diuina essentia vna, & eadem numero, communis ambobus: vna item spiratio, secundùm quam Spiritus sanctus producitur; vnum profectò, & non plura eius erunt principia. Neq; tamen patris & filij personæ hac ratione confundentur. Si enim in aliqua forma propria, eorumq; personæ constitutiua, Pater & filius conuenirent, vtpotè in paternitate vel filiatione; tum meritò confundi dicerentur: nũc autem manente cuiusq; sua constitutiua, & incommunicabili proprietate; in ea tantum, quæ communis est, & quæ iam constitutas sequitur personas, spiratione inquam ipsa, atq; Spiritus sancti productione, coniungi dicuntur. Ita nulla ratione eorum personæ inter se confundentur, etiamsi communiter Spiritum sanctum spirent, atque producant; cùm vnicuique eorum sua constitutiua & propria, incommunicabilis cum altero proprietas permaneat, qua à se inuicem distinguantur. Neque item ob eam causam minor erit Spiritus sanctus filio, quòd ab illo producatur: quia neque filius ea causa est minor patre, quòd ab eo generatur: neque ideo minor Spiritus sanctus, quòd nec patrem nec filium producat: quia neque filius ideo minor patre, quòd patrem non generet; sed solum Spiritum sanctum vnà cum patre producat. Neque item aliqua imperfectio processionis hinc colligitur, quòd à patre per filium Spiritus sanctus producatur; cùm nullam imperfectionem inde res sumant, quòd per primas operationes & facultates suas, res alias producant atque constituant. Neque item illi calumniæ relinquitur locus, cur non potiùs ex patre & Spiritu sancto filius, quàm Spiritus sanctus ex patre & filio proficiscatur: potentia siquidem generãdi præcedit, vti dictum est, spirandi potentiam; tanquam prima & immediata patris operatio: spirandi verò facultas, cùm filij generationem sequatur; necesse erit, vt non filium ex patre per Spiritum sanctum, sed Spiritum sanctum potiùs ex patre per filium procedere fateamur. Ex se ipso autẽ Spiritus sanctus procedere non dicitur; quòd nihil sui ipsius sit principium: neque spirationem actiuam, quæ soli patri & filio communis est, habere potest. Vnaquæque enim diuinarum personarum, manens in eo quod est, & suam proprietatem personalem seruans, communia ad inuicem habet omnia essentialia. Eodem modo Spiritus quoque, etsi omnia communia habeat cum patre & filio; seruet tamen suam proprietatem necesse est: quoniam spirare seipsum non potest, cùm hoc repugnet eius proprietati. Hæc autẽ omnia dignè Deo, supra omne tempus, & ad nostrum intelligendi modum relatè sunt accipienda. Et sic omnia ab his facilè expli-

lè explicantur, qui sponte errare nolunt, pertinaciq; contentione non vincuntur. Hanc autem & non aliam Latinorum de Spiritu sancto sententiam esse ex D. Augustino, quem tanquam Ducem & Principem vniuersa occidentalis sequitur Ecclesia, manifestum est: cuius illa sunt verba: Non inquit, duo principia spiritus sunt, pater & filius; sed vnum eius ambo principium sunt: *pulcherrimoq; exemplo, rem totam explicat.* Quemadmodum creaturæ non tria principia, sed vnum, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, ipsa Trinitas, est vnus Deus. Nam etsi patrem, filium, & Spiritum sanctũ, creaturæ causam credamus; tamen ad patrem omnia referũtur: quia ab eo habet, & filius, & Spiritus sanctus, & ipsum esse, & creandi potentiam. Item quòd vna & eadem numero potentia creant; cùm Pater, & filius, & Spiritus sanctus, ex vna, & eadem numero, & communi diuinitate, siue diuina essentia prodeant: ideò vnus Deus, & creator est omnium. Idem de Spiritus sancti, ex patre & filio processione, sentiendum est. Namque vna & eadem spirandi potentia, quæ illis communis est, pater & filius, Spiritum sanctum spirant: & cùm à patre hanc spirandi potentiam, vt cætera, filius per generationem habeat; vnus spirator, vna causa, & vnum principium processionis spiritus ambo sunt. *Plura, qui de hac materia legere velit, legat præter concilium Florentinum, duorum doctissimorum, qui illi concilio interfuerunt, Græcorum libros, Bessarionis, inquam, orationem dogmaticam ad Græcos: Gennadij autem Scholarij Patriarchæ Constantinopolitani librum defensionum quinque capitum, quæ in sancta, & Oecumenica Florentina synodo continentur: quem librum nuper ad me Roma misit, Stanislaus Rescius, vir elegantissimus, Magni quondam Hosii familiaris: quibus eo maior fides adhiberi debet, quòd ex Græcis ipsis orti, contra eosdem Græcos tam strenuè pro veritate dimicarunt. Et hæc quidem hactenus.*

Articuli fidei summatim explicantur, AD VITÆQVE ET MORVM INSTITVtionem accõmodantur.

Caput II.

IAM verò ad secundum Caput instituti vestri accedentes, quòd ipsos Articulos fidei nostrę recenset atque enumerat, ita vti rerum ordo postulat, illud dicimus: veram & vnicam christianam fidem, omnem rationem, & intellectum humanum, longè excedentem, (vtpotè, quæ sit vera & syncera vnius Dei in Trinitate confessio) in his Sacri Symboli capitibus, tanquam in compendio quodam contineri; totamque rationem fidei nostræ ob oculos ponit. Quam omnes fideles

deles rectè de religione sentientes, ac quicunque modò salui esse velint, liberè ac sine omni cunctatione, profiteri tenentur. Quæ quidem religionis nostræ capita, qui item articuli fidei appellari solent; tanquam principia quædam & fundamenta doctrinæ Christianæ sunt, duodecimq; numerantur; Duodenarium sanctorum Apostolorum numerum repræsentãtes. Ex quibus quidem tres sanctissimæ Trinitatis confessionem continẽt: sex verò, filij Dei, ipsiusque verbi Incarnationem; totam denique, salutis nostræ œconomiam explicant: reliqui tres, ea, quæ ad futuram mundi consumationem pertinent, complectuntur.

Primus igitur articulus docet, vnam esse diuinam naturam, & non plures: vnam potestate, principio, omnipotentia, atque dominatione.

Secundus articulus tradit, eam ipsam diuinitatem, tribus, non vna contineri personis; quantumùis ipsa substantia diuina, vna, & indiuidua sit: in quibus, hoc quidem est ingenitum, aliud autem genitum, illud verò procedens: quæ Pater, Filius, & Spiritus sanctus à theologis dicuntur.

Tertius verò, hanc ipsam Trinitatem vniuersorum esse opificem, ex nihilo res omnes ad id, vt sint, producentem, idque sub certo & definito tẽpore; tam ea, quæ mente intelliguntur, quàm hæc, quæ sub sensum cadunt, visibilia simul & inuisibilia omnia.

Quartus autem, propter eam curam & prouidentiam, quam circa nos hic ipse in Trinitate DEVS benignè gerit, æterni patris beneplacito, cooperante autem Spiritu sancto, Verbum DEI, manens in sua diuina natura, ab omni alteratione & mutatione remotum, omnisque passionis expers, sineque omni fluxu atque corruptione, propter nos earnem factum esse: plenamque & perfectam nostram naturam ἐνἀτόμῳ, aliter, in momento temporis, in vno indiuiduo assumpsisse.

Quintus autem, verbum hoc ex incorrupta virgine natum esse: quæ eadem & ante partum, & in partu, & post partum, diuina verbi omnipotentia virgo sit conseruata.

Sextus articulus tradit, eundem sponte & voluntate sua, propter nos, nostramque salutem, carne passum esse, crucifixum item & mortuum, nulla in parte diuinitate eius diminutionem aliquam patiente; vt, in quam nulla affectio, nullus cadat interitus.

Septimus docet, hunc eundem IESVM Christum, ita passum, tertia die, vi & potentia sua, à mortuis surrexisse, suisque discipulis sæpiùs apparuisse.

Octauus, post quadraginta dies magnificę resuscitationis suæ, videntibus discipulis, eundem in cælos gloriosè assumptum esse, atque ad dexteram patris consedisse; carnem & humanitatem suam, eiusdem gloriæ & adorationis declarasse; vt, quæ nunquam ab ea diuinitate, à qua semel assumpta est, seperetur; sed perpetuò vnitatis vinculo, cum ea coniuncta ac planè deificata permaneat. ἀχώρισον καὶ ὁμόθεον.

Nonus, hunc eundem iterum de cœlis in terram cum gloria patris venturum; vt reddat sempiternam quidem regni sui hæreditatem illis, qui ei sanctè, & piè seruierunt; impijs autem, & flagitiosis hominibus, perpetuam damnationem.

Decimus,

Decimus, hunc ipsum vniuersam humanam naturam à morte excitaturum, animasque corporibus, in quibus prius vixerunt redditurum, in vna, & eadem omnes ætate: vt in ijsdem corporibus recipiat vnusquisq; mercedem, prout in vita gesserit: ipsaque corpora sine omni corruptione perpetuis temporibus duratura.

Vndecimus, hunc eundem CHRISTVM, tam viuos, quàm mortuos iudicaturum: & impiis quidem ac perfidis æternam damnationem; piis autem, & his, qui in omnibus præceptis & iustificationibus eius strenuè sese exercuerunt, sempiternam gloriam redditurum.

Vltimus & duodecimus, eam quæ consequitur vitam, sempiternam futuram: vtpote iam vtraque parte nostra ab omni interitu vindicata.

In quorum capitum, prima quasi parte, illud docetur; vnum esse Deum, vnum esse dominum, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Nam & patrem, Deum nominari audimus; & filium item Deum de Deo, lumen de lumine dici: Et spiritum sanctum, dominum appellari sentimus; totamque sanctam Trinitatem, vnius substantiæ, æqualisque gloriæ esse, patrem, & filium, cum sancto spiritu, æternum, omnipotentem opificem: quod & omnes sancti Prophetæ vno ore confessi sunt; Deum, inquam, patrem, verbum, & spiritum sanctum, vnum in trinitate Deum, vbique celebrantes. Et cælestes illæ, & diuinæ mentes, apud Isaiam, in illa terna præpotentis Dei veneratione, vnum canunt, & confitentur Dominum.

Secunda autem pars symboli illud continet, hunc ipsum DEVM trinum in personis, vnum autem in diuinitatis suæ natura; patrem esse, filium, & spiritum sanctum. Et Patrem quidem ingenitum esse, omniq; causa & principio carentem; auctorem autem & principium omnium earum rerum, quæ ex ipso sunt, existere: Filium autem genitum, Deum ex Deo: Spiritum verò sanctum dominum viuificantem, & ex patre procedentem. Vnam item esse illorum naturam, vnam gloriam, vnam potestatem, vnam adorationem, idque ante omnia secula, illis verbis confitemur: Qui cum patre, & filio, simul adoratur, & conglorificatur.

Tertio verò capite illud demonstratur, vniuersam sanctam Trinitatem esse rerum omnium creatricem, atque opificem; quæ ex nihilo ea, quæ sunt, omnipotenti sua virtute produxerit. Itaque & patrem creatorem cæli & terræ, omniumq; aliarum rerum confitemur. Et filium item eum esse, per quem omnia facta sunt, agnoscimus. Et spiritum sanctum dominum omnia viuificantem, celebramus.

Quarto autem capite, ipsa incarnatio filij Dei annunciatur; hoc ipsum scilicet verbum ex spiritu sancto, & maria virgine carnem factum esse.

Quinto demùm, eam ipsam Mariam matrem eius, perpetuam virginem conseruatam esse; ex qua Dei verbum, carnem nostram viuam, anima rationis participe, voluntateque ipsa præditam acceperit: purusque, ac simplex existens; duplex quodammodo nostræ salutis causa, fieri voluit vnus; ex duabus perfectis naturis, diuinitate, inquam, & humanitate.

Sexto autem docetur, eundem Christum Deum, & hominem, in carne pro nobis crucifixum, passum, & sepultum esse. In reliquis

In reliquis autem vltimis articulis illud continetur, hunc ipsum à mortuis resurrexisse, ac in cælos assumptum esse; iterumque de cælis ad iudicandum viuos, & mortuos, venturum: futuram item mortuorum resurrectionem: pœnam & supplicium sempiternum: regnum item & præmium eodem modo.

Hæc igitur capita sacro continentur symbolo, quæ non solùm ad Christianæ philosophiæ theoriam; verùm etiam ad vitam & mores referuntur, quæ rectè nos instituunt, & ad æternam perducunt salutem. Propter nos enim, nostramque salutem, Verbum Dei de cælis descendisse docet; vt & nos ad formam & exemplum conuersationis eius, vitam, moresque nostros componentes, saluemur. Deinde passum, mortuum, resurrexisse; vt & nos in spem salutis erecti & excitati, perfectæ virtutis viam ingrediamur. Tum ad iudicium viuorum & mortuorum venturum profitemur; vt ad expectationem, & præparationem aduentus eius, excitemur. Denique vitam æternam nobis hoc symbolum proponit, ad spem eius cõsequendæ, metum autem æterni supplicij. Per quæ omnia triplex illa animæ nostræ facultas, qua omnis eius natura continetur, perfici, ac expurgari solet; mens quidem, & rationalis vis, pia æternæ Trinitatis confessione; iræ autem & vindictæ impetus, Incarnationis memoria; appetitus verò, & cupiditas, futuræ resurrectionis prædicatione; vt in horum desiderium excitati, promptius curriculum mandatorum Dei decurramus.

Cùm verò septem sint principales virtutes, quæ cæteras continent omnes; humilitas, inanis gloriæ contemptus, paupertas, ieiunium, castitas, patientia, tolerantia, seu æquanimitas: septem item contraria his vitia; superbia, vanæ gloriæ studium, amor pecuniæ, gula, prostituta pudicitia, socordia, iracundia postremò: idem sanctissimum fidei symbolum, ad eas quidẽ virtutes amplectendas nos studiosè cohortatur; à vitijs autem quàm maximè fieri potest, deterret. Et ad humilitatem quidem nos excitat tunc, cùm nobis proponit ipsum Dei Verbum, propter nos de cœlis descendisse. Ad contemptum verò inanis gloriæ, tum, cùm Deum existentem, hominem factum esse docet. Ad paupertatem autem, ieiunia, castitatem, ac reliquas virtutes omnes; cùm hæc omnia nostra causa, eum in se recipisse confitetur. Ad tolerantiam item & patientiam; cùm illum habuisse omnia, tamen ad extremum, crucem & mortem nostra causa subijsse, nobis proponit. Singulis enim vitæ & conuersationis suæ partibus, singulos illicitos animi nostri motus, Saluator noster confutat, atque perimit. Humilitate quidem sua, superbiam nostram; vnde incredulitas, ac in Deum blasphemiæ oriuntur. Deiectione autem ac demissione sua, vanæ gloriæ studium nostrum; vnde inuidiæ, cœdes, mentis vesania profluunt. Paupertate sua, nostram auaritiam, quam furta, doli, mendacia, Dei & proximi dilectionis proditio, consequuntur. Ieiunijs suis, gulam nostram; quàm ebrietas, luxus, profusio, peruersitas, ac inconditus rerum status, omnisque praua consequitur cupiditas. Castitate & continentia sua, nostram impu-

dentiam, pudorisque prostitutionem; ex qua omnis vitæ impuritas,ac fœditas, ab ipsaq; Dei purissima & mundissima mente aberratio promanat. Perseuerantia sua,nostram socordiam,& pusillanimitatem; vnde desperatio, ingratitudo, mentis tenebræ,desponsioque animi oritur. Tolerantia denique & æquanimitate sua,nostrum impetum,ac iracundiam, in fraternumq; exitium planè diabolicum furorem; vnde inueteratum odium, inimicitiæ, cædes, cupiditas vindictæ, triumq; primarum & summarum virtutum, Fidei, Spei,& Charitatis peremptio nascitur. Quæ quidem virtutes, tanquam tres pulcherrimæ in honorem sanctissimæ Trinitatis dedicatæ victimæ, eos qui illas habent plenè & integrè, cum eodem trino, & vno Deo, coniungunt & vniunt, ac quodammodo per gratiam deos nos efficiunt. Quare & nos fratres charissimi omnes, recta in Deum fide,eam partem animæ,quę rationis est particeps,emundemus,atque exornemus: magis autem & alijs communibus virtutibus,fortitudine,inquam,temperantia, iustitia, atque prudentia; in quibus reliquæ omnes,tanquam in suis primis radicibus continentur: sanctificantes nosmetipsos; quantumq; homini licet, ab omni perturbatione liberi, vitam vniuersam ad exemplū & imitationem IESV Christi componamus: illiusque veram fidem,eiusq; sanctissimam vitam, vita, moribusque nostris repræsentemus: diligamus eum, eiusq; præcepta impleamus: efficiamur templa eius, ac bonus DEI odor, sanctificati in operibus bonis; vt & immortalis vitæ, atque gloriæ, regnique cælestis ipsius,perpetuis temporibus participes efficiamur: idq; non ea solùm iustitia, quæ operum est; sed multò magis diuina, & cælesti eius gratia; vt ita demùm eius verissimis potiamur promissis.

De peccato originis, baptismo, sacro CHRISMATE, ET EORVM QVI BAPTIzantur communione.

Caput III.

TErtium caput confessionis vestræ illud docet; omnes homines peccato primi parentis nostri obligari; quod idem & nos vobiscum affirmamus. Dicit enim diuinus Psaltes: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Et ipse Dominus in Euangelio testatur: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto; non potest introire in regnum Dei. Non aliam certè ob causam, quàm vt primorum parentum noxa,atque delictum expietur, atque emundetur. Vt autem in hac parte idem sentimus omnes,ita de regeneratio-

generationis ſancto baptiſmate;quod item ſacro profitemur ſymbolo: Cõfiteor vnum baptiſma, in remiſsionem peccatorum : Hoc inter nos & Latinos intereſt, quòd nos quidem eos, qui baptizantur, triplici merſione baptizamus; Latini verò,non rectè vna ſola contenti ſunt. Oportet enim vetuſtiſsimo Eccleſiæ more, tres perſonas in vna diuinitate hac ipſa trina merſione prædicare,ac profiteri; & ita tres adhibere emerſiones,atq; immerſiones; inuocato Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, nominibus. Simul verò eadem terna,eius qui baptizatur, immerſione & emerſione illius,qui propter nos carne crucifixus eſt, atque à mortuis reſurrexit, triduanam ſepulturam atque reſurrectionem repræſentari putamus. Illud etiam ſimul profitemur,oportere ſtatim eum, qui baptizatur,diuino inungi chriſmate. Ea enim vnctio, atque adeò chriſma ipſum, ſigillum eſt atque obſignatio Chriſti; nosque ex ipſo in ea vnctione gratiam accipientes, Chriſtiani appellamur,Chriſtique Domini efficimur. Neque enim ille nos ſuo dedigna tur nomine; ſiquidem & filios Dei, adoptione quadam,atque adeò ſecundùm gratiam & electionem, deos ipſe nos,vocare non erubeſcit. Vngens autem Sacerdos eum qui baptizatur,ſic dicit: Sigillum & obſignatio doni Spiritus ſancti, Amen. Vnde magna ratione baptiſmum ſacra ſtatim ſequitur Vnctio, neque omninò in aliud differtur,aut reijcitur tempus. Sed & illud conſequens & cõſentaneum eſſe videtur, vt huic ipſi,qui baptizatus eſt, pars tremendæ communionis corporis & ſanguinis domini impartiatur: hic enim eſt finis & conſumatio omnis myſterij. Vt ſic ab omni errore liberi, ab omni item inquinatione & ſorde peccati mundati, ſacraq; vnctione obſignati,& communiti,corporis & ſanguinis eius participes efficiamur,illique ſummè vniamur; vt inambulet,& inhabitet in nobis Chriſtus dominus; nobiſcumque ſit,omnibus diebus vitæ noſtræ. Quod nobis diuina eius gratia largiatur.

Apud Símonẽ Theſſaloni cenſẽ ex quo hoc totum caput ad verbũ deſumptum ẽ pro ἱερεὺς ἀρχιερεὺς legítur, magis Sacramento Cõfirmationis conſentaneè, quod p ſolos Epiſcopos cõferri ſolet : de quo hoc loco inſtitutũ eſſe ſermonẽ,cùm ex re ipſa, tũ ex eodẽ Sermone Theſſalonicenſ. in eodẽ loco clarius patet.

ANNOTATIONES.

Latini verò non rectè vna ſola contenti ſunt. Oportet enim &c. *Non eundem ſemper in hac cæremonia ſeruauit Dei Eccleſia ritum. Primò enim ſtatim ab initio, ad inculcandum vnum Deum in tribus diſtinctis perſonis; tã neceſsariam eam trinam immerſionem iudicauit, quàm ipſam trinam perſonarum prolationem : extat hac de re Apoſtolicus Canon :* Si quis Epiſcopus aut Presbyter non trinam merſionem vnius myſterij celebret, ſed ſemel mergat in baptiſmate, quod dari videtur in domini morte; deponatur : non enim dixit Dominus : in morte mea baptizate : ſed,Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris,& Filij,& Spiritus ſancti. *Docet hoc idem Tertullianus* : Chriſtus, inquit, nouiſsimè mandauit diſcipulis, vt tingerent in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum : non in vnum: nam nec ſemel, nec ter ad ſingula nomina, in perſonas ſingulas tingimur. *Docet & Baſilius in libro de Spiritu ſancto :* Iam, inquit, ter mergi hominem, vnde eſt traditum ? *Quin eò amplius præceptum Euangelicum hoc fu-*

isse docet Pelagius Papa, vbi inquit: Multi sunt, qui in nomine solummodo Christi, vnica mersione sic asserunt baptizare. Euangelicum verò præceptum, ipso Deo & Domino Saluatore nostro IESV Christo dicente, & tradente, nos admonet; in nomine Trinitatis. trina etiam mersione, sanctum baptisma vnicuique tribuere, dicente Domino: Ite, baptizate omnes gentes, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. *Itaq; inter cæteras causas, cur Eunomiani rebaptizarentur, eam ponit 7. Canon. 1. Constantinopolitanæ synodi, quòd in vnam demersionem baptizarentur. Postea tamen, vbi exorti sunt hæretici illi, qui summam Trinitatem non personis tantùm, sed natura etiam & substantia, distinctam esse docebant: hacq; cæremonia, ad suum confirmandum errorem abuti cœpissent: primæ Hispanicæ, & Gallicæ Ecclesiæ, vna mersione, ad indicandam naturæ diuinæ vnitatem, vsæ sunt. Qua de re consultus à Leandro Hispaniæ Episcopo, Gregorius Magnus, sic respondet:* De trina verò mersione baptismatis, nihil responderi veriùs potest; quàm quod ipsi censuistis: quia in vna fide, nihil efficiat sanctæ Ecclesiæ consuetudo diuersa. Nos autem, quòd tertiò mergimus; triduanæ sepulturę Sacramenta signamus. Et dum tertiò infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimitur. Quòd si quis, & fortè pro summæ Trinitatis veneratione existimet fieri; neque hoc aliquid obsistit baptizando, semel in aquis mergere: quia dum in tribus personis vna substãtia est; reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismate, vel ter, vel semel immergere: quando & in tribus mersionibus personarũ Trinitatis, & in vna, potest diuinitatis singularitas designari. Sed quòd nunc hucusque ab hæreticis infans in baptismate tertiò mergebatur; fiendum apud nos esse non censeo: ne, dum mersiones numerant, diuinitatem diuidant: dumque quod faciebant, faciunt, se morem nostrum vicisse glorientur. *Cuius responsum postea Concilium Toletanum quartum, cap. 5. secutum, hac de re, in hunc ipsum decreuit modum:* Propter vitandũ autem schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis vsum, simplam teneamus baptismi mersionem; ne videantur apud nos, qui tertiò mergunt, hæreticorum approbare assertionem, dum sequuntur & morem. Et ne fortè cuiquam sit dubium, huius simpli mysterium Sacramenti; videat in eo mortem, & resurrectionem Christi significari. Nam in aquis mersio, quasi ad infernũ descensio est: & rursus ab aquis emersio, resurrectio est. Item videat in eo vnitatem diuinitatis, & Trinitatem personarum ostendi: vnitatem, dum semel mergimus: Trinitatem, dum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizamus. *Romana tamen Ecclesia, vt illo tempore, ita & nunc trina vtitur mersione: quod non aliunde melius patet, quàm ex ipso Romanæ Ecclesiæ Sacerdotali, ex cuius forma, Romæ Sacramenta administrari solent, vbi sic ritio baptismi instituitur.* Tunc Sacerdos accipiat puerum diligenter: & baptizet eum sub trina immersione, sanctissimam Trinitatem semel inuocans: vel affundendo aquam super caput pueri, secundùm consuetudinem loci illius, dicendo: Petre ego te baptizo, in nomine Patris †, & semel immergat: & Filij †, & secundò immergat: & Spiritus sancti, Amen

†, & ter-

ter, & tertio immergat. Et cùm surrexerit de fonte, Sacerdos facit signum crucis de chrismate, in vertice illius, &c. *Quem eundem planè ritum fuisse temporibus suis, testatur his verbis Ambrosius:* Interrogatus es, Credis in Deum patrem omnipotentem? Dixisti, credo & mersisti, hoc est, sepultus es. Iterum interrogatus es, Credis in Dominum nostrum Iesum Christum, & in crucem eius? Dixisti, Credo, & mersisti: ideò & Christo es consepultus: qui enim Christo consepelitur, cum Christo resurget. Tertiò interrogatus es, Credis in Spiritum Sanctum? dixisti, Credo: tertiò mersisti; vt multiplicem lapsum superioris ætatis, absolueret trina confessio. *Damnant igitur isti illud, quod ignorant, quod schismaticorum atque hæreticorum est proprium. Vt autem in hac cæremonia, non eundem ritum semper sequuta est Ecclesia; ita nec in illo, vtrum mergi, an aspergi tantum illi, qui baptizantur, debeant. Mergebantur sæpius: aspergebantur tamẽ etiam nonnunquam; vt eo tempore, quo ad mortem ducebatur D. Laurentius, quendã, vrceo allato, dum ad martyrium ducitur ab eodẽ baptizatum esse legimus. Quomodo item illi, qui Clinici dicebantur, baptizari solebant. qua de re sic scribit D. Cyprianus li. 4. cap. 7.* Existimamus, inquit, in nullo mutilari & debilitari posse beneficia diuina: nec minus aliquid illic posse contingere, vbi plena, & tota fide, & dantis, & sumentis accipitur, quod diuinis muneribus hauritur. Neque enim sic in Sacramento salutari, delictorum contagia; vt in lauacro carnali & seculari, sordes cutis, & corporis abluuntur; vt & sapone, & nitris, & cæteris quoque adiumentis, & dolio, & piscina opus sit, quibus ablui & mundari corpusculum possit: aliter pectus credentis abluitur: aliter mens hominis, per fidei merita mundatur. *Et paulò pòst.* Vnde, inquit, apparet, aspersionem quoq; aquæ, instar lauacri salutaris obtinere: & quãdo hæc in Ecclesia fiunt, vbi sit & dantis & accipiẽtis fides integra, stare omnia, & consumari, ac perfici eos salutari aqua, & fide legitima, Christi gratiam consequutos. *Et hæc hactenus. Plura hac de re, qui cognoscere velit, legat Valafredum, Strabonem libro de exordijs, & incrementis rerum Ecclesiasticarum cap. 26 Claudium de Sanctis decimæ repetitionis cap. 4.*

Sigillum & obsignatio, &c. *Formam hanc verborum Sacramenti confirmationis, olim fuisse testatur Canon septimus Concilij 1. Constantinopolitani.* Signatos, inquit, siue vnctos, primùm sancto chrismate, & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures: & eos signantes, dicimus: Signaculum doni Spiritus Sancti. *Non dissimilis est item ea formula, qua nunc in Ecclesia vtimur:* Consigno te signo sanctæ Crucis, & vngo te oleo salutis: *quam itẽ vetustissimam esse, patet ex D. Ambrosio, de ijs, qui mysterijs instituuntur, cap. 7.* Signauit te Deus Pater: confirmauit te Christus Dominus, & dedit pignus Spiritus in cordibus tuis; sicut Apostolica lectione didicistis.

Neq; omninò in aliud differtur aut reiicitur tempus &c. *Fuit hoc quidem in veteri Ecclesia receptum, vt qui baptizarentur, siue illi paruuli, siue adulti essent, idem simul per sacrum vnguentum, manuumq; impositionem, confirmarentur, & sacra Eucharistia reficerentur: vnoq; ac eodem planè tẽpore, tria simul in vnum conferebantur Sacramenta, Baptismus, Confirma-*

tio, atque Eucharistia. Idq; eam ob causam, quòd nullum perfectum Christianum esse iudicabant, qui per manuum impositionem Spiritum sanctum nõ accepisset; neminemq; Eucharistia dignum esse putabant, qui non idem confirmatus esset: quin, ne inter consumatos quidem Christianos illi locus erat, qui nondum sacro vnguento delinitus esset. Patet hoc imprimis ex Epistola 4. Clementis ad Iulium, & Iulianum, ex illis verbis: Omnibus ergo festinandum est, sine mora renasci Deo, & demùm consignari ab Episcopo, id est, septiformem gratiam Spiritus sancti percipere: quia incertus est vniuscuiusq. exitus vitæ. Cùm autem regeneratus fuerit per aquam; & postmodum septiformi spiritus gratia, ab Episcopo, vt memoratum est, confirmatus; quia aliter perfectus Christianus nequaquam esse potuit, nec sedem habere inter perfectos, si non necessitate, sed incuria, aut voluntate remanserit: vt à Beato Petro accepimus, & cæteri sancti Apostoli præcipiente Domino docuerunt, &c. *Patet hoc idem ex Tertulliano in libro de resurrectione:* Caro, inquit, abluitur, vt anima emaculetur: caro vngitur, vt anima consecretur: caro signatur, vt & anima muniatur: caro, manus impositione adumbratur, vt & anima spiritu illuminetur: caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur, &c. *Vbi tria simul Sacramenta coniuncta audis, ablutionem, manuum impositionem, corporis atque sanguinis Domini alimentum. Et de præscriptione hæreticorum:* Tingit & ipse quosdam vtique credentes, & fideles suos: signant & illi in frontibus milites suos: celebrant & panis oblationem. *Vbi enim dicit:* in frontibus signant: *clarè ostendit, non de baptismo, in quo vertex signatur; sed de confirmatione, in qua frons inungi solebat, se agere. Deinde cùm dicit,* milites suos, *alludit ad vsum confirmationis, qui est militem Christi roborare. Et in libro de baptismo.* Dehinc, inquit, manus imponitur, id est, statim post baptismum, &c. *Patet hoc idem ex D. Ambrosio:* Sequitur spiritale signaculum, quod audistis hodie legi: quia post fontem supereſt, vt perfectio fiat, quando ad inuocationem sacerdotis, Spiritus sanctus infunditur: spiritus sapientiæ, & intellectus: spiritus consilij, atque virtutis: spiritus cognitionis, atque pietatis: spiritus sancti timoris, septem quasi virtutes spiritus. Et omnes quidem virtutes ad spiritum pertinent; sed istæ, quasi cardinales sunt, quasi principales. Quid enim tam principale, quàm pietas? Quid tam principale, quàm cognitio Dei? Quid tam principale, quàm virtus? Quid tam principale, quàm consilium Dei? Quid tam principale, quàm timor Dei? Sicut timor seculi infirmitas; ita timor Dei, magna est fortitudo. Istæ sunt septem virtutes, quando consignaris. *Vrbanus etiã in Epistola 1. generaliter docet, omnes fideles post baptismum confirmari debere. Quæ res in causa fuit, vt sæpè veteres Scriptores ita ferè coniungant Sacramentum confirmationis, cum Sacramento baptismi; vt Sacramentum sanguinis, cum Sacramento corporis domini coniungitur. Inde in vetusto libello Romani ordinis legitur, Pontificem in die Paschæ egredi, à fonte in sacrarium, ibiq; sedere, & expectare, dum infantes, qui baptizati sunt vestiuntur, ac demùm per eum cõfirmentur. Vt autem eum morem venerandæ vetustatis, vt qui pro temporibus illis*

Lib. 3. de Sacra. cap. 2.

ribus illis rationem probabilem habuit, præsens Ecclesia non damnat; ita maximè in sacra communione paruulis conferenda, neq; sequitur, neque necessarium esse putat. Non sequitur partim propter indispositionem eorum, & periculum irreuerentiæ, cuius rei maximam rationem habendam esse, diligenter præcipit ipse D. Paulus. Vt enim ex parte corporis, solidioris cibi, propter ætatis teneritatem, capaces paruuli non sunt, lacteq; solo reficiuntur; ita multò minus huius cibi longè solidioris capaces esse possunt: partim, quòd esca hac probatione sui ipsius opus habeat, dijudicatione item communis mensæ à sacra, & mystica refectione, tum ipsa memoria & annunciatione mortis dominicæ, sine qua omninò sumi, & manducari non debet. Quæ omnia, cùm in ætatem paruulorum non cadant, meritò illis Ecclesia sacram non porrigit communionem. Vt autem his de causis, alijsq; multis, hunc morem ipsa non sequitur; ita neque ad salutem quidem necessarium esse putat: siquidem per baptismi lauacrum regenerati, & Christo incorporati, adeptam iam filiorum Dei gratiam, in illa ætate amittere non possunt, neque illi sententiæ subijci: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis. *Impartit siquidem se & illis Christus Dominus in hac etiam parte, eo modo, qui illi soli cognitus est; cùm per ætatem commodè sacramentaliter illo frui non possint; tum scilicet cum vniuersa Ecclesia, cuius illi sunt membra, pro omnibus viuis, & mortuis offert, & manducat hoc Sacramentum. Quod vel ex suo Nicolao Cabasila Græci abundè discere possunt, qui, vbi modum explicat, quo mortui huius Sacramenti participes efficiuntur, hæc inquit:* Ergo dixerit quispiam: si quis etiam viuorum, bona quidem, quæ dicta sunt, in anima habeat, ad mysteria autem non accedat, habebit illinc nihilòsecius sanctificationem? Non quilibet: sed si quis non potest corporaliter accedere, sicut defunctorum animæ, quales fuerunt ij, qui in desertis errabant montibus, de speluncis, & foraminibus terræ, qui ad altare sacerdotem, nullo modo videre poterant: eos enim Christus ipse hac sanctificatione inuisibiliter sanctificabat. Vnde nam potest hoc sciri? quòd vitã in se habebãt; nõ habituri, nisi huius essent Sacramenti participes: ipse enim Christus dixit: Nisi comederitis carnẽ filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et vt hoc significaret, multis horũ sanctorum misit Angelos dona ferentes. Si quis autem, ad mensam cùm posset, non accesserit; fieri non potest, vt, quæ ex eis prouenit, sanctificationem assequatur: non quòd non accesit solummodo; sed quòd cùm posset non accesit: & propterea clarum est, quòd bonis, quæ debentur Sacramentis, vacuam habet animam.

Hæc ille.

De poenitentia, peccatorumque REMISSIONE.

Caput IIII.



Vartum caput, modum & rationem remissionis peccatorum continet: in quo, illud omni studio obtinere vultis; per solam fidem nos propriè peccatorũ remissionem consequi. Catholica autem Ecclesia, fidem illa quidem inprimis requirit; tamẽ non quãcunque fidem, sed illam quæ viua sit, quæ testimonium à bonis habeat operibus: Nam fides sine operibus, vt inquit Iacobus, mortua est. Vnde Magnus ille Basilius ait: Neq. inquit, superna gratia in eum, qui seriò, & studiosè virtutem complexus non sit, descendere potest; sed vtramque quasi temperari & consociari oportet: tam conatum & intentionem humanam, quàm supernæ eius, quæ ex fide prouenit, gratiæ præsens auxilium; vt ad perfectum virtutis decus perueniatur. Itaque & ipsa dimittendi peccata potestas, non simpliciter, neque absolutè concessa est; sed quatenus resipiscens
Math. 18. obediat & assentiatur ei, cui animæ pœnitentis cura demandata est. Qua de re, sic scriptum est: Dico vobis: quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à patre meo, qui in cœlis est. In quibus autem vel qualibus peccatis ea remissio locum habeat; non est quod rogetur: cùm lex Euangelica, nullum in hac parte peccatorum faciat discrimen; sed omnium munificentissimam illis omnibus, qui
Psal. 118. dignè pœnitentiam agunt, promittit veniam. Verè autem & conuenienter pœnitere hic dicitur, qui illius affectum induit, qui dixit: Iniquitatem odio habui, & abominatus sum. Et qui illa omnia facit, quæ in Psal. 6. et in alijs, de bonis operibus explicata sunt: quique præstanti sua virtute, bonorumque operum exercitio, vberiùs & prolixiùs omnia peccata & defectus suos, Zachæi exemplo, compensare studet. In omnibus autem commendantes nosmetipsos Deo, vt puri & immaculati in actionibus nostris conseruemur, confessionem teneamus: quæ à nobis Summus Pontifex requirit, ea credamus; nempe resurrectionem futuram, venturam retributionem, innumera bonorum præmia, Christum verum esse Deum, vniuersamq. Christianam fidem rectam & salutarem esse: hæc, inquam, confiteamur omnes: hæc ipsa firmissimè teneamus: fidem nostram bonis operibus repræsentemus. neque enim ea, quæ nostra sunt, iustum Dei effugiunt oculum. Quare pro viribus, bonis operibus incumbendum est: neque humanæ imbecillitatis infirmitas prætexenda, aut in excusationem ignauiæ, & inertiæ adferenda: expertus enim est in omnibus Pontifex noster, infirmitatem nostram: ideo & compati poterit, & condonare his, qui peccant.

peccant. Si igitur peccauimus; ad eius genua qui ſine omni peccato eſt, per veram pœnitentiam atque confeſsionem prouoluamur: perfectam ab omni malo abſtinentiam vndique demonſtremus: cum ſumma fiducia, ad portum pœnitentiæ recurramus; vt inueniamus miſericordiam, & eam, quam maximè quærimus. Neque enim eſt vllum peccatum tantum, quod bonitatem & miſericordiam Dei vincere poſsit. In hoc enim magnificentia, & gloria illius laudatur: hoc verè regium, Deoque dignum donum eſt; peccata ſontibus condonare, ſi modò pœniteant, ſi tempore opportuno exorent. Nam in fine mundi, non iam ad largiendum & condonandum; ſed ad iudicium conſurget Dominus. Dum igitur tempus habemus, accedamus ad veræ pœnitentiæ remedium: accedamus cum omni ſpe, & fiducia, ad miſericordiam Ieſu Chriſti: expurgemus conſcientias noſtras, omnemq; tergiuerſationem, ac diffidentiam procul ab animis noſtris remoueamus: qui enim cunctatur, qui dubitat; cum fiducia accedere non poteſt: hoc enim dicit ſcriptura: Tempore, inquit, acceptabili, exaudiui te, & in die ſalutis opem tuli tibi. Relicta ſiquidem eſt nobis, poſt primum ſalutaris lauacri naufragium, pœnitentia, quaſi ſecunda ſalutaris tabula. Regnemus cupiditatibus noſtris: vera pœnitentia & confeſsione expugnemus illas: Reges ſimus potentiores longè his, qui purpura & auro induti magnificè incedunt: affectus & cupiditates noſtras, in ordinem ſatellitij mancipemus. Qui enim in peccatis perſiſtunt; illis ſalutis & veniæ, vt quidem in omnibus ferè ſacræ ſcripturæ locis proclamatum, & denunciatum eſt, nulla ſpes relicta eſſe videtur.

2. Corin. 6. Iſaiæ. 49.

De fide & operibus.

Caput V.

QVintum caput confeſsionis veſtræ, non multum à proximo, quòd de pœnitentia, atque remiſsione peccatorum, inſtitutum fuit, diuerſum eſt. Docet enim, non per aliqua bona opera, aut ſatisfactiones; ſed per ſolam fidem, Deique gratiam nos ſaluari. Fides autem Catholica hæc eſt. Tunc vnumquemque ſuorum remiſsionem conſequi peccatorum, per pœnitentiam ad Deum ex animo conuerſum; cùm fidem habuerit viuam, per bona opera ſeſe prodentem atque cõmendantem; vti iam ſuperius diximus, nec dicere vnquam deſinemus. Dicit enim ſcriptura: Qui ex Deo eſt, facit mandata Dei. Et rurſum: Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; ſed qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis eſt, ipſe introibit in regnum cœlorum. Et non auditores, ſed factores legis iuſtificabuntur. Et alio loco:

Ioan. 8. Matth. 7. Roma. 2. Ioan. 15.

Vos amici

Vos amici mei estis, si feceritis omnia quæ præcipio vobis. Quibus simi-
In proœmio Asceticorum Cap. 2. lia Magnus ille Basilius docet: Recordemur, inquit, conditionis, qua no-
Mat. 5. bis cœleste regnum promissum est. Dominus enim Iesus Christus ascen-
dens in montem, suæque sanctæ doctrinæ, quasi prima fundamenta & prin
cipia iaciens, primam illam beatitudinem, promisionem habentem regni
cœlestis, orbi denunciat: Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est re-
gnum cœlorum. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur: Et sic de-
inceps reliquarum virtutum refert labores, & præmia. Et in alio locò, vl-
timæ retributionis compellationem, benedictionemq; in parabola Pasto-
Lucæ 12. ris, segregantis oues ab hœdis, mundo prædicans, inquit: Venite benedi-
cti patris mei, possidete regnum, vobis paratum ab origine mundi: esuri-
ui enim, & dedistis mihi comedere, &c. Et alio loco: Vendite quæ possi-
detis, & date eleemosynam: facite vobis sacculos, qui non veterascunt,
thesaurum non deficientem in cœlis, quò fur non appropiat, neque tinea
corrumpat. Hæc quidem, & talia opera scriptura sacra, docet esse, per quę
quis regno cœlesti dignus efficiatur, & sine quibus impossibile sit, vt re-
gnum cælorum quisquam ingrediatur: sic enim apud Matthæum decer-
Mat. 18. nit clarè Dominus: Nisi abundauerit iustitia vestra, plus quàm Scribarum,
& Pharisæorum, non potestis ingredi in regnum cœlorum. Et rursus: Ni-
si conuersi fueritis, & efficiamini sicuti paruuli; non intrabitis in regnum
Ioan. 3. cœlorum. Et apud Ioannem ad Nicodemum. Nisi quis natus fuerit de-
nuò, non potest videre regnum Dei. Quomodo & illud dixit: Nisi quis re-
natus fuerit ex aqua & Spiritu sancto. De quibus enim vna est sententia,
Mat. 5. liquet idem periculum esse, si alterum illorum prætermittatur. Si enim do
minus dicit, vnum iota aut vnum apicem legis non præteriturum, priuś-
quàm omnia compleantur; quantò magis omnia illa, quæ in lege Euange
Mat. 24. lij promittuntur, compleri necesse est, ipso Domino dicente: Cœlum &
Iacob. 2. terra transibunt, verba autem mea non transibunt? Vnde Iacobus Aposto
lus, cõfidenter denunciauit dicens: Quicunq; autem totam legem seruа-
uerit, offenderit autem in vno; factus est omnium reus. Hoc autem ex eo
didicit, quòd ipse Dominus, post tot diuinas promisiones, post tot excel-
Ioan. 3. lentia testimonia, post tot beatitudines Petro concessas, illud tamen vlti-
2. Cor. 13. mò illi comminatus est: Si non lauero te, non habebis partẽ mecum. Pau-
lus verò, qui Christum in se loquentem habuit, clarè docet, quid sit illud,
quod nos à regno cœlesti excludat: quodque æternæ damnationi subijci-
Roma. 1. at: nunc quidem definitè & per partes, Qui enim talia agunt, morte digni
1. Corin. 6. sunt: nunc verò in ipso genere decernit, Iniusti regnum cœlorum non hæ
Lucæ. 9. reditabunt. Et Dominus ipse, Nemo mittens manum suum ad aratrum, &
respiciens retrò, aptus est regno Dei. Ex his igitur & similibus instruimur,
sic demùm diuinis & æternis promisis dignos nos effici: atq; certa & non
fallaci spe, ea expectare posse; si illa omnia, quorum merito regni cœlestis
promisio facta est, & sine quibus eius gratia denegata est, plenè & legi-
timè perfecerimus: Oportet enim certamen hoc placendi Deo, non mo-
dò ab omni malo liberum esse, sed etiam inoffenso, ac inculpabili pede,

per vniuer-

per vniuersum mandatorum Dei curriculum decurrere. Ita Diuo Paulo, post summæ illius & inenarrabilis in nos charitatis, & dilectionis Dei, & Christi ipsius commendationem, & cõsiderationem, præcipiente: Nullam, inquam, cuiquam dantes offensionem, vt non reprehendatur ministerium nostrum; sed in omnibus exhibentes nosmetipsos tanquam Dei ministros: scriptum est enim, vt exhibeat sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut quid huiusmodi; sed vt sit sancta & immaculata. Ephes. 5.

Et alia multa in hanc sententiam dicuntur, quæ diligens lector, in omnibus Sacræ scripturæ partibus, facilè inueniet: quale est illud Pauli: Gratia, inquit, Deo, quod fuistis quidem serui peccati; obediuistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in qua traditi estis. vt quemadmodum cera subiecta sigilli figuræ, cedit, atque in eandem ipsam speciem exactè formatur; sic & nos, prælo Euangelicæ doctrinæ subijcientes nosmetipsos, iuxta eundem Paulum, secundùm interiorem hominem, figuremur: expoliantes veterem hominem cum actibus suis; & induentes nouum, eum, qui renouatur in agnitionem Dei secundùm imaginem eius, qui creauit eum. vt quemadmodum excitatus est Christus à mortuis; sic & nos in nouitate vitæ ambulemus: vt præueniente diuina gratia excitati, & nos ipsi, ea quæ debemus, ex parte nostra conferamus, in eoque æterni patris in nobis voluntas ac beneplacitum compleatur. certamine enim opus est, & eo magno & legitimo: ne talem & tantam gratiam, eius, quæ in Christo est, dilectionis, in vanum accepisse videamur. Ad quam quidem rem consequendam; vel imprimis nobis superno ac cœlesti auxilio opus est; quòd nos in omnem partem virtutis, & honesti manu quasi deducat. Lubricam & præcipitem ingressi sumus viam: multum diuina gratia, ne huc vel illuc declinemus, quasi amusi, atque libra quadam, nobis opus est. Neque omninò iustitiæ meritisque nostris, in tali cursu rectè cõficiendo, confidendum nobis est, (quæ quidem iustitia non planè perfecta est) sed diuinæ iustitię & auxilio, vt in cœlũ, sine omni deducamur errore: via enim, præsens hæc vita nostra est; & ideo superna manuductione opus habet. Si enim in vrbem aliquam, vbi antea nunquam fuimus, ingressuri, ducem & præmonstratorem viæ quærimus; quantò magis in cœlum vsque peregrinatione suscepta, superna ope, & auxilio indigebimus, quod & iter nobis demonstret, & pedes nostros, ne vnquam in mortem prolabantur firmet, & ad portas quasi ipsas, æternæ felicitatis, nos deducat? Multi enim sunt in hac via ardui calles, multa diuerticula; & ideo superno fulcimento, cui innitamur, cui adhæreamus, plurimùm opus habemus. Et deducere quidem, atque iter monstrare, diuinæ opis est: dignos autem nos, vt manu eius regamur atque gubernemur, exhibere, nostri est studij, nostri meriti. si enim impuri & inquinati fuerimus; nequaquam sanctam eius dexteram præhendere poterimus. Opus igitur est ex hac parte omni studio virtutis: opus est omni mundicia & castitate vitæ; vt Dei prehensione, & adiutorio digni inueniamur. Sed D. Chrysostomus exponens secundæ ad Corinthios Epistolæ illum locum: Obsecramus ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, ait: Charitas, Roma. 7. Col. 3. 2. Corinth. 6

ait: Charitas, inquit, Dei, constringit nos, hoc est, premit, impellit, vrget. Ne ergo tempus & importunitatem prodamus; sed ei gratiæ par studium, & diligentiam adferamus, nec repellamus tantum donum. Non enim sola fides nos Deo reconciliat; sed eò amplius, vitam honestam præ nobis ferre oportet; eamque per omnia sequi iustum est. A peccatis enim liberatum, amicumque Dei factum, iterum ijsdem flagitijs contaminari, hoc quidem est, in priores inimicitias relabi, ac in vacuum gratiam Dei, ratione talis vitæ, accipere. Non modo enim ea gratia quam accipimus, si impurè, si incontinenter viuemus, nihil iuuamur; sed longè maiorem etiam inde acquirimus damnationē: quòd post tantum cognitionis lumen, post cœleste donum, scientes & prudentes, in eadem relabamur mala. Quamdiu igitur in fodiendi labore sumus; quamdiu in vinea Domini operamur: quamdiu vndecima non elabitur hora; opus promoueamus: vitam rectā, cum omnique virtute coniunctam, exerceamus; vt æternis illis perfruamur bonis. Si enim nos tum, cùm adhuc omnibus malis onusti eramus, apprehendit, ab omniq. flagitiorum onere releuauit; quantò magis iam ab his omnibus liberatos, bonaque nostra qualiacunque, promptè, & ex animo conferentes, non repudiabit? Nam si in eodem peccatorum luto hærebimus; vel hęc ipsa, incredulitatem in nobis parient. Nam vt defectus fidei, vitæ est causa pessimæ; sic item animus, vitijs contaminatus, vbi in profundum malorum venerit, contemnit. Vbi autem omnia contempserit; ne credere quidem vult amplius: illudque Dauidicum semper occinit: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. Et, Labia nostra à nobis non sunt, & quis noster est Dominus? Ad extremum autem dicet insipiens in corde suo; non est Deus: omnis enim qui mala facit, ait Dominus, odit lucem. Quamdiu igitur largitatis & munificentiæ tempus est, nemo animum despondeat. Tunc autem demùm desperationis tempus erit, vbi thalamus nuptialis claudetur: vbi illi, qui piè & sanctè vixerunt, Abrahæ potientur sinu. Nunc autem tempus hoc nondum aduenit: nec dum enim theatrum solutum est, nec dum stadiū & cursus confectus: adhuc certamen feruet; nondum præmia certaminis sublata. Intendamus igitur vires, excitemus studium, cursu opus est, & eo vehementi, ad ipsam perfectionem contendamus: eam vitam, quæ sit optima, complectamur: rectè fidei, viam honestam, & eam, quæ cum Dei mandatis coniuncta sit, sociemus. Si enim quis fidem se habere dicit, viuit autem turpiter; hic vel eam ipsam fidem, & doctrinam suam, quam dicit se habere, graui contumelia afficit, ac stultus puerque meritò habetur. Neque enim conuenit, virum semper circa elementa versari, neque sapientem in solis fundamentis iaciendis, omne tē pus consumere; sed ad reliquas etiam ædificij partes, sese aliquando transferre oportet, ipsamque summitatem ac perfectionem, toti ædificio imponere. Si enim semper circa elementa versamur, si in solis fundamentis consistimus; sic quidem nihil vnquam proficiemus; sic plenum salutis ædificium constructemus nunquam, nec fundamentum sapientis obtinebimus, nec sapientes euademus vnquam. Si ergo Christum amamus, vti quidem meritò amare

Psalm. 93.

Psal. 11.
Psal. 13.

ritò amare debemus ; virtutis ingrediamur iter : & ſi in aliquo delinquimus; ipſi ex nobis pœnam ſumamus. Neq. gehennam metuamus tantum, quantum illud,ne Deum offendamus,néue ex amico inimicũ nobis faciamus: hoc enim omni gehenna grauius eſt,quando ille iratus ſuũ benignũ à nobis auertit vultum; in quo, quãtum inſit mali,paucis recognoſcamus. Si quis, latronem,aut alium quempiam maleficum,ad ſupplicium duci videns, Rex præſertim ipſe,miſericordia & pietate permotus,in redemptionem illius perditi hominis, non vulgare aliquod precium, ſed ex ſe natum vnigenitum filium, quem chariſimum habeat,vt illius occidatur loco,tradat : neque ſolùm eius cauſa occidi illum patiatur;ſed etiam omne crimen ab ipſo nocente, in filium innocentem transferat ; quo illum , qui iam ad vltimum ſupplicium ducebatur, ſeruet, ac ab omni infamia vindicet. deinde poſt hæc omnia , vbi ad ſummum dignitatis gradum illum euexerit , poſt eam ſalutem , poſt eam gloriam , quæ nulla oratione dignè explicari poteſt,aliqua contumelia,ab illo,in quem tot contulerit beneficia,ille ipſe Rex afficiatur ; an non plures mortes hic potius, ſiquidem aliquid mentis ſanæ haberet , eligeret , quàm vt tam ingrati animi criminis obnoxius eſſe videatur ? Atqui mutato nomine,de nobis fabula narratur. Hoc igitur nobiſcum & ipſi reputemus : ſummumq. dolorem ob ea flagitia, quibus tam benignum & clementem dominum offendimus , corde & animo concipiamus. Neque ideò , quod tanta toties à nobis iniuria affectus , ſumma ſua patientia , ac longanimitate , nos perfert , animis efferamur : imò hoc ipſum maximè nos moueat,atque terreat. Si enim quis,iuxta Domini præceptum , in dextram maxillam percuſſus , porrigat & ſiniſtram ; plus ſua profectò patientia, & moderatione , inimicum percellit ; quàm ſi ſexcentos illi referat pugnos : aut ſi maledictis quis proſciſſus , non modò vicem non reddat, ſed etiam homini inimico bona precetur ; plus certè hominis petulantis impudentiam confundit,quàm ſi multis probris illi vicem retuliſſet. Quòd ſi in humanis,noſtram inſolentiam,patientia,& tolerantia aliena,maximè confundit; quantò magis Dei patientia,& longanimitas,noſtram improbitatem , ac inſolentiam percellere debet ? quantoque magis metuendum eſt, ſi quotidiè peccantes, nulla nos ſequitur diuina vindicta, ſed potiùs eius benignitas ac humanitas vbiq. fouet ; ne ea patientia,carbones congerantur in caput noſtrum ; néue in diem iræ & vltionis,omnis hæc, quæ nulla oratione explicari poteſt, reponatur pœna ? Hæc nobiſcũ rectè expendentes,ante omnia peccata metuamus : in his enim eſt ſumma vltio , in his gehenna, in his infinita mala. Nec metuamus tantùm,ſed omni etiam ſtudio, & diligentia fugiamus, Deoque aſsiduè, in omnibus placere contendamus : in hoc enim ſitum eſt cœleſte regnum , in hoc vita æterna , in hoc mille bona : hac enim ratione, eamque ſolam ob cauſam, & regno cœleſti potiri, & bona futura conſequi poterimus ; quibus vtinam, gratia & miſericordia eius,potiamur omnes. Etſi enim prouocat nos ipſe, etſi vult ſaluos fieri omnes; tamen & nos ipſi ſupplices illi ſimus : reconciliemur Deo : neque ab illo reſiliamus vnquam;ſed potius ſpe,& animo to-

Mat. 5.

2. Corin. 6. to,ad eum erigamur: Ne,vt inquit Paulus,in vanum gratiam accipiamus. non enim quia obsecrat,ait Chrisostomus: non quia legatos supplices mittit, propterea negligentes esse debemus; sed propter illud ipsum,magis etiam contendamus,vt placeamus illi,& spiritualem mercem congeramus. etsi enim salutis nostræ princeps causa gratia est; tamen & ille eiusdem salutis auctor efficitur,qui multis præclarè gestis, multis sudoribus,eam sibi comparat,ac quasi manibus prehendit. si autem quis,vltra hæc,quæ dicta sunt,hæc ita interpretari velit;se non in vacuum gratiam Dei accepisse,hoc est, nulla ex parte se in ea spirituali gratia offendisse, nulloque modo illa abusum esse;ne hic quidem planè à vero huius loci sensu aberrabit: cùm & illi, qui donum linguarum acceperant,aliquando eò se superbiùs efferentes,vehementer reprehẽsi sunt: contingit enim sæpiùs donis spiritualibus, non ita vt par est,vti. Nos igitur in charismatibus, iuxta præceptum Pau-
2. Corin. 11. li,irreprehensibiles simus; vt nulla detur offensio cuiquam, vt non vituperetur ministerium nostrum: in laboribus multis, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, dumque supersumus,quæ spiritus sunt operemur: omneque hoc peregrinationis nostræ reliquũ tempus,cum timore,sanctè & piè, ad præceptorum regulam transigamus,charitate non ficta,veritate & virtute Dei omnia nostra,in Deum omnium bonorum authorem locupletissimum,referentes, omniaque præclarè gesta, ita vti æquum est, & vti decet, illi adscribentes.

Neque nimis de gratia Dei præsumendvm, neqve desperandvm esse.

Caput VI.

Psal. 142. Exto loco docetis, oportere quidem, Christianum hominem,in bonis operibus sese exercere; neq; tamen in illis confidendum esse: dicit enim Dauid: Non intres in iudicium cũ seruo tuo Domine. Cui respõdentes illud dicimus: Fidem principalem quidem esse,ac fundamenti instar; opera autem veluti id quòd natura sua fidem consequi debet. Necessaria autem ad salutem eadem opera esse dicimus, propter domini præceptum; mercedem,æternæque vitæ præmium, repor tantibus omnibus ijs, qui se ita, vti oportet, in illis exercuerint. Illa item verè bona opera esse iudicamus; quæ à vera & recta fide seiuncta nõ sunt. Dicimus item,neminem debere in bonis operibus confidere;aut ex illis se-
Lucæ. 17. se nimis, more Pharisaico, efferre: sed etsi omnia fecerimus, iuxta tamen præceptum Domini, seruos nos inutiles dicere debemus. Omnia siquidẽ nos iustitiæ illi, quæ ex Deo est, primò, & principaliter accepta,referre oportet:

portet: cùm id,quod nos ipsi conferimus, paruum quid, aut planè, si cum diuina munificentia conferatur, nihil sit. Quod quidem, vt ait S Chrysostomus, ideo constitutum est, ne nos otiosos Deus in regnum suum introducat: Deus, inquit, superbis resistit,humilibus autem dat gratiam. Non igitur de bonis operibus superbè aut magnificè se efferre oportet; explere autem illa, maximè est necessarium: sine enim bonis operibus,saluari omninò impossibile est. Si enim Christo domino, nos illis verbis monenti, Si hæc, inquit, scitis, beati eritis si feceritis ea, parebimus; magnam profectò vtilitatem inde percipiemus. oportet enim post cœleste donum, ac benignissimi parentis munificentiam, nostra item qualiacunque sequi bona opera. Nam si solam infirmitatem nostram præteximus, si ipsam bonitatem Dei iactamus,ea autem quæ in nobis sunt prętermittimus; hac quidem ratione nullam ex ea opinione consequemur vtilitatem. quomodo enim Deo nulla ex parte placato,eius ad curandas peccatorum nostrorum cicatrices,opem & misericordiam implorabimus? Audiamus, quæso, diuum Chrysostomum,illa Psalmi verba interpretantem, De profundis clamaui ad te Domine,Domine exaudi vocem meam.Hinc,ait,duo discimus: Primum,non posse nos simpliciter quidquam à Deo impetrare,nisi ipsa nostra primò in medium attulerimus. Primò enim dicit, Clamaui; tum demum infert,Et exaudisti me. Secundùm autem perseuerantem orationem, lachrymisq; plenam,ad flectendum cœlestem patrem,vt votis nostris annuat, magnam vim habere. Ne autem dicat quis, peccatorem se esse, ac sexcentis inquinatum sordibus;& ideo nec posse,nec audere ad Deum accedere,ab eoque supplex veniam petere,eiusque nomen sanctissimum inuocare.eam excusationem consequenti aufert oratione: Si iniquitates,inquit,obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Ac si diceret: nemo. Non enim quisquam mortalium potest,non,si illi exacta totius vitæ gestorum ratio sit referenda,ante Deum consistere: non venia,& beneuolentia eius, dignus inueniri. Vbi enim misericordiam ab eius iustitia seiunxeris, vbi ipse iustus iudex iustam in manus ceperit causę nostræ lancem,vt in ea pœnas peccatis nostris debitas reponat;quis erit,qui se huic sententiæ credat? qui eam sustinere possit? & qui non potiùs certum cõtra se expectet decretum,certum interitum? Hæc autem eò dicimus, non quo ignauiæ & socordiæ fenestras aperiamus;sed eos consolantes,qui cadunt in desperationem. Quis enim gloriari potest, mundum se cor habere? Aut quis potest liberè profiteri,se absque peccato esse? Nam quid de alijs dicam,si vel ipsum Paulum in medium adduxero,& eorum quæ fecit rationem,summo iure ab eo poposcero;non profectò poterit sustinere,non tantę rationi par esse. Quid enim poterit dicere? Prophetas legit abundantiùs cæteris; vt qui legis patrum diligens esset æmulator: signa vidit quæ fiebant; neque tamen prius credidit, quàm illa ipsa horrenda visione, in terram deiectus, & prostratus est, voceque mirabili cœlitus delata,perculsus. Quod,prius quàm fieret, tanquam torrens quidam agens & vertens miscebat & confundebat omnia.Quid coryphæum illum Apostolici collegij Petrum,post

1. Pet. 5.

Ioan. 13.

Psal. 129

Acto. 22.

Mat. 26. innumerabilia quæ vidit miracula, post tã amicam & solicitam ipsius Christi præmonitionem; an non triplex ille abnegationis lapsus arguet? Nisi igitur magnus ille iudex misericordia & pietate sua potius, quàm exacta cẽ

1. Corin. 4. sura, nobiscum examen facere voluerit; nemo certè erit, qui iudicium eius

Psal. 129. sustinere possit: nemo qui debitor non remaneat. Vnde Paulus dicebat: Nihil mihi conscius sum, neque tamen in eo iustificatus sum. et Propheta: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Neque frustra aut superfluè, bis idem repetit verbum, Domine; sed ex summa quadã admiratione, & stupore, immensæ eius clementiæ, infinitæ maiestatis, vastiqúe pelagi bonitatis eius. Sciebat enim rectè, sciebat, quàm in multis

Psal. 129 offendimus omnes: & quòd etiam ea, quæ nobis parua delicta videntur, apud illius iustum tribunal magnam mereantur pœnam: Quoniam, inquit, apud te propitiatio est: hoc est, non in nostris rectè factis, sed in tua bonitate situm est; vt tantam effugiamus damnationem. nisi enim tuæ benignæ pietatis participes facti fuerimus; nostræ certè vires & merita, nunquam à tua futura ira nos eripere poterunt. verùm iustitiæ tuæ coniunctã habes clementiam: & hac magis quàm illa vti soles. hoc enim ipse profi-

Isaiæ. 43. teris: Ego sum, qui deleo iniquitates: id est, hoc est meum proprium, hoc meæ bonitatis peculiare opus. sis quamtumùis iustus, abundes meritis; nunquam tamen illa, nisi cum mea misericordia & humanitate coniungantur, erunt tanti; vt te ab æterna damnatione vindicare possint. et alio loco: Ego suffero vos. Verè enim apud Dominum misericordia, verè apud eum est propitiatio: ideo in accipiẽda ratione benignus & moderatus est.

Psal. 129. Propter nomen tuum, inquit, sustinui te Domine: quasi diceret: Propter nomen tuum plenum humanitatis & pietatis, expectaui salutem & redemtionem meam. nam si ad mea respexissem; iam olim desperassem; iam olim omnem fiduciam abiecissem: nunc autem legi tuæ adhærens, &

Esaiæ. 55 mandata tua implens, meliorem concipio spem. tu enim dixisti: Quantum

Psal. 102. distat cœlum à terra, tantum consilia mea à consilijs vestris distincta sunt: & viæ meæ, à vijs vestris remotæ. et iterum: Secundùm altitudinem cœli à terra, confirmauit dominus misericordiam suam, super timentes ipsum: hoc est, non eos tantùm seruaui, qui se rectè gesserunt; sed peccatoribus

Ezech. 36. etiam peperci, ac inter eorum quotidiana delicta, meam in eos diuinam curam, illorumque gubernationem, magnificè ostendi. et apud Ezechielem dicit: Non propter vos ego facio; sed propter nomen meum, ne prophanetur inter gentes: Nos enim, inquit, Propheta, non sumus digni, vt seruemur, neque nobis virtus nostra magnam spem pollicetur: propter autem ipsum nomen tuum, optatam expectauimus salutem: hæcque vnica

Esaiæ 1. nobis, eaque certissima relicta est salutis & incolumitatis spes, & quasi sacra ancora, si pœnitentiam egerimus, Dei pietatem & humanitatem nos consequuturos: Si enim audiueritis, inquit scriptura, bona terræ comedetis; sanctaque promissa, hæreditate adire poteritis. Neque omninò desperandum est, neq; vnquam animo concidendum; etiamsi sexcentæ sint minæ, si sexcenti terrores, qui nos in desperationem adducere velint, certissi-

mamque

mamq; mortem nobis ob oculos ponant: omnia enim ſummo illi parenti ſunt facilia, & expedita; ac ea, quæ hominibus plerunque impoſsibilia eſſe videntur,ab eo facilimè explicantur: Apud eum enim eſt fons vitæ,& redemtionis, pelagus ſalutis perpetuò ſcaturiens, inexhauſtusque benignitatis theſaurus: vbi enim eſt miſericordia; illic eſt etiam redemtio. Nec ſimpliciter redemtio; ſed multa, & copioſa; ſed ipſum immenſum clementiæ pelagus. Etſi ergo ſimus peccatis aſtricti; non tamen oportet animo concidere, nec deſperare: in eo enim tribunali, in quo miſericordia hominumque amor præſidet,non omnia exactè computantur,non omnia ad rationem reuocantur; iudice,propter magnam ſuam miſericordiam, & ad amandos homines animi propenſionem,multa prætermittente, multa condonante. huiuſcemodi enim eſt Deus: nempe qui aſsiduè miſeretur, ſemper condonat: Miſericors enim, & miſerator eſt: & qui omnibus pœnitentibus, ac pro viribus ſuis in bonis operibus ſe exercentibus, præſentem confert ſalutem. Cùm igitur talis & tantus ſit, ac vbique diffuſa eſt clementiæ eius magnitudo, apudq; eum vera eſt miſericordia, copioſa redemtio; clarum eſt, eum populum ſuum ſeruaturum, nec vnquam æterna damnatione puniturum. Conferamus igitur cum omni ſtudio ac prudentia,ea,quæ noſtra ſunt; & ille viciſsim perbenignè & munificè,ſua in nos impendet; vtpotè cuius eſt immenſa miſericordia,ineffabilis bonitas. Vera enim ſapientia, eſt vita laudabilis, in oculisque Dei caſta, & munda, vel quæ mundatur & expiatur adhuc. Illi autem qui ſine omni pœnitentia in peccatis perſiſtunt: qui terram ventremque ſolum aſpiciunt: qui in fœdo voluptatum volutantur cœno: qui cœlum aſpiciunt nunquam: qui miſericordiam Dei non quærunt, ægri ſunt: cumque grauiſsimè infirmentur, ne hoc quidem perſentiunt; ſed omninò ſanos ſe eſſe putant. cùm meliùs ſit, in quouis fœdiſsimo volutari luto; quàm cœno peccatorum inuolui: nam illi quidem facilè lauari poſſunt; his autem,qui ſe peccatis in eum modum contaminant, niſi eam fœditatem,non hac ſenſibili aqua; ſed multi laboris & temporis pœnitentia, multis lachrymis, multo ſudore, & ſimilibus ſpiritualibus expiationibus emundent; certiſsimum eſt propoſitum exitium. Quam quidem nos veram pœnitentiam,atque ſatisfactionem eſſe putamus; & non eam, vt dicitis, quæ peccata pecunia redimat. Nam qui ſe tali quæſtu contaminat, hic quidem diuinam iram grauiſsimè prouocat, ſexcentas in ſe congerit calamitates, iuſtamq; Dei vindictam effugiet nunquam. Peccata autem talis, quomodo remittet, cùm eius praua intentio quæſtum potiùs, quàm peccatoris ſalutem, ſibi proponat? Nam illæ quidem ſordes, quæ corpus extra inquinant, facilè delentur; hæ verò,quæ intus animo concipiuntur, vix, & cum magno labore,eluuntur: Ex corde enim prodeunt,ait Dominus,cogitationes praua,homicidia,adulteria,fornicationes,furta,falſa teſtimonia,blaſphemiæ, & ſimilia. Quare & Propheta ſupplex Deum rogat: Cor mundum crea in me Deus. et alius nos hortatur: Munda à malitia cor tuum ô Hieruſalem: quo ipſo loco,quid noſtrũ, quid itemDei ſit,nobis præclarè innuitur. Et a- Pſal. 50. Ierem. 4.

Mat. 5. lio loco: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Emundemur igitur, quantum vires & facultas nostra patitur, mensq. nostra capit. Qua autem ratione, docet idem Dominus: Lauamini, mundi estote: auferte malum cogitationum vestrarum, ab animis vestris in cõspectu meo: & ne efficiamini similes sepulchris dealbatis, vt in oculis tantùm hominum mũdi & innoxij sitis; sed ita auferte, tanquam Deum arbitrum & inspectorem rerum omnium vestrarum habeatis. Quiescite peruersè agere, discite bene facere: Si fuerint peccata vestra vt coccinum; quasi nix dealbabuntur. Vides primum opus esse, vt ipsi lauemus nos; & tunc demùm à Deo dealbamur. Nemo autem, etsi in profundum peccatorum deuenerit, desperare debet: & si in habitum & naturam ipsam vitia transierint; nondum tamen planè animo concidendum est: eam enim ob causam eorum colorum exemplis vtitur, qui non sola superficietenus hærent, sed penitus totam rẽ ingrediuntur; tamen in contrariam etiam constitutionem transire posse docet: Si fuerint, inquit, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus; veluti lana alba efficientur. Non aliud talibus exemplis docere; quàm præclarum nobis bene sperandi argumentum adferre volens. Contendamus igitur quantum possumus omnes, mundi simus, bona opera complectamur; neque festucam alterius, sed nostram trabem intueamur. Sic enim demùm gratia & misericordia Dei futurorum bonorum participes dignè effici poterimus, spesque nostra, nos non confundet. Magna igitur bonorum operum, magna pœnitentiæ vis est: siquidem ita fœdè contaminatos, sic puros & nitentes, per hæc ipsa nos Deus efficit. Neque tamen, dum bona opera laudamus, id agimus, vt ex his efferamur, aut totam fiduciam in illis reponamus; multum enim in hac parte peccaremus: sed ita ea coli volumus, vt quæ fidem natura sua consequantur; vt quæ ad salutem planè necessaria sunt, & ad quæ iuxta cuiusque vires exercenda, omnes præcepto Dei obligantur. Si enim illi qui in nomine Iesv dæmonia eiecerunt, prophetârunt, quòd tamen vitam huic fidei respondentem non habuerunt, à Domino reijciuntur; quantò magis id fiet si negligẽtes fuerimus, nec præcepta eius impleuerimus? eadem enim illa vox nobis metuenda erit: Non noui vos. Credamus igitur rectè ad laudem & gloriam eius: sed & viuamus honestè; hocque idem ad eandem laudem & gloriam eius referamus; cùm alterum sine altero nullo modo quicquã prodesse possit. Quin etiam, quando rectè fortasis sentimus de Deo, non tamen honestè iuxta eius præcepta viuimus: duplici tum contumelia illum afficimus, quòd cùm eum dominum & magistrum esse recognoscamus; contemnamus tamen, nec eius horrendum tribunal exhorrescamus. Nam si Græci, & hi, qui foris sunt, impurè viuunt; hoc quidem mirum non est, neq. tanta animaduersione dignum: eos autem qui Christo nomina sua dederunt, q tantis mysterijs cõsignati, tantæq. gloriæ participes facti, improbè & turpiter viuere, hoc verò omnium est indignissimum, hoc nõ ferendũ, hoc nulla venia aut misericordia dignum. Si enim, inquit, vti quidam putant, summæ illi, & quæ omni mensura caret, misericordiæ & munificentiæ

Isaiæ. 1.

Mat. 23.

Isaiæ. 1.

Dei con-

Dei confidimus,ſolaq. gratia Dei,ipſi ſtupidi & ingrati,ſaluari ſperamus; hoc quidem nullo vnquam pacto fiet; neque ea præſumptio nobis aliquid vtilitatis adferet. Atqui opera noſtra, ſi expendantur, nulla quidem ſunt, etiamſi perfecta eſſe videantur; cõferunt tamen aliquid ad perfectionem: mentemque ac ſententiam noſtram, qualis ſit, indicant: nos gratos eſſe: nos Dei præceptis parere,atque ea,quæ recta,& honeſta ſunt,ſequi; vt ne veluti ſtupidi quidam,& ſenſus exptes,ignaui & ocioſi,in paradiſum tranſferamur. Quod certè nunquam,niſi prius noſtros qualeſcunque conatus, cum Dei gratia coniunxerimus, conſequi poterimus. Si enim ad peccata declinamus, ſtulti & amentes meritò cenſemur: vt qui illis rebus adhæreamus, quæ non modo nos iuuare nihil poſſunt; ſed nec ipſum eſſe ſuum habent, nihilque penitus ſunt: quæque omninò fugere & odiſſe dẽbebamus, vtpotè quæ & Deũ nobis offenſum reddunt, & nos ipſos longiſsimè ab eo remouent. Quoties enim nos peccãdi libido inceſſerit; cogitemus primùm, menteq; concipiamus, tremendum,& intolerandum illud Chriſti tribunal; vbi in alto & ſublimi ſolio, ipſe iuſtus iudex conſedebit; aſsiſtet autem illi vniuerſa creatura, tremens in conſpectu gloriæ atque maieſtatis eius, ob eam, quæ illi omnium dictorum & factorum reddenda erit, rationem.

De numero & natura
SACRAMENTORVM.
Caput VII.

SEptimum caput confeſsionis veſtræ illud docet, vnam ſanctam Eccleſiam Catholicam vos ſequi: ſacra item Eccleſiæ Sacramenta, cæremonias demùm, & ſacrificia, ritè, & legitimè adminiſtrare. Ad quod illud dicimus, præclarè nobis ſanctos tradidiſſe patres; Vnam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam, totius populi Chriſtiani Eccleſiam eſſe, eorũ hominum, qui ea omnia, quæ legibus antiquis perſcripta ſunt, à ſacriſque Canonibus definita, ab ipſo denique ſpiritu Dei per ſanctiſsimos Patres ſancita, & firmata, piè & ſanctè ſeruant & tuentur. In ea item ipſa Catholica & Orthodoxa Eccleſia, ſeptem diuina Sacramenta & ritus eſſe: Baptiſmum ſcilicet, ſacri vnguenti Vnctionẽ, ſacram Communionem, Ordinem, Matrimonium, Pœnitentiam, & extremæ Vnctionis Oleum. Nam cùm dona Spiritus ſancti teſte Iſaia, ſeptem ſint, ſeptem item Sacramenta, quæ ab eodem Spiritu ſancto vim efficiendi habent, ſint oportet. Non plura autem nec pauciora eſſe; vel ipſa plena rei partitio demonſtrat. Omne enim Sacramentum, vel ad generationem & propaga-

tionem hominum refertur; & tales sunt illæ, quæ in Domino suscipiuntur nuptiæ: vel ad consequendam æternam salutem; & talis est Sacerdotalis ordo, & ea quæ per ipsos sacerdotes, vel in ipsis Sacerdotibus efficiuntur: quæ vel omnibus inseruiunt, & communia sunt; & talis est Baptismus, Cõfirmatio, Communio item sacra: vel quibusdam tantùm: talis autem est, in consecratis quidẽ Deo sacer Ordo, ipsaque Consecratio, vti in laicis diximus esse nuptias: in his autem qui post baptismum delinquunt, Pœnitentia, ac extrema sacro oleo perunctio; quæ veluti medicinæ quædam lapsis post peccatum sunt relictæ; vt vel ipsam remissionem peccatorum conferant, vel reliquias earum sordium, quæ per pœnitentiam expurgatæ non sunt, emundent. Sacramenta autem hæc dicuntur; quod in sensibilibus signis & symbolis, spirituales & arcanos contineant effectus. Quæ quidem omnia Sacramenta, sacra sanciuntur scriptura, certamq; ac definitam materiam, & formam, efficientem item, aut potiùs dicam instrumentalem habent causam. Vti baptismi quidem Materia, est aqua: Forma autẽ, verba sacerdotis illa: Baptizetur seruus Dei, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: instrumentalis autem causa sacerdos est; nisi quid aliud præceps necessitas exposcat: nam, & tum ab alio, quàm à sacerdote collatus baptismus, vim suam retinet. Similiter autem & in aliis omnibus, certam itidem materiam & formam, inuenire licet. Baptismus igitur, nos per Spiritum sanctum regenerat. Nam cùm mundam illam & impassibilem generationem nostram, vitio primi parentis nostri, perdiderimus, in iniquitatibusque nostris concipiamur, iuxta magni Regis querelam, & in peccatis cõceperit vnumquemq; nostrum mater nostra; datum est lauacrum diuinum, ad eluendas eas maculas, quòd eas emundet & expurget sordes, sacer inquam Baptismus. Sacrum porrò Chrisma, siue Confirmatio, primũ illud sigillum imprimit, ipsamque imaginem diuinam in nobis renouat, roburque animæ auget, quæ omnia inobedientia primi nostri parentis, vel perdita, vel labefactata in nobis fuerunt: amplius & gratiam, quam diuina inspiratione homo initiò in anima acceperat. Quare ipsius etiam Spiritus sancti nobis confert virtutem; eiusque bono odore nos prolixè perfundit: estque Christi nota atque sigillum. Sacra verò communio, nos cũ Christo iungit: per eamq; verè corporis, & sanguinis eius, participes efficimur. Et vt per illam lethalem escam, omnes mortui sumus, ipsoque paradiso exuti, & ab omni diuina cõsuetudine excluſi; ita per corporis & sanguinis Iesv Christi spirituale alimentum, vitę item æternæ restituimur: & corruptionem quidem deponentes, cum ipso immortali Deo coniungimur, qui propter nos carne nostra mortalis fieri voluit. Sacer autem ordo, ea potestate & facultate nos donat; qua est ipse præditus, qui fecit & creauit nos. Cùm enim nihil earum rerum quæ sunt, sine ipso esse possit, eaq; causa in mundum venerit, vt nos ad benè beateq; viuendum deducat; eam ipsam vim & facultatem, quam à nobis suscepit, & in nostra exercuit natura, nobis item in sacerdotali reliquit ordine; per quem omnia nobis conficiuntur sacra, & sine quo nihil sacrum, nihil Deo dignum esse potest. Et quemadmo

Vniuersa hæc descriptio Sacramentorũ sumpta est ex libro Simonis Thessalonicẽsis de septem Ecclesiæ Sacramentis ex Capite primo Psal. 50.

quemadmodum à principio omnium rerum, quæ ſub aſpectũ cadunt, nos dominos & principes conſtituit; ita nunc longè excellentius per ſacerdotium, principes nos & præſides eſſe voluit: cœli enim ipſius claues Apoſtolis, illiſque omnibus, qui perpetua ſucceſsione in eorum loca ſuffici debebant, credidit. Nuptiæ verò condeſcenſionis cuiuſdam & indulgentiæ diuinæ, hîc in hac mortali vita eſſe videntur, ob liberorum ſusceptionem; donec vniuerſitas hæc cum ſua corruptione conſiſtat. Neque enim voluit Deus, vt more beluarũ, ex fluxu & ſordibus homo concipiatur; verùm cùm ſponte in mortẽ prolapſus eſſet, permiſit Deus, vt more reliquarũ animãtium, ſucceſsionem ſuam propaget; vt vel hinc ſaltem cognoſcat, in quem ſtatum, per inobedientiam parentum ſuorum coniectus ſit; donec reſuſcitet nos, ac priori immortalitati reſtituat, ille qui natura ſua immortalis, propter nos mortuus eſt & reſurrexit. Propterea & ipſe benedixit nuptiis, vt non ſine cœleſti benedictione, ortus noſtri initia & principia iaciantur. Pœnitentia verò correctionem, & reſtaurationem à lapſu efficit. Quandoquidem poſt ſacrum baptiſma, nulla iam alia curatio ſupereſt, quę ſit purè gratuita, & ex dono, ſine certaminibus, ſine laboribus noſtris, pręter eam, quæ fit per conuerſionem, per lachrymas, eorumque delictorum, quibus Deum offendimus, plenam detectionem, ac per ipſam peccatorum fugam. In quo ſolo remedio & curatione, remiſsionis peccatorum, nobis relictum eſt donum. Quò & monachatus ipſe eorum, qui ita vt dignum eſt, ea vocatione vtuntur, referendus eſt; qui nihil aliud eſt, quàm verè pœnitentiæ profeſsio, atque pignus. Sacrum verò oleum, ſiue vltima vnctio, nobis diuinitus tradita, & ipſa eſt diuinum Sacramentum, atq; cæremonia, diuinæ nobis miſericordiæ typum repræſentans; quæ in redemtionem & ſanctificationem illis, qui à peccatis conuertuntur, conferri ſolet; propterea & ipſa remiſsionem peccatorum præbet, & ex multis infirmitatibus nos ſubleuat, eoſque, qui illa dignè vtuntur, implet ſanctimonia. Et hæc quidem omnia ſalutis noſtræ remedia, ipſe Ieſus Chriſtus Deus & dominus noſter nobis tradidit, & ſancti eius apoſtoli per ipſum. Nam cùm ex duplici natura conſtemus, anima, inquam, & corpore; dupliciter item hæc remedia nobis tradita ſunt: vti reuera & ipſe IESVS Chriſtus, duplex quodammodo noſtra cauſa fieri voluit, Deus, inquam, & homo; quatenus inuiſibili quidem gratia ſpiritus ſancti, inuiſibili modo ſpiritualiter, animas noſtras ſanctificet; rebus autem ſenſibilibus, aqua inquam, oleo, pane & vino, & cæteris ſimilibus, ſpiritu Dei ſanctificatis, emundentur, & ſanctificentur corpora omnium noſtrũm: vt ſic omni ex parte nos ſaluet, ad eamque perfectionem, in qua nos olim creauerat, iterum reſtituat. Quo item modo aliquando à mortuis excitabit, vt vnuſquiſque recipiat, prout geſsit in corpore ſuo. Et de Sacramentis quidem, quid vnumquodq; ſit; quantumque ad ſalutem conferat, hactenus à nobis dictum ſit. Vnde autem ſingula principium acceperint; nunc paucis exponamus. Matrimonium igitur inprimis ab ipſo Deo omnium rerum omnipotente auctore, ab initio conſtitutum, ſancitumque eſt, tum, cùm in paradiſo Adamum

cum

cum Eua coniunxit. Pòst verò, vbi mundo salus apparuit, ab ipso Christo Iesu confirmatum ; partim, dum primo miraculo, conuersæ aquæ in vinũ, honestatur ; partim dum Mosaica lex, quæ dato libro repudij, vxorem di-
Deut. 24. Mat. 19. mittere permittebat; in ea parte clarè reprehenditur, illudque docetur, à principio sic non fuisse; sed propter duritiam cordis eorum, qui legem ac-
Hebr. 13 Ephe. 5. ceperant, id concessum esse. Et illis item verbis : Quod Deus coniunxit, homo non separet. Ad eundem modum Apostolus: Honorabile connubium in omnibus, & thorum immaculatum esse docuit, magnumque Sacramẽtum inter Christũ & Ecclesiam esse pronunciauit. Sic à principio quidem creationis Sacramentum hoc institutum est : in nouo autem, ita vti dictum est, testamento confirmatum. Sacer autem ordo, (vt interim illud quod ante datam legem fuit, vmbratile sacerdotium, propter traditionis & doctrinæ obscuritatem prætermittatur,) ab ipso vniuersitatis Domino, in Moyse & Aarone clarissimè, vnà cum ipso vero Dei cultu institutum fuit; ipsi legali cultui, per omnia respondens. Illi autem, qui in lege gratiæ hoc tali honore digni habiti sunt ; primùm quidem ad eam rem ab ipso Dei filio, vti quidem ipsa testatur sacra scriptura, delecti sunt, qui in hunc modum suos compellat discipulos : Non vos, ait, me elegistis, sed ego elegi vos de mundo. Deinde verò in ipso Pentecostes die, descendente super illos Spiritu sancto, eosque Sacerdotes & Pontifices creante, perfecti atq; consecrati sunt ; qui ipsi postea eos omnes, qui eorum successores futuri erant, per manuum impositionem consecrârunt, tantique doni participes effecerunt. Sacrum verò nouæ legis baptisma, (vt alia illa veteris legis baptismata, quæ vmbram tantum futurorum bonorum, non rem ipsam habebant, prætermittamus,) tam facto, quàm verbo nobis ab ipso Domino tra-
Mat. 3. ditum est. Facto quidem & exemplo tum, cùm in Iordane baptizari voluit : verbo autem tum, cùm super omnes cœlos ascensurus, duodecim illos
Mat. 28. præstantissimos viros, in orbem vniuersum cum ea legatione misit : Euntes, docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Sacræ porrò vnctionis Sacramentum, etsi quidem verbis sacræ scripturæ non explicetur ; ab ipsis tamen Christi Dei discipulis nobis traditum esse certum est : sacer siquidem Dionysius, diuinorum mysteriorum princeps, hoc ita esse, procul dubiò à D. Paulo instructus, in sacris suis scriptis nobis tradidit. Quem virum, meritò primo loco post sanctos Apostolos, sacra veneratur Ecclesia. Sanctissimum autem inter omnia sacra arcana communionis sacramentum, typicè quidem, & in figura, omnibus illis designabatur legalibus sacrificiis ; verè autem, & re ipsa à Domino ad mortem pro nobis ituro, illa ipsa vespera, qua legale Pascha cum suis manducauit mysticis, traditum est. Tum enim iuxta ritum à Moyse perscriptũ, cœna facta, nouum nobis tradidit sacrificium ; panem frangens, ac inter eos qui mensæ assidebant, diuidens, propriamque carnem appellans : similiterque calicem, plenum vino, aqua mixto & temperato, illudque mistum, verum & proprium sanguinem suum re ipsa esse denuncians, illisque porrigens ; ac ita eos in sui memoriam facere perpetuis temporibus præcipiens : il-

cipiens: illud ſcientes, quòd quotieſcunque hoc ipſum fecerint, toties Domini & Magiſtri ſui mortem annunciaturi ſint. Sacrum verò pœnitentiæ ſacramentum, typicè quidem, & in figura in illis omnibus ſacrificiis, quæ in lege Moyſes pro peccato offerri iuſſerat, adumbratum fuit; verè autem, & perfectè ab ipſo Domino tum inſtitutum, cùm eam ipſam poteſtatem remittendi peccata ſuis tradidit diſcipulis, dicens: Quorũ remiſeritis peccata, remittentur illis; quorum retinueritis, retenta ſunt. Et præcipuè Petro excellenti quodam modo, promittens ſe illi daturum claues regni cœleſtis, vt quæcunque ligauerit ſuper terram, ligata ſint & in cœlo: & quæcunq; ſoluerit ſuper terram, ſoluta eſſent & in cœlis. Cùm autem Petrus interrogaſſet, quoties fratri peccanti delicta condonaret, num ſepties? (quod proponebat, magnum ſe quid facere putans,) reſpondit Dominus: non ſepties, ſed ſeptuagies ſepties; imò toties, quoties peccauerit, condonandum illi eſſe. Extremam autem vnctionem, etſi conſentaneum eſt, ab aliis quoque Apoſtolis inſtitutam eſſe; manifeſtiſsimè tamen à ſancto Iacobo, in eius catholica Epiſtola traditur: Triſtatur aliquis veſtrum, oret: æquo animo eſt, pſallat: Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine domini: & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei. Et hæc quidem ille ſic ordinauit: indeque vſque ad noſtra tempora hæc, ita, vti ab illo inſtituta ſunt, à nobis ſanctè, & integrè ſeruantur. Hæc igitur ſunt Eccleſiæ Dei Sacramenta, totque numero, hocque modo & ratione, quo dictum eſt, nobis tradita: quibus, qui dignè vtuntur, participes fiunt diuinorum ac cœleſtium donorum. Scire autem nos oportet, omnium eorum ſacramentorum principem quaſi, & omnia conficientem cauſam, ſanctiſsimam & glorioſam Domini noſtri Ieſu Chriſti mortem eſſe; ex qua, & per quam, in omnes qui modo eius participes efficiuntur, vniuerſa hæc dona, & gratiæ promanant, atq; profluunt. Quo autem modo & ratione id fiat; alterius negotii & inſtituti potius eſt, quàm præſentis, quod longè alium ſcopum, & finem habet, explicare.

Ioan. 20.

Mat. 16.

De miniſtris Eccleſię & EORVM HONORE.

Caput VIII.



Ctauum caput confeſsionis veſtræ teſtatur: Quamùis Eccleſia Dei ſit congregatio fidelium atque ſanctorum; nihilominùs Sacramenta, etſi à prauis, & hypocritis adminiſtrentur miniſtris, ea non vitiari, neq; quicquam illis, qui per illa ſanctificantur, propter miniſtrorum prauitatem, iuxta Euangelicum dictum, decedere: Super cathedram Moyſi, ſederunt Scri-

Mat. 23.

runt Scribæ & Phariſæi &c. Dicimus igitur & nos, etiam per improbos, & indignos miniſtros, Sacramenta rectè confici; ipſos quidem miniſtros, nihil illis iuuari, imò maximo inde damno affici: eos tamen, qui per manus eorum ita ſacramenta accipiunt; eandem nihilominùs vtilitatem percipere, ac eodem planè modo ſanctificari: Dei enim gratia, etiam per indignos miniſtros operatur, & ipſa perficit ſacramenta omnia. Quare & eos ipſos miniſtros, qualeſcunque illi ſint, colendos eſſe docemus; ne prætextu hypocritarum (fuit enim & Iudas inter Apoſtolos) eos, qui probi & honeſti ſunt, contemnamus. Exponens enim Diuus Chryſoſtomus epiſtolam ad Timotheū ſic inquit: Qui honorat, inquit, ſacerdotem, Deum quoque honorat: qui verò ſacerdotem ſpernere didicit; ad id ſenſim prolabitur, vt in Deum ipſum aliquando contumelioſus euadat: Qui vos, inquit, ſuſcipit, me ſuſcipit: &, Qui vos ſpernit, me ſpernit. Et ſacerdotes, ait ſcriptura, eius, in honore habete. Hinc Iudæi Deum ſpernere didicerunt, quia Moyſen contemplerunt, quia lapidibus illum impetebant. Nam qui piè erga ſacerdotem afficitur; longè maiore pietate Deum reuerebitur. Etſi enim malus fuerit ſacerdos quiſpiam; attendit Deus, quòd ſui gratia illum etiam, qui dignus honore non eſt, obſequijs foues; ipſeque tibi præmia exſoluet. Si enim qui Prophetam in nomine Prophetę ſuſcipit, mercedem Prophetæ accipiet; profectò & qui cedit, & obtemperat ſacerdoti, eumq; propter dominum honorat; à domino benedicetur, mercedeque ſua non deſtituetur. Super cathedram, inquit, Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi: Omnia ergò, quæcūq; dixerint vobis, ſeruate & facite; ſecundùm autem opera eorum ne faciatis. An ignoras, quid ſit ſacerdos? Angelus vtiq; domini eſt: non ex ſeipſo loquitur. ſi deſpicis, non illum deſpicis; ſed Deum qui illum ordinauit. Sed vnde, inquies, conſtat, Deum fuiſſe illius ordinationis authorem? Niſi tu hanc habeas fidem & opinionem, ſpes tua inanis facta eſt: Nam ſi nihil per illum operatur Deus; neque lauacrum habes, neq; myſteriorum particeps es, neq; benedictionibus frueris. Non ergo Chriſtianus es. Quid ergo? Deus omnes ordinat æquè dignos & indignos? Non omnes quidem ille ordinat, per omnes tamen ipſe operatur, ſalutem populi moliens, non illorum intuens merita. Nam ſi per aſinæ os, ſi per Balaam ſceleſtum hominem, populi cauſa loquutus eſt; multò magis loquitur per ſacerdotem, plebis ſuæ gratia. Quid enim non agit Deus ſalutis noſtræ cauſa? quid non loquitur? per quem nō operatur? Si enim per Iudam operatus eſt, & per Prophetas, quibus dicturus eſt: Non noui vos, Diſcedite à me, qui operamini iniquitatem: ſi igitur, vel hi etiam Dæmones in nomine eius eiecerunt; non magis per Sacerdotes diuino miniſterio famulantes operabitur? Namq; ſi præpoſitorum vitas diſcutere pergimus; ipſi quoque doctores noſtros ordinare debemus; peruerſoque ordine naturali, quæ ſuprà ſunt, infrà conſtituentur, vt ſuperius pedes, inferius verò ſit caput. Audi quid Paulus dicat: Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Et iterum: Tu, quid iudicas fratrem tuum? Si fratrem iudicare non expedit; quantò minus ma-

Eccleſ. 7.

Mat. 10.

Malach. 2.

Numeri. 22. & 24.

Mat. 7.

1. Cor. 4. Rom. 14.

minus magistrum? Nam siquidem hoc statuit Deus, benè facis; peccasq; ni facias: sin verò contraria præcipit, noli præsumere; neque ea coneris, quæ super te sunt; neque limites tibi positos transilias. Insurrexerunt aduersus Aaron, post vituli formatam effigiem, Chore, Dathan, & Abiron. Numeri. 16
Quid ergo? nonnè illi periêre? Quilibet, quæ ad se pertinent, solicitè curet. Nam siquidem fidei dogma peruertat, etiam si angelus sit, obaudire noli: sin verò recta docet, noli vitæ, sed verbis intendere. Habes Paulum, verbis te, operibusque ad id, quod rectum & honestum est, informantem. Non distribuit pauperibus, inquies: non bene dispensat Ecclesiæ res. Vnde id tibi constat? noli illum damnare, antequam discas: reatum caue: plurima quippè ex simplici suspicione iudicantur. Imitare Deum tuum, & audi ipsum dicentem: Descendam & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non, vt rectè sciam. Quod etsi didicisti, & examinasti, & vidisti; expecta iudicium: noli præripere Christi iudicis ordinem: illius est munus ista discutere, non tuum: tu seruus vltimus, non dominus es: ouis ipse es, pastorem noli curiosè discutere; ne eius quoque criminis reus tenearis, quod illum accusare præsumis. Et quomodo, inquies, id mihi dicit, quod ipse non facit? Non tibi ipse dicit. Nam si illi obtẽperas, mercede priuaris: Christus hæc admonet. Plus aliquid dicam: Ne Paulo quidem obedire oportet, si quid dixerit proprium, si quid humanũ; sed Apostolo Christum in se loquentem circumferenti. Non igitur mutuò Roma. 14.
iudicemus nos: sua quisque rectè discutiat, vitamque diiudicet suam. At debet ille, inquies, melior esse, quàm ego. Cur, te obsecro? Quia sacerdos est. Et quid non habet ille amplius, quàm tu? non labores? non pericula? non angores? non ærumnas? Furatur, inquies, & sacrilegus est. Vnde hoc nosti, ô homo? cur te ipsum in præcipitia impellis? sunt verba ista plena dementiæ: nempe si quis dixerit, ille purpuram habet: quamùis id scias, aures obstruis. Quid ergo hoc in loco periculum minimè necessarium suscipis? Non carent reatu hæc verba. Audi quid dixerit Christus: Mat. 12.
Dico autem vobis, quòd omne verbum otiosum, quodcunque loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii. Cur te ipsum quoùis arbitraris esse meliorem? cur non ingemiscis magis, ac pectus tundis, atque in humum respicis, imitando Publicanum? Etsi enim melior sis, hac Lucæ 18.
fœda existimatione tua, cuncta perdidisti. Melior es? tace, vt persistas esse melior: quòdsi loquaris, omnia exinanisti. Tuam igitur & non alienam examina vitam. Tu de sacerdote dicis: Non sum, sicut iste sacrilegus; & non omnia prorsus amittis? Ista, inquit ille, necessariò dicere cogor, ac pluribus verbis prosequi: non quòd hæc mihi tantoperè curę sint; sed quia vobis timeo, ne vestram virtutem, per ipsum hunc abusum, exinaniatis. Audi quid dicat admonens Paulus: Opus autem suum probet vnusquisque: & tunc in semetipso tantùm habebit gloriam, & non in altero. Nam, dic oro, si saucius proficiscaris ad medicum, num omissa cura vulneris tui, studiosè medicum percunctaris, vulnus ille habeat, nec ne? Nunquid enim, si sacerdos malus sit, inde solatium capiet subditus? nihil Galat. 6.

minus. Cæterùm, dabit ille quidem scelerum suorum debitas pœnas; dabis & tu tuorum criminum pœnas. Cuius ergo rei gratia, inquies, præsidet? cur præpositus est? Ne, quæso, doctores nostros maledictis impetamus, vti ne nosmet potiùs lædamus. Nostra, vt dixi, omnia discutiamus, nemini maledicentes. Reuereamur diem illam, qua baptizati & illuminati ab illis sumus. Patrem qui habet, vitia eius etiamsi innumera sint, omnia patris reuerentia contegit. Noli enim, inquit, gloriari in ignominia patris tui, neque enim tibi tam gloria, quàm probrum est: etsi sensum amiserit, veniam habe. Longè hæc magis in patre spirituali dicenda sunt: Reuerere illum, quòd tibi diebus singulis diuina ministrat: scripturas relegi facit tui gratia: exornat domum Dei propter te: propter te vigilat: propter te vota persoluit: propter te Deum precaturus adstat: tui causa preces exsoluit. At malus ille est. Et hoc ad te quid? Numquid enim qui malus non est, ipse tibi magna ista & diuina largitur? Absit. Fides enim tua ad omnia valet: neque tibi iustus quispiam proderit, nisi ipse fidelis sis: neque nocebit malus, si fueris ipse fidelis. Vacarum opera vsus est ad arcam Deus, cùm populum saluare vellet. Num enim sacerdotis vita, num virtus tantum cõferre potuisset? non possunt, quæ Deus ipse largitur, velut sacerdotali virtute perfici: omnia quippe diuinæ sunt gratiæ: illius est quidem os aperire, reliquum verò omne Dei: symbolum ipse tantummodo implet. Intuêre, quantùm inter Iesum & Ioannem intereſt: & audi dicentem Ioannem: Ego opus habeo à te baptizari, & tu venis ad me. Sed tamen descendit Spiritus, quem non habebat Ioannes: neque Ioannes ipsum descendere fecit. Cur ergò istud fit? Vt scias sacerdotem symbolum implere tantummodo; Deum autem omnia operari, Deum omnia perficere. Sacra ipsa oblatio, siue illam Petrus, siue Paulus, siue cuiusuis meriti Sacerdos offerat; eadem est, quam dedit Christus ipse discipulis suis; quamque Sacerdotes modò quoque conficiunt. Nihil habet ista, quàm illa, minus. Cur id? Quia non hanc sanctificant homines, sed Christus; qui illam ante sacrauerat. Qui autẽ hoc illo minus aliquid habere putat, ignorat Christum esse, qui nunc etiam adest, atque operatur. Hæc igitur scientes (neque enim absque certa ratione hæc omnia dicta sunt, sed vt sententiam vestram sensumque corrigamus, cautioresque in posterum faciamus) omni studio & diligentia conseruate. Nam si semper audimus, & nunquam audita perficimus; nihil ex his, quæ dicuntur, emolumenti percipimus. Attendamus ergo quæso diligenter; & quæ dicta sunt, magno studio implere curemus. Notemus ea, quæ à nobis reprehendũtur: & quæ laudantur, cõscientiis nostris insculpta teneamus, horum perpetuo memores. Eademque, iuxta sanctorum Patrum, tam scriptam, quàm non scriptam traditionem, perficiamus, ac iugiter sanctæ Trinitati gloriam referamus; quam decet laus & gloria in sempiterna secula seculorum, Amen.

Totum hoc caput ex D. Chrysostomi 2. Epistola ad Timotheum Cap. 1. Homilia 2. est desumptum.

DE BAPTIS-

De baptiſmo paruulorum.

Caput IX.

NOnum caput cõfeſsionis veſtræ docet, infantes baptizandos eſſe, neque tempus maturioris ætatis expectandum; quod & nos eodem modo, ne diuturna dilatio, aliquid adferat periculi, facere ſolemus. Hæc autem non alia ratione à nobis fiunt, quàm ea quæ ſuperiùs capite ſecũdo defenſionis noſtræ declarata eſt: Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non ingredietur in regnum cœlorũ. Ioan. 3.
Non tãtum autem baptizamus infantes, ſed etiam deinceps eos cœnæ dominicæ, ita vti dictum eſt, participes facimus. Docet enim Magnus Baſilius, eos qui ex Spiritu ſancto regenerati ſunt, ſpirituali etiam alimento opus habere. Et ipſe Dominus grauiter interminatus eſt: Niſi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis ſanguinem ipſius, non ingrediemini in regnum Dei. Neceſſarium igitur omnibus ad ſalutem vtrumque Sacramentum eſſe putamus, Baptiſmum, inquam, & ſacram communionem. Ioan. 6.

De coèna domini, veritateq. corporis ET SANGVINIS CHRISTI.

Caput X.

DEcimum caput de cœna Domini decernit, nõ quidem prolixiore ac fuſiore tractationis modo; ſed quodam preſſo minusq; claro: multa enim in hac parte de vobis referuntur, quæ nobis nullo pacto probari poſſunt. Eccleſiæ igitur catholicæ ſententia eſt, in ſacra cœna, poſt conſecrationem & benedictionẽ, panem in illud ipſum corpus Ieſu Chriſti, vinum autem in illum ſanguinem, virtute Spiritus ſancti tranſire, ac immutari; pane fermentato exiſtente, vt verus ſit pa- 1. Cor. 11.
nis, & non azymo. Dominus enim ea nocte qua tradebatur, accipiens panem & gratias agens, fregit & dixit: Accipite & comedite, hoc eſt non azyma, aut figura corporis mei; ſed, Hoc eſt ipſum corpus meum, & ſanguis meus. Neque verè tunc ea caro, quam ipſe Dominus gerebat, in cibum dabatur Apoſtolis, aut ſanguis in potum: neque nunc in diuina myſteri orum adminiſtratione, corpus illud ſurſum trãslatum de cœlo iterum deſcendit, (blaſphemum enim hoc eſt:) ſed & tunc, & nunc transformatis &

Μεταποιούμενα καὶ μεταβαλλόμενα.

matis & transmutatis, gratia & inuocatione Spiritus sancti, qui omne hoc perficit & consumat Sacramentum, speciebus, per diuinas & sacras preces, dominicaque verba; ipso quidem pane, in verum corpus Domini, vino autem in verum sanguinem transeunte, & immutato. Panis enim quem ego dabo vobis, dicit Dominus, Caro mea est, eos qui credunt sanctificans: vt quemadmodũ ipse Dominus partẽ recipiens nostræ mortalis massæ, Theãtrophos, hoc est, Deus homo factꝰ est, nostriq; corporis & sanguinis particeps; sic & nos, corporis, & sanguinis eius participes facti, adoptione quadam, & eius gratia, dii quodammodo efficiamur. Non igitur amplius, aut figura, aut azyma est ille panis dominici corporis, qui à sacerdote consecratur, sancteque tractatur; sed illud ipsum verum corpus Christi, sub specie fermentati panis contentum; ipso domino, vt iam superiùs in parte à nobis explicatum est, clarissimè atque apertissimè, multis in locis, id ita esse affirmante. Quod idem, vt & illud, quod de processione Spiritus sancti à nobis superiùs dictum est; & alia item quædam his similia, à nobis prolixius in magis proprio loco explicabuntur tum, cùm scilicet ad illam orationem vestram respondebitur, quæ dicit, nos in omnibus cum Latinis consentire: differentiam autem inter nos, & illos, tantùm in quibusdam abusibus esse.

Ioan. 6.

Annotationes.

Pane fermentato existente, vt sit verus panis. &c. *Putant moderni Græci, Azyma panem non esse, & ideo nullo modo Sacramentum corporis & sanguinis Domini, in illo confici posse: vel si sit, non tamen in eo Christum Dominum Sacramẽtum hoc instituisse, indeq; Latinos per exprobrationẽ Azymitas appellant, vt & ipsi vicissim dicti sunt fermentarij. Primum igitur illud planè falsum est, Azyma panem non esse, cùm ipsa sacra scriptura sæpiùs panem appellet:* Exodi. 12. Et azymos panes cum lacte: & subcinericios panes azymos. Et 29. Tolle panes azymos. Numeri. 6. Canistrum quoq; panem azymorum. Iosuæ 5. Et azymos panes. Iudic. 6. Tolle carnes & azymos panes. Lucæ 24. Et cognouerunt eum in fractione panis, quod diebus azymorum factum fuit, &c. *Posterius autem illud, Christum Dominum in extrema cœna azymis non esse vsum, sed fermentato pane, inde demonstrare volunt, quòd non in die Paschæ, sed potius ante eum ipsum diem, cænã hanc, Dominus cum discipulis suis manducarit: idq; quatuor locis scripturæ confirmare nituntur. Primum Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. Vbi in consilio Iudæorum illud decernitur, ne in die festo, propter tumultum populi, Christus Dominus comprehendatur: atqui eo ipso die, quo comprehensus est, cœnam hanc peregit. Ergo hoc tempus, dies festus Paschæ, iuxta id quod decretum erat, non fuit. Secundò, Ioannis 13. vbi dicit Euangelista: Ante diem festum Paschæ, sciens Iesus, quia venit hora eius &c. Tertiò Ioannis 18. Ipsi autem non intrauerunt in prætorium, ne contaminarentur, vt comederent Pascha. Quarto 19. eiusdem Ioannis: Iudæi autem quia parasceue erat &c. Hinc igi-*

tur colligũt

tur colligunt, Christum Dominum non in die Paschæ, sed potius ante eum diem suum celebrasse Pascha, & ideo azymis non esse vsum, sed potius fermentato pane. Sed hoc totum falsum est. Scribunt enim vniuersi tres Euangelistæ: Prima autem die azymorum, accesserunt discipuli ad Iesum dicentes, vbi vis paremus tibi comedere Pascha? addit Lucas, 22. cap. Quando necesse erat immolari Pascha. Si igitur primo die azymorum accesserunt ad eum discipuli, vt pararent illi Pascha; necesse fuit tum vsos fuisse Iudæos azymis, à quibus dies ille primus azymorũ dicebatur. Et si eodem die necesse fuit immolari Pascha, vt duo dicunt Euangelistæ, certè tum Pascha fuisse, nullo modo negari potest. Quod cùm aliquando contra Græcos propositum fuisset, illiq; tam euidentibus testimonijs respondere non posent; tanta vis est contentionis & pertinaciæ, vt tres reliquos Euangelistas errasse potius dicere mallent, ab ipsoq; Ioanne correctos esse, quàm vt id, quod verum esset, faterentur. Cùm igitur tres Euangelistæ, ita vti dictum est, clarissimis & disertissimis verbis testentur, primũ illum diem azymorum extitisse, & necesse tum fuisse celebrari Pascha; ipse profectò trium Euangelistarum in vna re consensus docet, aliquid aliud in illis Euangelij verbis subesse, quæ Græci adferunt, quàm ipsi intelligunt. Et in illo quidem loco non est magna difficultas, vbi docent in consilio scribarum cõclusum fuisse, ne Christus Dominus in die festo caperetur. Neque enim illud docet Euangelista, hoc penitùs definitum, & conclusum fuisse; sed tantùm in consilio propositum: Tunc congregati sunt, inquit, principes sacerdotum, & seniores populi, in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas: & cõsilium fecerũt, vt Iesum dolo tenerent & occiderent. Dicebant autem: Non in die festo, &c. Sed detur sanè illos ita tùm constituisse, atq; decreuisse, cùm tamen res arbitrij eorum non fuerit, sed illius potius qui oblatus est, quia ipse voluit, & quando voluit: nihil tamen inde certò concludi potest. Et quemadmodum non tum occisus est, quando illi concupierunt, nec eo modo, quo illi voluerunt: ita etiam ne tunc quidem comprehensus erat, cùm illi statuerant, sed tunc cùm ipse voluit, vt quidam nostri seculi doctissimus vir annotauit: vt vel eo ipso demonstraretur, non istorum voluntate, rem totam gestam esse, sed æterni patris ordinatione, ipsiusq; filij charitate, qui animam, quam nemo ab illo auferre potuit, ipse, quando & quomodo voluit, pro nobis posuit. Parasceue autem, quam Græci pro se afferunt, propriè dicitur dies, qui sabbatum præcedit: vt ex Marci 15. cap. planè colligitur. Erat, inquit, parasceue, quod est ante sabbatum, quo die Iudæi, vt quondam in deserto manna duplum colligere iussi erant; ita vsq; adhuc cibos, & aliqua necessaria in sabbatum apparant. Sic enim seipsum interpretatur etiam Ioannes. Iudæi ergo, quoniã parasceue erat, vt non remanerent in cruce corpora sabbato, (erat enim magnus dies ille sabbati) rogauerunt Pilatum &c. Qui quidem dies celeberrimus, propter concursum duarum solennitatum, Sabbati inquam & Paschæ, habebatur: & quem Iudæi, abusu quodam, maiore etiam aliquando solennitate celebrabant, quàm ipsum primum diem azymorum: & quem eundem per excellentiam, Pascha nonnunquam appellare solebant. Quomodo & Ioannes Parasceuen, quod propriè est ante sabbatum, Parasceuen Paschæ appellauit. Nam quod tertio

loco afferunt, Ipsi autem non intrauerunt in Prætorium, ne contaminarentur, sed vt manducarent Pascha: id æquè de primo, vt de cæteris intelligi potest. Totos enim illos septem dies, à quartadecima luna, Pascha & azymos Iudæi appellabant: & totis illis cauabant, ne contaminarentur, dum azymis vescerentur. In illo maximum præsidium suæ causæ statuunt, quod dicit Ioannes: Ante diem festum Paschæ &c. Quod, etsi ex ijs quæ dicta sunt, exponi possit; simplicius tamen ita explicatur, vt ante diem festum Paschæ intelligatur, priusquàm videlicet vespera ipsa aduenisset, à qua Iudæi diem festum Paschæ, quēadmodum & alios dies festos, ex lege domini, inchoare solent, qui iam iam instabat & vrgebat, & in quo extrema legi manus imponenda, nouorum autem mysteriorum, & charitatis initium faciendum erat. Quod enim Hebræi vesperam Paschæ, Græci πρὸ τῆς ἑορτῆς, *veteres Romani Profestum, communiter autem Christiani, Vigiliam paschæ vocant: quo tempore, more Hebræo & communi, dies festus incipit. Cuius totius rei, nullum locupletiorem testem habere possunt, ipso Græciæ principe Chrysostomo, cuius illa sunt verba in caput* 26. *Mat.* Liquidò, *inquit*, patet, cupiditate interficiendi Christum præuaricatos fuisse, ac alia die Pascha comedisse. Non enim Christus tempus Paschæ trāsgressus est; sed illi audacissimi homines, & mille trasgredientes legis præcepta. *Quibus ita explicatis, clarum est, Christum Dominum, primo die azymorum, quando necesse fuit immolari Pascha, iuxta trium Euangelistarum testimonium, suum celebrasse Pascha, siue tum Iudæi celebrauerint, siue non: idq; toto die à prima vespera ad secundam vsq. Primam exorsus est in manducatione, nouiq; & incruenti agni institutione: secundam consumauit in morte. Verùm, siue Christus Dominus in ipso die Paschæ manducauerit Pascha, vt Ecclesia sancta catholica credit, siue ante diem festum Paschæ, vt isti volunt; hoc tamen negare non possunt, Christum manducasse Pascha, ipsumq; agnū paschalem, qui sæpius Pascha dicitur: sic enim dicunt ipsi Apostoli: Vbi vis paremus tibi Pascha? sic ipse Dominus: Magister apud te vult mānducare Pascha: &, Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscū, antequam patiar. Quod si ita est, Pascha iuxta legem Dei, Exodi* 12. *& Deu.* 16. *absq; azymis nō comedebatur: & Christus igitur Dominus, cùm mānducaret Pascha, azymis secundùm legem Dei vescebatur. Quapropter probent primum Græci Christum non tempore suo manducasse Pascha, idq; sine azymis manducare potuisse, contra legem patris sui expressam: & tum demùm de fermento cum Latinis disputent. Non indoctas igitur fabulas, sed veritatem ipsam, Christiq; institutionem ac exemplum sacra Romana Ecclesia secuta, cuius fides nunquam deficere debuit, in azymo pane sacrū hoc conficit Sacramentum: quam rem, vtpotè à diuina sapientia profectam, pulcherrimè demùm, ac verissimè sunt consequutæ conuenientiæ: partim, vt designetur corpus illud, & sanguinem sine vlla peccati aut virilis seminis commixtione conceptum, taleq; à Domino susceptum esse: partim, vt & illi instruantur, qui ad eam mensam accedunt, vt & ipsi cum omni puritate mentis & corporis, purgati ab omni vetustate & corruptione peccati, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis, eam carnem mā*

ducent, &

ducent, & eum bibant sanguinem: partim etiam, vt ostendatur cibum hunc, viæ & peregrinationis, non patriæ esse, qualis ille panis azymus fuit. Neq; illud obstat, in quo frigidè exaggerando, nimius est Simeon Thessalonicensis, ne iudaizare videamur. Nam si ipse Dominus primus author & institutor huius Sacramenti, nihil metuebat, ne in hac parte iudaizare videretur, cùm in azymo pane, ita vti demonstratum est, hoc instituebat Sacramentum; certè multò minus nobis metuendum est, cùm in hac parte dominum, & Magistrum nostrũ sequamur. Quòd si omnes ritus veteris legis nobis sunt fugiendi, eam ob causam, ne iudaizare videamur; tùm inprimis ipsum sacrum Paschæ nobis repudiandum erit, quo ritu & cæremonia nihil magis est iudaicum. Sed quemadmodum in Paschatis celebratione, ideò non iudaizamus, quia longè alio fine & intentione Pascha nostrum celebramus, quàm ipsi Iudæi celebrabãt; sic item in ipso panis azymi vsu, nequaquam Iudæos sequimur, cùm id alio fine & scopo, quàm ipsi Iudæi facere solebant, facimus. Quanquam autem his tantis rationibus nitatur Romana Ecclesia; ea tamen moderatione in hac parte vtitur, vt contrarium vsum non damnet, modò in amore & charitate atque obedientia, à Græcis ex eorum recepto ritu, obseruetur. Quinimò, & ipsum satis conuenienti ratione, institutum esse docet, ad significandum scilicet, quòd verbum patris indutum est carne, quam in suam quodammodo conuertit naturam, sicut fermentum mixtum farinæ, eam in suam immutat naturam. Et quod maximum est, ipsa eadem Romana Ecclesia, ad detestationem Nazaræorum, qui legalia, Euangelio miscebant, tantisper, dum res tulit, & dum scandalum remotum est, eodem ritu aliquo tempore vsa est. Ad extremumq; decreuit, tam in azymo pane, quàm in fermentato triticeo pane, corpus Christi veraciter confici, sacerdotesq; in altero illorum ipsum domini corpus conficere debere, vnumquemque scilicet, iuxta suæ Ecclesiæ, siue occidentalis, siue orientalis consuetudinem. Isti autem culicem semper colunt, camelum autem deglutiunt, nouasq; causas dissidiorum semper quærunt. Sed de fermento hactenus: qui plura hac de re cognoscere velit; legat ex Græcis quidem Simonem Thessalonicẽsem de Sacramẽtis 2. cap. Ex Latinis autem, Innocentium lib 3. cap. 4. de Sacrificio Missæ: Leonem nonum in Epistola ad Imperatorem Constantinopolitanum: D. Anselmum in separato de ea re libel. D. Thomam parte 3. quæst. 9. Art. 4. Apulensem in suo defensorio, parte 2. Thurecrematum in apparatu, super decreto vnionis Græcorum. Ante omnes autem præcipuè Gennadij Scholarij Patriarchæ Constantinopolitani caput secundum defensionis 5. cap. sanctæ œcumenicæ synodi Florentinæ, quod, vel totum caput hoc loco adscriberemus, nisi metueremus, ne scriptum hoc vltra modum excresceret.

Ea caro quam ipse Dominus, &c. *Modum, quo corpus Christi sub speciebus sit panis, & sanguis, sub speciebus vini contineatur, explicat. Quod, scilicet, non per loci mutationem, vt omnes illi, qui Vbiquistæ appellantur, erroneè sentiunt; sed per ipsam trãsmutationem, atq; transubstantiationem, modo soli Deo, eiusq; sanctissimo spiritui cognito. Nemo enim nouit, quæ sunt hominis, ni si spiritus hominis: neq; ea quæ sunt Dei, nisi spiritus Dei.*

Gratia & inuocatione spiritus sancti, &c. *Pro quo impetrando, pulcher-*

rimæ illæ postulationes à vetustissimis Liturgiarum scriptoribus compositæ sunt. A D. Iacobo quidem & Clemente illa: Rogamus igitur, vt mittas spiritum sanctum tuum, super hoc sacrificium, qui efficiat hunc panem corpus Christi tui; & quod in hoc calice est, sanguinem Christi tui. *Et iterum à D. Iacobo illa:* Rogamus, inquit, vt Spiritus sanctus adueniens, sancta, bona, atque glorioſa eius præsentia sanctificet; & faciat hunc quidem panem corpus sancti Christi tui, & calicem hunc pretiosum sanguinem Christi tui. *A Basilio verò:* Rogamus, inquit, vt veniat Spiritus sanctus tuus super nos, & super hæc proposita munera: & benedicat ea, sanctificet, & faciat hunc quidem panem, ipsum pretiosum corpus, & vinum pretiosum sanguinem Domini, & Dei, & Saluatoris nostri IESV Christi, qui effusus est pro mundi vita. *A Chrysostomo verò in eum modum:* Emitte, ait, spiritum tuum, & fac hunc panem pretiosum corpus Christi tui: quod verò in hoc calice est, pretiosum sanguinem CHRISTI tui, transmutans ea spiritu tuo sancto.

Sacris ad Deum precibus, &c. *Arbitrantur plerique ex Græcis, non solis verbis domini pretiosum corpus & sanguinem Iesu Christi confici; sed aliis item sacris ad Deum precibus, gratiarum item actionibus, iubilationibus, confessionibus, postulationibus. Ex quibus qui ita sentiunt, vt forma quidem & natura ipsius consecrationis, in verbis domini constituta sit: reliquæ autẽ preces & postulationes, ornatus cuiusdam & decoris causa, tum ipsius sanctorum Iesu Christi verborum planioris interpretationis & enarrationis adhibeantur: vt illud in tot precationibus, per separatam Patris, & Filij, & Spiritus sancti inuocationem, designetur; totam simul sanctam Trinitatem, ad tanti mysterij omnipotentem productionem, simul, & quasi in eodem instanti conuenire: isti præclarè de hac tota re iudicant. Tum, si easdem illas orationes, ad nostram potiùs, quàm donorum sanctificationem, ac in mysticum Iesu Christi corpus conuersionem; ita referri arbitrantur, vt etsi omnes illæ aliæ preces & postulationes absint, quas tamen à principio paucas fuisse certũ est, si modò ipsa Iesu Christi verba, nõ simpliciter, nec historicè referantur; sed cũ deuotione, & intentione sacerdotis, tanquã potentis regis edictum & mandatum ex persona ipsius regis, à præcone, eius sacerdote proferantur, plenã & perfectam consecrationem fieri: vt itẽ si cæteræ omnes orationes et postulationes adsint; verba autẽ illa dñi desint, nullo modo tantum confici mysterium. Et hoc ipsum verissimè dicunt. Illa enim omnia, quæ, antecedunt, & sequũtur, quasi apparatus quidam, & expositio eorum verborum sunt: quæ si in vno instanti posset cum verbis Christi proferri, nihil esset conuenientius. Sed, cùm propter humanam imbecillitatem simul pronunciari non possunt; alia quidem antecedant, alia consequantur oportet: non tam sua quidem natura, cùm vnum hoc solum sit indiuisum opus, vna actio; quàm ipsa necessitate, & nostra infirmitate ita postulante. Qui inquam ex Græcis, aut Latinis, ita sentiunt; illi profectò præclarè & verissimè de tota sacræ Liturgiæ œconomia statuunt. Nam & in Baptismo similiter illa sola dominica verba, etsi cætera absint: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: vel, Baptizetur seruus Christi, &c. regenerant & sanctificant, nouamq;*

cant, nouamq; faciunt creaturam: cætera tamen rectè & conuenienter, vel ad mysterij explicationem, vel ad ministrorum sanctificationem, vel ad maiorem dignitatem & ornamentum referuntur. In qua quidem sententia D. esse Iacobum, Clementem, Basilium, Chrysostomum, & omnes alios, rectè de tota natura huius Sacramenti iudicantes, clarissimæ eorum docent Liturgiæ: atq; adeò ipsum Nicolaum Cabasilam, cuius hac de re libet hoc loco adscribere iudicium. Cùm venerandam illam cœnam narrauit, & quomodo ipsam ante passionem dedit sanctis suis discipulis: & quòd accepit calicem: & quòd accepit panem: & actis gratiis sanctificauit: & quòd dixit ea, per quæ significauit mysterium: & cùm ea ipsa verba dixit, deinde procedit, & orat, & supplicat, diuinas illas voces ipsius vnigeniti seruatoris nostri, etiam in donis propositis applicans, vt suscepto eius sanctissimo & omnipotẽte Spiritu, conuertatur quidem panis, in ipsum pretiosum & sanctum eius corpus. Hæc cùm orauit, & dixit: vniuersum sacrificium peractum, & perfectum est, & dona sunt sanctificata, & hostia integra, & perfecta effecta est: & magna hostia & victima, quæ pro mundo mactata est, supra sacram mẽsam sita, cernitur: panis enim non amplius figura dominici corporis, neq; donum ferens imaginem veri doni, neq; ferẽs aliquã descriptionem ipsius seruatoris passionum, tanquam in tabula: sed ipsum verum donum, ipsumq; sanctissimum corpus Domini, quod omnia illa verè suscepit probra, contumelias, vibices: quod crucifixum, quod interfectum, quod sub Pontio Pilato pulchrum testimonium confessum est: quod colaphis appetitum, contumeliis affectum, sputa passum est, & fel gustauit: similiter & vinum ipse sanguis, qui exiliit occiso corpore, hoc corpus & sanguis, qui ex Spiritu sancto constitutus est, natus ex Maria virgine: qui sepultus est: qui resurrexit tertio die: qui ascendit in cœlos, & sedet ad dextram patris. *Hæc Cabasila. Si qui autem sunt, qui ita sentiunt, vt non ipsis verbis Domini; sed orationibus & postulationibus quibusdam, hoc tale mysterium confici existimẽt: vel saltẽ verbis illis præpotẽtibus, Christi Dei opt. max. orationes & postulationes cooperari, ac aliquid virium & potestatis addere; hi cùm omnipotentis verbi Dei detrahãt potestati, plusq; humanæ deuotioni, quàm diuinæ virtuti tribuant, hominemq; Deo anteferant; non tantùm vehementer errant, sed etiam graui impietate, & blasphemia, sese obligant. In qua sententia Marcus ille Ephesinus fuisse videtur, pertinaciæ, & ambitionis, Nouæ Græciæ, vnicus vindex, paris causæ similis patronus. Verùm hac de re, qui plura cognoscere velit, legat Nicolaum Cabasilam cap. 27. 28. & 29. in Liturgiæ expositione. Legat item eundem Ephesinum, in separato de ea re opusculo. Legat amplissimum Bessarionem in libro de Sacramento Eucharistiæ: quibus scilicet verbis corpus Christi conficitur, verissimè & luculentissimè rem eam totam explicantem.*

De officio confitentis, & eius, qui AVDIENDAE CONFESSIONI PRAEEST.

Caput XI.

VNdecimum caput, remissionem peccatorum, ei qui confitetur, ab eo qui sit œconomus, & administer eorum mysteriorum, conferri debere enunciat: illud tamen excipit, vt omnia peccata recenseantur, aut per singulas species enumerentur, non esse necessarium. Scriptum enim est: Peccata quis intelligit? Cui capiti respondentes dicimus. Primum quidem hunc ipsum talem œconomum & dispensatorem, non alium quàm spiritualem medicum, omni spirituali doctrina, ad eam rem perfectè instructum, & informatum esse debere. Deinde, eum qui confitetur, tum demùm perfectam peccatorum suorum consequi curationem; si peccata omnia, omnesque eorum partes, quantum animus illi sufficit, & quantum meminisse potest, contrito & humiliato corde recensuerit, atque confessus fuerit, feceritque ea omnia, quæ maximè illis peccatis, quæ admisit, aduersantur: scilicet, vt arrogantiam, humilitate corrigat: turpis lucri studium, eius, quod iniustè quæsiuit, restitutione, ac propriæ substantiæ amplius in pauperes erogatione; in aliisq; eodem modo, iuxta canones nobis perscriptos, ac à sanctis patribus traditos. Quæ quidem omnia gratis, & propter Deum, non autem propter aliquam lucri & quæstus spem, & expectationem, administrari debent; cùm hac re, nihil sit fœdius; hacque satisfactione, nihil Deo magis ingratum, & odiosum esse possit. Illorũ enim spiritualium, qui lucri causa cauponantur potiùs, quàm administrant diuina Sacramenta, muneribusque sibi satisfieri patiuntur; & aliena in se fortè recipiunt peccata, aliaque eius generis faciunt; reprehensibile est ministerium: ideoque nunquam tales diuinum effugient iudiciũ, æternumq; exitium cõsequentur. Nosq; eos homines, qui in his deprehenduntur, grauiter spiritualibus animaduersionibus castigamus, ac publico decreto, ab omni spirituali dignitate remouemus. Neque enim pecunia, aut muneribus, spiritualia æstimari debent, neque his talibus satisfactionibus peccata redimi; sed eius, qui confessus est, ita vt diximus, contrito & humiliato corde, contrariorumque studiorum exercitio ac perfecta ab omni malo fuga & abstinentia. Quæ autem vel per obliuionem, vel animi pudorem confiteri prætermiserint; precamur pium & misericordem Deum, vt & hæc ipsa simul cum cæteris illis condonare velit: confidimusque eos talium etiam à Deo veniam consequuturos. Quæ quidem omnia, hisque similia, magnus ille spiritu Basilius docet: Omne, inquit, delictum apud eum, qui præsidet referre oportet: malicia namque silentio tecta, occultus ac

Psal. 18.

cultus ac ſub cute latens, morbus eſt.

Remedia autem, & curationes, iuxta medicorum artem & exemplum, ſunt illis, qui curantur, adhibenda; vt non tam ægris medicus infenſus ſit, quàm cum morbis ipſis pugnet, paruiſque affectibus occurrat, ac veluti ex aduerſo pugnet; aſperioremque & duriorem, ſi ita opus ſit, animæ morbis nonnunquam adhibeat viuendi rationem: vt vanæ quidem gloriæ ſtudium, per intenſionem eorum exercitiorum, quæ humilitatem pariunt, curet: ſomni & quietis immoderationem, diuturnis in oratione vigiliis: corporis ſegnitiem, laboris ſedulitate: gulam, & ingluuiem, inedia: & ſimilia eodem modo. Illius autem, qui curatur, munus erit; in meliorem partem omnia interpretari, neque correctiones, atque iniunctas pœnas, tyrannidem eſſe putare; ſed potius, tanquam ſalutare animæ ſanandæ remedium, à miſericordia proficiſcens, magna pietate amplecti. Turpe enim eſt eos, qui corpore infirmantur, tantum medicis fidei habere; vt ſiue incídant illi, ſiue vrant, ſiue amariſsima quæque remedia propinent; eos tamen pro benefactoribus ſuis reputent: nos autem, erga animarum noſtrarum medicos, vbi per laborioſam curandi rationem ſalutem noſtram ſtudioſè procurant; non ſaltem eodē modo affectos eſſe. Illi autē qui obiurgat, diligēter prouidendum erit, ne eodem modo cum piis, & ex animo pœnitentibus agat; & cum illis, qui nihil curant; planeque indifferentes ſunt; etiam ſi nonnunquam in eadem vtrique incidant peccata. Pius enim & timoratus homo, cùm Deum timeat, certat ac luctatur, vt Deo placeat, eiuſque voluntati obtemperat; in ipſoque conatu, ob aliquam nonnunquam non prouiſam circumſtantiam, caſu, ac contra ſuam voluntatem offendit, atq; labitur. Ille autem qui contemnit ac indifferens eſt, cùm nullam neq; ſui, neque Dei habeat rationem, nullumq; inter turpe & honeſtum diſcrimen ponat; in primis, & maximis delinquit rebus, duoſque lethaliſsimos patitur morbos: aut enim Deum contemnit, aut illum eſſe penitùs negat: quas duas potiſsimum in animis noſtris cauſas, & radices omnis peccati eſſe, teſtis eſt ſcriptura. Nunc quidem dixit impius, vt peccet in ſemetipſo: Non eſt timor Dei ante oculos illius. Nunc verò, dixit inſipiens in corde ſuo; non eſt Deus. Itáque vel Deum negligit, atque ideo peccat: vel illum penitus eſſe negat; & hac ratione in ſtudiis ſuis corrumpitur, etſi nonnunquā ore Deum confiteri videatur. Deum, inquit ſcriptura, verbis ſe noſſe confitentur, factis autem negant. Quod cùm ita ſit, increpationum quoque, atque mulctarum, non eundem eſſe debere modum, omnes exiſtimare debent. Amplius autem ſcire oportet, eam gratiam, quam gratis ipſi accipimus, gratis quoque impendendam eſſe: neque inde vllam mercedem ad quæſtum & voluptatem noſtram, inſtituendam eſſe. Sic enim præcipit Dominus: Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eiicite: gratis accepiſtis, gratis date. Et D. Paulus: Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis: neque in occaſione auaritiæ, Deus teſtis eſt: nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neq; ab aliis, cùm poſſemus vobis oneri eſſe, vt Chriſti Apoſtoli; ſed facti ſumus paruuli in

Hæc ex Aſceticis Baſilij ad verbum.

ἐπιτίμια

Hæc ex contractarum regularum Baſilij cap. 81.

ἀδιάφορος

Pſal. 13.

Ibidem.

Titum. 1.

Mat. 10.

1. Theſſal. 2.

paruuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foueat filios suos. Ita desiderantes vos, cupidè volebamus tradere vobis, non solum Euangelium Dei, sed etiam animas nostras; quoniam charissimi nobis facti estis.

De mulctis, atque satisfactionibus,

QVAS DIVVS BASILIVS τὰ ἐπιτίμια, ALII autem Græci τὰς ἐκανοποιήσεις appellare solent.

Caput XII.

DVodecimum caput confessionis vestræ docet: eos, qui post baptismum in peccata prolabuntur, remissionem peccatorum tum consequi, vbi conuersionem & pœnitentiam suam, ad Deum contrito corde, & sana fide, testati fuerint. Nos verò in hac quoque parte vobis respondentes, illud dicimus, hæc quidem à vobis verè dici: ipse enim præcipit Dominus, dimittere peccata, non septies, sed septuagies septies, certo & definito vtens numero, ad incertum, & indefinitum designandum. & alio loco: eum qui ad me veniet, non eiiciã foras. Quod autem omnes planè Canonicas satisfactiones, peccatorumque expiationes penitus eiicitis; de eo ita statuimus. Siquidem satisfactiones istæ, tanquam quædam curationes, & remedia morborum, à spiritualibus viris adhibentur, nulla habita ratione quæstus, aut priuatæ vtilitatis; contra superbos, auaros, gulosos, intemperatos, inuidos, iracundos, ignauos, aut contra alios omnes, qui se variis contaminarũt flagitiis: tum hæc ipsa remedia esse, plurimumque valere, ac magnam vtilitatem adferre dicimus: vti quidem ante nos sancti, & Deo pleni patres, eos, qui conuertuntur, quique resipiscunt, Canonicè expiare præcipiunt. Si autem satisfactiones istæ ad lucrum, & quæstum eorum, qui eas iniungunt, referuntur tantum; nec rectum salutaremque finem respiciunt, neque ad eam rationem, quam singulis peccatis curandis sancti definierunt, ac perscripserunt patres; tum & nos tales satisfactiones reiicimus, maleq; & frustrà eas adhiberi putamus, quod negari omninò non potest. Neque tamen quemquam absoluimus, nisi primo iustas pœnas & castigationes, illi pro peccatis admissis iniungamus: idque plurimas & grauissimas ob causas.

Ioan. 6.

Mat. 18.

Primùm vt per spontè & voluntate susceptas afflictiones, ab eis pœnis, quæ illis ipsis inuitis aliquando subeundæ essent, liberentur. Nulla enim res est, quæ Deum magis nobis placatum & propitium reddat; quàm spõtè & liberè susceptа disciplina, atque correctio. Vnde & Gregorius dicit: Lacrymarum, misericordiam & pietatem mercedem esse.

Deinde, vt hæc ipsa voluntate susceptа afflictio, fontem & radicem omnis mali,

nis mali,ardentem ſcilicet voluptatis cupiditatem,ex carne noſtra euellat, ac planè extirpet. Contrariis enim morbis,contraria remedia adhibenda eſſe nouimus.

Tertiò, vt ipſa correctio, ſit velut frenum , & retinaculum quoddam,& quaſi animæ compes; ne iterum in eadem, vel deteriora prolabatur mala.

Quartò , vt labori,& puriori vitæ , per hæc exercitia aſſueſcamus. Laborioſa enim res eſt virtus; & ideò ſtudio,& multo laboris exercitio opus eſt.

Vltimò, quo nobis & aliis omnibus perſuadeamus, nos peccatum, verè, & ex animo odiſſe. Hæc tamen omnia tum prætermittimus,vbi debitum mortis animæ exitum vrget ; ſufficiens remedium remiſsionis peccatorum ſtatuentes,verum,& conſtans, pœnitentis non relabendi in peccatum propoſitum , ab eoque auerſionem perfectam. Remittimus autem , poteſtate eius,qui dixit: Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis,&c. Ioan. 5. Vbi ſimul & pœnam illis benignè à clementiſsimo parente condonari piè credimus. Cuius rei,tanquam pignus quoddam,& certam arrham, ſacræ & diuinæ Euchariſtiæ donum eis tribuimus. Et pœnitere quidem verè , & ex animo,in voluntate ſitum eſt peccatoris:implere autem,vel non implere, impoſitam ſatisfactionem, in ipſo Dei ſitum eſt iudicio. Et ideò Regia planè ſola ſua immenſa humanitate , & munificentia , remiſsionem nobis confert peccatorum.Quod quidem latroni illi in cruce pendenti,ac ſolam ſui memoriam in regno illo fieri,petenti,contigiſſe legimus. Si tamen amplius paſcat quis eſurientes, potet ſitientes , ac reliqua miſericordiæ opera, quæ aliquando ipſe iudex in medium proferet, & quæ ſacrum explicat Euangelium, exercuerit ; hic non ſolùm remiſsionem conſequetur peccatorum, ſed etiam ab omni pœna liberabitur. Ex omnibus enim virtutibus, maximè neceſſaria eſt eleemoſyna. Qui enim vel docuerit ſaltem, (docẽt ſancti Patres) alterum proximi miſereri;hic ipſe centuplum ex ea ſua præſtanti cohortatione, & doctrina,his ipſis, quos docet,in egentes largè cõferentibus, referet fructum ; paremque ferè cũ illis,qui conferunt,ipſe recipiet mercedem. Iuuat & hæc dicta referre : obſonium ſine ſale : ſermo ſine veritate : opera ſine fide : principium ſine fine : ſic virtus abſque eleemoſyna mortua eſt. Vt enim nullum animal,vno ſolo pede graditur:neq; vlla auis , vna ſola penna volat : neque vlla nauis , vno tantùm latere , aut tranſtro nauigat : neque vlla domus, vno ſolo pariete clauditur; ita neque ex his, qui ad certam ſalutem vocati ſunt, ſaluari quiſquam poterit; qui eleemoſynam cum reliquis virtutibus quas exercet , non coniunxerit : ipſa enim ſola prætermiſſa , damnat ſua abſentia ; impenſa autem ſaluat, ſui ad alias virtutes adiectione. Vt enim, ſi quis Deum amicum habet, deinceps & cæteros omnes ſanctos amicos ſibi comparabit; ſic omnis ille, qui in eleemoſynis erogãdis munificus eſt , facilè alias item virtutes propter eius neceſſarium cum illis nexum & cohærentiam , acquiret : quanquam non contrà. Neque verò quiſpiam hoc loco in excuſationem adferat eos , qui in montibus atque ſpeluncis viuentes perfectionem conſequuti ſunt , tan-

quam sine omni eleemosyna Deo placuerint: siquidem & isti omnibus rebus inter pauperes distributis primùm, tunc demùm mũdi huius turbas atque tumultus fugerunt. Age verò, vel ex ipso communi sensu atque ratione, vtilitatem facilitatemque eleemosynæ, possessionumque abdicationes, quæstũ denique ipsum, perpendamus. Dic enim mihi, si cui mensario mille auri libras deberes, nec soluendo esses; hic autem misertus tui, eam tibi proponat cõditionem; si hoc solùm, quod reliquum domi tuæ haberes, illi dederis, cætera se tibi statim benignè condonaturum; tu autem in deposito tuo, solos vt ita dicam, tres teruncios habeas; an non & hos illi cum omni alacritate perferres? Si item in hostili terra captiuus esses, sique tibi ferro & compedibus vndique vincto, perpetua seruiendi in vltima miseria necessitas incumberet, ac deinde pòst proclamaretur, te liberum futurum, si modò ea, quæ tibi superfluunt, egẽtibus distribuas; an non illa etiam, quę tibi essent multùm necessaria, libenter impenderes? Ad hæc, si venalis hæc mundi habitabilis pars esset, tantoque pretio æstimaretur, quanti constant omnia tua bona; num non vniuersa tua libenter conuasares? modò huius habitabilis terræ dominus efficiaris; extremoque damno iudicares te affectum, si fortè ab eo mercatu, tantoque lucro excideres? Iam verò, si quis tibi decrepita iam ætate, in vltima paupertate morituro, subitò, absque omni tuo labore, iuuenem te facturum optimè sanum, immortalem etiam ac ditissimum polliceretur; si vnam solam aliquam ex tuis possessionibus, conseruis tuis largiaris; an non illud statim, in illos largissimè profunderes? Si autem omnium hominum pauperrimus esses, Rexq; aliquis Regem te paulò pòst immortalem facturum polliceretur, si vnum solum præceptum eius diligenter seruaueris; an non omni studio in eam rem incumberes, vt illud præceptum omni ex parte, nulla in re diminutum conserues? Si quis item, ex mundi huius principibus, sexcenta in tuum vsum sua cõferret bona; vnum autem solum ex his bonis, quæ tibi contulerit, à te fortè iterum repetat, idque non sua, sed tua causa, ob tuique amoris erga se probationem; nónne quod petit, statim libens restitueres? Quid si pro tuis plurimis excessibus, iudex quispiam, præsentem mortis turpissimæ, atque extremæ infamiæ sententiam, hodie in te sit laturus; pòst autem centesimam partem bonorum tuorum, Senatui, atque populo, ad redemtionem vitæ, & honoris tui, te conferre iubeat; an non libenter vel dimidia parte bonorum tuorum te priuares, ac redimeres? Age, si quis in vno oculi momento, tibi omnem beatorum quietem demonstret: omnes item pœnas eorum qui damnati sunt, & ab his quidem liberationem, illorũ autem vsum & perfruitionem, tibi polliceatur; petat autem eo nomine à te, nescio quid exiguum; num non omnia tua libenter illi dares? Atqui hæc omnia, sine omni controuersia, solam nobis posse præstare eleemosynam, ne mireris: qui enim amat pauperes, & miseretur eorum causa Dei, hic, & omnium debitorum suorum remissionem consequetur, & à dura diaboli seruitute liberabitur, & vniuersum quasi perexiguo precio sibi comparabit mundum, & planè renouabitur iuuentus eius, immortalisque permanebit.

εὐσπλαγχνίαν.

nebit. Obtinebit item regnum cœleſte: & tanquam ſeruus bonus, & fidelis, omnia bona domini ſui hæreditabit: illaque perbeata inuitatione, Venite benedicti Patris mei, poſsidete regnum vobis paratum ab origine Mat. 25. mundi, dignè reuera ditabitur: ab omnique liberatus pœna, omnium bonorum ſempiterno vſu potietur. Quare mea quidem ſententia, non committendum eſt nobis, vt præſens hæc vita de manibus noſtris elabatur: ſed quàm diu ſuperſtites ſumus, quotidie de menſa noſtra, de panibus noſtris, de omni acceſsione rerum noſtrarum, de veſtimentis, & de redditibus noſtris, aliquid indigentibus impartiendum eſt. Qui enim miſeretur paupe- Prouer. 29. rum, hic fœneratur domino. Quin imò, in vniuerſum theſauriza atq; conuehe in horreum cœleſte. Theſauros colligis corporis, collige & animæ: prouide non ſolùm tibi, ſed etiam aliis: habe rationem non tantùm præſentis temporis, ſed etiam futuri. Ideo bos agricola, diutius viuit, quod non ſibi tantùm, ſed & nobis laboret: porcus autem citò perit, quòd ſibi tantùm, ventrique ſuo ſeruiat: apis vtilis & fructuoſa, quia aliorum mellificat cauſa: ſcarabeus inutilis, quia ſeipſum tantùm curat. Quin in hoc potiùs Dei gratiam recognoſcas, illique immortales gratias agas; quòd te dare potiùs, quàm ab aliis petere dignatus eſt: quòd locupletem, & fixas ſedes habentem potiùs; quàm vagum & mendicum: liberum & gaudentẽ; quàm ſeruum, & mærentem: ſanum ac aliis mutuantem; quàm ægrum & debitorẽ benigna ſua miſericordia eſſe voluerit. Cogita, quãti te redimere iuſtũ eſſet, ne triſtiſsimam ſimul, & iuſtiſsimam ſententiã iudicis audias: Diſcede à me. & illam: Serue nequã & ignaue. & illã: Auferte ab illo talentũ. & Mat. 25. illã: Ligatis pedibus eius, & manibus. & illã: Diſcedite à me omnes, qui o- Mat. 7. peramini iniquitatẽ: non noui vos. Quanta itẽ pecunia illud cõparet libenter quis, vt illã vocem audiat? Venite benedicti Patris mei. & illam: Serue Mat. 25. bone & fidelis, ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui: recumbe cum Abraham, Iſaac & Iacob in regno Mat. 8. cœlorum. Hæc igitur, & talia rectè apud ſe quiſquam reputans; propter liberalem & munificam largitatem, in hac quidem vita exaltabitur: in futura autem, æternam gloriam & ſalutem à Deo immortali conſequetur. Eleemoſynam autem illam eſſe exiſtimamus, non ſi vnius tantùm aut ſemel miſerearis; ſed omnium, ſed ſemper, ſed omni modo. Et huius quidem tãquam cognati, illius verò tanquam amici, alterius vt vicini, alterius veluti tibi antè cogniti: huius autem vt hominis ſolùm; vel hoc enim, hominem eſſe, magnam miſericordiæ vim habet. Et alium quidem ſola propenſione animi, alium benignis & humanis moribus, alium oratione, alium re ipſa, iuues, atque exhilares. Et hunc quidem cibo reficias; illum potu: hunc veſtias; alium domo excipias: humanitate alium, honore alium præueni; aliiſque modis omnibus, quibus poteris, ſingulis, cum quibus viuis, benefacere non deſinas; Habes præſentem & commorantem, tibi benignè ſe in omnes liberalitatis & munificentiæ partes ducem præbentem, Ieſum Chriſtum. Eum igitur, quemadmodum ille nullum modum te beneficiis afficiendi prætermiſit, tu ne ceſſa beneficentia imitari; vt ſic & regno eius

cœlesti dignus efficiaris. Sic igitur quis in eleemosynæ distributione se gerens, de omnibusque benemerendi, eleemosynam occasionem accipiens, ac tanquam medicinam & regulam sanandorum peccati vulnerum, adhibens spiritualiter, Deoque dignè, non autē quæstus & vtilitatis causa; facilè suorum lapsuum remissionem consequetur, ac veram eorum curationē reperiet. Non solùm autem pietatis studia, ac reliqua DEO chara opera viuos iuuant, sed & illis, qui in peccatorum suorum confessione ex hac vita excesserunt, plurimùm vtilitatis adferunt. Quamùis enim magna sit diuina seueritas, longè tamen maior est eius pietas: & horrēdæ quidem sunt comminationes, incomparabilis tamen eius humanitas: plena trepidationis contra fontes decreta, ineffabile tamen misericordiæ pelagus. Vnde diuinæ scientiæ Princeps Dionysius Areopagita docet: Preces, inquit, nostræ, supremi numinis misericordiam & benignitatem orant, vt Deus misericors, quicquid per humanam fragilitatem peccatum est, illi qui mortuus est, condonare velit: ipsumq; collocet in luce & regione viuentium, in sinu Abrahæ, Isaac, & Iacob; non animaduertente, neque imputante bonitate diuinæ humanitatis, eas, quæ illis ex humana infirmitate adhæserunt, maculas: Quandoquidem nemo, vt sacra testatur scriptura, mūdus est à sordibus. Sed & Gregorius in Epitaphio Cæsarii fratris, viuorum pia opera mortuis prodesse, eodem modo docet: Auditum est, inquit, memorabile præconium: ac luctus matris, ob præclarum, sanctumque promissum, exhauritur, quo omnes filii facultates, eius nomine, in pauperes & funerale munus daturum se recepit. Et paulò superiùs: Atque hæc à nobis, & alia quidem persoluimus, alia verò persoluturi sumus, anniuersarios honores & commemorationes offerentes: hoc autem est, iusta, quæ pro illis, qui ex vita excesserunt, à viuis suscipi, ac obiri solent. Sed & Diuus Chrysostomus ad Philippenses scribens, inquit: Gentiles quidem simul, ea quæ mortuorum sunt, vnà cum illis exurunt; quantò magis te fidelem & Christianum decet, simul cum mortuo, ea, quæ eius fuerant, per manus pauperum in cœlum trāsmittere? non vt hæc simul cum corporibus illorum, in cineres redigantur; sed vt maiore illos quàm hæc est, exornes gloria: vt si peccator fuit, hac ratione peccata eius expientur: si autem iustus, vt augmentum quoddam fiat præmii, atque mercedis. & alio loco: cogitemus ea, quibus eos, qui ex hac vita decedunt, iuuemus: feramus illis conuenientem opem, eleemosynam dico, atque sacras oblationes: hæc enim illos multùm iuuant, multùm reficiunt. Qui autem hæc facit, non solùm illis prodest, sed etiam suæ plurimùm commodat animæ. Et item, Neglexisti, quàm diu in vita eras superstes, ea omnia quæ ad animam tuam spectabant, rectè disponere. Manda tuis vel in ipso fine vitæ tuæ, vt post mortem tua transmittant post te, opemque tibi bonis operibus ferant, eleemosynis, inquam, atque sacrificiis: his enim redemtorem tuum placare, tibique reconciliare poteris. Accepta siquidem hæc illi sunt, & grata. Scribe in testamento, vltimaque rerum tuarum legatione, cum filiis & cognatis tuis Christum hæredem: contineat eadem pagina, iudicis tui nomen, quæ liberorum,

berorum. Neque item obliuiſcaris pauperum, pro quibus ego apud te ſpõ ſor certus ſum. Neq; tamen cum hæc dicimus, illud ſpectamus; vt aliquam vel occaſionem, vel excuſationem, atq; prætextum demus cuiquam, cùm in hac vita eſt, eleemoſynis Deum non placandi; hoc enim abſurdum eſt: verùm & poſt obitum egentium recordari, eorumque rationem habere, vti dictum eſt, pium & ſalutare ducimus; precesque iuſtorum multum effi caces eſſe, docemus. Nam & Gregorius Magnus Pontifex Romanus, cognomento Dialogus, cui ad altare Dei miniſtranti cœlitus diuinum aſtitiſſe angelum legimus; ſanctis ſuis precibus, Traiani Imperatoris animã ſeruaſſe dicitur. Et ſancta Tecla prima martyr, ſuam Phalconellam, aliaque multa his ſimilia, in ſacris Eccleſiaſticis hiſtoriis, facilè quiſque reperiet. Quibus de rebus, qui plura cognoſcere velit; leget librũ D. Damaſceni, de his qui in Chriſti fide dormierunt; indeque facilè diſcet opera pietatis, ac ſacras liturgias, quæ pro mortuis inſtituuntur, magnam vim habere, illisque plurimum prodeſſe.

Annotatio.

Auditum eſt inquit, &c. *Scribit pro his bonis, ab aula & auaro fiſco, iam quaſi direptis, ad Sophronium præfectum Gregorius: vbi his laudibus ornat hunc eundem fratrem ſuum.* Erat quondam non obſcuri nominis tuus quoque Cæſarius, imò, niſi me fraternus amor fallit, perquam ampli & ſplendidi, eruditionis laude illuſtris, ſingulari morum probitate commendabilis: amicorum etiam copia clarus, quorum primum te, tuamque nobilitatem eſſe, tum ipſe credebat, tum nobis perſuadebat.

De ſacra liturgia, hoc eſt, de incruento, quod in Missa fit sacrificio: cuius opus, finis vniuerſaque œconomia, pleniſsimè explicantur.

Caput XIII.

TErtiodecimo loco docetis, vſum diuinorum myſteriorum, non ſolum eò comparatũ eſſe, vt ſint Symbola quædam & characteres, atque notæ, quibus populus Chriſtianus, ab his, qui foris ſunt, diſtinguatur; ſed multò etiam magis, vt ſigna ſint & teſtimonia amoris & beneuolentiæ erga nos diuinæ. Nos verò eam totam rem ſic explicamus, hocque noſtrum eſt in ea parte iudicium. Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum vniuerſa ſalutis noſtræ in hoc mundo œconomia

completa, priusquam ad patrem suum, vnde venerat reuerteretur, in memoriã & commendationẽ suæ magnificæ erga nos misericordiæ, eiusque, quam nostri causa susceperat, humilitatis, sacram hierurgiam, & quæ in ea continentur sacra mysteria nobis reliquisse: primumque vt dicitur, sacrum Hierarcham D. Iacobum, qui frater domini vocabatur, ordinâsse. Si igitur, inquit magnus ille in diuinis Dionysius, ipsorum sanctorum preces, vel in hac etiam vita, nedùm (id est multò magis) post mortem infidelibus iuuandis efficaces sunt; quanto longè maiorem ipsa sacra mysteria, sacraque sacrificia nobis adferunt vtilitatem? Quanta enim ex omni sacrificio, quod Deo piè & purè offertur, promanet vtilitas; quantumque tremenda hæc arcana, atque sacrifica, ad placandum Deum peccatis nostris offensum valeant; Deus ipse, primus ante omnes, iam ab ipso mundi initio multis modis, diuinaq; operationis suæ argumentis demonstrauit. Iustus siquidem ille Noë, post vniuersale illud diluuium, vt in postremum omne tempus infirmitati, & fragilitati humanæ, iratum reconciliaret, ac placatum redderet Deum, (vt pulchrè magnus eam rem explicat Cyrillus) vbi primum de arca egressus est, sacrificium obtulit Deo: maiestatem illius precatus; ne iterum vna sententia, in totum sæuiat humanum genus, qua denuò exitiali diluuio vniuersi absorberentur mortales. Cuius voto placatus, annuens & ita statuens benignissimus Deus, respondit: Nequaquam vltra maledicam terræ, propter opera hominum. Sensus enim, & cogitatio humani cordis, in malum prona sunt ab adolescentia sua. Si igitur sacrificium Noë, nihil aliud, quàm vmbram, & figuram quandam, in se continens, tantum momenti ad placandũ vniuerso generi humano Deum habuit; quantò magis vnigenitus Dei filius, pro nobis sacrificium & oblationem offerens, reconciliabit nos æterno suo parenti, tùm, cùm integra & plena spe, ac fiducia, ad eius sacra accedimus mysteria? Itaque eos, qui sine fide hæc sacra tractant, indeque vel remissionem peccatorum vel salutarem aliquam vtilitatem referre se posse, arbitrantur, multum errare vel ipsi putamus: cùm quicquid ex fide non est, peccatum sit. illos verò, qui ita affecti sunt, vt ipsum quidem opus, & effectum, sacræ sanctorum mysteriorum celebrationis esse putent, donorum scilicet in diuinum corpus & sanguinem mutationem: finem autem, eorum, qui rectè & firmiter credunt, per ea sanctificationem, ac peccatorum remissionem, regnique cœlestis acquisitionem hæreditariam, hisque similia, credunt; hos quidem beatos & felices esse prædicamus. Vt autem res ipsa, & opus, finisque tanti mysterii, hic, & talis est; ita reliqua omnia, quæ fiunt, in eadem sacra hierurgia, præparationem & consumationem quandam tanti operis esse putamus: vtpotè preces, psalmodias, sacrarum literarum lectionem, & omnia illa, quæ vel ante donorum sanctificationem, & post sanctificationem, sacrosanctè dicuntur, & fiunt. Quamùis enim omnia ea, quę sancta, & salutaria sunt, gratis, & sponte sua nobis conferat benignissimus Deus: nihilque nos ipsi ad eam rem planè de nostro conferamus: eaque omnia, quæ in his mysteriis accipimus, mera sint Dei dona, & gratiæ; vt

ἀδελφόθεον.

tamen

tamen ad ea recipienda & conſeruanda, apti & idonei ſimus, à nobis neceſſariò poſtulat: neque alio modo nobis eam ſanctificationem impartit; niſi prius ſanctè & ritè ad ea recipienda nos diſpoſuerimus: ita ille baptizat, ita vngit, ita conuiuio excipit, ſacræque menſæ participes facit. hoc autem ſignificauit in parabola ſeminis: Exiuit, inquit, qui ſeminat ſemen bonum: non vt terram aret, aut agrum vertat; ſed vt aratam, & ſubactam conſeminet: tota enim aratio, & ſubactio, totus ad recipiendum diuinæ gratiæ ſemen apparatus, in nobis poſitus eſt, à nobisque proficiſci debet. Cùm igitur maximè neceſſarium fuit, ad percipienda hæc myſteria, rectè inſtructos & præparatos nos accedere; oportebat certè talem item apparatum & acceſſum, in tota diuini ſacrificii œconomia, atque ſtructura, ineſſe: vti quidem & ineſt. Hocque illud eſt, quod ſibi volunt, & quo referuntur hæc ipſæ tam multiplices & variæ cæremoniæ; ſacræ inquam preces, pſalmi, & quicquid aliud in hoc myſterio ſacroſancto fit, aut dicitur. Sanctificant enim nos hæc omnia, atque diſponunt: partim quidem, vt hæc cœleſtia dona rectè percipiamus: partim, vt eam ſanctificationem, quæ hæc conſequitur, conſeruemus, perpetuoque apud nos retineamus. Dupliciter autem hæc omnia nos ſanctificant, atque diſponunt. Vno quidem modo, quo ab ipſis precibus iuuamur, & pſalmis & lectionibus: nã & orationis fructus eſt, mẽtem ad Deũ alleuare, remiſsionemq; peccatorum promittere. Et ſacra pſalmodia ſimiliter, Deũ nobis reddit propicium; & q illinc dependet, momentum ſiue auxilium attrahit: Immola, inqt, Deo, ſacrificium laudis; eripiam te, & glorificabis me. Sacrę verò ſcripturæ lectio, diuinam annunciat bonitatem, humanitatemq; iuſtũ deinde & æquũ eius iudicium, & eius metum in animos noſtros immittit, & dilectionem in eũ accendit, & ita ad eius ſeruanda mandata, multam promptitudinem, & animi alacritatem adfert. His autem omnibus, & Sacerdotis & populi, dici non poteſt, quantò pulchrior, quantò diuinior efficitur animus; & ad ſuſceptionem, & ad cõſeruationem tantorum donorum, multò aptior, in vtriſque redditur: qui quidem eſt proprius ſacri ſacrificii finis. Priuatim autem & peculiariter Sacerdotem, vt non indignè ad ſacrificium peragendum accedat, præparant: quod quidem, vt dictum eſt, myſterii celebrandi proprium eſt opus. Et proinde hoc ipſum paſsim in precibus ſitum eſt; hocq; ipſe Sacerdos precatur, ne indignus videatur, propoſitis donis; ſed vt puris, mundisq; manibus, lingua, & animo, tanto myſterio deſeruiat. Et hic quidem primus modus eſt, per quem ad ea peragenda myſteria, qui ex ipſa vi, & efficientia eorum verborum, quæ dicuntur, vel canuntur proficiſcitur, adiuuamur. Alius autem modus eſt, quo, & per hæc ipſa, & præterea per omnia alia, quæ in ſacro perficiuntur ſacrificio, ſanctificamur. Qua parte, ſcilicet his omnibus, videmus Chriſtum figuratum; eaq; omnia, quæ ille noſtra cauſa ſponte, vel geſsit, vel pertulit. Singulis enim ſacræ hierurgiæ partibus, ſiue ſacris lectionibus, ſiue pſalmodiis, ſiue omnibus aliis, quæ toto tempore ſacrificii adminiſtrantur, nihil aliud fit; quàm vniuerſa ſaluatoris noſtri, redemtionis noſtræ cauſa, ſuſcepta œconomia, re-

præsentatur: ita, vt quæ in tota ea salutis nostræ administratione prima fuerunt, primis item sacræ operationis partibus designentur: quæ verò secundo loco facta sunt; per ea, quæ item secundo loco repræsentantur: vltima verò illis, quæ postremo loco exercentur, ita vt illis omnibus, qui hæc diligentius examinare vellent, liceat omnes salutis suæ partes, in tota sacra hierurgia, tanquam oculis subiectas intueri. Ipsa enim sacrorum donorum consecratio, ipsum sacrificium, mortem Domini annunciat: eius item præpotentem à mortuis resurrectionem, ac in cœlos glorioſam ascẽsionem: quoniam pretiosa hæc dona, in ipsum dominicum corpus mutantur, quod hęc omnia suscepit, quod crucifixũ est, resurrexit, & ad cœlos ascendit. Ea autẽ quæ ante sacrificiũ dicuntur, & fiunt, designant illa omnia, quæ ante mortem fuerunt: aduentum scilicet in carnem eius, ostensionem, & perfectam manifestationẽ. Ea verò, quæ confecta consecratione, & oblatione peraguntur; sancta & vera patris æterni, vt ipse inquit Dominus, promissa repræsentant: Spiritus, inquam, sancti in Apostolos descensum: gentium ad Deum Apostolica prædicatione conuersionem, & communionẽ: ita vt nihil aliud sit vniuersa sacra mystagogia, nisi vna quædam perfecta imago vnius quasi corporis politiæ, ac omnium rerum gestarum Christi saluatoris nostri: omnesque eius partes, ab initio vsque ad finem mirabili ad inuicem contextu, & ordine, oculis, & aspectibus humanis subiiciens. Illi siquidem Psalmi, qui quasi in vestibulo, atque ingressu mysterii canuntur: & ante hos, ea, quæ in donorum propositione fiunt, & dicuntur, prima tempora œconomiæ significant. Ea verò, quæ pòst consequuntur, sacræ scilicet scripturæ lectio, ea causa recitantur; vt per hæc, & ad studium cultumque virtutis prouocemur, atque inungamur: & vt Deũ nobis propitium reddamus: vtque ea, quæ Christi œconomiam significant, audiamus. Et partim quidem hymnis hæc ipsa Deum personant, & ad virtutem nos cohortantur, eosque qui canunt, sanctificant: partim autem, talia ab Ecclesia ita electa & dispositа sunt, vt sufficiant ad significandam Christi peregrinationem & politiam. Fiunt igitur ea omnia, quæ in sacra liturgia peraguntur, vt quidem ipsa forma, & figura ordinis, & totius sacræ hierurgiæ declarat, atque continet, instituti vsus gratia: significant autem etiam aliquid ex operibus vel actionibus, vel passionibus Christi; quemadmodum prima importatio Euangelii ad altare: oblatio item precioſorum donorum: fit enim vtrumque primùm, vsus ipsius, & necessitatis causa. Nam & Euangelium, ideò primùm adfertur, vt legatur: dona deinde, vt sacrificium exactè perficiatur: vtrumque tamen significat seruatoris ostensionem atque manifestationem: primùm quidem illud, incipientis manifestari obscuram, & imperfectam: hoc verò postremum vltimam illam & perfectissimam. Ad extremum illa omnia, quæ in donorum oblatione perficiuntur. Vti quidem primus ex omnibus D. Iacobus ille, qui frater Domini dicebatur; ab ipso Christo Domino instructus nobis tradidit: vt quidẽ & plurimi sanctorum Patrum Canones testantur: & Ecclesiasticę historiæ docent: & veritas ipsa, vsusque apud nos perpetuus confirmat: post

Lucæ. 24. Acto. 1.

firmat: post verò Magnus Basilius eodem modo, quod & ipsa forma eius Liturgiæ, quam nobis perscripsit, docet: & diuinæ preces, quas item nobis tradidit, abundè repræsentant. sed & Chrysostomus: illa, inquam, ad hanc seruatoris œconomiam referuntur omnia, vt nobis ipsius contemplatio ante oculos posita, animas quoque sanctificet, & ita nos ad capienda sacra dona reddat idoneos. Et quemadmodum tùm, cùm semel in ara crucis, ea ipsa hostia, oblata est, orbem renouauit vniuersum; sic & nunc cõsiderata, mentes nostras efficit diuinas. Quamquam quod magis est, ne tum quidem, cùm in cruce pendebat, aliquid vtilitatis attulisset, nisi considerata, & credita fuisset: cuius item causa, & prædicata est; & vt crederetur, ipse Deus, innumerabilia machinatus est: neque enim alia ratione posset quod suum est facere, aut aliquem seruare; si eos, qui curandi & seruandi erant, quòd fuerit, latuisset. Sed tùm quidem, cùm nostræ salutis causa suscepta fuit, Apostolica prædicatione publicata, reuerentiam erga Christum, fidem, & dilectionem, in animis gratorum hominum efficiebat: nunc autem ab his, qui iam crediderunt, in his ipsis diuinis mysteriis studiosè conspecta & considerata, beatas has affectiones, nõ quidem denuò inserit, verùm iam insertas conseruat, & renouat, & auget: & in fide quidem firmiores, in pietate autem & charitate, ardentiores & feruentiores nos facit. Nam si ea, quæ in nobis non fuerint, vt sint, effecit; hæc eadem multò facilius, seruare, custodire, atque renouare poterit. Quibus autem virtutibus ornatum, ad ea sacra mysteria accedere sit necesse: & sine quibus ea aspicere sit impium ac nefarium, illa sunt; religio, fides, ardensque in Deum charitas. Eamque ob causam oportebat contemplationem, quæ nobis posset hæc inserere, in sacrificii constitutione significari; vt non mẽte solùm, sed etiam quodammodo oculis ipsis videremus: summam, inquam, diuitis Christi paupertatem, eius, qui sua maiestate complet omnia, in aliena terra hospitia & peregrinationes: eius, qui est benedictus, contumelias, & opprobria, impasibilis passionem: & quantùm ipse odio habitus, quantùm nos dilexerit: tantusque cùm esset, quantùm seipsum humiliauerit: & quid passus, quidùe agens, hanc tantam præstantem, & admirandam in conspectu nostro præparauerit mensam; vt ita salutis nouitatem admirantes, multitudineque misericordiarum eius stupore perculsi, reuereamur eum, qui sic nostri misertus est, qui tantam nobis attulit salutem: illi nos, animasque nostras credamus: illi vitam nostram commẽdemus: igne item ardentis dilectionis, corda nostra erga illum accendamus. Vbi enim tales fuerimus; tùm demùm poterimus, & securè, & familiariter, tantorum mysteriorum ignem accedere. Neque enim sufficit ad hoc, vt tunc tales simus, ea quæ Christi sunt aliquando didicisse, & ea scire; sed necesse est etiam tunc mentis oculos illic figere, & ea actu contemplari, omni alia cogitatione tali tempore ex animo reiecta: si modo velimus, ad eam sanctificationem, quæ ex his donis prouenit, vti iam diximus, animum nostrum aptum, & accommodatum reddere. Non enim ipsis solis verbis oportet veram pietatẽ metiri; sed magis rebus, & operibus ipsis.

Sub aspe-

Sub aspectum enim, vt ita dicam, hoc ipsum sacrificium, omnia deducit, ipsamq; contemplationẽ, animis nostris infert; vt sic euidentiùs nobis per oculos impressa imaginatio, penitus non det locum obliuioni eius mensę; sicque pleni diuinis cogitationibus, participes efficiamur sacrorum mysteriorum; sanctificationem sanctificationi addentes, & à gloria in gloriam subleuati. Et hic quidem est sensus, hæc mens, quasi in compendio oculis nostris subiecta, totius Christiani sacrificii. Habent tamen deinceps singulæ partes, peculiares suas contemplationes, & rationes: vt ipsarum precũ harmonia, ipsum opus sacrum, ipsa viuorum & mortuorum sanctificatio. Ante autem omnia per totam mysterii celebrationem, apparet saluatoris nostri susceptæ carnis œconomia, cuius certæ partes, certis rebus, quæ in sacrificio fiunt, repræsentantur: Cur enim non statim in altari proponuntur sacra? Quia offerebantur quidem Deo sacrificia ab antiquis; partim ratione carentium animalium cædes; partim vasa aurea, & argentea: corpus autem Christi, etiam vtraque habere videtur. Nam & ipsum, in honorem & gloriam Dei Patris, mactatum est; dedicatum autem ab initio Deo: & donum erat ipsi; quia primogenitus (dona enim hæc Deo offeruntur, tanquam primitiæ vitæ) & quod mutatur panis in ipsum corpus Christi. Quamobrem etiã abscindi solet à toto eiusdem generis pars: & sectio quędam tantùm, non totus offertur panis: figura hæc est passionis & mortis Domini. Et quàm diu quidem panis hic in propositione situs est; panis solùm purus & simplex est, ad ministeriũ Dei tãtùm dicatus. Pòst verò, panis ille verus, qui de cœlo descendit, efficitur; verbiq; ipsa veritate, verè & realiter immutatur. Et hæc quidem, in eum sensum recuperatæ salutis nostræ accepta talia sunt. Si verò ratione & re ipsa interpretari atque explicare voluerimus, mille linguis opus esset: neq; tamen rem totam pro sua dignitate explicare possemus. Iusit equidem ipse Dominus, vt hæc in memoriam eius peragantur, ne ingrati & immemores simus. Illa enim est, vel in humanis prima, & summa beneficii, ab eo, qui illud accipit, benefactori recompensatio; si illius sit memor, earumque rerum per quas beneficio affectus est. Huius autem conseruandæ memoriæ, homines multas rationes excogitârunt; sepulcra, inquam, statuas, columnas, dies festos & celebres, publica demùm certamina. Quarum rerum omnium finis est vnus; ne præstantes viri, eorumque erga nos merita, vlla vetustate, quæ rerum omnium edax est, consumerentur. Vt autem in illis statuis, quas præstantibus viris, pro rebus præclarè gestis, erigimus victorias, quarum beneficio seruati sumus, vel inscribere, vel depingere solemus; ita in his ipsis diuinitus nobis traditis, & relictis donis, mortem illam sacram, cuius beneficio seruati sumus, & cuius virtute omnes inimicos nostros deiecimus, effingimus, planeque imprimimus. Neque verò rudem aliquam, & mortuã formam, & imaginem in eis inscriptam habemus, quod in cæteris fit; sed illud ipsum viuum corpus, & sanguinem, victoris & seruatoris nostri Iesu Christi sacris ad Deum precibus, gratiarũ item actionibus, iubilationibus, confessionibus, postulationibus confectum atque consecratum. Petimus

autem ab

autem ab illo primùm pacem, & ſalutem, animabus noſtris. Magna enim vtilitas eſt diuinæ pacis, vel potius, magna huius virtutis in omnes partes neceſsitas. Cuius enim animus multis perturbationibus, tanquã fluctibus iactatur, atque fluctuat; illum poſsibile non eſt, quietè cum Deo cõiungi, atque conuenire poſſe. Quemadmodum enim pax multa, vnum quodammodo reddit; ita perturbatio, vnum multa efficit. Non pacem autem in hoc loco tantùm petimus, ſed etiam ſalutem animabus noſtris: ſic enim ipſe Chriſtus præcipit; primùm quærere regnum Dei, vt ſic omnia adiiciantur nobis. Mat. 6. Regnum autem Dei nihil aliud eſt; quàm certa quædam ſalus animarum noſtrarum. Sed vt Chriſti ipſius veri capitis, ita & Eccleſiæ corporis eius, in his myſteriis forma quædam, & repræſentatio cõſpicitur: non tanquam in ſignis tantùm; ſed tanquam in corde membra, & in arboris radice rami: & ſicut dicit Dominus, tanquam in vite palmites inſunt. Ioan 15. Non enim hic ſolùm nominis communio, vel analogiæ ſimilitudo eſt; ſed res eadem. Etenim verè Chriſti corpus & ſanguis hæc ſunt myſteria, quæ participantur: eaque in humanum corpus non mutantur; ſed ipſum in illa mutatur, vincentibus illis, quæ ſunt præſtantiora. Nam etiam ferrum, cum igne habens conſuetudinem, fit ignis; non autem dat igni, vt ſit ferrum: & quemadmodum ferrum inflammatum, non ferrum, ſed ignẽ apertè videmus, ferri proprietatibus ab igne omnibus abſumptis; ita etiam Chriſti Eccleſiam, ſi quis videre poſſet, eo ipſo quod ei vnita eſt, & eſt eius carnis particeps, nihil profectò aliud eam eſſe videret, quàm ipſum verum IESV Chriſti corpus. In huncque ipſum modum dicit Paulus: Vos eſtis corpus Chriſti, & membra ex membris eius. 1 Cor. 12. Non eius tantùm in nos curam, & prouidentiam, aut inſtructionem, & admonitionem, item noſtrã in eum ſubiectionem, ſignificare volens, illum quidem caput, nos autem corpus appellauit; (qua ratione item & nos quoſdam cognatorum vel amicorum, membra noſtra, exuperantia quadam orationis vtentes, vocamus:) ſed illud ipſum ſignificans, quod dicebat, nempe quod fideles, per hunc ſanguinem viuere in Chriſto vitam, & verè ab ipſo capite dependere, & hoc corpore indutos eſſe ſciret. Rom. 6. Fit autem in ipſa ſacra hierurgia, ſanctorum item memoria, tum, cùm ipſa proponuntur dona, & tum cùm offertur ſacrificium: donum enim eſt reuera, ſacrumque donarium, rationaliſque victima, hoc tantum myſterium. ἀνάθημα Recordamur excellenti quodammodo eorum, quæ pro nobis facta ſunt, crucis, & aliorum, quæ Chriſtus pro nobis ſuſtinuit. Memoriam item perbeatæ matris illius facimus, multas in eius laudem & gloriam dicentes: interceſsionem ſanctorum petimus: miſericordiam Dei imploramus: pro viuis & mortuis exoramus: rationalem ex illius donis & datis, illi ipſi cultum offerimus; hymnis & benedictionibus eius maieſtatem laudantes. Sicq; ipſa oblatio perficitur inuiſibile ſacrificium; fitque ſpecierum mutatio, in ipſum corpus & ſanguinem Ieſu Chriſti, diuina operante gratia inuiſibiliter; myſticis precibus, hæc talia dona mutantibus. Vocatur autem potiſsimum Euchariſtiæ nomine hoc ipſum ſacrificium, atque rationalis cultus: hoc quidem ob eam

cauſam

causam, quòd nullum inducit factum; sed solùm vtens verbis sacramentalibus,hanc Deo offert oblationem,mutationemque diuini corporis & sanguinis efficit; illud verò ab eo,quod est amplius,quodque primò & præcipuè spectat, atque operatur, gratiarum, inquam, actione appellatur. Lō-gè enim plures, gratias agendi occasiones, habemus , quàm supplicandi. Multò enim plura accepimus,quàm ea sunt,quibus opus habemus; omnia enim penè, quod quidem ad Deum attinebat,accepimus,qui nihil reliqui fecit, quod nobis non dederit. Sed hæc quidem assequendi,nondum tempus aduenit: in quo genere est corporum immortalitas,& cœleste regnū: alia verò iam consequuti, non retinemus , eiuscemodi est remissio peccatorum , aliaque bona , quæ per sacramenta nobis suppeditantur. Et fons quidem primus sacrorū missæ mysteriorum,fuit Christus Deus noster, ipse primus & summus pontifex : ab eo autem quasi immediatè , profluxerunt ipsi oculati testes, & comites eius sancti Apostoli : qui facti sunt,tanquam ex fonte per canales defluentia flumina,lætificantia ciuitatē Dei : qui iuxta præceptum Domini, ea, quæ in aures audierunt , in tectis , & supra domos prædicare debuerunt.& impletum est,quod diuinus Dauid prædixit: Non sunt loquelæ, neque sermones , quorū non audiantur voces eorum. His itaq; iactis sacræ hierurgiæ fundamētis,Ecclesiasticisq; oraculis,cætera quæ ad sacram operationem requiruntur, à D. Iacobo Apostolo, fratre Domini,Hierosolymitano Episcopo extruuntur:vt quidem testatur 32. Canon concilii in Trullo habiti, his verbis : Nam & Iacobus Christi Domini nostri secundùm carnem frater , cui Hierosolymitanæ Ecclesiæ thronus primùm est creditus : & D. Basilius Cæsareæ Archiepiscopus,cuius gloria omnem terrarum orbem peruasit , mystico nobis in scriptis tradito sacrificio, ita tradendum in sacro mysterio,ex aqua & vino sacrum poculum ediderunt,vt quidē in sacra peragitur liturgia.Inueniuntur tamen & annotationes quædā , in monumentis Ecclesiasticis sparsim : & ipsum D. Marcum Euangelistā,suæ item Ecclesiæ,sacræ & mysticæ oblationis hierurgica elogia & ceræmonias,ordine composuisse.Siue autem eam ob causam, quòd vtriusque Apostoli volumina fuerint deprauata,(quemadmodū posterioribus temporibus , ipsius Clementis constitutiones itidem,) siue ob prolixiorem rerum sacrarum expositionem œconomicè,à sancto patre nostro magno Basilio breuius, & concisius ordinata sunt ; deinde ab ipso D. Chrysostomo ; certò non constat. Hoc vnum certò scimus , à maioribus nostris, duos thomos nobis relictos , & ab omnibus receptos legi, hactenusq; extare , ex quibus sacram celebramus liturgiam ; ipsius inquam magni Basilij, atque sancti Patris nostri Ioannis Chrysostomi, Vno spiritu sancto, vterq; conscriptus, vniusque, & eiusdem traditionis ; præter id, quòd sancti Basilij superat , & plenior est verbis ; diuus autem Chrysostomus , compendiosius , & concisius loquitur. Ex his igitur sacris libris , ad hanc vsq; diem mysticum offerimus sacrificium ; ita,vt Dominicis quidem magnæ quadrageſimæ, ante sacrum Pascha diebus , & quibusdam aliis, magni Basilij liturgiam legamus , atque ex illa sacrum oblationis mysterium perficiamus;

perficiamus, in aliis autem diebus, Diuum ſequamur Chryſoſtomũ. Cùm igitur hæc, quæ apud nos eſt Dei Eccleſia, patria ſit aliarum Eccleſiarum, in omníque cognitione, gratia Dei principatum obtineat, ac incontaminata quadam ſinceritate glorietur, ſplendore Apoſtolicarum & paternarũ traditionum; iamque hæc noua ius primigenium orthodoxæ veritatis retulerit, ac in caput ſit conſtituta; æquum eſt vniuerſam Chriſtianorum rẽpub. atque Eccleſiam, ſic, & non alio modo, diuina myſteria, ſacramque liturgiam, ſanctè celebrare, vt & ipſa celebrat. Quòd ſi neceſsitas aliquo in loco poſtulet, vt vetuſta conſuetudine liturgia peragatur; nimirùm, vel ſecundùm D. Iacobi inſtitutum, vel D. Marci fortaſſe, his, quæ ſunt pietatis, & primariis capitibus conſeruatis, in laudem Dei prępotentis, libera ab omni rerum mundi huius impedimentis, conſideratione & diſcretione adhibita, ſacra peragatur liturgia: ita vt primò & principaliter ſanctificationem, ex ea diuinorum donorum communione, conſequamur: & in ipſam ſubſtantiam animę noſtræ, per ipſum corpus noſtrum tranſeat. hoc enim ſignificans B. Paulus ait: Qui adhæret, inquit, Domino, vnus eſt ſpiritus; vtpotè, quòd in anima primò & præcipuè, hæc vnio, & coniunctio conſiſtat: ibi enim propriè homo, ibi ſanctificatio, quæ vel ex virtutibus humano etiam ſtudio partis proficiſcitur, conſiſtit: inde etiam ipſum peccatum: ibi itidem ea curatione, quæ ex donis promanat, homo curatur: corpori enim omnia ex anima adueniunt. Et quemadmodum à malis cogitationibus, quæ ex corde exeunt, inquinatur; ita etiam inde eſt ei ſanctificatio, ſiue ea quæ à virtute, ſiue quæ à ſacramentis, & quidem longè excellentius, longè melius, longè perfectius, prouenit. Duobus enim modis diuina hæc hierurgia, & ſacrum hoc myſterium nos ſanctificat. Vno quidem modo, ipſa meditatione: eò, quòd dona quæ offeruntur, ipſo oblationis actu, eos qui offerunt ſanctificant, & eos, pro quibus offerunt illi, qui Deum iis propitium reddere conantur. Alio autem modo, ſacra ipſa participatione & communione; quia nobis verus cibus & potus, vt dicit Dominus, fiunt. Ex quibus quidem modis, primus ille communis eſt viuis atque defunctis, etenim pro vtrisque offertur ſacrificium: ſecundus autem modus ſolis viuentibus proprius eſt, cùm mortui amplius, nec comedere nec bibere omninò poſsint. Quid igitur dicet aliquis? Proptereáne, nec ſanctificãtur hac ſanctificatione, quæ prouenit ex participatione, & deteriori ſunt in hac parte conditione mortui, ipſis viuentibus? Minimè. Nam & his ſiquidem Chriſtus ſe communicat, eo modo quo ipſe nouit: qui item, vt vobis clarius innoteſcat, vt & cætera alia multa ad hanc rem pertinentia; ex ipſa interpretatione ſacræ liturgiæ, & hoc, & alia multa diſcere poteritis.

1. Cor. 6.

Mat. 15.

Ioan. 6.

ANNOTATIONES.

Tertiodecimo loco docetis, &c. *Sumptum eſt hoc totum ferè caput ex Nicolai Cabaſilæ, viri imprimis pij, & longè doctiſsimi, libro de diuino altaris ſacrificio: ex quo eodem in locis quibusdam corrigi & illuſtrari poteſt.*

Sacram hierurgiam, &c. *Non vno, nec eodem nomine, hoc loco Græci, vt & tota vetustas sacrificium altaris ornant, atq; explicant. Nunc enim cõmunissimo, eoq; vsitatissimo* λειτουργίας *nomine vtuntur, quam Strabo* δημοσίαν ὑπηρεσίαν, *hoc est, publicum muneris ministerium, & functionem interpretatur: quomodo Isocrates dicere solebat: magistratuũ functiones* λειτουργίας *non* ἐργασίας, *hoc est, ministeria, non quæstus faciendi, artes esse. In re sacra, primus hoc vocabulo vsus est Diuinus Lucas* ἐπλήσθησαν ἡμεραὶ τῆς λειτουργίας, *completi sunt dies ministerij eius, hoc est, sacrificij, quod in vice sua obibat Zacharias. Et in actis,* λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ κηρίῳ καὶ νηστευόντων, *quod Erasmus interpretatur, cùm illi sacrificauerunt Domino & ieiunârunt: quo deinceps vocabulo, omnes alij consequentes scriptores, in hoc mysterio sunt vsi. Nunc* ἱερουργίαν, *hoc est, sacram operationẽ vocant, quo nomine D. Ignatius Apostolicis temporibus proximus vti solet. Nunc* μυσταγωγίας *quasi summi mysterij nomine vtuntur: quo nomine Gregorius Naziãzenus delectatur. Nũc* τελετῆς *id est, summæ cæremoniæ, quomodo Synesius* τελετὴν ἀπόρρητον, *hoc est arcanum mysterium, hoc sacrum appellauit. Inde Lucianus eam ob causam saluatorem nostrum cruci affixum esse dicit, quòd nouam in Palæstina* τελετὴν, *hoc est, ritũ & sacrificium cõstituerit. Hinc Christũ* τελέταρχον *primũ tãti mysterij conditorem, magnus Dionysius appellare: ipsum autẽ sacrificium* τελετὴν τελετῶν, *quasi cæremoniam cæremoniarum, absolutissimumq; ritum, & sacramentum nominare solet. Vocant item* προσφορὰν, *hoc est, oblationem: quo nomine, & si ipsa dona aliquando & munera, quæ vel ad conficiendum hoc sacrificium, vel ad ministrorum victum conferri solebant, appellantur, quæ propriè à veteribus* καρποφορία *dicebantur; sæpiùs tamen ipsam rem sacram designant, quomodo ipsum concilium Nicenum vtitur:* Neque inquit regula, neq. consuetudo tradidit; vt hi, qui offerendi sacrificium non habent potestatem, his, qui offerunt, corpus Christi, porrigant: *vbi verbo* προσφέρειν, *Patres illius concilij vtuntur. Sic ipsi Apostoli, Canone 3. & 7.* ἁγίαν προσφορὰν *appellare solent. Sic Ignatius: Non licet sine Episcopo, neque baptizare, neque* προσφέρειν *id est offerre. Vocant item hoc idem mysterium nunc quidem simpliciter* θυσίαν *quomodo ipsi Apostoli Canone 3. quomodo Ignatius* οὐδὲ θυσίαν προσκομίζειν οὐδὲ δοχὴν ἐπιτελεῖν *id est, neque sacrificium immolare, neque cœnam celebrare; sacrificium simul & communionem complexus, quod vtrumque Latini Missæ nomine appellare solent. Quomodo item & D. Lucas nomine* δοχῆς *vsus est. Nunc verò cum additione, quomodo Nazianzenus* ἀναίμακτον θυσίαν, *hoc est, incruentum sacrificium. Iustinus* προσφερόμενον θυσίαν, *id est, quod offertur, sacrificium appellat:* ἱερὸν *item* καὶ φρικῶδες μυστήριον, *quomodo sæpius Chrysostomus,* ἀγάπην, *id est dilectionem, quomodo Tertullianus, & alij plurimi* σύναξιν, εὐχαριστίαν, *collectionem atq; gratiarum actionem, vt passim omnes appellãt. Iustinianus* προσκομιδὴν *oblationem in Nouellis nominat, sed & hæc hactenus.*

Illi siquidem Psalmi qui quasi, &c. *Frustatim hæc ex Cabasila proijciuntur, potius quàm continuantur, proinde libet totum locum Cabasilæ apponere:* Quæ autem post Psalmos, sacrarum literarum lectiones, & alia id quod sequitur. Nam etsi dicatur alius esse vsus lectionum & psalmodiarum; ea enim adsumpta esse, vt scilicet ad virtutem nos vngant, & vt Deum propitium red-

pitium reddant; nihil tamen prohibet, quò minus & hoc, & illud posſint, & eadem,& fideles ad virtutem inducãt, & Chriſti œconomiam & diſpẽſationem in carne ſignificent. Quemadmodũ enim veſtes,indumenti quidem vſum implent, & corpus tegunt: eò autem, quòd tales vel tales ſunt, nonnunquam & artificium, & vitam, & dignitatem eorum,qui induti ſunt ſignificant; ita etiam ſe habet in his. Quia enim diuinæ ſcripturæ,& verba diuinitus inſpirata,& hymnos Dei comprehendunt;& ad virtutem adhortantur,eos,qui legunt & canũt, ſanctificant. Quia autem talia electa ſunt, & ita ſunt ordinata, & aliam habent poteſtatem, & ſufficiunt ad ſignificandam Chriſti peregrinationem, & eius inſtitutionem. Neque enim ea ſolùm quæ coluntur, & leguntur, ſed ea etiam, quæ in celebrando peraguntur, eodem modo ſe habent. Fit enim vnumquodque, præſentis vſus gratia: ſignificat autem etiam aliquid ex operibus,vel actionibus vel paſſionibus Chriſti.

Cur enim non ſtatim in altari proponuntur, &c. *Duo ſunt intrà* ἅγιονβῆμα *id eſt, ſanctum tabernaculum in orientali Eccleſia Altaria: vnum maius in medio* θυσιαστήριον, *quod varijs nominibus apellant: Sacrum menſam, Sancta ſanctorum, Cathedram, Locum Dei, Requiem, Propitiatorium, magni ſacrificij officinam, Chriſti monumentũ,& eius gloriæ tabernaculum; totq; item vocabulis ab antiquiſſimis Patribus inſignitur: ex quibus colligere licet, quàm magnificè illi ſenſerunt de eo ſacrificio, quod in hoc peragitur altari; longè ſecius, quàm noſtri prophani iſti rerum diuinarum inquinatores. Eſt & aliud minus altare, in quo Sacerdos ſacra præparat; quod protheſis dicitur, quaſi propoſitio, quòd panis conſecrandus in eo primùm ponitur.*

Quia offerebantur quidem primo Deo ſacrificia. *Integer locus & ſententia Cabaſilæ hæc eſt:* Initium autem ducamus ad eorum, quæ in propoſitione fiunt & dicuntur cõtemplatione, & ipſa eorum allatione, donorumq; oblatione. Cur enim non ſtatim ad altare ducuntur & ſacrificantur; ſed primùm tanquam dona Deo dedicantur? Quia offerebantur quidem Deo ſacrificia ab antiquis,ratione carentium animalium cædes,& ſanguis. Offerebantur autem etiam dona, quemadmodum vaſa aurea, vel argentea. Corpus autem Chriſti etiam vtraque habere videtur. Etenim ſacrificium quidem poſterius exſtitit;quando pro gloria patris eſt interfectus:dedicatus autem erat, & oblatus Deo, ab initio: & donum erat ipſi pretioſum, & tanquam adſumptum; vt noſtri generis primitiæ, & propter legẽ,quòd erat primogenitus. Ea de cauſa, ea, quæ nunc offeruntur,per quæ corpus illud ſignificatur, non ſtatim ad altare ducuntur, & ſacrificantur; ſed hoc quidem fit poſtea: prius autem Deo dedicantur, & dona pretioſa Deo,& fiunt, & vocantur. Ita fecit Chriſtus. Quando enim panem & vinum manibus acceptum, oſtendit Deo & patri, tanquam dona ea Deo offerens,& dedicans oſtendit. Et vnde nam hoc conſtabit? Ex eo,quòd Eccleſia hoc facit,& ea dona vocat. Non enim id faceret,niſi Chriſtũ hoc feciſſe ſciret. Audiuit enim ipſum iubentẽ:Hoc facite, & non diſſimiliter eũ eſt imitata.

Iuſsit enim ipſe Dominus, vt hæc in memoriam eius peragantur, &c.

Rem totam sic explicat Cabasila. Sed quanam de causa hæc iussit? & ad aliquid respiciens, hanc recordationem à nobis exegit? Ne ingrati & immemores essemus. Est enim benefactoribus ab iis, qui beneficio affecti sunt, quædam gratiæ relatio, eorum meminisse, & eorum, per quæ beneficio affecti sunt. Huius autem conseruandæ memoriæ, homines multas rationes excogitârunt, sepulcra, statuas, columnas, dies festos & celebres, certamina; quorum omnium vnum est institutum, non sinere, vt viri præclari & præstanti virtute, obliuioni mandentur. Tale est etiam, quod dicit seruator: Alii quidem alia obliuionis quærunt remedia, vt recordentur eorum, qui ipsos beneficio affecerunt; vos autem in meam recordationem hoc facite: & quemadmodum ciuitates fortium virorum per quos victoriam assequutæ sunt, vel qui eis salutem attulerunt, aut res earum rectè gesserunt, columnis inscribunt; ita etiam in his donis nos mortẽ Domini adscribimus, in qua vniuersa sita fuit, aduersus malignum, victoria. Et per statuas quidem, ciuitates solùm habent figuram corporis benefactorum: nos autem ab hac oblatione non habemus figuram corporis; sed ipsum corpus eius, qui se gessit fortissimè. Hoc ipsum etiam antiquis constituit, vt in figura facerent, id, quod nunc est in rerum veritate. Id enim erat Pascha, & agni occisio. In memoriam reuocat cædis illius ouis & sanguinis, qui seruauit Hebræis in Aegypto primogenita. Et hæc quidem est ratio recordationis.

Sed & Christi ipsius veri capitis, &c. *Tractat hæc in hunc modum Cabasila.* Significatur autem Ecclesia in mysteriis, non tanquam in signis, sed tanquam in corde membra, & in arboris radice ramus: & sicut dixit Dominus, tanquam in vite palmites. Non enim est hic solùm nominis communio, vel analogiæ similitudo, sed res eadem. Etenim corpus Christi & sanguis, mysteria, sed Ecclesiæ hæc sunt cibus, & verus potus: & eorum particeps effecta, non ea mutat in corpus humanum, veluti aliquem alium cibum; sed ipsa in illa mutatur, vincentibus iis quæ sunt præstantiora. Nam etiam ferrum cum igne habens consuetudinem, fit ignis; non autem dat igni, vt sit ferrum: & quemadmodum ferrum inflammatum, non ferrum, sed ignem apertè videmus, ferri proprietatibus omninò ab igne deletis; ita etiam Christi Ecclesiam, si quis videre potuerit, eo ipso quod ei vnita est, & est eius carnis particeps, nihil aliud videbit, quàm ipsum corpus Domini. Propter hanc rationem, Vos estis corpus Christi, inquit Paulus, & membra ex parte. Non enim Christi in nos curam & prouidentiam, instructionemque & admonitionem, & nostram in eum subiectionem significare volens, illum quidem caput, nos autem membra appellauit, sicut & nos cognatorum vel amicorum membra vocamus, hyperbole vtentes; sed illud ipsum significans, quod dicebat, fideles scilicet iam per hunc sanguinem viuentes in Christo vitã, & verè ab illo capite dependẽtes, & hoc corpore indutos. Propterea non est à ratione alienum, hîc Ecclesiam, per mysteria significari.

Sicque ipsa oblatio perficitur inuisibile sacrificium, &c. *Clarius hæc idem Caba-*

dem Cabasila in hunc modum tractat: De ipso autem sacrificio, operæpretium est illud quærere. Quia enim nõ figura sacrificii, neq; sanguinis imago, sed verè est mactatio & sacrificium. Quæramus, quid est, quod sacrificatur: panis, an corpus Domini: videlicet, quando dona sacrificantur, priùs, quàm sunt sanctificata, an postea? Et si panis quidem est, quod sacrificatur, primum quidem quodnam fuerit panis sacrificium: deinde, non est hoc nobis mysterium, videre panem mactatum; sed agnum Dei, qui sua morte tollit peccata mundi. Sin autem ipsum Dominicum corpus sacrificatur; hoc certè ne fieri quidem potest. Non enim amplius occidi vel percuti potest; cùm iam ab interitu, & corruptione alienum & immortale effectum sit. Quòd si fieri posset, vt adhuc aliquid tale pateretur; oportet esse & qui crucifigerent, & omnia alia conuenire, quæ illud sacrificium effecerunt; siquidem non figura mactationis, sed vera mactatio esse ponitur. Deinde, quomodo Christus semel est mortuus & suscitatus, non amplius moritur: & semel passus est in cõsumatione seculi: & semel dicitur oblatus, vt multorum peccata auferret? Si enim in vnaquaque mysterii celebratione ipse sacrificatur, quotidie moritur; quid ad hæc ergo dicendum est? Sacrificium, neque antequam panis sanctificetur, neque postquam est sanctificatus, peragitur; sed eo ipso tempore, quo sanctificatur. Sic enim necesse est omnia, quę de eo creduntur, conseruari, & nihil omninò excidere. Quænam autem ea sunt? Sacrificium hoc, non esse imaginem, & figuram sacrificii; sed verum sacrificium: non esse panem, id quod sacrificatur; sed ipsum Christi corpus, & prætereà vnũ esse agni sacrificiũ, & quod semel factũ est. Et primũ videamus, an nõ figura, sed re ipsa sacrificium sit mysterii celebratio. Quod enim est ouis sacrificiũ, quæ ab eo, quod non est omninò occisum in occisum fit mutatio; hoc etiam hic fit: panis enim, qui est insacrificatus, mutatur tunc in id, quod est sacrificatum: mutatur enim à pane non mactato, in ipsum corpus Christi, quod verè mactatum est. Vnde, quemadmodum in oue mutatio, verè sacrificium operatur; ita iam hic propter hanc mutationem id, quod peragitur, verum est sacrificium: mutatur enim non in figuram; sed in rem mactationis, in ipsum corpus Christi, quod sacrificatum est. Sed si panis quidem manens fuisset sacrificatus; panis esset, qui mactationem suscepit: & fuisset mactatio tunc panis sacrificium. Quoniam autem vtraque mutata sunt; & in sacrificatũ & panis, & factus est pro insacrificato quidẽ sacrificatus, pro pane autẽ corpus Christi; propterea mactatio illa, nõ in pane, sed tanquam in subiecto cõsiderata, corpore Christi, non panis, sed agni Dei sacrificiũ, & est, & dicitur. Clarũ est autẽ, quod his positis, nihil necesse est, multas fieri oblationes corporis Domini: qa enim fit hoc sacrificiũ, agno non tũc occiso, sed pane mutato in agnũ occisum. clarũ est, quòd fit quidẽ mutatio, sed non tunc fit occisio: & sic id, quod mutatur quidẽ, multa, & mutatio sæpè: id autem, in quod mutatur, nihil prohibet vnum & idem esse, sicut vnum corpus, ita etiam occisionem corporis vnam. Et hæc quidem de his.

Princeps sit aliarum Ecclesiarum, &c. *Qui fuerunt ab antiquo principes*

Apostolorum, & quasi columnæ, qui itẽ principes Ecclesiæ, ex Paulo, Actisq; Apostolorum, clarum est. Clarum item ex Concilij Niceni, quod isti se in omnibus sequi dicunt, Canone 6. & 7. & 39. in cuius Synodi patrum Catalogo, & subscriptionibus, ne nomen quidem Byzantini Episcopi reperitur. Clara item sunt Constantinopolitanorum Patriarcharum ad Damasum, Leonem I. Gregorium item I. & cæteros Pontifices istius Primatus causa, ne quidquam facta postulata. Clara illorum verè Apostolica responsa. Verùm noua nobilitas semper in recensendis titulis, & stemmatibus, multum est odiosa: quantoq; minus illis abũdat, tanto illa magis iactat, & ostentat. Illudq; maximè in Græcis nunc apparet ambitionis tale vitium esse, quòd vltimum sapientem deserat: nam & illi olim iam omnia planè deseruerunt; titulorum tamen iactantia, & ambitio, non adhuc illos deseruisse videtur. Non habere autem illos vllam legitimam causam, cur sibi hunc vendicent primatum, vel Canon, quem pro ea ambitione in Constantinopolitano Concilio ipsi tulerũt, abundè indicat, qui talis est: Constantinopolitanæ ciuitatis Episcopum, habere oportet primatus honorem post Romanum Episcopum, propterea quod sit noua Roma. *Si ergo ideò primatum obtinere debet, quia noua Roma est; cur igitur veteri se anteferunt? Verùm nos hac de re non plura dicemus, sed potius Patriarcham Patriarchæ opponemus, totumq; tractatum Gennadij Scholarij Patriarchæ Constantinopolitani de isto principatu, quo maiorem fidẽ res habeat, vt & istorum & aliorum oculi confodiantur, huic loco apponemus.*

GENNADII SCHOLARII PATRIARCHAE
Constantinopolitani defensio de Primatu Papæ.

SECTIO. 1.

ECCE nunc quintum & vltimum decreti caput accedit, vt suam responsionem accipiat, quemadmodum & præcedentia. Ergo quia laborem explicandi, quæ mihi de quatuor primis capitibus viderentur, non defugi, nequaquam decet hoc aut silentio inuoluere, aut debita responsione fraudare. Æquum est igitur omni adhibito studio, & de hoc capite quæ dici possunt afferre, ne & ipsum debita sibi careat portione, imò & aliis adiungatur sacrorum patrum, & doctorum diuinis & theologicis testimoniis communitum, vt cumulatè, quod polliciti sumus præstemus. Quidnam verò hoc est, Ecclesiæ caput, Papæ primatus, quemadmodum sacræ synodi decretum apertè clamat. Præterea, decernimus Apostolicam sedem & Romanum Pontificem in vniuersum orbem primatum obtinere, eundemq; esse beati Petri principis Apostolorum successorem, & ipsius Christi in terris vicarium patrem, & magistrum omnium Christianorum. Hoc profectò, nescio quomodo quis inficiari possit, cùm apertissimè Christus, & omnes doctores, manifestius quàm si vel tonitruum personaret, hoc ipsum vociferentur. Christus ergo ante suæ

Mat. 16. *passionis tempus, ad Philippi Cæsaream pergens, interrogauit discipulos suos dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis? animaduerte exquisitum theologici sermonis sensum: nam quando de communibus hominum sententiis percontatur, Apostoli occupant responsionem dicentes per singulos: Quidam Ioannem Baptistam, alii dicunt Heliam, alij Hieremiam, alij vnum ex Prophetis. Quando verò de illorum sententia explicanda interrogat, & quam existimationem de eo haberent, cùm diceret: Vos autem quem me esse dicitis? tunc nemo Apostolorum locutus est, quia ipsi aliorum præsides erant; Petrus autem ijs, & toti orbi terrarum præsidebat: & ij quidem tanquam præsides aliorum, aliorum sententiam explicabant. At cùm Petrus Apostolorum præses esset, pro illis affert responsionem; illi enim primatum, velut eiusdem scholæ socij, detulerunt: vnde & audacter Christo respondet: Magister interrogas quem te dicimus esse? Tu es*

Christus

Christus filius Dei viui. Considera magnificam Petri confessionem: ideò & saluator ad eum: Beatus es Simon Bariona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi, non humana sapientia hoc te docuit, neque ab hominibus didicisti; sed pater meus, qui in cœlis est, hanc tibi admirabilem theologiam reuelauit: pater igitur meus te docuit. Ego autem tibi dico, quòd tu es Petrus, & super hanc petram, ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Neq; hîc substitit, imò progrediens, dicit: Et dabo tibi claues regni cœlorum: & quæcunq; ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcunque solueris super terra, erunt soluta & in cœlis. Quis ergo se Christianum professus hæc abnegabit? nisi fortè Christianismum exuere velit.

SECTIO. 2.

Sed quid huic obijciunt, qui id oppugnant? ad omnes hoc dixit Christus, vbi dicit: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Ioan. 20. *Et alibi: Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.* Luc. 10. *Et rursus: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Mar. 16. *Et alibi: Quæcunq; ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis.* Mat. 16. *Hæc & nos confitemur, dicimúsque, quod in commune hos constituit magistros orbis terrarum, & omnibus gratiam tribuit peccata dimittendi, quoniam vsque ad orbis terminos ipsos destinauit. Necesse enim erat eos habere potestatem baptizandi, docendi, prædicandi, & omnibus gentibus dicendi, quæ opus esset. Cæterùm erat vtile, vel potiùs necessarium, hos caput habere, vt inter eos esset ordo, & caput. ne sine capite aberrarent, vnde confusio magis oriretur, quàm vnio, ex quo dissolutio & ordinis perturbatio esset consecuta: quia vbi non est ordo, ibi dissolutio: nam ordinis perturbatio dissolutionis principium. Gregorius cognomento theologus, id confirmat: nam mundanos principatus videmus perturbari, discindi, atq; aboleri, quando inter se iuncti non sunt: quoniam si duo de primatu regna decertent, vtrumque extinguitur: hoc & saluator dixit: Omne, inquit, regnum in seipsum diuisum,* Lucæ. 11. *desolabitur. Igitur in commune ad omnes hoc Christus dixit: (nemo negabit hoc:) sed seorsum Petro: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & reliqua, ne oriretur inter eos diuisio, vt diximus, ac perturbatio. Si ergo ea vera sunt, quòd mundanæ potestates, quando disiunctæ sunt, intereunt, & dilabuntur; quomodo Christus debuit Ecclesiam suam omittere sine capite, vt confusio sequeretur, & ex confusione destrueretur? Sed vti supra omnem ordinem positus, & vti existens is, qui ordinem constituit, voluit & ordine suam societatem, videlicet Ecclesiasticam, contineri: & vt ipse in terris erat caput, dominus, & magister discipulorum, & pater, & pastor; sic cùm decreuisset ad paternum thronum ascendere, Petrum præfectum ipsis constituit patrem & magistrum: & vt vno verbo dicam, suum vicarium ac successorem. Ostendit autem, & alibi ante suam passionem, se principatum, primatum, & Petro tradidisse, vbi dicit: Petre, sæpius expetiuit sathanas vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* Luc. 22. *Audis hoc, Ego rogaui pro te: & illud: Tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos? quid tibi videtur, scilicet confirmare fratres? nisi eum esse illorum principem, & eos confirmare? Et alibi idem ostendit dicens: Simon, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit,* Mat. 16. *tolle, & aperiens os eius, inuenies staterem, illum sumens da pro me, & te: ex eo cognouerunt discipuli, Petrum ipsis principem præfecisse. Hæc Christus ipse ante quàm pateretur, enunciauit, vt dictum est. Post resurrectionem autem (vt Ioanni tonitrui filio videtur, qui scripsit Euangelium) Petrus intuens in iucundissimum domini vultum, inquit: Domine, quid placet tibi,* Ioan. 21. *vt ego faciam? Iesus interrogauit hunc ter, Petre amas me: & in vnaquaque interrogatione, pastorem illis designauit, dicens: pasce oues meas: Pasce agnos meos. Qui terna interrogatione contristatus, ait vbertim flens: Domine, tu scis omnia: tu scis quia amo te. Cuius dominus triplici in-* Mar. 3. *terrogatione, voluit triplici abnegationi mederi. Postea terræ constituit ipsum pastorem, vt magistrum: idque multis ostendemus rationibus & testibus, præcipuè verò Ioannes Damasci oculus, in vita Barlaam, & Iosaphat, Indorum, testatur ita dicens: Aufugit hostis diabolus, ob Petri pœnitentiam, pudore suffusus: at ille rursus princeps electus erat, veluti terræ magister. Id & sapiens Leo Imperator in exapostilarijs dicit: Partim quidem post diuinã resurrectionem, ter, Petre amas me interrogans Dominus, suarum ouium constituit pastorem: partim verò Simoni oues tradidit ad pascendum, vt charitatem mutuam rependeret, requirens ab eo curam pascendi: & ideò dixit: Petre si amas me, pasce agnos meos. Petrus verò intelligens, quòd magnum est primatus & multæ virtutis egens, vidénsq; Ioannem, quem valde Christus diligebat, qui sequebatur,* Ioan. 13.

Mat. 20. *ait: Hic autem quid? quasi verò dicens, mi domine & magister, designas caput discipulorum, hũc autem à te dilectum, quid iubes esse? qui & petijt ab eo sedere à dextris suis, & antequam peteret, curauit à matre id fieri, vt vel à dextris, vel à sinistris collocaret ipsum, in gloria saluatoris. Ex quibus apertè colligitur hic cathedræ primatus. Quòd si de cœlesti cathedra doctores hoc intellexerunt; tamen & hoc pacto possumus interpretari. Sed ne cui occasio præberetur exponendi, quòd de omnibus dixit discipulis, quæcunque solueritis, & quæcunque ligaueritis, respondet Dominus, velut eum increpans: Petrum, si eum volo manere, donec rursus veniam, quid ad te? tu sequere me. Nam sequere, nihil aliud ostendit, nisi sequere me, hoc baculo pastorali: ac veluti quãdo ego vobiscum eram, custodiebam vos, cum pater essem vester, caput, & magister; sic & tu sis pro me & sequere me, in hoc principatu, docens, & confirmans fratres tuos; te enim in terra esse volo pro me. Ideoq; manet vsq; ad hanc diem, & manebit Petrus Christum sequendo per successores suos, vt orationis progressu declarabitur. Ex his saluator suam mentem ostendit, vt dictum est, antequam pateretur, & post resurrectionem.*

SECTIO. 3. *Cæterùm sancti patres, & acta œcumenicorum conciliorum, manifestissimè idem comprobant. Quid igitur iurè aduersus hæc potestis afferre? nisi fortè id, quod à multis audio prædicari, quòd hi vitam Petri non viuunt: nam ille pauper, hi verò sunt diuites: & aliud vitæ genus nunc Papa ducit, quàm Petrus: Quomodo est ergo successor eius? Duo animaduerto hîc reprehendi, quæ omitti non possunt. Primum, quòd ille pauper erat, hic diues. Secundum, aliud genus vitæ viuebat ille, aliud hic. Ad primum quidem illis sic respondendum est: scilicet, quòd opes, & ea, quæ possidet, non ipse sibi comparauit, neque per vim ab aliquo extorsit; sed ante multas ætates & annos, non tantùm ante schisma, & diuisionem Ecclesiarum, sed paulò pòst Christi assumptionem in cœlum, & ante sanctam magnam & primam synodum, magnus Constantinus Imperator inuictus, Syluestro, sanctissimo, summoq; pontifici, largitus est: quemadmodum in edicto continetur, & in sacris Canonum libris inuenitur. At & nos id ad verbum apponemus, ne aliud videamur afferre, quàm propria eius verba sonant.*

Decretum inuicti Imperatoris, & Magni Constantini, ad sanctissimũ Siluestrũ, Romanũ Papam.

Æquum esse iudicauimus, vnà cum omnibus satrapis nostris, & vniuerso senatu, optimatibus, & cuncto populo imperio Romanæ gloriæ subiacenti, vt sicut S. Petrus, vicarius ex persona filij Dei, est constitutus in terris, ita & Episcopi successores principis Apostolorum, ampliorem principatus potestatem, quàm regnum gloriæ nostræ habet, obtineant. Hoc & à nobis, & à nostro cõcessum est imperio. Et volumus ipsum principem Apostolorum, & successores ipsius, ex eius persona, primos apud Deum esse patres & defensores. Et sicut nostra Imperialis potestas in terris colitur & honoratur; ita eius sanctam Romanam Ecclesiam, veneranter honorari decernimus: & amplius, quàm nostrum imperium, terrenumq; thronum, sedem sacratissimam beati Petri, gloriosè exaltari. Sancimus etiam, vt principatum teneat, tam super quatuor sedes, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, Constantinopolitanam, quàm etiam super omnes in vniuerso orbe terrarum Ecclesias Dei. Et pontifex, qui per tempora ipsius sanctæ Romanæ Ecclesiæ extiterit, celsior, & princeps cunctis sacerdotibus totius mundi existat: & eius iudicio, quæ ad cultum Dei, vel fidem Christianorum, vel stabilitatem procuranda fuerint, disponantur. Æquum est enim, vt ibi diuina lex obtineat apicem & primatum; vbi sanctus legislator Christus Iesus saluator noster, misso beato Petro, iussit cathedram tenere: & vbi crucis patibulum passus est, & beatæ mortis calicem bibit, vestigijs inhærendo, sui nostriq; magistri: & ibi gentes capita inclinare, propter cõfessionem nominis Christi, vbi eorum magister Beatus Paulus protensa ceruice, propter Christum coronam martyrij suscipit: & vt vsque ad mundi consumationem ibi quærant magistrum, vbi sanctorum suorum reliquiæ conquiescunt: & ibi proni, & in terram procidentes, cælestis Regis DEI, & saluatoris nostri IESV Christi ministerijs inseruiamus, vbi seruiuimus illi superbo regi. Tradimus igitur ipsis sanctis Apostolis, beatis Petro, & Paulo, & post hos beato Syluestro, & omnibus successoribus eius, qui vsque ad consumationem mundi ascensuri sunt ad sedem beati Petri, ab hoc die, palatium imperij nostri Lateranense, quod omnibus mundi palatijs præfertur, & supereminet: deinde diadema siue coronam capitis nostri, simúlque & lorum, necnon & superhumerale, quod imperiale assolet circumdare collum; verùm etiam chlamydem purpuream, atque tunicam coccineam, & omnia Imperialia indumenta, seu etiã dignitatem imperialem præsidentium equitum: conferentes ei etiam imperialia sceptra, simúlq; cuncta signa, & banda, & reliqua ornamẽta imperialis culminis, & gloriam potestatis nostræ. Viris etiam diuersi ordinis, reuerendiss. Clericis sanctæ Romanæ Ecclesiæ seruientibus, illud culmen singularis potentiæ, & præcellentiæ, habere sanci-

re ſancimus: cuius ampliſſimus noſter ſenatus videtur gloria adornari, id eſt, patricios, & conſules effici: nec non & cæteris dignitatibus imperialibus eos promulgamus decorari. Et ſicut imperialis eſt decorata militia; ita clerum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, adornari decernimus. Et quemadmodum imperialis potentia, diuerſis officijs cubiculariorum nec non & hoſtiariorum, atque omnium excubitorum; ita & ſanctam Romanam Eccleſiam decorari volumus. Et vt ampliſſimè pōtificale decus præfulgeat, decernimus; vt clerici eiusdem Romanæ Eccleſiæ linteaminibus, id eſt, candidiſſimo colore decoratos equos equitent: & ſicut noſter ſenatus calceamentis vtitur, ſiue ſandalijs, albo ex linteamine; ita & cœleſtia ſicut terrena, ad laudem Dei decorentur. Præ omnibus autem licentiam tribuimus, & concedimus beato Sylueſtro, Epiſcopo Papæ Romanæ vrbis, & ſucceſſoribus eius, beatis Epiſcopis, ad honorem & gloriam Dei, & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, & magnæ Apoſtolicæ Eccleſiæ; vt ſi quis ſenator proprio conſilio clericare voluerit, & in religioſorum numero clericorum connumerari, in magna & Apoſtolica Eccleſia; nullus ex omnibus præſumat impedire. Prætereà decernimus, vt ipſe religioſiſſimus pater Sylueſter magnus Epiſcopus, & eius ſucceſſores omnes Epiſcopi, ferant diadema, ſiue coronam, quam ex capite ipſi tradidimus ex auro puriſſimo, & precioſis margaritis, vt ipſi ad ornatum capitis vtantur ad laudem Dei, & honorem ſanctorum Apoſtolorum. Ipſe verò beatus Papa Sylueſter, ſub corona, ſiue papalithria, quam habebat, ad gloriam Dei & ſancti Petri, noluit ferre coronam ex auro & margaritis: & ideò quia ipſe noluit ex auro coronā, nos ſplendidiſſ. lorū, quod ſignificat ſanctā reſurrectionē, capiti ſancto eius, noſtris manibus impoſuimus: & tenentes frenum equi ipſius, pro reuerentia beati Petri, ſtratoris officium illi exhibuimus: ſtatuentes, eodem loro, omnes eius ſucceſſores ſingulariter vti in proceſſionibus, ad imitationem imperij noſtri. Vnde, vt pontificalis apex non vileſcat, ſed magis quàm terreni imperij dignitas, gloria, & potentia decoretur; ecce tam palatium noſtrum, vt prædiximus, quàm Romanam vrbem, & omnes Italiæ, ſiue occidentalium regionum prouincias, loca, ciuitates, caſtra, beatiſſimo pontifici & patri noſtro, & vniuerſali Papæ Sylueſtro, tradidimus, atque relinquimus ipſi, & ſucceſſoribus eius poteſtatem, & robur firmum imperialis iuſsionis. Et per hoc diuinum iuſsum, & pragmaticum conſtitutum, ſanctis patribus Romanæ Eccleſiæ, in perpetuum decernimus permanenda. Vnde congruum perſpeximus, noſtrum imperium, & regni poteſtatem ad orientales transferri regiones, & in Byzantiæ prouinciæ optimo loco, nomini noſtro ciuitatem ædificari, & noſtrum illic imperium conſtitui: quoniam vbi principatus ſacerdotum, & Chriſtianæ religionis caput, ab Imperatore cœleſti conſtitutum eſt; iuſtum non eſt, vt illic imperator terrenus habeat poteſtatem. Huius verò imperialis decreti paginam, proprijs manibus roborantes, ſuper venerandas reliquias ſancti Apoſtoli, & principis Petri poſuimus, & ibi iurauimus, hæc omnia inconcuſſa ſeruare, & ſucceſſores noſtros Imperatores, in archiuijs noſtris hæc cuſtodire, tradidimus patri noſtro, ſancto, & vniuerſali Epiſcopo, & Papæ, & per eū omnibus ſucceſſoribus eius Epiſcopis, Domino & ſaluatore noſtro Ieſu Chriſto annuentes, iubemus omnia, quæ ſupra ſcripta ſunt, firmiter in ſecula obſeruari.

Vides, quo pacto inuictus Imperator, magnus dico Conſtantinus is fuit, qui elargitus eſt, quæ SECTIO. 4
nunc ab Eccleſia poſsidentur: quodq; neque per vim accepit, neque alicui extorſit, & quòd cuncta ad honorem & gloriam cœleſtis regis terrenus conſecrauit, quodq; omni reuerentia & pietate adhibita liberaliſſimè Eccleſiæ donauit. Ea accepit Sylueſter duas potiſſimum ob cauſas: vnam quidem propter fidei feruorem, & imperatoris propoſitum, ne eius animi pietatem ſcandalizaret ſi munus reiecisſet: alteram, vt Eccleſiæ reuerentiam apud omnes excitaret, quæ egeſtate premebatur, & perſequutionem patiebatur, & contemnebatur, ab impijs tyrannis & imperatoribus, qui Conſtantinum præceſſerant. Ad hæc, vt terrena poteſtate frueretur, quoniā complures habebat aduerſarios, & tunc, & in præſentia habet ſpirituales & mundanos. Qui mentem habet, intelligat. Nam in egeſtate conſtituta, denuò fuiſset exagitata, vt ſub Conſtantino euenit, & ſæuior conſequuta eſset, perſequutio, quàm tunc ſub quibusdam, qui palàm quidem chriſtianiſmum profitebantur, clam verò Græcam religionem amplectebantur: negantes penitus Chriſti in carne præſentiam, ſæpiusq; tentantes eam imminuere, & ad nihilum redigere. Tertiam quoque reſponſionem meritò adiungemus: quòd primi admirabiles ſummi pontifices, multò antè prouiderunt, & omnium primus B. Sylueſter, ſcilicet, quòd in extremis diebus, apud homines fides imminuenda foret, nec eundem feruorem & reuerentiam habitura, quam iam inde à principio obtinebat inops & egens Chriſti Eccleſia: quodq; habentes, præualituri forent: non habentes autem, pro nihilo futuros: propterea decreuerunt, vt aliquid haberet ad ſumptus faciendos Eccleſia, ne ab vllo cōtemneretur.

neretur. Quicunque enim Romanam Ecclesiam conspexerint, vt ipse conspexi, qualemque reuerentiam terræ reges & principes eò se conferentes, ipsi exhibent; ij profectò mecum testabuntur, me vera dicere: nam si inops esset, in nullo prorsus honore haberetur apud eos, qui inani gloria tantùm promouentur, & per vim coli volunt. Quid ergo? ideo non est Ecclesia? & hac de causa non debemus obedientiam, & honorem ei præstare, quòd opulenta est, & potestatem magnam habet? absit tanta absurditas: nam & Christummet insimulabimus, qui mendicus natus est, & mẽdicitatem exercuit, & inopiam prædicauit: postea docuit se esse terræ regem sempiternum. Et rursus; Data est mihi omnis potestas & in cœlo & in terra. Et iterum, quando veniet filius hominis in potestate sua: num dices hæc vera nõ esse? minimè, profectò minimè. Itaq; Ecclesiæ contigit, vt sponso eius Christo, scilicet inopem esse genitam ex infructuosa Iudæorum synagoga: paulatim verò effectam diuitem, ex aqua videlicet & spiritu: nunc autem opulentam, magnamque potentiam consequutam. Ad secundum, quòd summi pontifices in præsentia, Petri vitam non viuunt, respondendum: quamquam asperum alicui dictu videbitur, si præsidem, fratres, Romanæ sedis incusatis; cur non incusatis orientis pontifices, qui veterum pontificum & Apostolorum vitam non viuunt? hoc est, Alexandrinum, qui non viuit, sicuti Marcus: Antiochenum, sicuti Ignatius, cognomine Deifer: Hierosolymitanum sicut Iacobus, qui fuit Domini frater: Constantinopolitanum sicut Andreas protocletus; sed Romanum tantùm reprehendere vultis? Quanam id de causa? quia Latinus, & barbam radit, atque quarta feria & parasceue oleum ac pisces comedit. Hæc igitur sunt, quæ carpere scitis: auaritiam, ebrietatem, inscitiam, nescitis carpere. Si peccatores vt vos arbitramini, sunt Romani pontifices, quid ad vos? non nostrum est disquirere, & damnare nostros principes, Propheta aperte clamante: Principi populi tui non maledices. sed nec insurgere aduersus pastorem ouibus licet: audimus enim dicentem Dominum: Super cathedram Moysis, sederunt scribæ & pharisæi: omnia quæcunque dixerint vobis facere, facite: secundùm verò opera eorum nolite facere. Quoniam poterant & illi Domino respondere, non teneremur pontificibus obedire, quamùis in Moysis cathedra sedeant, quia sunt peccatores: at id non dixerunt: sciebant enim, quòd in cathedra Moysis sedere, ostendit eos potestatem Moysis habere, quanquam essent peccatores, & Moysis vitam non viuerent, quòd prophetæ & sancti non erant, sicuti Moyses. Ita & hi beati Petri sedem regunt, potestatemque illius habent: ac veluti principatum gerentes & domini, iubent, nos verò subijcimur. Sin autem vitam Petri non viuunt, in villicationis die, rationem verbo reddent: at nos pro illis non reddemus: quod enim eis non debemus, agimus: & obedientiam pro virili exhibemus. B. Gregorium audite dicentem: Oues, pastores nolite pascere, neque vltra fines vestros insurgere: satis est vobis si bene pascamini.

SECTIO. 5. Sed vt penitus os vobis obstruam, ostendere vobis ex testimonio sanctorum doctorum Ecclesiæ incipiamus: quòd Romana Ecclesia alias antecellat, & monarchiam obtineat, tanquam inter cæteras potior, atque excelsior: inquit Anacletus: Sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia, non Apostolis, sed ab ipso Domino & saluatore nostro, primatum obtinuit, sicut beato Petro Apostolo dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram, ædificabo Ecclesiam meam, quam beatissimi Apostoli, Petrus & Paulus, suo martyrio consecrarunt. D. Marcellus ita scribit: Rogamus vos, vt non aliud doceatis & sentiatis; quàm quod à beato Petro, & reliquis Apostolis, & Patribus accepistis: ipse enim est caput totius Ecclesiæ, cui ait Dominus: tu es Petrus, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: eius enim sedes, primitùs apud vos fuit: quæ postea iubente Domino Romam translata est, cui adminiculante gratia diuina hodierna præsidemus die. Item Leo Papa ait: Cùm beatissimus Petrus Apostolus à Domino acceperit principatum, & Romana Ecclesia in eius remaneat institutis; nefas est credere, quòd sanctus Episcopus, discipulus illius, Marcum, qui Alexandrinam primus gubernauit Ecclesiam, alijs regulis & traditionibus sua decreta firmauerit: cùm sine dubio de eodem fonte gratiæ, vnus spiritus discipuli fuerit & magistri: nec aliud ordinatus tradere potuit, quàm quod ab ordinatore susceperit. Præterea; hoc decreto Constantini confirmatur, quod in Canonicis constitutionibus legitur, in quo præter alia multa & hoc habetur: Decernentes sancimus, vt sacrosancta Romana Ecclesia principatum teneat, tam super quatuor sedes Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, Constantinopolitanam; quàm etiam super omnes in vniuerso orbe terrarum Ecclesias Dei. Ex quo colligere possumus, eum Romanam Ecclesiam veluti principem omnibus præponere; cui non solùm Antiochiæ Ecclesia, verùm etiam Constantinopolitana, & reliquæ, commendantur. Gregorius Dialogus ita dicit: Constantinopolitana Ecclesia sedi Apostolicæ subiecta est. Item ex Synodo Constantinopolitana: Constantinopolitanæ, inquit, ciuita-

inquit, ciuitatis Episcopum habere oportet primatus honorem, post Romanum Episcopum. Ad hæc Anacletus dicit: Romana sedes primatu, Dei gratia exornatur, quæ à Domino, non ab alio eum cepit: & sicut cardine ostium regitur; sic huius Apostolicæ sanctæ sedis authoritate omnes Ecclesiæ Domino disponente reguntur. Item Callistus dicit: Non decet à capite membra discedere: sed iuxta scripturæ testimonium, omnia membra caput sequantur. Nulli verò dubium est, quòd Apostolica sedes, mater sit omnium Ecclesiarum: à cuius regulis, nullatenus nos conuenit deuiare. Item Gregorius apertè dicit: Nulli fas est, vel velle, vel posse transgredi Apostolicæ sedis præcepta, nec nostræ dispositionis ministerium. Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus, quisquis Apostolicis voluerit contraire decretis, nec locum deinceps inter sacerdotes habeat; sed exors fiat à sancto mysterio. Item Cyprianus sanctissimus dicit: Quicunque Petri cathedram, in qua Ecclesia fundatur, dereliquerit; in ea vlterius esse non audeat. Item Nicolaus summus Pontifex ita scribit: Romanam Ecclesiam solus Christus fundauit, & supra petram fidei mox nascentis erexisse; qui B. Petro, æternæ vitæ clauigero, terreni simul & cœlestis imperij iura commisit. Non ergo quælibet terrena sapientia, sed illud verbum, quo constitutum est cœlum & terra, per quod denique omnia condita sunt elementa, Romanam fundauit Ecclesiam. Illius certè priuilegio fungitur, cuius authoritate fulcitur. Vnde non dubium est, quia quisquis cuilibet Ecclesiæ ius suum detrahit, iniustitiam facit: qui autem Romanæ Ecclesiæ priuilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum auferre conatur; hic procul dubio in hæresim labitur: & cùm ille vocetur iniustus, hic est dicendus hæreticus; fidem quippe violat, qui aduersus eam agit, quæ est mater fidei. Item Pelagius addit: Turpissimum esse schisma: quodq; homines eodem modo, ab alienigenis potestatibus conterentur; & canonicæ scripturæ authoritas, & antiquorum canonum veritas docet. Qui igitur ab Ecclesiastica sede scinditur, in schismate ipsũ esse nemo ambigit: quodque aduersus Romanam & œcumenicam Ecclesiam conatur mensam erigere: & vt schismaticum est Romanam Ecclesiam pro capite non habere; sic & hæreticum iura eius auferre: apertum est enim, quòd quicunque ab vnitate fidei, vel societate Petri Apostoli quolibet modo semetipsos separauerint; tales nec vinculis peccatorum absolui, nec ianuam possunt regni cœlestis ingredi. Et hæc quidem occidentales patres doctores sine tergiuersatione sic vti vides, & apertè pronunciant. Secundùm hos orientales doctores, in testes adducemus, eosque inter se consentire, manifestissimè comprobabimus.

Et primus Damasci præclarum lumen accedat: hic enim in oratione, in Domini transfiguratione, à se conscripta, cuius principium est: Eia festum diem celebremus, ô Deo cara societas: post alia multa, sic de proposita quæstione disserit. Vt homo quidem interrogationem proponit: vt verò Deus latenter ostendit, qui proximè sequuturus est: quem sua præcognitione prædestinauit dignum Ecclesiæ præsidem, hunc tanquam Deus inspirat, & per eum loquitur. Qualis autem est interrogatio? Quem me dicitis esse? at Petrus ardenti incensus zelo, & sancto actus spiritu, respondit: Tu es Christus filius Dei viui. ô beatum os, ô labia felicissima. Et paulò post: Hæc est fides recta, & inconcussa, super quam, vt super petram, Ecclesia est firmata, ex qua dignè cognomen accepisti: hanc portæ inferi, hæreticorum ora dæmonum machinamenta incursionibus vexabunt, at non præualebunt: armis oppugnabunt, at non vastabunt: tela infantium sunt, & erunt eorum vulnera: languescent illorum linguæ, & in ipsos conuertentur: sibi ipsi perniciem struit, qui se opponit veritati: hanc ipse suo redemit sanguine, tibi verò vt fidissimo seruo, in manus tradit: hanc incõcussam & mergi nesciam, tuis precibus serua, quam nunquam subuertetur, nunquam vastabitur, secura fiducia Christus dixit, à quo cœlum firmatum est, terra fundata, & manet inconcussa, nam verbo cœli firmati sunt. Et paulò post: Christum deprecare, qui te regni clauigerum prædicauit: qui peccata ligare, & soluere est elargitus. Et post alia quædam rursus dicit: Sed cur Petrum, Ioannem, & Iacobum assumpsit? Petrum vt verè ostenderet testimonium à patre testificatum: verbaq; à se dicta comprobaret, quemadmodum pater cœlestis ei reuelauit: & vt eum, qui princeps futurus erat, & totius Ecclesiæ clauum susceperturus. Animaduertis quod Petro & præsidi, & totius Ecclesiæ principatum obtinenti clauum tradidit? profectò surdo aspidi, & aures obstruenti sunt similes; qui neque audire volunt nec videre. Nimirùm inquiunt: at Petro tantùm hoc datum est, sed non eius successoribus. Hoc vt à fatuis prolatum verbum, omnisq; sensus expertibus, silentio præterire oportebat; quoniam nulla planè indiget responsione. Sed in gratiam eorum, qui volunt eos strenuè propellere; id ipsum vt omnis inscitiæ refertum refellamus: alioquin, si id concesserimus, catholicam fidem subuertemus, & Christum falsum prædicasse dicemus.

SECTIO. 6.

se dicemus, & alia infinita absurda inde sequentur; si christi fides vsq; ad Petrum & cæteros Apostolos perdurauit; postea verò non: si Petro tantùm & Apostolis tradita est, at non eius successoribus. O stultitiam nimis apertam, ô mentem peruersam: quomodo Synodi sunt constitutæ in Ecclesiæ subsidiũ? quomodo canones synodales instituti sunt; si potestatem non habuerunt? quomodo magnus Constantinus obedientiam Syluestro exhibuit in omnibus, tanquam Petro? vt antea ex eius decreto scriptum est: quomodo Romanorum Imperator Alexandro Papæ, inclinata ceruice, collum eius pedi submisit, cùm diceret: super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. at ille respondit: non tibi, sed Petro obedientiam exhibeo. & pontifex: & mihi & Petro? Quomodo igitur non erubescitis, hæc pronunciando? quomodo hæretici à summo pontifice fuissent expulsi, à sacrisq; conciliis; si vsque ad Apostolos Ecclesia valuisset, postea verò non? quomodo hæc non dixerunt, qui per temporum vices, hostes & inimici Ecclesiæ Dei extiterunt? hæretici nimirùm. Illi enim ab œcumenica Ecclesia pulsi, & exagitati, hoc dicere non audebunt: vos verò hæc afferentes, illorum defensionem suscipere videmini. Oportet igitur, Arium, Macedonium, Nestorium, Dioscorum, Seuerum, cæterosq; impij illius cœtus hæreticos, resurgere; gratiásque vobis reddere, & obnoxios esse: quia, quod illis ne in mentem vnquam venit; vos eorum suscepta defensione affertis. Sed quòd multæ & infinitæ absurditates hinc orientur, & cœcis est manifestum, ideoq; satis de his.

SECTIO. 7. *Afferemus etiam alia testimonia, & sententias sanctorum Doctorum Ecclesiæ, apertè comprobantium propositam à nobis quæstionem; quòd Pontifex Romanus, totius Ecclesiæ caput est, & magister: & ipsi tantùm datum est iudicare, & de fide inquirere, & ordinare totum orbem terrarum, atque hæreticos sedibus pellere, & orthodoxos restituere. Ac primùm vobis sententiam latam contra sacrum Chrysostomum in hoc testem adducemus, qua iniustè damnatus est ab ijs, qui Constantinopolitanas res gerebant, & exilio mulctatus. Cuius rei Innocentius Papa certior factus, Imperatorem cum vxore, cæterisq; sacerdotibus & pastoribus excommunicationi subiecit, ea conditione, nisi Chrysostomum in suam sedem reuocaret. Nam de Chrysostomo lata sententia, & in gratiam Eudoxiæ damnato, in Cucusum Armeniæ oppidum, acerbo exilio ablegârunt: quam rem is, ad Innocentium, sanctissimum Romanum pontificem detulit: non enim habebant aliò, quò confugerent orientales pontifices, nisi ad Romanum pontificem, cùm iniurijs afficerentur: dictũ Domini ad Petrum in memoriam reuocantes: Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Quamobrem D. Innocentius, sacri Ioannis acceptis literis Constantinopolim scribit, vt Ioannem in suam sedem restituant. Quibus dicto non parentibus, ac Ioanne vita functo, iterum ad Arcadium, & Eudoxiam Imperatores, literas scribit, huius exempli.*

Epist. Innocẽtij Papæ. *Vox sanguinis Ioannis fratris mei, ad Deum clamat, aduersum te ô Imperator, vt olim iusti Abel, contra fratricidam Cain: sed omni ratione vindicabitur. Neq; id commisisti tantùm, verùmetiam pacis tempore, persequutionem magnam in Ecclesiam Dei, & sanctos eius instituisti: magnum terræ Doctorem, è sua sede indemnatum pellendo, Christum etiam vnà cum eo insectatus: neque verò vicem eius doleo, quia is hæreditatem accepit cum sanctis Apostolis in Dei saluatoris nostri Iesu Christi regno: quanquam non ferenda est ea iactura; sed animo angor, primùm reputãs salutem animarũ vestrarũ: postea ob eos, qui illo destituuntur, & esuriũt suæ sapientissimæ doctrinæ præceptis, ac monitis imbui: neque solùm Constantinopolitana ciuitas detrimentum sensit eius mellifluæ linguæ, sed & omnis occidentalis plaga est viduata, eo amisso diuino viro, vnius mulierculæ suasu, quæ hanc voluit excitari tragœdiam. Verùntamen huius mundi vltionem ea non effugiet, & æternam postea paucis diebus interiectis, sentiet decedendo: quamùis enim Beatus Ioannes hanc vitam reliquerit, fidem tuendò, & fluctuantes confirmando; in sempiterna tamen secula, inexhaustam gloriam, atque immortalem, est consequutus. Ad hæc, noua Dalila Eudoxia sensim erroris nouacula te abradens, aduersus semet maledictionem comparauit, ex ore multorum vinciendo onus peccatorum graue, atque intolerandum: hoc præterea adiuncto proximè perpetratis facinoribus. Ideò ego peccator, & minimus, vt cui sedes est credita magni Petri Apostoli, interdico tibi, & illi, participatione intemeratorum mysteriorum Christi Dei nostri. Præterea, qualemcunque Episcopum, vel clericum in ordinibus constitutum, sanctæ Dei Ecclesiæ, qui ausus fuerit auxilium præbere, & communicare vobiscum, ex quo tempore legeritis præsens vinculum, deponi iubeo. Quòd si vos, vt potestatem habentes, alicui vim inferetis, & transgressi fueritis canones vobis traditos à saluatore per sanctos Apostolos; scitote, quòd non ad paruum vobis imputabitur peccatum, in tremenda die iudicij, quando non poterit vlla dignitas mundana prodesse, &*

esse, & quæ latent, in omnium conspectum aspicienda effundentur. Arsacium verò, quem vos in sedem Episcopalem pro magno Ioanne induxistis, post mortem etiam deponimus, cum omnibus eiusdem sectæ Episcopis, atque socijs: indignus enim est, tanquam adulter Episcopatus: Nam omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur, nec nomen illius in sacris voluminibus inscribatur. Theophili depositioni addimus excommunicationem, anathematizationẽ, & plenam à christianismo separationem.

Animaduertis ex hoc loco authoritatem illius diuinæ sedis, quòd non solùm viuentem deposuit Arsacium, verùm etiam defunctum. Arsacium dicit, quem in sedem Ioannis induxistis, & defunctum deponimus. Quod idem est, ac si dixisset, nolumus eum pontificum in libro inscribi, in futuro iudicio, nam in eo facilè iubemus Ioannem aureum Constantinopolitanum pontificem esse, nunc & in futurum: Arsacium nullo pacto. At Theophili Alexandrini depositione (eò quòd in synodo Thessalonicæ coacta, in Eudoxiæ gratiam curauit, vt damnaretur, & in exilium pelleretur Chrysostomus) non fuit contentus diuinus hic summus pontifex, quanquã synodalis erat ea depositio, corámq; legatis: adiecit excommunicationem, (ô malum) & plenam à christianismo separationem. ô rem admirabilem: eum, qui semel baptizatus est in nomine sanctæ Trinitatis, & in Christianorum albo inscriptus; hic de libro delet, & exuit Christianismo! Hoc liquidò ostendit potestatem, quam habet ea diuina sedes. Si ergo vt vos creditis, Petro tantùm tradita est, non eius successoribus; quonam pacto Theophilus, Arsacius, Arcadius, Eudoxia, & cæteri à Romano Pontifice depositi, & damnati, non responderunt: Tuas reprehensiones non æstimamus, quòd Petro tãtùm non tibi datum est id? at id quidem non potuerunt, nec dicere ausi sunt: imò veniam erratorum ab eo petierunt. Sed hoc planè sufficit, vt arbitror, ad comprobandum Petri, & reliquorum Apostolorum successores, eandem potestatem obtinere, neque minorem horum successores.

SECTIO. 8.

Nunc ad alias probationes & indubitata testimonia accedemus: quòd is, & non alius, caput est plenitudinis Ecclesiæ, & Epistola Imperatoris Iustiniani ad Epiphanium Constantinopolis Patriarcham, in sancta synodo Trulli, ab ipso coacta: cuius principium:

Imperator Iustinianus Augustus. Cùm recta, & inculpata religio, quam profitetur, & prædicat sancta Dei catholica & Apostolica Ecclesia, nullo modo innouationem admittat; nos doctrinam sanctorum Apostolorum, & eorum, qui post illos in sanctis Dei Ecclesiis versati sunt, sequentes, æquũ esse existimauimus, notã, & testatam omnibus spẽ, quæ in nobis est relinquere: & cætera eiusdem Epistolæ, in qua apertè perspicitur fides & confessio ipsius erga catholicam Ecclesiam.

Postea in sequẽti alia Epistola, cuius principiũ idem Imperator Epiphanio sanctissimo, & beatissimo Archiepiscopo huius regiæ vrbis, & œcumenico Patriarchæ, hæc scribit:

Cùm tuam sanctitatẽ scire velimus omnia, quæ ad Ecclesiasticũ statum pertinent, necessarium esse duximus, hac Epistola eidem significare, & per eã eidem aperire, quæ innouata sunt, quæ & eandẽ scire cõfidimus. Nã cùm hîc quosdam alienos à sancta Catholica, & Apostolica Ecclesia inuenerimus sectantes errorem impiorum Nestorij, & Eutychetis, & eorum blasphemijs vti; diuinum promulgauimus edictum, quod & tua sanctitas nouit, quo hæreticorum insaniam confutauimus: cùm nihil penitus immutauerimus, vel mutemus, vel transgrediamur Ecclesiastici status, qui hucusq; Deo fauente perdurat, vt tuæ notum est beatitudini; sed per omnia seruamus statum vnionis sanctissimarum Ecclesiarum, quæ cum sanctissimo Papa, & Patriarcha veteris Romæ transacta est, ad quem his consentanea conscripsimus: nunquam enim feremus, quin omnia, ad statum Ecclesiasticum pertinentia, ad illius beatitudinem, vti ad caput sanctissimorum Dei sacerdotum, deferantur. Et quia, quoties in his partibus hæretici exorti sunt, sententia & iudicio illius venerandæ sedis, sunt repressi, licet & nobis dicere sic, & concludere: quòd omnes, qui volunt & habent ipsum pro capite, sancti sunt, & veri Dei sacerdotes, & serui fideles: qui verò nolunt, neq; habent eum pro capite, non sunt Dei sacerdotes. Ita enim sacra illa synodus decreuit, cùm dicit, Vt capiti omnium sanctissimorum sacerdotum Dei.

Quod verò iudicium omne Ecclesiæ Dei in eo situm sit, audi: quòd quoties in his partibus, orientalibus scilicet, hæretici exorti sunt, iudicio & sententia eius sunt repressi: quare qui eum non sequuntur, schismatici sunt, & in hæresim delabuntur. Ideò cuncta quæ agunt adulterina sunt, & inutilia. Huius rei testis est sancta synodus Carthaginensis, ex epistola, quam sancta synodus Carthaginensis, & magnus Cyprianus, ad Iouianum dedit, cuius est principium: Cùm in vnum conuenissemus dilecti fratres, inquit, cùm sit vnum baptisma, vnus spiritus sanctus, vna Ecclesia, vnione fundata super Petrum Apostolum, iam inde à principio, vt Christus dominus noster dixit:

ster dixit; propterea omnia, quæ ab ipsis scilicet schismaticis, & hæreticis aguntur, falsa, stulta, inania, & adulterina sunt. Audis quòd adulterina & inania vocat, quæ præter iussionem eius sunt gesta? sic cùm ab omni parte fides exagitaretur, inde præsidium parabatur. Anastasius sancti Maximi discipulus inquit: Cùm fides concordissimè ab omnibus exagitaretur, nisi speciali gratia opem tulerit, qui semper succurrit, semine religionis apud veterem Romam nobis relicto, ad confirmandam promissionem mentiri nesciam, quæ facta est principi Apostolorum: Quænam est promissio, quæ facta est principi, si nosti? illud est: Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. & illud: Confirma fratres tuos. & illud: Portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Ex disputatione sancti Maximi, cum Theodosio, quodam Cæsareæ Episcopo, Theodosius: Excipe vocem, neq; scruteris illius sensum. Maximus: Nouas profectò, & ab Ecclesia alienas de vocibus inducitis leges: si secundum vos nou opus est scripturarum & patrum voces scrutari; totam scripturam abijcimus, veterem, & nouam. Audiui enim Dauid dicentem: Beati qui scrutantur testimonia eius: in toto corde exquirent eum. & iterum: Mirabilia testimonia tua: ideò scrutata est ea anima mea. & Dominus in Euangeliis: Scrutamini, inquit, scripturas. Certior ergo fiat dominus meus, quia non feram excipere vocem sine sensu, qui in ea latet, ne fiam manifestè Iudæus. Theodosius: Si quid dixerint patres, dico, & id scriptura facio: duas naturas, duas voluntates, duas operationes: ingredere nobiscum, adiungere, & vnio fiet. Maximus: Domine, non audeo hac de re à vobis capere assensionem, cùm sim simplex monachus: sed quoniam pupugit vos Deus, vt exciperetis sanctorum patrum voces, vt Canon docet, Romam de hac re scribite, vel Imperator, vel Patriarcha, vel synodus, quæ ibi est: & post alia: Neque vitabit Imperator, vel Patriarcha, imitari Dei humilitatem, inter seseq; concorditer constituere, synodali petitione, ad Romanum Pontificem transmissa: & omninò, si reperiatur ratio Ecclesiastica, quæ id concedat ob rectam fidei confessionem, conuenite super hoc inter vos.

Pſal. 118. Pſal. 129. Ioan. 5.

SECTIO. 9.

Vides tu, qui non vis Petri successores eandem cum Petro potestatem habere; quomodo non alius ex Patriarchis potest de fide disquirere, & ordinare tantùm, nisi Romanus Papa? quopacto hæc audetis dicere, & impudenter blasphemare? nam hæc de vobis solum audire exhorresco; nedum asserere scilicet, quod Christi fides vsq; ad Petrum permansit; post Petrum, & vsq; ad hanc diem, non permansit: vos verò qua ratione id dicatis, quòd totum est blasphemia, mirum est: quoniam si hoc concesserimus, tota fides dilabitur, & perit. O tuam patientiam Christe Rex: quomodo tuam fidem & Ecclesiam tuam permisisti Petro tantùm, at non eius successoribus? quomodo hucusq; administrata est? quomodo sumus baptizati? quomodo synodi constitutæ? quomodo hæretici electi? quomodo Ecclesia illustrata est, capite sublato? quomodo Ecclesia hucusque perdurasset (dicam fortasse audacius) nisi omninò caput habuisset, & potestatem, & vnum pastorem, & regem? Secundùm Euangelicam vocem vnum ouile eius, & vnus pastor: multis capitibus res non eget: vbi pastores vni non subijciuntur, destruunt magis, quàm construunt: & subuertunt prope potiùs quàm dirigunt. Quomodo saluator ait: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad seculi consumationem: non enim vsq; ad seculi consumationem, in hac vita Petrus mansurus erat: quare per hoc verbum manere, hîc in præsenti seculo, declaratur Christum manere, vnà cum successoribus Petri, cæterisq; Apostolis. Legite & scitote, & attentè audite; quòd qui hoc dicunt, catholicam fidem & œcumenicas synodos euertunt, omniaq; quæ sancti tradiderunt & docuerunt, inania, & stulta efficiunt. Legite acta synodalia, & percipite ex ijs Ecclesiæ caput, ac Petri monarchiam; quoniam & in eius successoribus manet. An nescitis, Ephesinam synodum, latronis more, à Dioscoro Patriarcha Alexandrino conuocatam, & à Iuuenali Hierosolymitano, & ab aliis eiusdem sectæ Episcopis, contra veram fidem Flauiani Constantinopolitani Patriarchæ, sanctissimum Leonem Papam, illum diuinum solum eam disiecisse, & anathemati supposuisse? Epistolamq; misisse ad Chalcedonensem sanctam synodum perferendam; qua accepta illam sanctam synodum orthodoxæ fidei columnam eam vocasse? & secundùm eam de proposita quæstione iudicasse? Episcoposq; acclamasse: æterna Leonis memoria: vt Leo credit, ita nos credimus: vt Leo docet, ita nos prædicamus? Ac dum synodus celebraretur, Eutychianistas monachos à Marciano Imperatore petijsse, vt synodus disiiceretur, & symbolum Nicenum sufficeret: nihilq; præterea quæreretur: ab eisq; sanctam synodum postulasse, vt epistolæ sanctissimi Leonis subscriberent, ac non obtemperantes, vt hæreticos condemnasse? Vides & audis, quòd œcumenica sancta synodus sexcentorum triginta patrum, nil egit aliud, quàm quòd sanctissimus Leo Papa docuit solus? quodq; hæretici disiicere synodum conati, synodus postulauit, vt vel Leonis epi-

Ioan. 16. Mat. 28.

onis epistolæ subscriberent, vel anathemate ferirentur: cui non parentes anathematizati sunt. Quomodo igitur vsq; ad Petrum mansit, postea non? nam Leo quingentos propè annos à Petro vixit. Quomodo Athanasius ad Iulium, Chrysostomus ad Innocentium, Ignatius tertius ad Nicolaum, Theodoretus ad Leonem, Maximus ad Martinum, & cæteri orientis sacerdotes eiecti, ac suis sedibus pulsi, vel ipsi venientes confugerunt, vel literas dantes, significauerunt, vnde literis acceptis suas sedes receperunt; nisi ij summum Pontificem ac Petri successorem agnouissent, vt qui poterat eis esse præsidio? quomodo reges & principes inspectis Papæ literis tacuissent, ac illis permisissent suas recipere sedes, quibus expulsi sunt; si Petri tantùm potestas fuisset, at non eius successorum? Satis igitur, vt arbitror, ostensum est, quòd non solùm ad Petrum tantùm, verùmetiam ad eius successores eadem potestas extenditur, vsq; ad huius seculi consummationem.

Ostendetur præterea, quòd sine illius assensu, non potest œcumenica synodus, vel omninò vocari synodus, vel auctoritatem habere, quod in multis quidem aliis licet intueri, vt in præcedentibus exposuimus, & in sequentibus exponemus. Præcipuè verò in vita sancti Stephani iunioris, de quo Metaphrastes diligenter scribit vigesimatertia die Nouembris, vbi D. Stephanus ab hæreticis accusatus, quòd eorum se non subijceret synodo, quam antea condiderunt contra venerandas & sanctas imagines, cùm eum subscribere decreto cogerent ab ipsis promulgato: Legite mihi, inquit, vestrum decretum: cæperuntq; dicere, Decretum sanctæ & œcumenicæ sextæ synodi: Ne progrediaris vlteriùs, sacer Stephanus magna voce clamauit. Quomodo sanctam vocare audetis vestram synodum, quæ sancta prophanauit? ipsa enim in suis actis constituit, non vocare Apostolos, & martyres sanctos. Sed quo pergis? ad ædem Apostolorum, ad templum D. Gregorij martyris. Vnde venis? ab æde quadraginta martyrum. Propterea, dicit diuinus vir, quomodo vestram synagogam sanctam vocare audetis; cùm ea sancta violârit? neque vult sanctos vocare sanctos? O magnam inscitiam! Apostolos Dei & saluatoris nostri Iesu Christi non vultis vocare sanctos; & vestrum satellitium aduersus Ecclesiam coactum vocatis sanctum! quo pacto œcumenica appellabitur vnquam, in qua Romanus præses non præfuit, sine cuius assensu non possumus res Ecclesiasticas ordinare? Intelligis œcumenicam synodum non posse vocari, nisi Romanus Pontifex eam constituat: ac sine eo impossibile esse res Ecclesiasticas ordinari? quomodo ergo vos hæc non percipitis? quoniam peritos videre, atque audire non vultis. Et ideò, quia semel cor vestrum falsa credulitate imbutum est; non potestis audire veritatem, vel cernere. Maximus præterea ab hæreticis exagitatus, veterem Romam se contulit, vbi Martinum sanctissimum Papam nactus est: quem die decimatertia Martij, & nostra Ecclesia pro sancto colit: quanam de causa? quia illum Ecclesiæ caput esse agnoscebat, eò confugit: ex eo loco Epistolam conscribit ad Marinum Cypri presbyterum, cuius principium: Diuina lege secundùm Deum locupletatus pater venerande: subdit paulò pòst: ex synodalibus actis Martini sanctissimi Papæ nostri. de quo nunquam scripsisset, vt de sanctissimo Papa, nisi Dominum totius Ecclesiæ cognouisset: eáque de causa rogauit, vt synodum suorum Episcoporum cogeret, & impij dogmatis authores anathematizaret, qui vnam tantùm voluntatem in Christo esse conuiciabantur: hoc in synaxario apud sanctum Maximum scriptum est: legat quilibet die decima tertia Augusti. Si ergo vt vos arbitramini, is non est, qui possit ordinare, inquirere, confirmare, dirigere, administrare Ecclesiam Dei, vt gubernator dirigit nauim; quomodo hæc gesta sunt? & alia multa his similia, quæ propter sermonis prolixitatem omittimus: nam si de ijs voluerimus dicere, in illis exponendis tempus nobis deerit. Quomodo, cùm ipsos excommunicationi subiecisset, qui ab eo anathematizati sunt, non contradixerunt, quanquam essent Episcopi, Patriarchæ, Archiepiscopi? sed tanquam Patri obtemperantes paruerunt: nunc verò, & qui neque ante pedes posita cernunt, contradicunt, quos ego Ecclesiæ aduersarios, hostes, & inimicos esse iudico, & conspiratores aduersus Apostolicos & synodales canones, qui rectè docuerunt nos Ecclesiæ subijci oportere. Nam statim à principio cxxxiij. Iustiniani Nouella: Sancimus, inquit, secundùm sanctorum decreta, sanctissimum veteris Romæ Papam, primum esse omnium sacerdotum: Constantinopolitanum verò secundum locum obtinere post Apostolicam sedem. Præterea, quintus Canon Sardicensis synodi, eodem modo eadem scribit: etiam Anastasius sancti Maximi discipulus: post historiam sancti Maximi, post quædam alia, inquit: Ad hæc & Martini Papæ sanctissimi, & capitis Apostolici & martyris, totius Ecclesiæ occidentalis principis. Itẽ magnus Gregorius Theologus, in Epitaphio in magnum Basilium, inquit, quod eius ætatis Papa duos Episcopos misit, Luciferum, & Eusebium, ad Ecclesiam Cæsareæ Cappadociæ pacificandam, quomodo in orientem misisset ad Ecclesias componendas; nisi princeps & gubernator fuisset totius SECTIO. 10.

orbis terrarum? Præterea, Anatolius Constantinopolitanus Patriarcha à Dioscoro hæretico est electus. Sanctissimus verò Leo Papa, in Epistola ad Marcianum Imperatorem post alia multa ait: Electionem Anatolij Patriarchæ, nulla habita quæstione, omisimus: eò, quòd orthodoxæ fidei se adiunxit. Ecce ex hoc deprehenditur: quòd s. Anatolius Dioscori hæresim sequutus esset, ab eo vtique fuisset iudicatus: nec valetis contradicere: nam is erat Constantinopolitanus Patriarcha. & si huius iudex: ergo & cæterorum, Alexandrini, Antiocheni, Hierosolymitani: itáque omnium iudex. Agapetus Papa præterea ipsemet Constantinopolim est profectus, Antimum Trapezuntium, qui erat Constantinopolitanus Patriarcha, sed hæreticus, sede deiecit: in locúmque eius sanctissimum Menam suffecit. Vnde hoc? nisi quòd in omnes obtinet imperium: & quia iam inde ab initio id Apostolo Petro à Deo tributum est, & successoribus eius. Proclus præterea de Romani Pontificis assensu, in sedem Patriarchalem euectus est, secundùm Zonaram. Ecce ostensum est, Romanum Pontificem de Anthimo Constantinopolitano iudicâsse. Leo sanctissimus Dioscorum Alexandrinum, & Iuuenalem Hierosolymitanum condemnauit: & vt de hæreticis, iudicium tulit. Felix sanctissimus Petrum Antiochenum deposuit, & anathemati subiecit. Quamobrem, cùm Romanus sit summus Pontifex, in omnes patriarchales sedes obtinet principatum: quomodo ergo tunc, nunc verò non? nemo dicere hoc audebit. Sed tunc, & nunc, & vsque ad seculi consumationem habebit imperium. Et vt planè intelligatis, nos vera dicere, & quam habeat potestatem ea diuina sedes, ad verbum Felicis Epistolam adiungemus, quæ sic habet.

SECTIO. II.

Glorioſsimo & ſereniſsimo filio Zenoni Auguſto, Felix Epiſcopus in Dño ſalutẽ.

Tuæ humanitati ea significari oportet, quæ rerum ordo postulat, quod & significari par est, in vtilitatem serenitatis imperij tui: ac veluti adesse m rogo, vt meas preces admittas apud amicas & rectas aures tuas, tanquam Christianissimus Imperator: nullóque pacto, pietas tua existimet, nos alium magis beneuolentia, quàm te, prosequi: eo tamen excepto, qui te cupit cum Deo pacem habere. Quoniam tu fideli corde permotus, de temporalis sedis potestate non ambigis, atque æternæ vitæ retributionem, ex superna voluntate pendere arbitraris: à mea paruitate suscipere digneris venerabilem & diuinam beatissimi Petri principis Apostolorum confessionem: cui cùm regni claues creditæ sint, Christianissimo imperio tuo præparabit in cœlis cum Angelis mansionem: qui cùm primus incommutabilem & inculpatam in Dominum nostrum Iesum Christum fidem declarâsset, ab ipso saluatore beatificatus est. Nam cùm dixisset ad Dominum: Tu es Christus filius Dei viui, responsum ab eo tulit: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est: & super hanc confessionem tuam ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam; vt ex ea tolleret, vnde suum cognomen accepit, quod est Christus Iesus, & Deus, omnipotentis filius. Petrus primogenitus diaboli filius, cùm indignè se in Antiochenam sanctam Dei Ecclesiam insinuauerit, & pontificiam sedem Ignatij martyris coinquinauerit, qui Petri dextra pontificatum accepit, & Eustathij confessoris & præsidis cccxviij sanctorum patrum, qui apud Niceam coacti sunt, ausus est dicere, non oportere Christum vocare filium Dei secundùm diuinam saluatoris sanctionem, diuinarúmque scripturarum traditionem, & patrum expositionem: sed vnum ex trinitate passionem pro nobis sustinuisse, secundùm diuinitatis essentiam: veluti Arius, Apollinaris, & Eunomius tradiderunt. His verbis adnixus salutiferã humanitatem conuellere, secundùm quam Christus passionem sustinuit. Fertur etiam & vnum ex nostris, tanquam de semine Abraam progenitum, multiplicitatem Deorum inuexisse: nam sensus verborum tres Deos inducit, mortuum vnum, duósque viuos: abolet autem & consubstantialem, sanctásque synodos reddit irritas: Nicenam, Constantinopolitanam, & Chalcedonensem. Quin & Mariæ virginitatem, non recipere reperietur. Si enim verbum ex ea incarnatum, non suscepit humanitatem, quid virgine opus est? cur Gabriel dixit ad illam, quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei, & dabit ei Dominus sedem Dauid patris eius? Præter hæc impia, & contumeliosa facinora, cùm adulterare trisagium conatus sit addendo, crucifixus propter nos, in infinitas absurditates rem adduxit. Ac quamuis sæpiùs à nobis, & à tua in Christo fraternitate sit monitus, & orientalibus, & ab Acacio Archiepiscopo vestræ regiæ vrbis, & Christi amico, conuertere se nunquam voluit; propterea nunc sancta Dei Ecclesia, ex materno affectu, non cessat, tanquam ad præcipuum eius filium verba faciens dicere: O Christi amice Imperator, cultus nostri vinculum, quo vinciuntur fideles, dissolui ne patiaris: Christi Domini, & vnigeniti filij tui cognomen, ne permittas violari: sanctissimam hymnodiam, quæ & vrbem vestram seruauit periclitantẽ, tanquam ab Angelis traditam, inuiolatam conserua: Petrum Arianæ superstitionis sectatorem, ab

Ioan. 29. *Antiochena Ecclesia deturba. Quamobrem Petrus mea fide abrogata scindit mundi consensum? quanam de*

quanam de causa Petrus scindit tunicam meam desuper contextam? Deus Pater principi Apostolorum præcipit, quomodo vocari suum filium oporteret: vnigenitus in Petri cõfessione fundauit me: Spiritus sanctus quotidie testatur mihi, dicens: Ne quid iudices scire, nisi Iesum Christum, eúmque crucifixum. Inimici, inobedientes, dolosi, extra viueam positi, vnigenitum Dei filium mactantes & lapidantes, & ligno crucis affigentes, eius vestem non diuiserunt; & Petrus vestem meam discindet? portæ inferi non prævalebunt aduersus me; & Petrus conatur meum parietem demoliri? Ego religiosissime Imperator te regno pulsum reduxi, improbos, & meis dogmatibus non parentes, pro tuo funere tradidi, & potentiæ tibi viam reseraui: inimicos, vnà cum eorum impio dogmate, deieci: antiquum tibi imperium, à Deo impetraui, qui in cœlis regnat, à quo imperium accepisti. Respice ad tuum prædecessorem Imperatorem Martianũ, eiúsque fidem libens amplectere: hæreticam Petri tyrannidem radicitus quamprimùm euelle: Valentini, Eutychetísque discipulum ab arce deijce, & ab Ecclesiastica administratione, simúlq; & à sacerdotali dignitate præcipitari decerne. Reputa tecum ô Maxime, legitime fili, & inuicte Imperator; quàm certa vltione Chalcedonensis synodus sit vindicata, & quæ pœna de tuo hoste sumpta: libera populos ab hæretica Petri doctrina: hac tecum legatione fungitur sancta Dei catholica & Apostolica Ecclesia; & ab ea, ob iam expositas causas, depositum, in posterum in communionem ne recipiatis: vestrísque diuinis literis, vt paries inter eum & Antiochenam Ecclesiam, intercedat, efficite: in locum verò illius, virum sufficite, qui operibus sacerdotium exornet, acérque sit custos Chalcedonensis sanctæ synodi, suorúmque decretorum. Omnipotens Deus imperium vestrum semper in pace custodiat. Cor. 12.

SECTIO. 12.

Vides potestatem, quam obtinet ea diuina sedes? audis, quo pacto induat non solùm Petri personam, verùm etiam ipsius Iesu Christi? cùm dicit, Petrus fidei meæ tunicam scindit. Inspicite igitur & videte sedulò totam Epistolam, & agnoscite authoritatem Romanæ Ecclesiæ: adiungamini illis & vos, nec veritati aduersemini: quamuis enim ex persona Ecclesiæ loquatur; is est tamen qui Ecclesiam dirigit ac gubernat. Addimus etiam præter hæc, orientalium doctorum testimonia. Cyrillus beatus Alexandriæ Archiepiscopus in thesauris ita scribit: Quòd oportet nos tanquam mẽbra caput sequi, id est, Romanum pontificem & Apostolicam sedem; à qua debemus petere quid credere, & sentire debemus, ac tenere: quia ipsius tantùm est confutare, dirigere, redarguere, confirmare, ordinare, soluere, ligare. Audis tu, qui Cyrillo contradicis, nostri officij esse, vt mẽbra corpus, ita & nos Apostolicam sedem sequi, quódque ad eam solùm pertinet dirigere, & gubernare catholicã Dei Ecclesiam? Si ergo ita scribit, vt sentit scribit: si sic sentiebat, ita & agebat: si is obedientiam & reuerentiam tunc Romano pontifici exhibebat, quis contradicit? nisi indoctus fortasse, vel stultus. Hæc igitur mecum reputanti, subdit mihi vehementer ridere, seu deflere potiùs, ac vicem eorum dolere, qui sponte oculos comprimunt aduersus lucem, nec veritatem sustinent audire. Quis est, qui neget confessionem sublimi voce ab Ecclesia decantatã, siue fidei symbolum? in quo apertè confitemur, vnam sanctam, catholicã, & Apostolicam Ecclesiam, in omnes terræ partes disseminatam? hanc nemo vnquam dixerit vnam; nisi cæteræ omnes tanquam membra coagmentata: secundùm beatum Paulum, eam, veluti caput, sequuntur: quæ omnia simul iuncta, vnum conficiunt corpus: & vt secundùm eundem Apostolum, non potest pes, vel manus, vel aliud corporis membrum capiti dicere, non opus habeo te; ita nec cæteræ Ecclesiæ, Romanæ possũt Ecclesiæ dicere: non indigens te. Omnes ab illa authoritatem capiunt, & omnes ab illa confirmantur: testabuntur id omnes doctorum scripturæ. Illa namque, vt caput omnia membra recognoscens, & de omnibus æquè sollicita; vt quòd in suprema sit parte mœret, si membrum aliquod langueat, curámque illius gerit, & ad sanitatem perducit, vt dictum est. Inquit enim, & apertè clamat: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? Si verò membrum aliquod abscindatur, marcescit, & malè olet, sed caput (quod alioqui nec laboribus, nec cruciatibus cedit) minimè lædit. Oportet autem, qui symbolum confitentur, & vnam Ecclesiam prædicant, nosse, qualisnam ea sit, Vna, Sancta, & Apostolica Ecclesia: ea est, aut occidentalis, aut orientalis, quod idem est, ac si dicas, Latina, vel Græca: alia namque præter has non reperietur: aliæ enim præter has superstitiones sunt falsæ synagogæ, & hæresibus refertæ. Enumera diligenter, & vide, quòd si Græcorum arbitraris Ecclesiam esse hanc, quam symbolum designat; in nihilum Petri confessionem concludis, aduersus quã portas inferi non prævalituras, professus est Christus: nam omnis Græcorum Ecclesia, imò verò totus oriens, à Mahomete absorptus est. Nonné videmus omnes Patriarchas, atque Episcopos, ac sacerdotes, in potestatem venisse Mahometis, & ab Cor. 11.

eo petere sacerdotij facultatem? & pedibus eius aduoluuntur, & pro eo etiam inuiti deprecãtur? In quo loco collocatis, Portæ inferi, id est hæreticorum ora aduersus Christi Ecclesiam non prævalebunt? eo loco, vbi non solùm ora hæreticorum dominantur illi, sed etiam impij, & alienigenæ, imperium tenent? eo loco, vbi nec sacrificare tutò possis, nec nola, vel tintinabulum, nec crucis signũ apparet? eo loco, vbi nemo liberè potest dulce Christi nomen proferre? si verò protulerit, in duas partes discinditur? eo loco, vbi si sacerdotes sacrificantes inuenti fuerint, Christi hostes ingrediuntur atque subsannant? proterunt altaria, & profanant, & sancta proijciunt, & plagas sacerdotibus infligunt, & protendunt & derident Christianorum religionem? nequaquam. Sed ibi oportet esse, vbi Christi signum refulget, & Ecclesiæ exornantur, nola, imagines, & altaria omnia, magno cum cultu conspiciuntur & adorantur, & sacerdotibus eminus reuerenter assurgunt populi: ibi, vbi palàm Christi fides prædicatur: ibi, vbi terræ reges, & principes venientes, ad sacra loca inspicienda, & Apostolorum capita adoranda, vnà cum illis, & præsidem eorum pontificem adorant, & eius pedibus aduoluuntur: ibi, vbi festi dies, psalmodiæ, preces sine metu celebrantur: vbi nemo reformidat sibi quenquam aduersari: ibi vbi summus pontifex, doctores, & prædicatores, in omnem terram dimittit, ad prædicandum & annunciandum verbum Dei, Christi imitatione, imò saluatoris nostri vices in terris gerens. Nam sicut is Apostolis dixit: Ecce mitto vos, euntes in mundũ vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ; ita & hic in vniuersum magistros mittit magna cum cura: qui non solùm ad Christianos proficiscuntur, sed etiam ad omnes gentes, vel ex sancti Francisci ordine, vel Dominici, vel ex alia regula. Ergo ibi Ecclesiam confitebimur, vbi non est hæresis, nec iniquitas, neque infidelitas, imò verò firma fides, & inconcussa? At non ita apud orientales, vbi abundat iniquitas & infidelitas. Nec meus sermo est hic, sed Theodorus Studites prodeat, & dicat hoc testimonium, quod nemo poterit inficiari in decimaquinta Catechesi, quam legitis quidem, at non intelligitis, quia non vultis: videtur enim doctor hic aduersus oppugnatores imaginum pugnare, quando dicit: Audio autem, quòd Romæ, principis Apostolorum Petri claues proponuntur ad adorandum, atque in honore haberi; quanquam non claues sensibiles Dominus ei tradidit, sed intellectuales, ad ligandum & soluendum: at illi argenteas populo proponunt ad adorandũ: tanta igitur apud eos est fides: & ibi solida Petra fidei secũdùm Dei verbum fundata; hic verò vt videtur, abundat infidelitas ac improbitas. Vides quod & beatus hic, ibi confitetur solidam esse fidem: nec in Petro tantùm, sed & in eius successoribus? Hæc quidem cùm audiatis, & videatis, nec possitis contrà respicere, velut aduersus refulgens & coruscans lumẽ veritatis, ad ea confugitis, quæ nefas est dicere, scilicet peccatorẽ esse Romanum pontificem, & carnalibus voluptatibus inseruientem: & ideo nolle vos honorem & reuerentiam debitum exhibere.

Mar. 16.

SECTIO. 13. Ac tametsi hîs, in præcedentibus respondemus, exactius rursus vobis dicimus, quòd apertè mendaces estis: nam non quia peccator est, refugitis ei obedire; sed quia Latinus est, & barbam tondet. Si enim illum vitaretis propter peccatum, vosmetipsos vitaretis, quia estis peccatores. Quomodo ergo nostis eum iudicare, vestros verò non iudicatis? omnésne orientis sacerdotes sancti sunt? vos hoc non potestis demonstrare: non ergo illum tanquam peccatorem deuitatis, quia nec vos sine peccato estis; sed quia Latinus, & ab opinionibus vestris euariat. Vos namq; Latinos, tanquam à fide alienos, existimatis, & ab eis refugere, tanquam à facie serpentum simpliciores edocetis: idq; liquidò patet. Ac, si quis ex Latinis videtur sanctus, vos hunc salutare non vultis: imò verò maledicta ingeritis. Græcos quamùis flagitiosissimos & stultissimos, si solùm aduersus Latinos dicant, omnium sanctissimos arbitramini: inter alios quidem multos, quendam, qui vocatur Palamas, & Ephesi Marcum, hominem nec satis mentis compotem; sed tumidum, sapientiæ ostentatorem, nulla virtute, vel sanctitate subnixos; quia loquuntur solùm & scribunt contra Latinos, extollitis & celebratis: eorumq; imagines exornatis: festumq; agentes diem colitis, ac veluti sanctos adoratis. Latinos verò, quamùis iampridem Ecclesia pro sanctis colendos duxerit, vos incessanter blasphematis. Ita & de summo pontifice facitis: nam illum omnino Christianum esse non existimatis, quia Latinus: id enim sub dentibus stridetis maledictis incessentes, & eorum, qui rerum potiuntur, metum reueriti, ad aliud quasi aranei vmbram, confugitis, eum peccatorem appellantes, ac cætera conuitia effundentes. Cauete ne id audiatis: Qui vestrum est sine peccato, primus lapidem tollat, id est, qui peccatum non commisit, incipiat iudicare de peccato: & non iudicare, vt non iudicemini. Ne captetis occasionem, fratres, in peccatis: non est officij vestri, de peccatis principum vestrorum inquirere, doctoribus omnibus apertè clamantibus, & Ioanne lingua

Ioan. 8.

Mat. 8.

anne lingua aurea, in multis quidem orationibus & in oratione, cuius est titulus, Quòd oportet colere suos magistros spirituales, non maledicere illis. principium orationis: Nulla res ad loquendi licentiam magis allicit: paulò post inquit: Si qui patri vel matri maledicunt, parentibus secundùm carnem, ex lege morte moriuntur: qualinam dignus erit pœna, qui virum spiritualem magis, quàm multi parentes necessarium, audet maledictis incessere? non reformidans, ne terra dehiscens, ipsum de medio tollat; vel fulmen cœlo demissum, maledicam linguam adurat. Audistis, quid Moysis sorori contigerit, cùm fratrem suum accusasset, & principem, quomodo impura facta est, & in lepram incidit, maximamq; infamiam subijt? fratreq; de ea sollicito, Deumque deprecante, veniam non impetrauit? & paulò post, & Deum placare non potuit; sed magnam pœnam perpessa est; vt intelligamus, quàm magnum crimen sit principes redarguere, & de aliorum vita iudicare. Et post pauca: Si in carnalibus parentibus ita, quantò magis in spiritualibus parentibus hanc seruare legem oportet: & vnumquemq; in vita laborare & sollicitum esse, ne in illa die audiamus: Hypocrita, cur festucam vides in oculo fratris tui, trabem verò in oculo tuo non vides? & statim postea: cùm principes à subditis coluntur, id ipsis obijcitur, vt Eli dixit Deus: Cepi te ex domo patris tui. Si verò contumelia afficiantur, vt in Samuele; non te abiecerunt, inquit, sed me. Qui sacerdotem honorat, Deum honorat: qui didicit sacerdotem contemnere, in via progressus, & aduersus Deum erit contumelios us: Qui vos recipit, inquit, me recipit: & honorifica, inquit, sacerdotes tuos. Inde Iudæi didicerunt Deum contemnere: quia Moysen contempserunt, eumq; lapidibus impetiuerunt. Ac si quis sacerdotibus debitam exhibuerit reuerentiam, multò magis id erga Deum egerit: & quamuis improbus sit sacerdos, videns Deus, quòd eius causa etiam indignum honoras, ipse retributionem reddet tibi. Et rursus post pauca: An nescitis, quòd sacerdos nuntius Dei est? non enim ex se dicit, quæ dicit. Si contemnis sacerdotem, non eum contemnis, sed Deum, qui ipsum elegit: Et vnde dignoscitur, inquit, Deum ipsum elegisse? Ergo si hac es in opinione, spes tua inanis est reddita: si enim per eum dominus nihil operatur, neq; lauacrum habes, neq; mysteriorum es particeps, & benedictionibus non frueris, non igitur Christianus es. Quid ergo inquit, omnes eligit Deus? Per omnes ipse operatur, quanquam indigni sunt, quia populus saluatur: nam si per asinam, & Balaam scelestum hominem operatus est, multo magis per sacerdotem: Si per Iudam operatus est, & per falsos prophetas prophetantes, quibus dicit, nescio vos, discedite à me, qui operamini iniquitates, multò magis per sacerdotes operabitur: nam si nos principum vitam scrutari oporteret, oporteret & nos magistrum eligere: & quæ supra sunt, infra fient, supra pedes, infra caput: si fratrem tuum tibi iudicare non concedit, multò magis neq; tuum doctorem. & post pauca: Tu quis es, ne sis anxiè curiosus aduersus pastorem, ne de his, quæ tu arguis illum, plectaris. Et quo pacto me admones ipse non faciens? non ipse tibi dicit, si ei credis, mercedem non accipies; Christus hæc docet, ne iudicemus nos mutuò, sed sua vnusquisque. Et paulò post, ne maledicamus rogo magistris. Si quis patrem habuerit multis criminibus obnoxium, nonne ea obtegit? ne exultes, inquit, in dedecore patris tui: multò magis de spiritualibus patribus hoc dicendum: exhibe reuerentiam, quia quotidie ministrat tibi: curat, vt propter te legantur scripturæ: sacram domum exornat propter te: vigilat propter te: orat pro te: Deo preces offert pro te, cultus eius erga Deum omnis propter te: hoc reuerere, hæc tecum cogita, & omni præstita obseruantia ad eum accedito. Et paulò post: audi quid dicat de principibus Iudæorum Deus: Super cathedram Moysis sederunt scribæ & phariſæi: quæcunq; dixerint vobis, seruate & facite, secundùm verò opera illorum, nolite facere: quænam deterior eorum vita reperietur? eos tamen nec dignitate deiecit, neq; vt à subditis despicerentur curauit, & rectè: si enim hanc sibi arrogârint subditi potestatem, omnes statim abrogabuntur, & de tribunali deijcientur: propterea & Paulus, cùm in pontificem Iudæorum contumelias effudisset, ac dixisset: Percutiat te Deus paries dealbate: & tu sedens iudicas me? sed monitus à quibusdam vt reticeret, dicentibus: Dei pontifici maledicis? ostendere volens, quanto honore, & reuerentia, principes prosequi tenemur, inquit: Nesciebam eum esse Dei pontificem. Ideò & alibi dicit: Obedite præpositis vestris, & subiacete illis: ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri: ideò & huius cultus fructu potiri eos, æquum est. Et post pauca: Cogita quid dicat Deus de Iudæis: Super cathedram Moysis sederunt scribæ & phariſæi, quæcunq; dixerint vobis facere, facite. At nunc non possumus dicere, super cathedram Moysis sederunt, sed super Christi: propterea, inquit Paulus: pro Christo legatione fungimur, tanquã Deo exhortante per nos. Audisti ab hoc doctore, quo pacto colendi sunt sacerdotes. Si ergo de

Num. 12.
Mat. 7.
Reg. 1. 20.
Reg. 1. cap. 8
Mat. 10.
Eccle. 7.
Exod. 17.
Num. 21.
Act. 23.
Heb. 13.
2 Cor. 3.

sacerdotibus hoc dicit, multò magis de principibus sacerdotum, & patriarchis, & doctoribus ecclesiæ, qui à vobis in præsentia non solùm non coluntur, verùmetiam impudentissimè lacerantur. Quas pœnas quæso subituri estis? magnas vt arbitror: imò verò non secundùm meam sententiam, sed secundùm aureæ linguæ, & admirandum Ioannem, cùm dicit: Qui sacerdotes iniuria afficit, Christum iniuria afficit: qui verò Christum iniuria afficit; quid respondebit illa tremenda die? Sic itaq; concludit Chrysostomus: Si cognita sunt vobis, quæ ex mellifluis eius orationibus exposuimus, præsertim quo honore principes sunt colendi, quia super cathedra Iesu & Dei sedent; Subiecti igitur estote illis, vt & nos subijcimur: non vt sanctis ex virtute, sed vt principibus: siquidem neq; nos, vt sanctum ex virtute Romanum pontificem colimus; sed ex primatu & sacerdotio. nam si sanctus est, me sanctum non facit, si peccator fuero: si verò peccator est, mihi non obest, si iustus fuero. An existimatis, quia Papa est, eum hæredem fore regni cœlorum? minime gentium: sed ob eius virtutes, si quas habet: nam Papæ multi, hæredes erunt sempiternæ damnationis: non quòd Latini sunt, & summi pontifices Romani; sed propter peccata eorum. Multi etiam Constantinopolitani Patriarchæ Græci videlicet, & Alexandriæ, & Antiochiæ, & Hierosolymorum hæredes erunt perennis ignis: non quia Græci sint, vel Patriarchæ; sed propter eorum scelera: & contrà: Non est enim acceptio personarum apud Deum, vt terrenæ huius vitæ principes protinus, & futuræ conspiciantur hæredes: verùm omnino qui probi sunt. An non auditis sapientiam dicentem: Tunc stabit iustus in magna constantia, aduersus eos, qui se angustiauerunt: ij verò videntes, suspirabunt & dicent: hic est is, quem aliquando habuimus in derisum, Sap. 5. *& in similitudinem improperij stulti: nunc verò computatus est in filium Dei, & inter sanctos sors eius est. Ergo aberrauimus à via veritatis? quare non debemus de cuiusuis vita iudicare, vel nimis esse curiosi? nam vniuscuiusq; opus in eo publico conuentu manifestabitur. Igitur fratres resipiscite, & pro salute vestra certate: hoc pro certo scientes, quòd qui Romano pontifici non subijcitur, Christo non subijcitur: qui Petro dixit: Tu es Petrus, &c. ac nunquam salutem consequetur. Nam cùm dicitis vos illi subijci nolle, quia peccator est: id stultorum est hominum, & omnis prorsus sensus expertium. Cur iudicas Ecclesiæ pontificem, quem nescis qualis nam sit: nemo enim dicit scriptura, nouit facta aliena, quo pacto vos iudicatis, quem omninò, vt peccatorem non nôstis? Omnes quæso, qui cathedram Petri adepti sunt, improbi sunt, & peccatores? num data opera cæteri Ecclesiæ Pontifices, atque Proceres, Papam eligunt peccatorem? nónne erubescitis Ecclesiæ electionem prosequi contumelijs? an nescitis, quòd & Constantinopoli eum creabant Patriarcham, qui præcipuè erat honore perspicuus & virtute? nam & apud hostem virtus est honorabilis: ita & hoc eum, qui supra cæteros honore & virtute antecellit, constituunt suum sacerdotem, & regem. Si verò peccator est, quid ad nos? is pro se rationem reddet, quemadmodum & nos nostri: nemo namque pro alio iudicabitur.*

SECTIO. 14. *At tu vltra modum Papam deificas: nos verò scimus eum hominem esse, & peccato, & probris posse demergi, propterea in ijs, quæ ad fidem pertinent, nolumus ei inhærere. Sed è nobis iã antea dictum est, hoc nihil esse, quoniam necesse est nos aliquem sequi pastorem: ille namque vt homo peccat quotidiè. Si enim vna tantùm hora esset vita nostra; nec ita sine sordibus esse posse mus. Sed de proprijs peccatis, vnusquisque pro sese rationem redditurus est, vt sæpè iam diximus. Satis est nobis, si bene pascamur, secundùm magnum theologiæ doctorem Gregorium. At seditionis & contentionis studiosus inquit, peccatorem caput esse non probo. Ad quos respondendum, quòd benè cogitata vestra percipimus, quæ postea inferius retegemus, etsi vos ob ignauiam obumbrare conamini. Nunc autem ijs respondebimus, quæ palàm dicitis, quia ex animi vitio hoc dicitis: non enim vobis cognitum est eum esse peccatorem: neque vobis eius vitæ ratio satis est comperta; sed impudenter calumniamini & conuiciamini illi, qui Petri successor est, & Iesu Christi figuram in terris gerit: nam qui eum peccatorem appellant, ijs quæ Iudæi afferebant, similia afferunt: quoniam illi à natiuitate cœcum cernentes videre, inedia torti, eum interrogant, dicentes: Quis aperuit oculos tuos? respondit: homo, qui vocatur Christus: is mihi dixit, lauare in Siloam: & lo-* Ioan. 6. *tus recepi lucem. At illi ira accensi dicunt: da gloriam Deo, quia hic homo peccator est. quibus ille, qui nuper cœcus fuerat, respondit: si peccator est, nescio: vnum scio, quòd cœcus cùm essem, modò video: in hoc enim mirabile est, quòd peccator cùm esset, aperuit oculos meos, qui cœcus eram: à seculo non est auditum, quia quis oculos aperuerit cœci nati; nisi esset hic à Deo, non poterat facere quicquam. Possumus igitur hæc ad successorem Dei traducere, qui est sanctus Papa. Si peccator est: quomodo maledixit vobis? & Græcos excommunicauit Nicolaus primus, temporibus Pho-*

bus Photij: & excõmunicationi illi non defuit iota vnum, sed facti sunt captiui, vt is in excommunicatione dixit, in omnes gentes, tanquam Iudæi: scriptum est enim: Peccatores non audit Deus. Si peccator est, quomodo fuit exauditus? ac hic quidem sic. Innocentius ante hunc, Eudoxiam ob Chrysostomi exilium, excommunicauit, & intremuit eius sepulcrum, donec reuocato eo excõmunicationem remisit: & statim constitit illius tremor sepulcri. Sed quid euenit nostra memoria, nunc sub Nicolao Quinto Pontifice Maximo? cùm legati à Constantino Imperatore, qui vocabatur Dragases, ad eum missi, adhuc supersint: quibus literas dedit, plenas timoris & horroris: vti aperte, cum execratione prophetizat excidium, & internecionem extremam infelicium Græcorum: in quibus postea alia multa (cùm conuitia, & probra rescisset, quæ a Græcis quotidie impudentissimè iactabantur) mirè & hoc dicit: Omnes gentes decretum, quod sancitum est, receperunt; Græci verò neque receperunt, neque spes est eos vnquam esse recepturos, quæ super cõcordia & vnione decreta sunt: procrastinationes enim procrastinationibus ab eis semper prætexuntur: excusationes & responsiones in singulis. Neque verò Græci arbitrentur Romanum Pontificem ita esse mente destitutum, omnemq; occidentalem Ecclesiam; vt non intelligat, quæ in singulis dilationibus respondendo nugantur: optimè cuncta nouimus: sed toleramus in Iesum respicientes sempiternum sacerdotem, & Dominum; qui sterilem illam ficum, vsque ad annum tertium iussit asseruari, agricola iam ad excindendam arborem se accingente, quia nullum fructum ferebat. O magnam calamitatem! anno MCCCCLI. hanc conscripsit Epistolam, & MCCCCLIII. capta est Constantinopolis: num potestis dicere hæc vera non esse? minimè gentium: cùm id sit manifestum, & res ipsa aperte loquatur: Tres, inquit, annos expectabimus, si vos fortè à schismate & separatione conuerteritis; & vos verè decreto adiunxeritis, secundùm saluatoris de ficu præceptum Si verò non excindemini, ne terram ociosam & inutilem reddatis. Hoc miraculorum miraculum maximum: quòd (vt in Epistola ipsa scribit Nicolaus Papa) Græcorum gens illa magna & formidabilis, sapiens, clara, fortis, terrarum domina, ob diuinam vltionem, ita in barbarorum seruitutem abducta sit. Hæc enarrauti mihi, subit lamentari & deplorare excidium gentis nostræ, quãquam vos non intuemini.

In primis ergo (vt inde initium sumam) in memoriam reuocate fratres, & patres, qualisnam, & quanta, extiterit nostra natio: fuit enim quondam sapiens, clara, generosa, prudens, fortis, & quæ omnem terram suo subiecerit imperio: præterea virtutis studio, & sanctitate, omnes gentes est supergressa, ieiunijs, vigilijs, orationibus, eleemosynis, & (vt vno verbo dicam, veluti spõgia hausit omnem virtutem: Deo semper accepta. At in præsentia (proh dolor) omnia interciderunt: Constantinopolis capta est: cuius rei solum recordatione, cogor prorumpere in verba cum clamore & eiulatu, & vltimum effundere Spiritum: qua vrbe expugnata, aræ sunt prophanatæ, templum conculcatum, magna sanguinis effusio sequuta, pollutæ moniales, virgines corruptæ, caput infantibus abscissum, impiorum manibus principes occiderunt, monachi sacri, sacerdotes, præpositi, viri, fœminæ, connubia sunt diuulsa, sacra vasa confracta, imagines ornatissimæ conculcatæ sunt, ac sputis conspurcatæ. O me miserum atque infelicem, quis poterit vnquam tantam cladem deplorare? & verbis acerbum casum exprimere? heu, vbi regius apparatus & comitatus? vbi ordo palatij & disciplina? vbi tot principum examen? vbi scholæ sapientiæ? veh mihi misero; vbi Patriarchalis administratio? vbi ornatus Ecclesiæ? vbi tantus, & talis sacrorum monachorum, ac non sacrorum ordo, chorus & numerus? vbi monachorum & monialium ordines? Ecce, nónne cũcta sunt à Mahomete absorpta? nec tantùm in ipsa vrbium Regina ea mala obuenêre, verùm etiam in subiectis regionibus plura ac deteriora, perque singulos dies hæc apertis oculis intuemur, & intelligimus, Quamobrem ergo hæc? vel vos mihi dicite per Dominum. Si dixeritis vt dicere cõsueuistis ob nostra delicta hæc euenisse; non ita se res habet, ego dicam: quoniã non magis nos, quàm cæteræ christianorum gentes, nostris criminibus Deum irritamus: sunt enim & aliæ nationes magis sceleribus & peccatis obnoxiæ: quomodo non affliguntur, vt nostra infelicissima & miseranda natio? veh mihi misero: alius ex alio subinde fio, cùm ad hæc animum conuerto, & cor meum conturbatur, & spiritus meus æstuat: quia Iudæorum gens, quæ duo crimina commisit, secundùm Prophetam, dedit pœnas: Duo enim mala fecit, inquit, primogenitus meus, filius Israel: me dereliquit fontem aquæ viuæ, & effodit sibi cisternam dissipatam. Et Ecclesia: Me in ligno crucifixerunt, Barrabam verò postulauerunt & liberârunt. Primum igitur, cùm idolis inseruisset, in captiuitatem adductus est, in Mediam & Babylonem. Secundò, cùm crucifixissent Dominum nostrum & Deum, profecti sunt captiui in omnes gentes. Nostra verò natio (proh infortunium, SECTIO. 15.

proh do

proh dolor) neque idolis seruiuit vnquam, neq; Dei filium crucifixit; qua de causa tam acerbè vexatur? sed non solùm eadem, verùm etiam multò peiora, quàm impij Iudæi perpetitur: ij namq; in seruitutem abducti, omnium gentium facti sunt serui, vt omnibus inuisi, & Dei hostes; hi verò non solùm gentium facti sunt serui, sed & Iudæis ipsis, qui sunt serui omnium gentium. O meam calamitatem! Nonne reliquum est plorare & lamentari, ac disquirere causam, & credere, propter quæ patimur hæc? Ego verò aliam non possum inuenire (neque enim virtute nostra natio cæteris gentibus peior est; imò verò melior: nam dictum est, verèque dictum, nationem nostram omnes nationes virtute, & moribus antecellere) nisi schisma, & quod se subtraxerit ab obedientia, & subiectione Romanæ Ecclesiæ. Eam, & solam, discerno esse causam interitus nostræ gentis: quia, postquam ab ea diuisi sumus, maledictionem accepimus, & patimur, quæ nos patimur: nec ideò pœnitet nos, sed deteriores euadimus, & maledictis impetimus ipsam Ecclesiam, dicenda & tacenda aduersus eam impudenter euomimus. Quamobrem fratres mei, per Christum, desperationẽ omittamus: accedamus veræ Christianorum vnioni: agnoscamus peccata nostra, ne peiores Iudæis euadamus: néue falsa suasione, malitia & præsumptione ita aures obstruamus, vt nec audiamus,
Luc. 10. nec intelligamus. Audiamus Christum clamantem Apostolis: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit: qui verò me spernit, spernit eum, qui misit me. Verè ergo licet dicere: qui Papam audit, Dominum audit, qui verò Papam non audit, Dominum non audit: qui verò Dominum non audit, audit captiuos & gladijs comminutos. Vidi, & rectè memini, cùm interfuerim disputationibus cuiusdam monachi Barlaam, quæ habitæ sunt Constantinopoli, cum quodam legato Apostolico, de primatu Papæ; vbi concludens legatus dicit: Ego quidem possum cunctas obiectiones vestras diluere (non enim Christi Ecclesia, & præses illius summus Pontifex misit hominem, qui nesciat vestris dubitationibus respondere) sed vos semper in nugacibus verborum argutijs versamini. Quare mihi libet dicere tibi breue ac verum verbum; quod & alijs Græcis, mihi iniunctum est dicere: hæc dicit Papa: Si volueritis, & audieritis me; bona terræ comedetis, secundùm Prophetam: Si verò nolueritis, neque audieritis me, gladius vos deuorabit. Num Pontificis os loquutum est hæc? num habes huic quid contra dicas? lege & expende, an euenerit sicut ipse dixit. Si ergo euenit; debetis, imò verò potius necesse est illum audire: secundùm verò opera illius non facere, si mala fuerint. Ita & nobis præcepit Dominus: Super cathedram Moysis sederunt scribæ & pharisæi: omnia quæcunque dixerint vobis facere, facite, secundùm verò opera illorum nolite facere. Quando ergo & hic, super cathedra Petri sedet; debemus ipsum tanquam Petrum audire, & imitari sermones eius; opera verò non imitari, si praua sint. Ita vos sancti docent: ita leges & canones clamant; vt antea demonstrauimus, & paulò post etiam demonstrabimus. Nunc detegere volumus, quod vos intus aduersus Papam, ac Latinos iniustè continetis: dicitur enim, quòd propter peccatum illum vitatis: at hoc verum non est; sed causas quæritis fratres parum veras: maledixit enim vobis, & vos inuenit excommunicatio, deletíque funditus estis: sed alius est morbus, ex quo ægrotat intus anima vestra, vt antea exposuimus; non audentes palàm dicere, ne fortè cunctis hæreticis peiores vocemini, & sitis cogniti apud omnes, magísq; vultis mandere sub dentibus· sed aliud quid est, quod labijs premitis? quidam tamen adeò stolidi sunt, qui apertè Latinos hæreticos esse dicunt: & Papam præter cæteros omnes: ideóque vnionem refugitis, neque Papæ memoriam audire, neque qui vnionem ex vestris sacerdotibus amplectuntur, videre sustinetis, neque qui cum ipsis communicant, omninò pro Christianis habetis: & si fortè contingit, vt in aliquod incurratis, quod vos Papæ commonefaciat; panem oblationis non accipitis, sed furijs agitamini, ac dentibus aduersus ipsos sacerdotes sæuissimè infrenditis, & Iudæis deteriores esse putatis. Hæc igitur proferre reformidantes, vt iram quorundam declinetis, ad apertum integumentum strenuè confugitis, & aduersus veritatem pugnatis, de asini vmbra (vt fertur) decertantes.

SECTIO. 16 At nos in præcedentibus, quos antea edidimus, quatuor libris, multa de ijs eisdem tractauimus; veritatem pro viribus apertè prædicantes, Latinosq; in dogmatibus orthodoxos esse liquidò ostendimus: & falsis eos premi calumnijs egregiè demonstrauimus. Et in hoc quinto, profectò non pauca attulimus, scilicet Pontificem esse Petri successorem, & vicarium saluatoris nostri Iesu Christi comprobando: eumq; solum obtinere potestatem, omnem Ecclesiam absolutè dirigendi, & gubernandi, ligandi & soluendi, redarguendi, benedicendi, maledicendi, corrigendi, ac medendi: solúmq; illum habere facultatem de fide & sacerdotio exquirendi. Nã statim Magnus Theodorus Studites, in Epist: ad Paschalem Papam, hæc inquit: Audi apostolicum caput, à Deo electe pastor ouium Christi, clauiger regni cœlorum, petra fidei, per quam ædificata est catholica Ecclesia:

Ecclesia: nam tu es Petrus, Petri sedem exornans & gubernans. Et post quædam: Huc ades, ab occidente exurge, & ne repellas in finem: tibi namq; dixit Christus Deus noster: Et tu quandoq; conuersus confirma fratres tuos. Audis, quomodo appellat pontificem magnus hic Pater, Petrum, & clauigerum vitæ æternæ, & pastorem, & Apostolicum caput? rogátque, vt Constantinopoli subsidium ferat, propter eorum hæreses, qui imagines oppugnabant. Vndenam hoc? non ob aliud aliquid, nisi quia is habebat potestatem cæteras Ecclesias confirmandi, tanquam qui omnibus hæresibus superior esset, longéque positus esset ab omni procella hæreticorum. Huius rei ipsemet testis est in epistola ad Paschalem, dicens: Vos igitur verè illimis fons, ac sincerus iam inde à principio veræ fidei: vos ab omni hæreticorum procella longè positi: securus totius Ecclesiæ portus: vos à Deo electa ciuitas, ad salutis refugium. intelligis quo pacto securum portum appellat totius Ecclesiæ Romanum pontificem? ad quem, vt nauigia ab vndis in medio maris agitata, in portum perfugiunt, ne foris relicta, à fluctibus atque æstu mergantur; sic & omnes Ecclesiæ, ab hæreticis, tanquam à fluctibus versatæ, ad Romanum pontificem, veluti ad portum salutis confugiunt, vbi tranquillitatem & quietem omnem nanciscantur: nam eo loci, fidei claues Christum apud Petrum Apostolum deposuit, vt Ecclesiam totam pasceret, atque gubernaret: nec apud illum tantùm, sed etiam apud eius successores, ipsi dicens: Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Quæ quidem non soli Petro contigerunt, sed & eius successoribus. Nam Syluester magnus Papa Romanus, post baptismum Constantini, Arij hæresim aboleuit: & in eadem vrbe, Liberius, ac Iulius, Athanasium confirmârunt, & Alexandriam remiserunt, cùm ab Arianis persequutionem pateretur. Damasus Papa, Eunomij hæresin Constantinopolitani Patriarchæ funditus sustulit. Diuus Cœlestinus, impij Nestorij & Constantinopolitani Patriarchæ hæresim per Cyrillum Theegorum deleuit. Leo sanctissimus, sacrilegam Eutychis, & Dioscori hæresim damnauit. Martinus & Agathon, Monothelitarum sceleratam hæresim verbo & operibus sustulerunt. Gregorius magnus Dialogus, impietatem eorum, qui imagines oppugnabant, anathemati subiecit: deinde post inobedientiam, & schisma, Nicolaus primus ipsemet Constantinopolim profectus est, Photij tempore, vt tolleret schisma: quem cùm non recepissent, excommunicationi ab eo suppositi sunt. Post hunc summi pontifices, per temporum vices, non destiterunt scribere & hortari Græcos ad Ecclesiæ conuersionem, & obedientiam: quousque coacta est synodus apud Lugdunum, quam Græci octauam vocant: cuius author extitit, Gregorius Papa decimus, & vnio est subsequuta. Sed iterum defecerunt, & iterũ Legatos Ecclesiæ receperunt. Cogitur synodus Constantinopolitana, cũ Papæ Legatis, Ioannis Becci temporibus Constantinopolitani Patriarchæ: & vnionem amplexi sunt, ad breue tempus obedientiam ostendentes, & pacem: sed postea rursus ad suum & primum vomitum reuerterunt. Sed nec rursus defatigati sunt Ecclesiæ catholicæ præsides, eos ad obedientiam & pacem excitare: at illi cum semel obsurduissent, non paruerunt. Protracta est igitur res vsque ad nos, aspeximúsq; nostris oculis, quod multi ante nos Patriarchæ & reges videre exoptârunt, nec viderunt. Nos verò vidimus beatissimum Eugeniũ IIII. Romanæ Ecclesiæ Pontificem summũ, quanto studio in hoc sanctum opus incubuerit, triremibus missis, & sumptibus, vt hoc magnum vulnus sanaretur: celebratáque est synodus ingens atque admirabilis Ferariæ & Florentiæ insignibus Italiæ vrbibus: magna doctorum & sapientum virorum frequentia, & Theologiæ scientia, ac virtute illustrium. Tandem decretũ sancitum est, omni sapientia & veritate conspicuum, quod vbique est promulgatum, & ab omnibus gentibus receptum. Græci verò, & ex ijs, qui peioris sunt conditionis, vulgares quidam homines, & indocti huic contradicunt: ac si quis rationis particeps decreto contradicit; id non à doctrina proficiscitur, sed ab animi prauitate, falsa & stulta præsumptione, & gloria inani, quam ex vulgi imperitia aucupantur: quod quidem decretum & nos in manus sumentes, perlegimus omni studio: idque toto ex animo verum esse credentes, adorauimus atq; amplexati sumus: vnde subministrata est nobis materia respondendi quinque articulis, qui in eo continentur, quorum extremus hic est, de Papæ primatu, quem nemo mentis compos poterit pernegare. Psal. 43.

At non rectè sentit, inquiunt, quia præter communes patrum & doctorum sententias ea perscripsit. Si ergo illa diuina sedes non rectè sentit, mentitur Christus cùm dicit: Cœlum & terra transibunt: verba autem mea nunquam transibunt. Is enim Ecclesiæ pollicitus est, se cum ea fore, & portas inferi non præualituras aduersus eam. Ideò ne Christum mendacem efficiamus, quod si vel cogitetur solùm, est blasphemia, inerrantem Dei Ecclesiam esse dicimus: quam rem testificabitur rursus ipse Theodorus Studites, ad Michaelem Imperatorem scribens, ex persona omnium præpo- SECTIO. 17

um præpositorum hoc pacto: Cùm nos in vnum conueniſſemus, venerabilis imperij veſtri iuſſu minimi Epiſcopi & Præpoſiti: poſt pauca dicit: Nos diluimus omnes dubitationes veſtras. Si verò aliquid dubitare, vel non credere videtur veſtra diuina magnificentia; eius rei explicatio à Pontifice piè eſt poſtulanda: magna & à Deo firmata manus veſtra, vt publicæ cupida vtilitatis, iubeat à veteri Roma capere declarationem: vt à principio à patribus noſtris eſt traditũ: ea, ô Chriſti imitator, Imperator, inter omnes Eccleſias Dei, ſummum & ſupremum obtinet locum, cuius Petrus tenuit primam ſedem, ad quem dicit Dominus: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſum eam. Et iterũ idem in alia Epiſtola ad Naucratium, cuius principium eſt: Non implebitur auris mea à vocibus auditionis, inquit: Teſtor nunc coram Deo & hominibus, diuiſi ſunt à corpore Chriſti, & à ſuprema ſede, apud quam Chriſtus depoſuit claues fidei, aduerſus quam portæ inferi à ſeculo non præualuerunt, nec præualebunt vſque ad conſumationem eius: hæreticorum videlicet effrænata ora, ſecundùm promiſſionẽ veracis Domini. Audis, quo pacto ea eſt caput Eccleſiæ Chriſti: cuius Petrus eſt primus præſes, & quòd nunquam præualuerunt, neque præualebunt vſque ad conſumationem ſeculi, hæreticorum effrænata ora, ſecundùm promiſſionem veracis ſaluatoris? Si ergo nunquã præualuerunt hæretici aduerſus Chriſti Eccleſiam; quomodo audetis dicere eam errare, quæ inerrans à doctoribus prædicatur? Id etiam oſtenditur in tertia ſancta ſynodo: in qua allatis ab Apoſtolica ſede literis, Arcadius Epiſcopus cùm ſurrexiſſet, ad synodum dixit: Iubeat veſtra beatitudo, Reuerendiſſ. Patres, allatas ad vos literas ſancti & cum adoratione vocati Cœleſtini Papæ, Apoſtolicæ ſedis Epiſcopi, legi; ex quibus percipere poterit veſtra beatitudo, quanto ſtudio proſequitur omnes Eccleſias: Eadem, & horum ſimilia, Proiectus Epiſcopus protulit. Et paulò poſt Cyrillus Alexandriæ dixit: Literæ acceptæ à ſanctiſſimo Apoſtolicæ ſedis Epiſcopo Romano Cœleſtino, cùm decenti honore legantur. Audis Arcadium, & Proiectum, quòd omnium Eccleſiarum curam gerit Romanus Pontifex? ob quidnam aliud, niſi quia caput eſt omnium? Quod verò Cyrillus dicit, cum decenti honore legi, quæ ſcripta ſunt à Cœleſtino; comprobauerunt patres aperiendo capita ſua, & reuerenter audiendo, quæ dicta ſunt. In quarta verò ſancta synodo, vt in titulo diuinæ ſcripturæ apparet, talia dicta ſunt. Vt beatiſſimus Epiſcopus Romanæ vrbis, cuius ſacerdotium ſuper omnes antiquitas eſſe voluit, poteſtatem & facultatem habet de fide & ſacerdotibus determinandi. Ergo quia de fide & ſacerdotibus determinãdi facultatem habet, meritò caput & magiſtra oĩm Chriſti Eccleſiarum in decreto ſcribitur, & à nobis colitur & adoratur: atque omnis obedientia & obſeruantia ei à nobis exhibetur, & exhibebitur, donec in hac vita permanebimus: recordati illius, qui dicit: Obedite præpoſitis veſtris, & ſubditi eſtote; ipſi enim vigilant pro animabus veſtris, vt rationem reddituri: & meminiſſe eius nunquam ceſſabimus in ſacris miſſarum precibus, ſecundùm ſanctorum noſtrorum traditiones; ne impiorum erroribus obſecundantes, à firmitate orthodoxæ fidei excidamus: pro comperto habentes, quòd qui ipſi non ſubijcitur, nunquam ſaluabitur: ſimili modo, & qui eius non meminit, neque ſacerdos eſt, neque ſacerdotis meretur habere poteſtatem; vt xiij Canon primæ & ſecundæ synodi apertè teſtatur: habes enim ad verbum ſic: Hæreticarum zizaniarum ſemina, in Chriſti Eccleſiam ſpargens aduerſarius, & videns has gladio ſpiritus radicitus euelli, alia via aggreſſus eſt, aſſumpta ſecum ſchiſmaticorum inſania, Chriſti corpus diuidere. Sed & has inſidias ſancta ſynodus anticipans, vndecunque decreuit in poſterum: vt ſi quis presbyter, vel diaconus, tanquam ob aliquod delictum ſuum deſpiciens Epiſcopum, ante synodalem cognitionem, & cauſæ diſquiſitionem ab eius communione deficere auſus fuerit: & nominis eius in ſacris miſſarum precibus ſecundùm Eccleſiæ traditionem non meminerit; hunc depoſitioni ſubijci, & ſacerdotali omni honore priuari: qui enim in presbyteri ordine eſt conſtitutus, & metropolitanorum præuenit iudicium, & ante iudicium (quantum in ſe eſt) condemnat ſuum patrem & Epiſcopum; hic neque presbyteri dignus eſt honore, nec nomine: & qui hos ſequuntur, ſi qui fuerint ex conſtitutis in ſacris ordinibus, & ipſi ſuis dignitatibus excidant. Monachi verò vel laici expellãtur penitùs ab Eccleſia, donec relicta cũ ſchiſmaticis cõiunctione ad ſuũ Epiſcopum reuertantur. Nónne ex hoc loco deprehendis, quòd ſacerdotes ſacerdotio abdicat: neq; ſacerdotis nomen vult obtinere, qui mentionem non faciunt primatus eorum, eorúmque ſectatores: & ſi qui ſacris ſunt ordinibus inſigniti, prophanos iubet eſſe: qui in ſacris non ſunt, cuiuscunq; ſint conditionis, excommunicat? Reſipiſcite tandem fratres per Deum, reſipiſcite, nec amplius tam apertè veritati obſiſtatis, nec aduerſus paſtores animarum veſtrarum decertetis: durum eſt enim, imò verè fatui & dementis, nudis pedibus aduerſus ſtimulum calcitrare. Nam quemadmodum oua lapidibus, ſic

& capi-

& capita vestra, Ecclesia confringuntur: lapis namque & petra scandali est Ecclesia: & Christus ipse, illi se similem facit. Beatus Paulus ita scribit: Bibebant enim de spirituali, consequente eos petra: petra autem erat Christus: hic est lapis de monte virginali abscissus. Christus verò ad Petrum: Tu es Petrus, & super hanc petram, ædificabo Ecclesiam, & reliqua, vt sæpius dictum est. Ecce igitur ostensum est, quòd petra & lapis Christi est Ecclesia. Qui igitur in eam impingit; lux in eo non est: sed qui seruat præcepta eius; non impingit, vera luce quæ in ipso est illuminante, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: lux enim veritas est & cognitio: ac illuminantur ab ea, qui volunt, & manent in ea. Sed qui nolunt obtemperare, insipientiæ tenebræ eorum oculos obtegunt & impingunt, & conteruntur; ac tandem exterminãtur: & responsum ferent, quod præcepit Dominus: Quòd oues meæ, meam vocem audiunt: quæ verò meæ non sunt, vocem meam non audiunt, & lupus rapit & dispergit eas. Ita eueniet & rationalibus ouibus, quæ vocem pastoris non audiunt; impingent enim, & labentur in hæreses, absurditates, & schismata. Mar. 21. 1. Cor. 10. 1. Cor. 10. Daniel. 11. Ioan. 1. Ioan. 10.

SECTIO. 18

Quòd verò non possit decipi, vel errare, vel confringi, vel perire Ecclesia, imò uerò id euenire ijs, qui eam oppugnant; ostensum est antea multis egregijs argumentationibus: nunc efficacius quodammodo per sacrum Chrysostomum aureæ tubæ diuinum Ioannem audiamus ex oratione in Pentecosten, cuius principium: Cœlum nobis hodie facta est terra. Dicit enim ibi post alia multa sic: Magno studio incumbit Deus in Ecclesiam, non parietibus fultam, sed gratia custoditam: propter Ecclesiam constitutum est cœlum, terra firmata est, & mare effusum, & aër repletus, paradisus est plantatus, lex tradita, missi prophetæ, miracula facta sunt, mare diuidebatur & resarciebatur, petræ scindebantur, & rursus iungebantur, manna de cœlo descendebat, & ex tempore mensa disponebatur: propter Ecclesiam Prophetæ, propter Ecclesiam Apostoli. At cur tam multa? propter Ecclesiam vnigenitus Dei filius, filius hominis factus est, vt Paulus ait: Qui proprio filio non pepercit, vt Ecclesiæ parceret, filij sui sanguinem effudit propter Ecclesiam: hic sanguis irrigat illam: per eum non possunt illius plantæ tabescere, neque folia decidere: non est obnoxia temporum necessarijs vicibus, neque tempori inseruit: æstate quidem folijs vernat: hyeme verò non nudatur: non enim temporum necessitates, sed gratia spiritus eam colit: propterea non euellitur, neque mirum est eam non euelli. Quot iam inde à principio aduersus Ecclesiam bella gesserunt, cùm erat planta recens, arma aduersus eam sunt expedita? at nunc Dei gratia, & sancti spiritus robore, & Imperator est pius, & milites, & omnis terra fide est repleta: at in origine eius, in exordio, reges impij, milites irreligiosi: ob iussa principum, aræ ardebant: vndique fumus, & nidor àer inquinabatur: dæmones bacchabantur: diabolus saltabat: pater filium abdicabat: filius patrem non colebat: natura scindebatur & religio. vbi igitur, qui ausi sunt aduersus Ecclesiam in acie stare? Cùm erat planta recens, non tamen iniuriam passa est: cùm cœlum attingit, speras illam posse debellare? Quando vndecim erant Apostoli, à nemine superati sunt: imò verò vndecim tot millia Ecclesiarum sunt expiscati: nunc cùm terra, & mare, culta & inhabitabilis regio & vrbs, & omnes fines religione referti sunt; tunc speras ei dominari? at tu non potes: Christus dixit, quòd portæ inferi non præualebunt aduersus eam: facilius est cœlum deleri, & terram exterminari, quàm Ecclesiam extingui. Quis hæc dicit? ipse Christus: Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Et rectè, nam Dei verbum ipso cœlo est potentius, quia cœlum est opus verbi: dixit Deus, fiat cœlum, & verbum fuit opus: excurrebat natura nemine impediente, quoniam ipse Dominus est naturæ, & eam immutandi: ego eam substruxi, qui cœlũ constitui: sed pro cœlo sanguinem non effudi: pro cœlo cruci non fui affixus: pro cœlo cœleste corpus non assũpsi. Sed quid dico de cœlo? angelorũ corpus nõ assumpsi: vt intelligas me Ecclesiã magis æstimare, quàm cœlũ & terram, & oẽm creaturam: & ideò cœlum & terra trãsibunt, verba aũt mea nũquam transibunt: facilius est cœlũ aboleri, & terrã extingui, quàm mea verba intercidere. Qualia sint verba eius, in mediũ deducamus, videamus, an interciderint: nõ reuoco ego in dubium, sed hæreticis os obstruo. Qualia sunt verba? Cœlum & terra transibunt: verba aũt mea, nunquam transibunt. Quale verbum? Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Super hanc petram dixit, non in Petro: non enim super hominem, sed super fidem Petri Ecclesiam suam fundauit. Quid autem erat fides? Tu es Christus filius Dei viui, petram vocauit Ecclesiam vndas excipientem, sed non concussam: Ecclesia namque suscipit tentationes: at non superatur. Quid ergo est super petram? id est super confessionem Petri, non super opes. Non lapides iacis? non ligna? non spicula? nequaquam dicit: non enim est

sensibilis structura. hæc qualiacunque sint, tempore dilabuntur: confessionem verò, neque dæmones possunt superare: testantur martyres, qui latus perfossi, fidem non amiserunt. ô rem admirabilem: murus foditur, & thesaurus non diripitur: caro absumitur, & fides non consumitur: ea est martyrum vis: super petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebuut aduersus eam. Attendite sedulò: eos vocat portas inferi, qui mortem pariunt: quid igitur? in infernum intrabit, si in discrimen venerit? vtique: nam vt portæ vrbis, sunt ingressus in vrbem; sic portæ inferni, ingressus ad mortem. Cur, inquit, tentationes non prohibes? nequaquam: vt ostendam vires meas, si nemo eam oppugnârit, possunt respondere: nam si fuisset oppugnata, fuisset vtiq; & expugnata: propterea eam permitto oppugnari, ne propugnatorum solitudini, victoriæ titulus inscribatur: & portæ inferi non dixit, non aggredientur eam. Quid ergo? oppugnabitur quidem, sed non superabitur: fluctuat Ecclesia, sed non mergitur, sed non petit profundum: excipit tela, sed non admittit vulnera: excipit machinas, sed turris non quassatur. Sed quid dico Ecclesiam? vnum verbum piscator loquutus est, & turris stetit inconcussa. Quot tyranni conati sunt hoc verbum abolere, nec potuerunt? super petram enim fundata est. Cogita, quot tyranni, quot reges diademate redimiti, enses acuti, ferarum dentes, mortes imminentes, sartagines, fornaces, & pharetram suam exhausit diabolus, & Ecclesiæ non obfuit. Quanam de causa? Quia portæ inferi non prævalebunt aduersus eam: ipsa res testimonium perhibet: testatur euentus experientia. Quot bellum gesserunt? num euicerunt? sed qui bellum gesserunt, silentio transiguntur, & obliuioni mandantur: Ecclesia verò floret. Vbi Claudius? Vbi Augustus? Vbi Tyberius? nuda sunt nomina, eorum meminit nemo: nam postquam Ecclesiam oppugnârunt, memoria eorum deleta est, & Ecclesia super solem refulget. Audisti verba doctoris aurei animo & corpore? audisti à Deo afflatum & theologum patrem hunc? scilicet quòd Ecclesiæ oppugnatores abolentur, & obliuioni mandantur: Ecclesia verò floret? Et contorquent quidem tela pugnatores, at ipsi vulnerantur. Cur nã hæc? quia Christus ipsam firmauit: Christus ipsam suo redemit sanguine, per quem cœlum firmatum est, terra fundata: Domini enim verbo, dicit Dauid, cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Igitur verbo, quo firmauit cœlum, firmauit Ecclesiam suam dicens: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: Quam petram? solidam fidei confessionem Petri piscatoris, quæ firmata manet inconcussa, & immota, & inexpugnabilis, quemadmodum & cœlum stat, & permanet vi verbi. Ideò in cœlo, & in terra, Ecclesia Dei honorabilis, & sancta est; imò verò secundùm aureorum verborum & sermonum patrem hunc, cœlo & angelis & omni creatura præstantior est. Ideò & subijcit Christus dicens: Cœlum & terra transibit, verba autem mea nunquam transibunt: id est, facilius est cœlum, & terram, & omnia concuti, quàm Ecclesiam meam: incursiones hæretici facient, at non prævalebunt: in petram impingent capita sua, & dispergentur, quia super petram fundata Ecclesia est: propterea Ecclesia tanquam petra manebit inconcussa, secura fiducia Christus dixit. Nam qui à principio suæ prædicationis eam oppugnauerunt, deleti sunt, & memoria eorum cum sonitu perijt: Ecclesia verò vernat, & refulget super solem. Vbi reges qui in eã desæuierunt? vbi principes? vbi hæretici? vbi Arius & Eunomius? vbi Nestorius & Dioscorus? vbi Seuerus & Eutyches? vbi qui præcesserunt, & qui postea subsequuti sunt omnes? nónne perierunt? nónne extincti sunt? sed Ecclesia tunc, & nũc, & semper est, vsque ad seculi consumationem & finem.

Sap. 4. & 11.

SECTIO. 19. *Tot igitur & egregijs rebus expositis ex mellifluis sacri doctoris sermonibus; æquum est, quod illi dum oraret, euenit, cum omni reuerentia commemorare. Sic enim inuenimus scriptum in eius vita, quam Metaphrastes enarrat, cuius initium: Et omnium, qui secundùm Deum in hac vita versati sunt: post multa ait: Cùm is noctu in oratione perstaret, se obtulit quædam diuina res, & sublimior, quàm vt oculis cerni posset: & quemadmodum rem in medium proponere lingua vix audeat; ita & audire nouum videatur: itaque nouum quiddam, & horrore plenum audisse. Cæterùm animaduertendum, quòd huic narrationi, æquè mista sunt timor & lætitia. Duo quidam viri alba amicti veste, aspectu horrifico visi sunt ei de cœlo descendere; huícque præclaro viro, dum oraret in conspectum venisse: quorum alter volumen, alter claues manibus continere videbatur. Cùmq; Ioannes hanc nouam speciem miraretur, timore esse correptum: hos verò manibus apprehensum erexisse, & metum absterssisse, bonóque animo eum esse iussisse. Percontanti quinam essent ij viri tanta præditi gloria, qui accedere ad se dignati essent, ne timeas, eos dixisse: nos venimus à Christo missi. Alterum postea manu protensa volumen tradidisse, dicentem: sume librum, nam ego sum Ioannes, cui sapientia Dei, pectus tradidit, in quod & recumbere voluit: quæ quidem te & per*

nos ad

nos ad scripturas pernoscendas, idoneum reddet: & te quasi manu ducet ad eius cognitionem. Alterum verò manu extensa, sume, dixisse, has claues: méque Petrum esse scito, cui Deus claues in manus tradidit: quem nũc per me, crede, te eadẽ gratia, qua me participẽ facere: quare quæcũq; ligaueris, vel solueris super terram, erunt ea ligata, vel soluta, & in cœlis. Nónne deprehendis ex his, alterum vnà cum munere scripturas facilè interpretandi, & harum intelligentiam à datore sapientiæ adiunxisse? alterum verò vnà cum facultate soluendi, & ligandi, & intelligendi, iniunxisse, & piè in Iesum Christum Dei filium per eum credendi? Credite in posterum, quòd sine obedientia erga Petrum, saluari non potestis. Et iure quidem: nam is est porta salutis, qui per eum in cognitionem fidei non ingreditur, id est, vt eum cognoscat esse Christi Vicarium, non poterit vnquã salutem consequi: nam vt Christus inquit: Ego sum ostium: qui non intrat per ostium, sed aliundè ascensum parat; fur est & latro. Ita & Petrus eius successor dicit: qui non credit per me filium inuisibilis Dei, & Patris in carne genitum, qui passus est & resurrexit, & cætera dispensationis mysteria; hic hæreticus est, & saluari nullo vnquam tempore poterit. Hæc igitur & talia tenentes, quorum refertæ sunt omnes doctorum scripturæ, Ecclesiæ subijcimur: in eáque permanemus: & inobedientia eius persistere in omnia secula deprecamur, vt propitium Deum nanciscamur in tremenda die retributionis: fiat, fiat. Ioan. 10.

SECTIO. 20.

Iam quoad eius fieri potuit, præstitimus, quod polliciti sumus, allata ad quinq; articulos responsione, qui in decreto Florentinæ Synodi continentur. Conscripsimus verò hæc à communibus patribus ac doctoribus desumpta materia, quos Ecclesia sanctos esse decernit, illorum vestigijs insistẽdo, & qui hæc literis theologicis mandauerunt, & tradiderunt, vt veraces suscipiendo: quibus Ephesius Marcus non valens in synodo contradicere, & sui incertus, certamen detrectauit. Perfecimus autem hoc opus multo labore ac studio: propterea omnes, qui hæc perlegerint, oro, ne dolosè, & cum præsumptione aut proprio affectu inducti, percurrant; sed sincera dispositione adhibita, suam conscientiam iudicem dictis præficiant. Arbitror enim eum, qui hac conditione ad legendum accesserit, à morbo se vindicaturum, magnámque gratiam habiturum ei, qui hæc edidit, & elaborauit, cùm hanc commentationem ex multis locis collegerim, & coagmentârim. Exantlauimus verò hunc laborem, vt Dominus scit, qui occulta cognoscit, non gloriam aucupando temporariam, neque opum comparandarum gratia; sed pura, & pia mente, pro virili, veritati patrocinari exoptantes: quæ quidem ijs, qui apertè sanctis contradicere nolunt, liquidò est demonstrata. Et ea præterea de causa hoc opus aggressi sumus, vt qui horum studiorum sint ignari, & tamen de hoc dogmate ambigunt; nequaquam amplius excusationem afferre possint, se sententias, & dicta sanctorum planè ignorare. Ideò æquum mihi visum est, volumen hoc rerum contexere: & resipiscere volentibus, veluti sumptuosum quoddam conuiuium apponere. Ecclesia verò, Sponsa immaculata, nullas sordes, vel rugas admittens, sole lucidior, denuò apparebit, vt fuit, & est, & erit: quãquam disrumpantur, qui contrà sentiunt: nam semper exstitit extra errorem: neque diuersas opiniones prædicauit, sed easdem illas, quas à diuino ore saluatoris accepit. Rogo vos iterum ô charissimi, vt hæc cum charitate legatis, & spiritu fidei: ac, si vera & iusta visa fuerint, ijs assentiamini: si verò contra, confutetis, & scriptis editis, rationes afferatis: vt & nos ijs propensis, sententiam nostram cum caritate dicamus, retractantes nostra, vel delentes. Spero igitur Deo fisus, qui pacis est pater, vos his rationibus suasos, veritati cessuros: animi candorem & obedientiam Deo præstando, mutuóque accipiendo paracleti gratiam & prudentiam. Nam eo concedente, nulla mutatio vel imminutio pij & patrij spiritus consequetur, neq; orthodoxa veritas imminuetur, absit: malo enim millies mori, quàm suadere vos, vt tantillum quidem à vera fide declinetis. Resipiscite rogo fratres, resipiscite: quamdiu vos in hac falsa suasione perdurabitis? quamdiu, si non vtroque, altero tamen pede claudicabitis? Excitemini segnes, qui humi repitis, exsurgatis: ne dum vos malum somnum stertitis, facilè inimicus disseminet discordiæ zizania. Tollatur paries, qui dirimit sepem: fiamus vnum corpus sub eodem capite. Est autem caput, ipse Christus, quem vt magistrum, ac vitæ datorem, piè, & pura conscientia sequendo, cognoscemus Deum & patrem eius, à quo ab æterno sine tempore, sine defluxu, & sine passione est genitus, sanctissimúmq;, & viuificantẽ eius Spiritum, à patre, tanquam à productore, ab æterno, & à principio productũ, & procedentem, & per eũ emanantẽ, & scaturientẽ, essentialiter & subsistenter, & prodeuntẽ, & editum, vnam increatam potentiam, & sine fine regnũ, immortalem vitam, & beatitudinẽ, quam, vtinã oẽs cõsequamur, ne de via declinãtes, in montes, solitudines, & foueas delabamur, & in loca, quæ nõ aspicit lux vultus Dñi nostri, & saluatoris nostri Iesu Christi, cui gloria & victoria in secula seculorũ. Amẽ. Hucusq; Gennadius. Cant. 4.

Ex interpretatione Sacræ liturgiæ, &c. *Multi sunt & apud Græcos, & apud Latinos, qui sacram liturgiam interpretati sunt, eiúsque mysteria exposuerunt. Ex Græcis quidem Dionysius Areopagita de Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. Cyrillus Hierosolymitanus cathechesi mystagogia 5. Maximus monachus de Ecclesiastica mystagogia: Germanus Archiepiscopus Constantinopolitanus, in libro mysticæ contemplationis: Simeon Thessalonicensis, in libro de septem Sacramentis. Ex omnibus autem doctissimè & prolixissimè Nicolaus Cabasila, in libro de diuinis officijs: Isiodorus, Innocentius, Odon Camemcensis, Stephanus Aduensis Episcopus, Walafredus Strabo de exordijs & incrementis rerum Ecclesiasticarum: Bernõ Augiensis Abbas, Magister Florus in sua Exegesi, & alij infiniti, qui soli rectè conuincere possunt nostri seculi errores, qui Missam, rem nouam, & recenter compositam esse, impudicè affirmare non erubescunt.*

De sacris ordinationibus, quas GRAECI χειροτονίας VOCANT.

Caput XIIII.



Vartusdecimus articulus docet, Euangelium non ab aliis publicè legendum & prædicandum esse, sacráque mysteria dispensanda, quàm ab his, qui ritè ad hoc ministerii genus ordinati sunt; quod quidẽ ita debere esse, & nos ipsi agnoscimus. Sãcta etenim Catholica Ecclesia, eos solùm, qui legitimè sunt vocati, sacro item charactere canonicè insigniti, atq; iuxta Ecclesiasticam traditionem ordinati, ab omníque hæreseos suspitione alieni; & populum docere, & sacram liturgiam administrare vult atq; permittit. Plurimúmque illos errare docet, qui existimant, nihil interesse; vtrum hæc sacra & diuina mysteria à laicis ad eam rem, quomodocunque ordinatis, vel delectis tantùm; an à sacerdotibus ritè & canonicè vel secùs consecratis & ordinatis, exerceantur. Ordinationes autem apud nos non alio modo fiunt, quàm eo, quem sacri nobis perscripserunt canones. Et de Episcoporum quidem ordinatione primus Apostolorum Canon hæc docet: Episcopus ordinetur à duobus vel tribus Episcopis. Presbyter verò ab vno Episcopo. Diaconus item, & alii
Act. 13. eodem modo. Quod item ex Actis Apostolicis discimus. Erant, inquit, in Ecclesia, quæ est Antiochiæ, prophetæ & Apostoli, Barnabas, Simeon, Lucius, Manahen, & Saulus: ministrantibus autem illis Domino, dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Barnabam, & Saulum, in opus ministerii, ad quod elegi eos. Ieiunantes autem ipsi, & orantes, impositis illis manibus, dimiserunt eos: vbi quinque leguntur præsentes viri: trésque, duos reliquos

quos Saulum & Barnabam ſegregatos,in miniſterii munus ordinâſſe.Non licere autem ſecularibus principibus Epiſcopos creare ; aut illis veteri deprauato more, qui à ſanctis conciliis abrogatus eſt , manus imponere , 31. Canon Apoſtolicus docet : Si quis Epiſcopus ſecularibus poteſtatibus vſus, Eccleſiam per ipſas obtineat, deponatur,& à communione ſeparetur, & omnes qui illi communicarint. Et quanquam 25. Apoſtolico Canone præcipitur,neminem duplici pœna ob idem crimen puniri debere ; tamen vel propter delicti magnitudinem, vel propter peccati publicam deformitatem,duplex hoc loco irrogatur pœna : omníſque hæc electio, tanquam impia & ſacrilega abrogatur : puniuntúrque omnes illi , qui in hac parte, vel alios coëgerunt,vímque aliquam intulerunt, vel authores facti,quacũque ratione fuerunt; prophaníq; meritò & ſunt,& eſſe decernuntur.Oportet enim eum, qui ad Epiſcopatus honorem prouehi debet, vt quidem ſancti Patres in ſancta Nicena ſtatuerunt ſynodo, Canone quarto , ab aliis Epiſcopis deligi:Epiſcopum,inquit,conuenit maximè quidem ab omnibus, qui ſunt in prouincia Epiſcopis, ordinari. Si autem hoc difficilè fuerit, aut propter inſtantem neceſsitatem,aut propter itineris longitudinem; tribus tamen omninò in id ipſum conuenientibus,& abſentibus,quoque pari modo decernentibus,& per ſcripta conſentientibus;tũc ordinatio celebretur. Summa autem & vltima poteſtas , atque confirmatio earum rerum omnium, quæ in tota fiunt prouincia,Metropolitano tribuatur. Quæ omnia ex eodem quarto Canone,eiusdem primæ vniuerſalis ſynodi Nicenæ decerpuntur.Sed & Laodicenſis ſynodi 12. Canon,hoc idem his verbis explicat: Epiſcopos non oportere, præter iudicium Metropolitanorum & finitimorum Epiſcoporum conſtitui,& ad Eccleſiæ principatum eligi: nec niſi eos, qui multò antè, non ſolùm in ſermone fidei (hoc eſt, ſanámne doctrinam ſequantur , an ſecùs) verùmetiam in vitæ rationibus & inſtitutis , fuerint probati. Quibus item ſimilia docet 13. eiusdem ſynodi Canon : illud adiiciens,neque vulgò aut popularibus hominibus electionem illorum,qui ad ſacerdotalem dignitatem ſunt euehendi committendam eſſe. In quorum canonum expoſitione, illud ſcriptum legimus : Non tantùm, inquit , vulgus arcetur ab Epiſcoporum electione; ſed etiam de ipſis ſacerdotibus ſententiam ferre non permittitur:præſentíq; canone illud innuitur,quòd non Epiſcopi tantùm antiquitùs , ſed & reliqui ſacerdotes à populo eligebantur : quod poſtea omninò ne fieret, prohibitum fuit, tanquam res inutilis ac planè peſtifera. Sed & 19. Canon Antiochenæ ſynodi, multa ſimilia habet : tum de Metropolitano, tum de eo,vt omnes Epiſcopi eius prouincię ab eo conuocentur, præſentésque adſint. Epiſcopus, inquit,ne ordinetur absque ſynodo,& præſentia Metropolitani prouinciæ : quo præſente par eſt omnes ei collegas atque conſeruos adeſſe. Ideò debent per Epiſtolam Metropolitani conuocari. Et ſiquidem præſentes adfuerint omnes; longè melius eſſe : ſi autem difficile fuerit conuenire omnes;tamen vel maiorem eorum partem, omninò ex omni prouincia præſentem adeſſe oportet ; vel ſaltem per literas in eandem ſententiam conuenire:& ſic vel conuentu plu

rium facto,vel saltem plurium suffragiis collectis,Episcopum constitui debere. Si quid autem secus præter præscriptum modum factum fuerit; nullius valoris ordinationem esse. Vbi verò omnia, ita vti dictum est,adhibita fuerint;contradicere tamen quispiam per priuatam contentionem velit; plurium tamen consensus valere debet. Docet quidem eiusdem Zonaræ interpretatio:antiquitus ipsarum vrbium populos,Episcopos deligere solitos: cùm autem contentiones indè exorirentur maximæ; ipsis deinceps prouinciæ Episcopis, ea tota deligendi & constituendi potestas Episcopi, concessa & concredita fuit. Non solùm autem Episcopi,eo modo,quo diximus, alios Episcopos & Sacerdotes sacrorum canonum instituto eligebant atque consecrabant, & non laici;sed & ipsa chirotonia nihil aliud sacris Canonibus designatur, quàm eius, qui tunc consecrandi munus exercet, in alio consecrando diuinarum precum sacra administratio, ac Spiritus sancti omnia perficientis initiatoria inuocatio: dicitúrque chirotonia; propter extensionem manus pontificis,tum cùm illi quem initiat atq; consecrat, benedicit. Quanquam ipsæ quoque sententiæ atque suffragia,quibus Episcopi vel presbyteri eligebantur,nomine chirotonię antiquitùs appellari solebant. Nam cùm penes ciuitatum populos Pontificum deligendorum potestas fuisset; colligebatur tum in vnum multitudo, & hunc quidem alii postulabant, atque eligebant, alii alium. Vt igitur plurium vinceret sententia, manus in altum illi, qui suffragia ferebant, porrexisse dicuntur; vt inde numerus cuiusque sententiæ dinumerari, ac facilè perspici posit. Atque ita ille,qui plurium referebat sententias,cæteris anteferebatur, indéq; à manus extensione nomen chirotoniæ originem sumpsit. Quo item nomine in eodem sensu magni illi veritatis duces,sancti, inquam, qui synodis præerant Patres,nonnunquam vsi esse inueniuntur, ipsas sententias & suffragia nomine chirotoniæ appellantes. Quomodo sancta Laodicensis synodus Canone 5. loquitur:Non oportere chirotonias in præsentia multorũ fieri;chirotoniæ nomine ipsam per suffragia electionẽ intelligẽtes: nam consecrationem Pontificis, publicè multis præsentibus potius fieri oportebat. Electioni autem,vbi sententiæ ferebantur; propterea, quod nõnunquam querelæ quædam & accusationes contra candidatos proponebantur, nulli præter eos,ad quos sententiæ dicendæ ius pertinebat, interesse, ac ea quæ dicebantur, audire licuit. Et consecrationem quidem atq; ordinationem,à duobus Episcopis fieri debere hic Canon iubet. Ipsam autem per suffragia electionem à pluribus etiam, si non omnibus, tribus saltem cæteris interim assensum literis testantibus, primæ synodi Canon 4. docet. Tres, inquit, omninò in eundem locum congregatos ordinare oportet, absentibus quoque suffragium ferentibus, scriptísque assentientibus, electionem fieri. Post diligens autem & exactum examen, multáque tam rectæ fidei, quàm morum grauitatis, & vitæ integritatis testimonia, demùm dignos ordinari debere:indignos autem ab eo honore ac dignitate arceri;cùm ex multis sacris canonibus Apostolicísq; institutionibus clarum est, tùm ex insigni illo magni quondam Theologi Gregorii Nazianzeni,quem

Similem planè eiusdẽ vocis notationẽ atq. etymologiam alicubi explicat Vlpianus Demosthenis interpres in ferẽdis suffragijs, quibus Athenienses suos eligebãt magistratus, quam vocem, & rei ipsius imitationem, vt cætera multa ad Ecclesiasticas functiones translatam fuisse existimandum est.

zeni, quem pro se instituerat Apologetico, longè euidentiùs constat; vbi eos, qui tanto honore sunt indigni, improbi, ac planè prophani, notans, & reprehendens; eos autem, qui & quales digni esse debeant, mirè celebrans, suísque coloribus pingens, hæcque inter cætera cum magna adfert libertate: Quotus quisq; est, inquit, qui si ad amussim eam, regulámque seipsum exigat, quam Paulus de Episcopis & Presbyteris fixit, nempè, vt sobrii & prudentes sint, non temulenti, non percussores, sed docendi periti, irreprehensibiles, atque huiuscemodi, vt nullæ eos improborum calumniæ attingere queant; non sese à normæ rectitudine permultùm abesse comperiet. Et rursum: Primùm, inquit, ipsum purgari oportet, tum alios purgare: primùm ipsum instituí, tum alios instituere: primùm lucem ipsum effici, Deóque appropinquare, tum demùm alios ad Deum adducere: primò sanctificari, tum demùm alios sanctificare. Deinde illos increpans, qui vtcunque, nec secundùm id quod sancti canones præcipiunt, ordinantur, hæc in medium adfert: Quis est ille, qui diuini ministerii Antistitem & propugnatorem, vnius dieculæ spatio, velut simulacrum ex argilla fingit? illum, inquam, qui cum angelorum classe atq; ordine futurus est: qui cum archangelis Deum celebrabit: qui ad supernum altare sacrificia trãsmittet, simùlque cum Christo sacrificio fungetur. Et iterum: Qui nihil, inquit, dignum sacerdotio secum adferunt, discipuli simul magistríque pietatis designantur: alios antè purgant, quàm ipsi purgati fuerint: heri extra sacra, hodiè sacrorum arbitri & antistites, veteres vitio, pietate rudes & recentes: quorum dignitas & vocatio, gratiæ potius & fauoris humani, quã Spiritus sancti inspirationis opus esse videtur. Eos proculdubiò, qui improbi, & indigni, in eos honores euehuntur, notans & proscindens; simul autem quales oporteat esse illos in veritate, qui serui idonei & ministri Iesu Christi futuri sunt, docens atq; subiiciens. Amplius autem & eos magnopere fugiendos & auersandos esse, qui aliqua se hæresi contaminârunt 44 Canõ Apostolicus diligenter admonet. Episcopum, vel Presbyterum, qui hæreticorum baptismum, vel sacrificium admiserit, deponi iubemus. Quę enim est conuentio Christi cum Belial? vel quæ pars fideli cum eo qui infidelis est? 2. Cor. 6.

Neque preces, neque oblationes, neq. DIES FESTOS, NEQVE ALIA DONARIA; corrupta vita, & moribus ministrorum vitiari.

Caput XV.

DE quintodecimo autem capite, quod Ecclesiæ ministros innoxios, & irreprehẽsibiles esse debere docet: vitámque honestam & inculpabilem sequi: preces item atque ea quæ offeruntur, diésq. festos & reliqua, quæ quasi ad cauponandã gratiam comparata sunt

ta sunt, & ob pecuniam ex alienis peccatis corradendam, rémque faciendam, aut aliquid aliud, nihil omninò ad salutem conferre tradit, illud dicimus, sicq; de tota hac re statuimus: Quemadmodum illi, qui ita Deo ministrant, à nobis non promouentur; nisi irreprehensibiles, atque sine crimine, quantùm homini licet, sint: puri item & innoxii: per omnéque tempus, tanquam sub iugo disciplinæ quodam viuant; in omni moderatione & sanctitate vitæ degentes, suúmque munus exercentes; ita preces ipsas, sacrificia, oblationes, festos item dies, quæ iuxta beneplacitum Dei, eiúsq; amore fiunt; ad laudem prætereà illius, memoriámque eorum, qui illi à seculo placuerunt, referuntur: ad excitationem & imitationem virtutis, ac præclarè ab illis gestorum, rectè & conuenienter fieri, magnámque vtilitatem animabus nostris adferre, affirmamus. Iacob. 6. Multùm enim, inquit scriptura, valet deprecatio iusti: multáque proficit in illis, qui fideles Deíq; gratia digni sunt. Vt quidem D. Chrysostomus exponens Epistolam ad Hebræos, inquit: Iusti, inquit, homines, vna sæpius postulatione, omnia apud Deum lucrantur: & ad Philippenses item: Procuremus, inquit, aliquid auxilii illis, qui ex hac vita decesserunt: modici quidem, opem tamen illis feramus. Quomodo autem & qua ratione? Ipsi inquam pro illis exorantes, aliísque vt hoc idem agant, persuadentes, pauperibus item assiduè pro illis aliquid impartientes; habet enim ea res non exiguam quandam consolationem. Audi siquidem, quid Deus dicat: Protegam ciuitatem istam propter me, & propter Dauid seruum meum. Si memoria duntaxat iusti tantùm valuit; quando & opera pro tali fiunt, quid non poterunt? Nõ frustra ab Apostolis sancitum est, vt in celebratione venerandorum mysteriorum, memoria fiat eorum, qui hinc decesserunt. Nouerant enim illis hinc multùm emolumenti fieri, multùm vtilitatis: stante siquidem vniuerso populo, manúsque ad cœlos extendẽte, cœtu item sacerdotali, tremendóque posito sacrificio; quomodo Deum non placabimus pro istis orãtes? Nam ita vult Deus, vt nos inuicem iuuemus. Sanctis autem meritos honores à nobis deberi, eósque omninò recipiendos & venerandos esse, tum templis eorum, vt offeratur, iustum esse, ille qui Deus existens, nostra causa homo factus est, nobis præcepit: Qui, inquit, vos accipit, me accipit. θεάνθρωπος. Vnde Chrysostomus præclarè: Quemadmodum, inquit, illis, qui in acie stant, atque depugnant, ab his qui pace fruuntur, in bellúmq; ipsi non proficiscuntur, stipendia debentur: pro his enim militant illi: idem, inquit, nos de sanctis Dei cogitare iustum est. Quomodo enim non absurdum erit, his quidem, qui terreno regi militant, stipendia & commeatus liberalissimè persolui: illis autem qui cœlestis regis milites sunt, quíque longè molestiores, potentiorésque hostes in se sustinent, pro nobísque Deum exorant, & ad quos in omni tempore nostro necessario, cum precibus nostris quotidie, res necessarias petituri, confugimus; cuius inquam fuerit ingratitudinis; nihil item ex facultatibus nostris, neque in eos ipsos, neque in eorum templa, eósq; homines, qui tantorum virorum se seruitiis dediderunt, cõferre? nullámque partem liberalitatis & munificentiæ nostræ, illis declarare? neq;

rare? neque eos eleemosynis nostris alere? Orare item quotidie, Deúmq; deprecari, populo Christiano, & vtile & necessarium esse: ab eóque officio nullum excipi, Saluator ipse, dum communem omnibus formulam orandi præscribit, docet: Quando, inquit, oraueritis, dicite: Pater noster; &c. Et: Hoc, inquit, genus, dæmoniorum non eiicitur, nisi oratione, & ieiunio: & aliis multis similibus. Et Paulus ad Timotheum: Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & castitate. Hoc enim bonũ & acceptũ est corã saluatore nostro, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionẽ veritatis venire. Sacerdotes demùm, vt honorentur, dignum & iustũ esse, docet amplius D. Chrysostomus: Tanquam communis, inquit, pater est totius orbis sacerdos. Ab omnibus igitur æquum est illum honorari, eiúsque curam haberi. Sacrificia enim Deo pro toto offert vniuerso. Preces eodem modo ad Deum fundit, pro regibus, atque illis omnibus, qui in sublimitate positi sunt; vt horum salus & incolumitas nostræ tranquillitatis & securitatis fit causa. Ad communem siquidem vtilitatem Deus ipsos etiam magistratus ordinauit. Absurdum igitur & iniustum est, illos quidem pro nobis bella gerere; nos autem pro illis Deum, neque per nos ipsos, neque per sacerdotes item nostros exorare. Et rursum dicit idem D. Chrysostomus: An inquit non legistis scriptum esse, sanctum Iob pro filiis conuiuantibus, quotidie sacrificia obtulisse, atque hac ratione peccata eorum expiâsse; ne quid fortè peruersi cogitarent in cordibus suis? Et alio loco: Scitote, inquit, tanquam Christi discipuli; quòd orantes pro publica pace & tranquillitate vniuersi mundi, pro omni item felici successu, id facimus: regnúmque eius quærimus, ipsámque ianuam pulsamus; vt propter viscera misericordiæ suæ, nobis illam Deus aperiat, ad pristinámque, ex qua olim excidimus felicitatem, nos reducat. Et rursum: Est quidem res vtilis atque salutaris, sanctorum precibus nos commendare; sed ita, si item nos ipsi in opere simus, si item & ipsi oremus: nam alia ratione, si ignaui, si ocioси ipsi simus, nullam inde referemus vtilitatem. Neque enim obscurum est, quid Hieremiæ pro ignauo & flagitioso populo orare volenti, responsum est. Ter hic in causa populi ad Dominum supplex accesserat: ter item audiuit: Noli orare, non enim exaudiam te. Si, inquit, steterit pro illis Noë, Iacob, & Daniel, non liberabo illos, siquidem multùm iam eorum prævaluit malitia. Quid igitur, dicet aliquis, necesse est alios pro me exorare, si ipse Deo gratus & charus sum? nequaquam hoc dicas ô homo: multis enim precibus, multis deprecationibus opus habemus. Audi enim ipsum Dominum dicentem: Deprecabitur, inquit, pro vobis sacerdos, & remittentur vobis peccata vestra: & alia his similia quàm plurima. Quæ, si quis diligentius perquirit, plenã & confertam talibus reperiet totam sacram scripturam. Similiter autem & illa omnia, quæ Deo votis redduntur, sunt illi acceptissima. Vouete, inquit Dauid, & reddite. quomodo Anna Samuelem Deo vouit, & consecrauit,

Mar. 6. Mat. 17.

1. Tim. 2.

Ierc. 7. 11. 14.

Ezech. 14.

Leuit. 4.

Psal. 85. 1. Reg. 1.

& alia sex-

& alia sexcenta his similia. Sic item & festos dies celebramus, honoran-
Psal. 138. tes sanctos, tanquam Dei amicos, iuxta magnum Dauidem: Mihi, inquit, nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Nisi enim sacras preces, liturgias, dies festos, & his similia non cauponantes, sed Deum piè timentes perageremus, quæ quidem omnia fidei sunt consequentia, præclaráque opera; gens quædam absque Deo esse putaremur, quæ Deum non timeat, & quæ à fide viua, quæ in omnibus principem locum tenet, sit alienissima. Sublatis enim rebus illis, quæ rem aliquam necessariò natura sua consequuntur, fructúsque eius quodammodo sunt, quantum in nobis est, illud ipsum, quod principale est, auferri oportet. Necesse est item illum, qui verbo præest, & doctrinæ, iuxta magnum Basilium, cum omni circumspectione & examine, Dei voluntate, tanquam certissimo scopo sibi ppposita, omnia agere & dicere; tanquàm qui ab his, qui eum sequuntur, illíque se crediderunt, approbari ac testimonium re-
1. Thessa. 2. ferre debeat: iuxta illud Pauli: Vos, inquit, testes estis, & Deus, quàm sanctè, & iustè, & sine querela, vobis qui credidistis, affuimus, vt & ipsi rectè scitis. Porrò, si contigerit indignos ministros nos habere; Dei tamen vis & gratia est, quæ omnia operatur, vt quidem vniuersus testatur Theologorum chorus.

Annotationes.

Quemadmodum illi, qui Deo ita ministrant, &c. *Idem sensus est Nicolai Cabasilæ, ex quo hæc desumpta esse videntur, cuius verba ex cap. 34. hoc loco apponere libuit.* Sacerdos aũt postquàm pro omnibus ea, quæ par est orauerit, etiam pro se orat, vt à donis sanctificetur. Quanam sanctificatione? vt accipiat remissionem peccatorum. Hoc enim est donorum principale officiũ. Et vndénam potest hoc sciri? Ex iis quæ Dominus dixit, Apostolis panem ostendens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. Et in calice similiter, Memento, inquit, Domine etiam meæ indignitatis, & condona mihi omne delictum voluntarium & inuoluntarium. Et ne propter mea peccata prohibueris gratiam sancti Spiritus à donis propositis. Remissionem peccatorum dat sanctus Spiritus iis, qui sunt donorum participes. Hæc, inquit, gratia, in me ne prohibeatur ex donis propter mea peccata. Dupliciter enim dicitur gratia operari in pretiosis donis: vno quidem modo, per quem ipsa sanctificantur. alio, per quem gratia nos per ipsa sanctificat. Primo ergo modo, in donis gratiam operari, nullum potest humanum malum vetare. Sed quemadmodũ eorum sanctificatio, non est humanæ virtutis opus; ita nec fieri potest, vt eam hominum vitium prohibeat. Secundus autem nostro etiam studio & diligentia indiget. Nos enim gratia per dona sanctificat, si nos ad sanctificationem aptos & accommodatos ceperit. Sin autem in nos imparatos inciderit, nec vllam vtilitatem attulerit, & plurimum etiam detrimentum damnúmque dederit; hanc gratiam, siue est solùm remissio peccatorum, siue

rum, siue cum illa etiam aliud donum datur iis, qui cum pura conscientia sacram hanc Cœnam sumunt, orat sacerdos, ne à donis prohibeatur, vt quæ possit prohiberi per humanum vitium. Hanc facit orationem, etiã paulò post cum vniuersa communiter multitudine.

Omni magistratui á Deo constitvto parendvm esse.

Caput XVI.

SExtodecimo loco docetis, non licere populo Christiano aliis præesse, atq; imperare: pœnas item secundùm leges sontibus irrogare: atque omninò aliis Reipublicæ negotiis sese immiscere. Nos autem illud dicimus: obedire, subiectósque esse oportere nos, omni potestati, atque magistratui: non modò bonis & rectis tantùm; sed discolis etiam: & ea omnia, quæ ab illis legibus sancita sunt, sanctè & incõtaminata seruanda. Alioqui Deo magis quàm hominibus obtemperãdum esse. Qui (dicit alio loco scriptura) resistit omni potestati, iudicium accipiet. Et rursum: Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Quomodo Rom. 13. item eorum contumelia, qui illis non parent, quos ipse Dominus misit, nõ in his solùm consistit; sed in illum ipsum amplius fertur, qui eos misit: maiúsque iudicium isti, quàm illi, qui in Sodoma & Gomorra perierunt, reportabunt? Dicit enim Dominus: Qui accipit vos, me accipit. Et qui vnum Mat. 10. Ioan. 13. ex his, quem ego mitto, recipit, me recipit. Qui vos audit, me audit: & qui- Luc. 10. cunque vos non receperit, neque audierit sermones vestros; exeuntes foras de domo vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris. Amen, amen dico vobis, tolerabiliùs erit terræ Sodomorum & Gomorræorum in die iudicii, quàm illi ciuitati. Et Apostolus: Qui, inquit, vos spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui dedit Spiritum sanctum in nobis. Oportet igitur nos non ciuilibus tantùm magistratibus obedire; sed Apostolis etiam ipsis, atque doctoribus; sacræq; scripturæ Spiritu sancto plenis interpretibus parere: neq; illis propter minas & terrores aliquos obsistere, aut aliquo pacto aduersari. In ea autem parte, qua eos, qui sua omnia vendiderunt, damnatis, mundúmque, & ea, quæ in mundo sunt, salutis suæ causa, reliquerunt: in eo item, quòd Euangelium non de temporalibus, sed de æternis tantùm rebus omnia præcipere dicitis; & quòd solam perpetuam cordis iustitiam illud prædicet: ac ita omninò totum intelligendum & interpretandum esse putatis; hoc quidem nulla ex parte recipimus: sed Dei Ecclesiæ doctorum interpretationem sequuti, dicimus illud Euangelicum dictũ clarè seipsum explicare: Vade, inquit, & vende omnia, quæ habes, Mat. 19. & da pau-

& da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis, & tum veni, & sequere me. Quod nos neque allegoricè, neque per vllam figuram, sed simpliciter, & ad sensum, vitámque & mores relatè dictum putamus. Hic enim ipse, qui eam quæstionem proposuerat, existimabat eum modum & rationem vitæ æternæ consequendæ sibi Dominum demonstraturum atq; subiecturum; per quem sempiternùm, in vsu & possessione bonorum suorum, victurus esset. Vbi autem longè aliud Christus Dominus, quàm ille vellet respõ disset, ipsámque bonorum omnium abrenunciationem vitæ æternæ comparandæ causam & administram esse diceret; tum demùm veluti & sua interrogatione & Domini responsione damnata, aufugit. Et vide quid interrogans dicat: Hæc omnia seruaui à iuuentute mea. Dominus verò id quod caput continet causæ subiicit: ipsam inquam paupertatem: Vade, inquit, & vende omnia: nam si quid tibi reliquum feceris, illius seruus facilè eua des. Et da, inquit, pauperibus, & sequere me: hoc autem est, in reliquis item omnibus, sis meus discipulus semper, & vbique me sequaris: non vt hodie meus sis discipulus, meísque præceptis adhæreas, cras autem me for tè relinquas, ad tuáque redeas; sed constans, & idem, repudiatis omnibus in cursu vitæ, & imitationis meæ persiste. Hunc ipsum enim verè, & ex animo regnum cœleste quæsiuisse, eiúsque desiderio fuisse ductum; docet magnũ illud orbis Christiani sydus Chrysostomus: sed quasi maiori quodam affectu illum præpeditum, auaritia atq; diuitiarum studio. Quocirca qui vult perfectus esse, is si ea, quæ habet, vitæ æternæ causa vendiderit, ac in pauperes erogârit, non aberrabit, sed vita æterna, iuxta Domini promissa, perpetuis potietur temporibus. Pontificibus verò licere maleficos, punire ex legibus, aut capitali supplicio afficere, bellum gerere, exercitúsq; ducere, id neque nos, neque leges, neque canones definiunt.

De consumatione mundi.

Caput XVII.

DEcimũseptimum caput confessionis vestræ docet; in fine & consumatione seculi, ipsum Christum Dominum venturum, viuósque simul & mortuos iudicaturũ: & piis quidem & honestis viris, vitam sempiternam, gaudiúmque perpetuum; prauis autem & impiis hominibus, supplicium æternum redditurum: eámque ipsam puram & puamt veritatem esse, vobis libenter assentimur. Quicunque autem vel ipsorum prẹmiorum, vel pœnarum finem aliquem futurum esse dicunt; vel iudaicas opiniones, aut potiùs fabulas denuò inducũt, dicentes: Ante vltimam mortuorum resurrectionem sanctos, & pios homines in hoc mũdo re-

do regnaturos; hi planè delirant; indéque meritò ipsos auersamur, ac veluti fabularum & nouitatum authores condemnamus.

De gratia, & libero arbitrio.

Caput XVIII.

DEcimumoctauum caput à vobis propositum, liberi arbitrii rationem explicat, de quo ita sentimus. De his quidem, quæ in nobis sunt, rectè à vobis quodammodò dicitur: de illa verò parte, vbi docetis, sine auxilio Dei saluari posse neminem, ita statuimus. Non ignorare & nos, Dei gratia & auxilio primò & præcipuè in omni re nos opus habere, secundùm quod à Christo dictum est: Sine me nihil potestis facere: sed simul item sanctorum doctorum, ac diuinæ scripturæ interpretum dicta & interpretationem, qui nunquam à vero sacræ scripturę sensu & scopo aberrârunt, vtpotè illi, qui à Spiritu sancto edocti, lucē perspicuitatis sacræ addiderunt scripturæ, nósque in omnibus piè & sanctè erudierunt, in omni re sequimur. Docet igitur Diuus Chrysostomus, gratiam, etiamsi gratia sit, volentes tamen solos saluare. Quomodo idem exponens Epistolam ad Hebræos, in quodam morali, dicit: Oportet, inquit, in omnibus nos custodire, atque magnam cautelam adhibere, ne aliquando obdormiamus. Ecce enim dicit Psaltes. Non dormitat, neque dormiet, qui custodit Israel. & ibidem: Ne des in commotionem pedem tuum. Non dixit, ne commouearis; sed ne des in commotionem pedem tuum. Igitur in nobis & non in alio situm est, dare pedem nostrum in commotionem; vel omninò firmum, ne commoueatur tenere. Si enim voluerimus firmiter stare, & si constanter gressum fixerimus, non commouebimur. Quid igitur? nihílne ad Deum referemus? imò omnia ad eum referenda sunt: non tamen ita, vt non simul libero arbitrio sua integritas conseruetur. Si ergo in Deo omnia inquit; cur igitur multarum rerum item causam & principium nos esse dicit? Non aliam certè ob rem, quàm ne liberum nostrum in aliqua parte lædatur arbitrium. Ex nobis igitur res nostræ dependent, & ex illo. Nam & nos primùm ea, quæ recta & honesta sunt, velle oportet; tum & ille ea, quæ sua sunt, benignè & munificè confert. Sequitur autem ille, non antecedit nostras voluntates, ne in aliquo labefactetur nostrum arbitrium. Verùm, vbi nos id, quod rectum & honestum est elegerimus; tum & ipse plurimùm nos iuuat, præsénsque fert auxilium. Quid igitur ad illud Pauli dicemus: Neque volentis, neque currentis esse, sed miserentis Dei? Primùm, inquit Chrysostomus, non ex suo sensu, sed ex eo, quod antè proposuerat, loquitur: & concludit Paulus, quasi ex certis

Ioan. 15.

Homil. 12. in cap. 7.

Psal. 120.

Rom. 9.

si ex certis præmissis. Cùm enim dixisset, scriptum esse: Miserebor, cuius misereor; & misericordiam præstabo, cuius miserebor; tanquam id, quod ex ea scriptura videbatur sequi, subiicit: Non volentis igitur, neque currentis, sed miserentis est Dei. Dicis ítaque mihi, quid adhuc queritur? Deinde illud ad eandem rem cum eodē Chrysostomo dicere possumus: Cuius id, quod maius est, existit; eius totum esse dicitur. Cùm igitur nostrum sit velle & eligere, Dei autem complere, & ad perfectionem deducere, qa illius est, quod maius est; meritò vsu communi dicendi totum suum esse dixit, sic enim & nos facere solemus. Verbi gratia: ædificium aliquod præclarè exstructum videntes, dicimus hoc totum opus huius vel illius artificis esse, etsi non totum eius est, sed & operarum, & eius qui materiam prębet Domini, & aliorum plurimorum: quia tamē plura ab illo conferuntur, meritò totum illius esse dicitur. Sic etiam & hoc loco. Sed & in multitudine eodem modo, vbi plurimi sunt, omnes esse dicuntur; vbi autem pauci, nullus. Sic igitur & Diuus Paulus dixit: Neque volentis, neque currētis esse, sed miserentis Dei. Duo autem hoc loco non parui momenti perficit, & corrigit. Vnum quidem, ne vnquam ex bonis operibus nimis efferamur; siue, inquit, curris, siue contendis, non putes illud quod rectè factum est, tuum esse. Nisi enim supernum auxilium adfuerit, frustrà laborabis. Quòd tamen eò, quò tendis, peruenias, clarum est; quòd currendo & volendo, id assequaris. Non sic igitur dixit, nos frustrà currere; sed ita demùm, si totum nostrum esse putamus; si non maiorem partem rerum nostrarum ad Deum referimus. Neque enim Deus ipse totum suum esse voluit; ne videatur nos frustrà, & sine legitimo certamine coronare: neque item nostrum; ne in superbiam incidamus. Si enim minimam partem habentes, tamen alta sapimus; quid si totius operis nostri Domini essemus, quid non faceremus? Ad quam animi insolentiam & arrogantiam extirpandam, & hæc, & multa alia similia Deus fecit, & dixit: Verùm iterum quidam dicunt, quid hoc? quorsum hoc? Tamen, si quid fortè cum honestate fecerimus, superbimus, ac ad ipsum cœlum animis efferimur. Iterum igitur Chrysostomus ad Philippenses inquit: Dum aliquid rectum facimus, tum lætamur: Deus enim, inquit, est, qui operatur in nobis. Tanto igitur studiosius attendamus nobis, ne otio diffluamus, veluti certi Deum in nobis omnia operaturum esse. Si igitur ipse operatur, oportet, vt & nos voluntatem exhibeamus; simul applaudentem, succinctam, & minimè diffusam. Si verò voluntatem in nobis ipse operatur; quomodo nos ad id, quod bonum & honestum est ipse hortatur? Etenim, si vt velimus ipse facit, frustrà nobis dicit: Obedite; non enim obedimus: frustrà dicit: In timore & tremore opereris salutem; si totum Dei est. Non ad hoc igitur dixit, Deum esse operantem in nobis, & vt velimus, & vt operemur; sed vt solicitudinem nostram releuet, & metum refrænet. Audi, inquit, si volueris, tunc operabitur, vt magis velis; & promptitudinem ipse nobis dabit, & operandi efficaciam. Quando enim voluerimus; voluntatem ipsam nostram postea magis adauget. Vtpotè: volo quidpiam boni operari: bonum istud ipse o-

S crm. 3. in ca p. ut 2.

ipſe operatur, & per ſe ipſum etiam voluntatẽ. Quemadmodũ enim, cùm ipſa bona opera, dona Dei dicit, nõ excludit nos à noſtro libero arbitrio, ſed illud in nobis integrum conſeruat; ita quando dicit, operatur in nobis & velle & perficere, non aufert à nobis arbitrii libertatem; ſed oſtendit, ipſum virtutis exercitium, magnum nobis calcar, magnam promptitudinem, ad rectè faciendi voluntatem, adferre. Vt enim ex opere naſcitur opus, ita ex otio trahitur otium. Dediſti eleemoſynam; incitaris magis ad dandum: non dediſti; pigreſces magis: temperanter tranſegiſti vnum diem; habes profectum in alterum: ignauè te geſsiſti; auxiſti ſegnitiem. Impius enim, inquit, cùm in profundum malorum venerit, contemnit: ſic & iuſtus, vbi in arcem iuſtitiæ conſcenderit, tum magis ac magis porrò contendit, & aſpirat. Vt enim ille deſperatione quadam, ignauior efficitur; ita iſte conſiderata bonorum multitudine, diligentior redditur, veritus ne totum perdat. Pro bona, inquit, voluntate, hoc eſt, propter dilectionem, propter placiti ipſius comitatem, vt quæ ipſi placent fiant, & iuxta voluntatem ipſius omnia agantur & tranſigantur. Vides Deum omni ex parte operari: vult enim nos iuxta voluntatem ſuam viuere. Si autem vult, ad hoc certè nobis ipſe cooperatur; hócque ipſe omninò perficit: vult enim vt rectè viuamus. Vides, quomodo non aufert arbitrii libertatem. Omnia inquit facite ſine murmurationibus, & hæſitationibus: Diabolus enim vbi nequit nos ab eo quod rectum & honeſtum eſt abducere, alia via conatur mercedem noſtram exinanire: aut enim vanam gloriam, arrogantiam, & vecordiam nobis perſuadet: aut ſi nihil horum, murmurationem: vel ſi neque hanc, tum diſceptationem, atque cenſuram morum atq; dogmatum, num rectè ſcilicet an ſecus ſe habeant. Quibus omnibus grauis eſt diuinitus propoſita pœna, graue exitium. Nam & mores veteres nos ſequi oportet, & ſacræ ſcripturæ interpretibus parere, & ſubiici neceſſarium eſt. In quo enim ſpiritu loquutus eſt Paulus, in eodem Petrus & reliqui: in eodem item ſancti Antiſtites, & ſancti Hierarchæ noſtri, Baſilius magnus, Gregorius Theologus, Ioannes Chryſoſtomus, ac vniuerſus ille ſanctorũ Patrum chorus; prælucentes tanquam clariſsima quædam lumina mundi, verbúmque vitæ elucidantes, & ea, quæ ſacra & diuina ſunt nobis annunciantes, hæcque nobis omnia ſumma fide & integritate enarrantes. Rurſum igitur idem Diuus Chryſoſtomus, ad Thimotheum hunc in modum dicit: Si igitur quis emundauerit ſe ipſum; erit vas in honorem & ſanctificationem. Vides, inquit, vt non naturæ, carnalíſque neceſsitatis ſit, aureum aut fictile vas effici; ſed noſtræ ipſorum voluntatis, ídque dum hîc ſumus in hac vita: ibi enim neque fictile vas, aureum fieri poteſt, neq; hoc item in illud commutari: at verò dum hîc ſumus, magna huius immutationis, & commigrationis facultas volenti datur. Vas erat fictile Paulus; & euaſit in aureum: Iudas vas fuit aureum; ſed in fictile conuerſus fuit. Et alio loco, exponens illud Pauli ad Epheſios: Gratia Dei ſaluati ſumus, ait: Ne beneficiorum magnitudo te extollat, vide quomodo te reprimat. Gratia, inquit, Dei ſaluati eſtis per fidem. Deinde, ne rurſus libera voluntatis

Prouer. 18.

Philip. 2.

Philip. 2.

Hom. 6. in 2. Tim. cap. 2.

Serm. 4. in cap. 2.

facultas lædatur;posuit & ea quæ nostra sunt,quæ tamen ipsa ex nobis nõ esse docuit, Non, inquit, ex nobis, addit statim: nam neque fides,inquit, ex nobis: nisi enim ipse nos vocasset, quomodo credere possemus? Dei igitur donum est. Neque ipsa tamen fides ad salutem sufficit;sed ne vacuos ociosósque nos saluet, requirit eam,quæ per dilectionem operetur. Sed & hoc ipsum Dei donum est, ne quis glorietur. Et rursum,cùm dicit, Neminem ex operibus iustificari;hoc ideò facit,vt hoc pacto gratia & benignitas Dei illustriùs appareat; ac si diceret: opera habentes, non est auersatus;sed ab operibus destitutos gratia saluauit. Verùm,ne quis iterum dum audit, non ex operibus, sed ex fide nos iustificari, ignauus & ociosus reddatur; vide,quid subiungat: Ipsius enim factura sumus, creati in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparauit Deus,vt ambulemus in eis. Constanti enim & perseueranti virtute in hoc certamine opus est; sine qua nihil ex his rebus quæ dictæ sunt, nos quicquam iuuare potest. Seruare enim nos ea omnia oportet,quæ nobis Christus Dominus præcipit,ac ne minimum quidem ex illis transgredi; vt hac ratione, nostra vera fides excellenti virtute sese commendet,ac quasi in lucem se conspiciendam proferat.

Deum non esse authorem MALORVM.

Caput XIX.

In morali homil. 8. in 2. Tim. cap. 3.

DEcimonono igitur loco docetis,causam peccati pe nes nos,malámq; voluntatẽ,atq; nostrã electionem esse; Deum autem nullo modo vllius mali causam existere. Quod quidem à vobis præclarè, verisiméque dicitur. Exponens enim D. Chrysostomus Epistolam ad Timotheum, dicit: Scias,inquit,Deum omnia gubernatione sua moderari, omnibus rebus prouidere: & alia quidem ipsum per se efficere, alia verò fieri permittere, nihílq; mali velle fieri. Bona omnia ex voluntate nostra, & illius adiutorio, proueniunt, nihílque ipsum latere; omnia autem mala, à nostra proficisci voluntate. Premuntur iusti, vt coronentur: peccatores verò, vt pœnas persoluant. Neque tamen aut omnes improbi hîc plectuntur, ne resurrectionem plerique non credant: neque omnes item iusti calamitatibus diuexantur, ne quis improbitatem vtilem, & laudabilem esse putet. Quæ omnia, si rectè nobiscum expendemus, nihil profectò erit, quod nos in hac vita valdè perturbare possit. Si item sacras scripturas assiduè audiemus;inueniemus profectò ea omnia,quæ nos ad salutem mirificè instruere possunt. Et paulò pòst progressus, inquit: In nobis situm est, ex ipsis rebus aduersis, lucrari, iacturámque perferre. Nõ

In morali homil. 9. in 2. Tim. cap. 4.

hoc fa-

hoc facit triſtium euentuũ natura,ſed noſtra voluntas. Multa pertulit Iob, gratè ſuſtinuit omnia, iuſtificatus eſt; multò minora alius; ſed blaſphemauit, ſed indignè tulit, maledixit, in Deúmque commotus eſt, ideò iudicatus & damnatus eſt. Forti igitur & magno animo opus eſt, & nihil graue nobis, durúmque eſſe videbitur; ſicut & contrà, ſi ille infirmus fuerit; nihil erit, quod non grauiſsimum eſſe videatur. Tum enim demùm diabolus aliquid proficit, vbi mentem noſtram Deo adhærentem non inuenit: vbi immoderatum,& intemperantem animum cernit. Cùm enim homo mã datorum Dei non recordatur, neque iuſtificationes eius ſeruat; tum demùm illum captiuum præhendit, cum eóque tanquam inſidioſiſsimus pirata in aduerſos exitii ſcopulos profugit. Nam & Adam, ſi apud ſe recenti memoria tenuiſſet præceptum illud: Ex omni ligno comedes:ſi item ſeruaſſet iuſtificationem illam, quæ dicit: Quacunque die comederis, morte morieris: nunquam in ea mala,in quæ poſtea detruſus eſt,coniectus fuiſſet. Nemo igitur Deum accuſet: nemo in eum cauſam ſuorum malorum referat. Non enim in illis, qui vocant, cauſa incredulitatis cõſiſtit; ſed in his, qui vocantibus non parent, atque reſiliunt. Atqui dicet quis: melius fuit longè,inuitum etiam pertrahi. Apage verò cum iſta tua oratione: neminem vi adigit, neminem cogit Deus: nemo enim ad honores, nemo ad coronas,nemo ad conuiuia,& panegyres,ac ſolennitates, quemquam nolentem vi cogit: nemo inuitum, & quaſi catenis vinctum trahit: hoc enim non honorantis eſt, ſed contumelia afficientis potiùs. In gehennam mittit ille inuitos; in regnum porrò cœleſte volentes,atque currentes inuitat. Cur igitur non omnes, id, quod melius eſt ſequuntur? propter eam, quæ cuique ineſt, infirmitatem. Cur igitur eam non extirpat? An non vniuerſam hanc naturam, tanquam librum quendam immenſam humanitatem, ſimul & potentiam eius enarrantẽ expandit? an nõ tot ſeruos ſuos prophetas miſit? an non toties nos vocauit? an non infinitis & inuſitatis ſignis & portentis ſua confirmauit? an non gehennam,æternúmque exitium comminatus eſt? an non regnum cœleſte toties promiſit?an non quotidie ſolẽ ſuũ oriri facit ſuper bonos & malos?imbres mittit item ſuos ſuper iuſtos & iniuſtos? Vellem dices, potiùs neceſsitate bonus eſſe, & ab ipſis præmiis, quæ hanc libertatem conſequuntur, excidere; quàm integra voluntate improbus exiſtens, tam acerbæ damnationis ſententiæ, ſubiici,atque puniri. Atqui pugnat cum rerum natura, neceſsitatem fieri virtutem. Verùm ſi ignoras ea, quæ ſunt facienda; age, prode ignorantiam tuam, & tunc tibi dicentur ea, quæ dici oportet: aut ſi benè noſti, quæ recta ſunt, & ea quæ nocitura eſſe videantur; cur non abſtines? cur in vetita ruis? Non poſſum inquis? Atqui cæteri, eiusdem ſortis & conditionis homines, longè maiora poſſunt: téque ſuo exemplo conuincunt: abundéque os iſtud tuum impudens obſtruunt. Tu fortaſſe, cùm vxorem habeas,temperare tibi ab aliena non potes; alius autem etiam ſine vxore incorruptam ſeruat continentiam. Quam igitur tuæ incontinentiæ adferes defenſionem? Non ſum,inquies,eiusdem naturæ, non eiusdem complexionis. Ea ſcilicet cauſa, quòd

Iob. 1.

Geneſ. 2.

Mat. 5.

sa, quòd nolis: nam te non posse, dicere non debes; cùm tibi facilè demõ strabitur, omnes ad virtutem idoneos nasci. Nam quod simpliciter quis non potest; illud etiam omni necessitate incumbente, nunquam poterit. Si autem necessitate vrgente poterit ille qui non facit, voluntate sua non facit. Quale hoc est, volare, aut in cœlum subleuari, graui hoc pondere corporis depressum, possibile non est. Quid igitur, si rex facere præcipiat hęc? Quid si non facienti mortem proponat; dicens se eos, qui non volaturi sint, obtruncaturum, vel igni traditurum, vel alquod eis simile supplicium illaturum? faciétne iussum quispiam? parebítne? nequaquam. Non enim potest: non patitur natura. Quid, si idem rex iubeat, vt temperatè & continenter viuant? nónne statim plurimi huic imperio parebunt? Negabis fortasse, propter eos, qui tale mandatum transgredientur. quid si eosdem vinctos in carcerem coniiciat, ibíque concludat; poterúntne æstum illum cupiditatis suæ perferre, nihílq; inconueniens perpeti? optimè profectò. Nõ igitur dicas, hunc quidẽ natura esse bonum, illum malum. Non enim si ita á natura quis constitutus esset, vllo vnquam tempore, vt clarè videmus, immutari posset. Voluntatis igitur nostræ, non naturæ, totum vitium est.

De sacris traditionibus, & præ-

SERTIM MONACHATV.

Caput XX.

VIgesimum caput docet, vos quidem bona opera non repudiare, omnémque pietatem, & religionem sequi; dies tamen festos, sacrificia, stata item ieiunia, fraternitates, monachorum denique vniuersam politiam, & alia his similia, inutilia esse censere. Quod quidem nec rectè, nec sanctis patribus consentaneè fit, atque dicitur. Si enim omnia opera bona, vt dicitis complectimini, cùm hæc ipsa eius generis sint, vel inprimis hæc colere, eorúmq; studiosi esse debebatis. Nam primò de Ascetica vita, quæ eadem Monastica est, illud Magnus Basilius docet: Ascetica, inquit, vita, vnum solum scopum & finem habet, salutem animæ: omníaque ea, quæ ad eam salutem aliquo modo conferre possunt, vitæq; suæ institutum, atque regulam, tanquam Dei mandata, cum omni tempore & cautione seruare: cùm ne ipsorum quidem præceptorum Dei alius scopus sit; quàm eos seruare, qui illis obediunt. Oportet igitur, quemadmodum illos, qui loturi in balneum ingrediuntur, omni veste nudari; sic & eos, qui vitam monasticam ingrediuntur, ab omnibus vitæ huius impedimentis denudatos, intra philosophicæ vitæ metas se continere. In qua quidem rerum omnium repudiatione, illud summum est, vt prauas cupiditates pri-

tes primùm deponamus : deinde illud,quod vi & natura ſua primum illud ſequitur ; vt omnia reliqua terrena vitæ impedimenta à nobis reiiciamus. Et cùm hoc genus vitæ delegerimus , quod in amabili quadam ſocietate conſiſtit;illud imprimis curare,vt ſit omnium cor vnum,& anima vna: voluntas item & ſtudia,iuxta D. Pauli præceptum eadem:vnum exiſtere corpus,ex pluribus membris compactum : omnem item perfectionem fraternæ vnitatis & concordiæ complecti : nihil proprium habentes, ſed omnia in commune poſsidentes. Neq; verò ſolum hoc tale genus hominum accuſandum non eſt; ſed etiam ſummis laudibus & commendatione efferendum : maximè illi, quos diuinus amor ad veram illam pulchritudinem cœleſtem contemplandam erexit,ac planè vulnerauit, ipſúmq; ſponſum Chriſtum Dominum ſectari, illíque adhærere docuit. In quibus alii aliam, pulchri & honeſti, in Eccleſia Dei ſpeciem, ſunt complexi, & occinunt. Et alii quidem virginitatis perſonant hymnos:alii eorum,qui ieiuniis,& humicubationibus domuerunt corpora ſua,celebrant encomia: alii eorum animi magnitudinem , qui ſua omnia propter Chriſtum vendiderunt , admirantes , illorum laudes longè latéque perſequuntur : non tam illud , quomodo vnoquoque eorum, quæ dicta ſunt, rectè quis defungi poſsit,verbo docentes ; quàm vel ſolam laudem prædictorum , ad omnem virtutis profectum & incrementa, plurimùm valere exiſtimantes : quemadmodum & accuſationes eorum, qui tales non ſunt, eòdem referri putamus. Vt enim ad aliquod opus vocati atque conducti,ſiquidem ille, qui eos vocauit,hoc propoſitum , & hunc finem habet, vt metant , ad hoc ipſum ſe totos præparant : ſi item vt ædificent, ad ædificandũ ſe totos componunt ac cohortantur ; ſic illi , qui in nomine Ieſu Chriſti collecti ſunt , in primis finem & ſcopum illius , qui eos collegit, cognoſcere , ac ita demùm ad eum finem ſeſe componere,ac præcingere omni conatu debent, ne ſuo fruſtrentur fine; ſed vt potius eum amorem,qui ex mutuo complacendi ſtudio emanat, conſequantur, & ne improbitatis & negligentiæ iudicium ſubeant. Debéntque illius Apoſtolici meminiſſe dicti , qui inquit : Obſecro vos , ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione veſtra , in qua vocati eſtis. Clarius autem ipſe Dominus omnia nobis in diuinis ſuis promiſsionibus explicat : Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit,& pater meus diliget eum , & ad eum veniemus, & habitationem apud ipſum faciemus. Vt igitur inde habitat in ſingulis nobis , ſi præcepta eius ſeruamus ; ita multò magis,vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine eius,in medio illorum ſe adfuturum pollicetur , ſi itidem omnem vitam, & mores ſuos, ad mandata eius compoſuerint. Nam, ſi indignè vocatione ſua ambulauerint , neque ad voluntatem Dei ſeruandam conſpirârint : etſi in nomine Domini in idem congregati eſſe videantur; illud tamen audient : Quid me vocatis, Domine,Domine,& non facitis,quæ ego præcipio vobis? Qui igitur diuinæ gloriæ particeps effici vult, & tanquam in claro ſpeculo,formam Chriſti in mente & animo ſuo contemplari;debet inſatiabili amore, & eo, qui expleri non poteſt ſtudio, ex toto corde , & ex omnibus viribus

Ephes. 4.

Ioan. 14.

Mat. 14.

Luc. 6.

Baſilius in oratione de libero arbitrio.

suis, nocte, atque die, auxilium eius, ad id ipsum rectè & constanter comprehendendum quærere. Quo perfectè nemo frui poterit, nisi prius ita, vti dictum est, ab omni se mundana voluptate, ab omnibúsque aduersæ potestatis cupiditatibus abiunxerit, quæ cum luce diuina pugnant, omníq; operi bono inimicæ & aduersæ sunt. Proinde, si cognoscere velis, cuius causa à Deo benignissimo opifice conditi, ac in delitiarum paradiso collocati, ad extremum in numerum iumentorum insipientium coniecti, similésque illis facti, ab incontaminatáq; illa gloria excluſi sumus; hanc ipsam cognosce. Quòd vbi primùm per inobedientiam serui carnis, per prauos affectus, facti sumus; ibi nos statim ipsos à beata excluſimus vita, regione viuentium: ac in captiuitate, & dura seruitute constituti adhúcque iuxta
Psal. 136. Babylonis flumina sedemus; & quòd etiãnum in Aegypto detineamur: nõdúmque terram promissionis hæreditate audiuimus, melle, & lacte manantem: nondum aspersum est cor nostrum cœlestis agni sanguine; adhuc enim laqueus inferni, atq; hamus malitiæ in illo infixus hæret: nondum
Ephe. 4. recepimus lætitiam salutaris Christi; adhuc enim stimulus mortis pungit nos: nondum induimus nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in sanctitate & iustitia; siquidem nedum deposuimus veterem hominẽ,
Ibidem. qui corrumpitur secundùm cupiditatem fraudis: nondum circumferimus
1. Cor. 15. imaginem hominis cælestis, conformes gloriæ illius facti; amplius enim i-
Rom. 8. maginem terreni gerimus: nondum veri adoratores adoramus Deum in
Ioan. 4. spiritu & veritate, adhuc enim regnat peccatum in mortali corpore no-
Rom. 6. stro: nondum vidimus gloriam incorruptibilis Dei; adhuc enim in hac te-
Rom. 1. nebrarum valle detinemur: nondum induimus arma lucis; quia nedum
Rom. 13. deposuimus arma & opera tenebrarum: nondum reformati sumus nouitate mentis: adhuc enim conformamur seculo huic in mentis nostræ vani-
Rom. 12. tate: nondum cicatrices eius in corpore nostro gestamus, facti in mysterio
Gal. 9. crucis; adhuc enim in carnalibus passionibus atq; cupiditatibus viuimus:
1. Pet. 2. nondum hæredes Dei, cohæredes autem Christi facti sumus; adhuc enim
Rom. 8. spiritum seruitutis, non autem filiationis Dei gestamus: neque enim ha-
Ibidem. ctenus templum Dei, tabernaculum Spiritus sancti effecti sumus; ampli
2. Cor. 6. ùs enim idolorum templa, vasáque spirituum nequitiæ, propter eam, quę nobis inest ad mala procliuitatem, sumus. Profectò enim nondum sinceritatem illam, & puritatem morum, mentísque splendorem nobis acquisiuimus: nondum spirituali, & absq; omni dolo, lacte, mentísque nostræ incremento, & perfectione digni sumus: nondum nobis illuxit dies, nec lucifer exortus est, in cordibus nostris: nondum nos occupauit sol iustitiæ, neque splendor radiorum eius: nondum similitudinem Dei nostri recepi-
2. Pet. 1. mus, neque consortes eius diuinæ naturæ facti sumus: nondum germana
1. Cor. 11. magni Regis purpura, neque genuina imago Dei facti sumus: nondum eius diuino amore vulnerati: nondum spiritali charitate sponsi nostri Iesu
1. Pet. 2. Christi perculsi: nondum inuisibilis, & mysticæ communionis participes facti sumus. Et vt in summa omnia complectar: nondum genus electum, regale sacerdotiũ, gens sancta, populus acquisitionis, effecti sumus; siquidem

dem ampliùs ſerpentes, amplius genimina viperarum ſumus. Quomodo enim nō ſerpentes illi, qui in terra perpetuò repunt, & ea tantùm quæ terrena ſapiunt, neque conuerſationem ſuam in cœlo habent; quomodo item non genimina viperarum, qui non obedientię Dei, ſed potiùs fœdi ſerpentis rebellioni adhæremus? Quibus igitur verbis compellabo? quibus lacrymis, quo gemitu flectam illum? qui ſolus poteſt eum, qui in me crudelem dominatum fixit, pellere errorem? Aut quomodo eas, quæ in me regnant, prauas cupiditates excludam; vt particeps efficiar gloriæ Chriſti, vt ſanctus & mundus filius Dei ſim, vt in eam requiem, in quam me præceſsit caput meum Chriſtus, ingrediar? Torrentes lacrymarum profundam: lauabo per ſingulas noctes lectum meum; donec in tribulatione & cordis mei anxietate exaudiar, miſericordiámque conſequar: donec cum Maria optimam me partem elegiſſe ſentiam: donec cœleſti pane, qui mūdo dat vitam, dignus efficiar. Verùm dicet quis: Itáne plurimi Chriſtianorum, ſi non omnia Dei mandata compleuerint, fruſtrà ſe in aliis exercebunt? Quo loco, bonum erit B. Petri meminiſſe, qui poſt tot res præclarè geſtas, cùm toties ſe beatum à Domino audiuiſſet, ex leui voluntatis diuinæ detrectatione, illud audit: Niſi lauero te, non habebis partem mecum: vt interim taceam, neque ex ignauia neque ex contemptu; ſed potiùs ex ſumma erga Dominum reuerentia atq; pietate id eum feciſſe. Atqui amplius dicet quis, ſcriptum eſſe: Quiſquis inuocauerit nomen Domini ſaluus erit: & ita vel ipſam nominis diuini inuocationem, ad ſaluandos eos, qui inuocant, ſufficere. Verùm, audiat ille viciſsim Apoſtolum dicentem: Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? Si verò credis, audi ipſum Dominum: Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem patris mei. Quod ſi vel hoc ipſum, facere voluntatem patris, nihil iuuat, inutiléque habet operis ſtudium; niſi debitè & ſuo modo fiat: hoc autem eſt, niſi diuini amoris & æternæ felicitatis conſequendæ cauſa ſuſcipiatur: Sicut ipſe Dominus ait: Faciunt, inquit, vt videantur ab hominibus. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem ſuam. vnde & Apoſtolus inſtitutus, dicit: Si inquit, bona mea profundam in eſcas pauperum: ſi corpus meum tradidero, ita vt in igne ardeam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Quid de nobis dicemus, qui vitam mollem, & omni voluptate diffluentem, illi, quæ ex lege & voluntate Dei eſt, longè anteponimus? qua tandem ratione, aut æternæ vitæ felicitatem, aut ſanctorum contubernium & ſocietatem, aut cum angelis gaudia in conſpectu iuſti iudicis Chriſti nobis pollicebimur? Stultæ profectò, & inſanæ mentis eſt, hæc cogitatio. Quomodo enim in pari honore in regno cœleſti cum Beato Iob conſedebit ille, qui ne exiguam quidem afflictionem, moderatè, & cum gratiarum actione portauerit? Quomodo cum Dauide, qui in cōdonandis iniuriis, ſuffe-rendísq; inimicis nullam vnquam animi magnitudinē præſetulerit? Quomodo cum Daniele, qui non aſsidua continentia, & deprecatione ſedula Deum quæſierit? Quomodo item cum aliis ſanctis, qui ne veſtigium quidem vllum

Mat. 23.
Philip. 3.
Pſal. 6.
Luc. 10.
Ioan. 6.
Ex Aſceticis Baſilij.
Ioan. 3.
Ioel. 2.
Rom. 30.
Rom. 10.
Mat. 7.
1. Cor. 13.

dem vllum eorum virtutis, in vita, moribúsque suis, demonstrauit? Quis Agonethetes adeò est iniquus, iudiciíque expers, qui paribus præmiis, & coronis dignetur victorẽ, & illũ qui ne in arenam quidem descendere voluerit? Quis Dux & Imperator in æquam prædæ partem vocabit eos; qui ne in pugna quidem conspecti sunt cum illis, qui egregia potiti sunt victoria? Bonus quidem & clemens Dominus; sed idem iustus simul. Ne igitur vna tantùm parte Deum illum esse agnoscamus, sola scilicet misericordia illius; neque eius immensam humanitatem, & benignitatem, occasionem ignauiæ & inertiæ faciamus: ideò enim de cœlo tonat, ideò fulmina iacit; vt nemo eius bonitatem contemnat: idem ille, qui solem suum exoriri facit, idem cœcitate improbos ferit: ille qui pluuiis terram rigat, idem igne, sulphure, spiritu, procellâque agit, vertítque omnia. Vt enim illa sunt mansuetudinis, & benignitatis eius; ita hæc seueritatis signa: vt aut propter illa diligamus, aut propter ista metuamus eum: ne illud & nos audiamus: Numquid diuitias bonitatis, & patientiæ, & longanimitatis eius cõtemnis? ignorans quoniam benignitas eius ad pœnitentiam te adducit; secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ. Cùm igitur absque exercitio illorum operum, quæ Deus præcepit, neq; spes sit vlla salutis; nihil profectò eorum, quæ præcepta sunt, contemnere tutum sit: magnæ enim est præsumptionis, de ipso legislatore, eiúsque legibus, nos iudicium, sententiámque ferre velle. Agè igitur, Euangelica dogmata, omni ex parte, cum vera fide complectamur omnes: communem denique curam & consilium eò conferamus; ne nos vlla pars diuinæ voluntatis effugiat. Si enim christianum, Deíq; hominem, perfectum esse oportet; debet certè is omnes partes mandatorum Dei complere, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: Nam vt mihi prædicandi necessitas incumbit, & væ mihi erit, nisi Euangelizauero; ita & vobis idem studium, idémque periculum inest, si aut circa necessariorum inuestigationem socordes fueritis, aut si remissi & soluti, in custodia earum rerum, quæ nobis traditæ sunt, ipsorúmq. operum studio, extiterimus. Ideò enim dicit Dominus: Sermo quem loquutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die. Et seruus nescius, & digna plagis faciens, vapulabit paucis: seruus autem sciens, & non faciens, nec se totum ad voluntatem Domini componens, vapulabit multis. Sit igitur doctrinæ dispẽsatio ex parte quidem mea sine reprehensione: ex parte autem vestra, fructuosa, scientes vniuersæ sacræ scripturæ partes, atq; mandata aliquando ad tribunal Iesu Christi, antẽ oculos nostros poni debere. Arguam te, inquit scriptura, & constituam in conspectu tuo peccata tua. Hoc pacto namque cum omni vigilantia & sobrietate his, quæ dicuntur, diligentiùs inuigilabimus, & diuina dogmata, ad opus sedulò producere festinabimus; ignorantes, qua die, & qua hora Dominus noster sit venturus. Ea enim, quæ nobis cum Deo intercedit coniunctio, non in ea quæ secundùm carnem est cognatione consistit; sed solo prompto studio exercendæ voluntatis eius perficitur. Qui ex Deo est, inquit scriptura, verba Dei audit. Et iterum: Qui spiritu Dei aguntur, hi filii Dei

Rom. 2.

Ephes. 4.

1. Cor. 9.

Ioan. 12.

Luc. 12.

Psal. 49.

Mat. 24.

Basilius definitione. 22.

Ad Rom. Ca.

Ioan. 8.

filii Dei sunt. Quem locum exponens Diuus Chrysostomus, inquit: vt non lauacri dono confisi, vitam subsequentem negligerent, ait: Quamùis Baptisma acceperis, nisi spiritu postea ducaris; dignitatem datam perdidisti, & adoptionis prærogatiuam prodidisti. Propterea non dixit, quicunque spiritum acceperunt, sed, quicunque spiritu ducuntur; hoc est, quicunq; omnem vitam ita viuunt, hi sunt filii Dei. Et Ioannes: Vos amici mei estis, si feceretis, quæ præcipio vobis. Impossibile autem esse quenquam regno cœlesti potiri; qui non maiorem ea, quæ legis est, iustitiam Euangelii pre se tulerit, ipse Dominus clarè docet: Nisi, inquit, abundauerit iustitia vestra, plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Et Paulus: Omnia, inquit, damnum esse putaui, præ excellentia cognitionis Iesu Christi Domini nostri, cuius causa omnia in damno collocaui, ac veluti stercora arbitratus sum, vt Christum lucrifaciam, & inueniar in illo, non habens in me iustitiam meam, quæ ex lege est, sed eam quę ex fide Iesu Christi, quæ ex Deo est, iustitia in fide. Omne enim, quod ex fide non est, peccatum est. Oportet igitur nos spiritu Dei regi: oportet rectæ fidei adhærere; vt digni futura salute efficiamur. Sed & illud item non ignorandum est, ac vtique confitendum, omnium eorum, quæ in nobis bona sunt, ipsiúsque tolerantiæ earum passionum, quæ pro Christo suscipiuntur, Deum ipsum fontem & autorem esse. Dicit enim Ioannes: Non potest homo accipere quicquam, nisi illi datum fuerit de cœlo. Quid habes homo, quod non accepisti? Gratia enim Dei saluati sumus per fidem, non ex nobis, Dei enim donum est, non ex operibus nostris; ne quis glorietur: & hoc, inquit à Deo. Nobis enim datum est pro Christo, non modo credere in illum, sed etiam pro illo pati, idem certamen habentibus. Neque item multum de se præsumendum est, ob ea præclarè gesta, quæ facit quis: neque omninò alii contemnendi; cùm ad eos, qui in se confidebant, & alios, tanquam ipsi iusti, aspernabantur, illa dicta sit parabola: Duo homines ascendebant in templum, vt orarent, &c. Sibi enim & non Deo sua tribuere bona omnia, nihil aliud est, quàm Deum negare, cum ipsóque ex aduerso pugnare. Propter illos igitur, qui sibi ipsis confidunt, & non omnia in Deum omnium bonorum auctorem referunt; sed & alios fortasse, præ se contemnunt, ea parabola docet: quantumùis admiranda quadam iustitia, & quæ proximum Deo hominem efficiat, præpolleat quis; si tamen cum superbia, & aliorum despicientia, ea ipsa iustitia sit coniuncta; eam in meram vanitatem hominem detrudere, ipsíque Apostatæ angelo, qui quondam Deo par esse voluit, similem reddere. Nemo profectò sibi confidat: nemo, ait Basilius, putet se suis cogitationibus & cõsiliis in Euangelii præconio placere posse; sed omnia nostra in Deum referamus, illíque soli confidamus. Fiduciam, inquit Paulus, habemus ad Deum per Christum. Neque enim sufficientes sumus ex nobis ipsis, vel cogitare aliquid bonum, tanquam ex nobis; sed omnis sufficientia nostra ex Deo est, qui sufficientes nos fecit esse ministros noui testamẽti sui. Et alibi: Habemus, inquit, thesaurum hunc in vasis fictilibus, vt sit abundantia

8 homi. 4.
Ioan. 15.
Mar. 5.
Philip. 3.
Rom. 14.
Ioan. 5.
1. Cor. 4.
Ephe. 2.
Phili. 2.
Luc. 18.
2. Cor 3.
2 Cor. 4.

bundantia virtutis ex Deo, & non ex nobis. Amplius autem ipse docuit:
Ioan. 14. Si diligitis me, mandata mea seruate. Quàmdiu enim vniuersa mandata Domini non seruamus: quàm diu vitam nostram ita non comparamus, vt
Ioan. 15. illud testimonium eius referre possimus, Vos nõ estis ex hoc mundo; tamdiu eum non diligimus, Spiritúmque eius sanctum, frustra nos accepturos ab eo expectamus. Non solùm autem præcepta eius opere complere iustum est; sed & in aliis quoque virtutibus atque traditionibus nos exercere oportet, festos dies non contemnentes, memores Canonis 53. Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, in festis diebus carnem & vinum non sumat, abhorrens; & non propter exercitationem, deponatur: vt qui habeat inustam conscientiam propriam, & sit multis offensionis causa. De ieiunio item Canone 69. sic præcipitur: Si quis sacram quadragesimam non ieiunet, aut feriam quartam, aut Parasceue; excommunicetur. Et reliqua. Sed & ipse Dominus per Moysen ieiunium sanxit, vt quidem multis in locis scriptum legimus: & peculiariter, dum in hunc modum legem fert: Anima, quæ ante diem festum per ieiunium afflicta & humiliata non fuerit, peribit. Satagamus igitur per ieiunium & orationem mercatum salutis exercere. Ieiunantes autem, non ieiunemus ad lites & contentiones:
Isa. 58. non percutiamus hominem humilem & aduenam: dissoluamus omnia vincula impietatis, ac violentorum contractuum conscindamus chirographa: esurientibus panem, & escam frangamus: egenis & vagis domos nostras, iuxta Prophetæ præceptum, aperiamus: ieiunantes corpore, ieiunemus & mente, in omnibus nos ab omni malo abstinentes. tum erumpet quasi mane lux nostra, ita vti scriptum est: tum inuocabimus, & Dominus exaudiet: tum clamabit, & dicet: Bono animo sis: Ecce adsum.

De cultu & veneratione
SANCTORVM.

Caput XXI.

VIgesimumprimum caput, & idem vltimum considerationis vestræ, de veneratione & cultu sanctorum institutum est. Memorias scilicet sanctorum vtiliter celebrari, eásque ad id solùm, vt fides nostra solidetur & cõfirmetur conferre, dum cogitamus eos gratiam & auxilium, fide, diuinitus consequutos esse. Nos autem dicimus, inuocationem quidem verè & propriè soli Deo conuenire, illíq; primo & propriissimè deberi; eam autem quæ sanctorum est, inuocationem, non propriè dici, sed ex accidenti, vt ita dicam, quodammodo, & ex gratia & priuilegio quodam. Neque enim aut Petrus, aut Paulus ipse, exaudiunt eorum quen-

quenquam, qui illos inuocant, ſed gratia & donum, quod habent, iuxta illud promiſſum: Ego, inquit, vobiſcum ſum, vſque ad conſumationem ſeculi. Et de ea quidem inuocatione, quæ ipſi Deo debetur, Paulus ad Romanos ſcribit: Quomodo, inquit, inuocabunt, in quem non crediderunt? Deum, inquam, ſine omni dubio intelligens. Quòd autem & nos ſoli Deo propriè inuocationem tribuimus; patet ex ipſa ſacra arcanorum celebratione, vbi ſic Deum compellamus: Dignare nos Domine, vt liberè & cum bona venia audeamus te cœleſtem Deum Patrem inuocare, dicentes: Pater noſter, qui es in cœlis. & rurſum: Domine Deus virtutum, ſis nobiſcũ; alium enim præter te, in anxietatibus & tribulationibus noſtris adiutorem non habemus. & iterum: Alium, inquit, præter te Deum non agnoſcimus. Mediatores autem facimus omnes ſanctos: inprimis autem & excellenter ante alios omnes, ipſam Dei genitricem virginem Mariam matrem Dei: cum ea autem & angelorum & ſanctorum templis, donariis, ſolatiis, ſacris imaginibus eorum ſchetichè, hoc eſt, reſpectu ad aliud, non latreuticè, hoc eſt, proprio Dei cultu, honorẽ offerimus, illísq; aduoluimur. Scimus enim eum honorem, qui λατρεία dicitur, ſoli Deo deferri: neque alium extra illum Deum agnoſcimus, neque adoramus deos alienos, neque in ſanctis eorúmque imaginibus venerandis reſpectu facta adoratione, nimii ſumus; ſed intra modum, metuentes ſcilicet, ne eum honorem qui Dei proprius eſt, illis deferamus, quod abſit: res enim eſt impia, & à Chriſti Eccleſia, eiúſq; alumnis alieniſsima, verè & non ad aliud relatè, ſacras imagines adorare, quarum omnis honor, ad prima eorum exemplaria, inquit D. Baſilius, referri debet. Cæterùm, & alios ſanctos omnes mediatores nobis, & aduocatos conſtituimus, nec in præſenti tantùm hac vita, ſed etiam in futura. Nam & hæc mediatio quædam erit, cùm angeli, aliíque ſancti, atq; adeò non minus ipſa mundi domina, pro quibusdam exorabit. Neque tamen ſimpliciter pro omnibus, neq; pro aliquo, qui in lethali peccato mortuus eſt, illi deprecantur: nequaquam enim hoc dicendum eſt: iam enim vna ſententia hos tales excluſit à ſua miſericordia Deus, ac tale qd cõtra illos pnunciauit: Si ſteterit Noë, aut Iob, aut Daniel, filios eorũ & filias non liberabunt: ſed pro illis ſolis exorant, pro quibus preces ſuas gratas & acceptas Deo eſſe arbitrantur; pro his ſcilicet, qui in medio pœnitentiæ curſu ex hac vita ſunt rapti; nondum tamen peccatorum ſuorum ſordes, planè emundare potuerunt, ídque profectò ſtante adhuc iudicio, necdúmq; lata ſententia. Nam vbi ſemel ſolutum fuerit theatrum: vbi quiſque ad ſibi deſignatum locum pœnæ abductus fuerit; ibi iam mediatio nulla eſt, neque omninò vnquam fiet. hæc enim mediatio nunc, dum in hac vita ſumus, in Eccleſia ſuſcipitur, atq; prædicatur: dum nunc quidem ſanctos, nunc ipſam dominam, & matrem Dei, nunc angelos, mentésque beatas, compellamus, ac illorum ſacris precibus nos commendamus. Et dominã quidem noſtram hoc modo: Sanctiſsima domina noſtra, Dei mater, intercede pro nobis peccatoribus. Sanctos verò angelos: Omnes cœleſtes virtutes, ſanctorúmque angelorum, & archangelorum chori, orate pro nobis. Sed

Mat. 28.
Rom. 10.
Ezech. 14.

bis. Sed & Prophetam illum, atque præcursorem, Baptistámque Domini: glorioſos item Apoſtolos, Prophetas, martyres, ſanctósq; paſtores, ac doctores œcumenicos: ſanctarum item mulierum cœtus, omnésque ſanctos oramus, vt intercedant pro nobis peccatoribus; quò gratia ſua Deus inſuperabili, item diuina ac incomprehenſibili virtute ſanctæ crucis, propitius nobis peccatoribus fiat; nobis inquam, eum ſolum verum Deum colentibus, illíque ſoli confitentibus, in veráque pœnitentia perſeuerantibus, & qui rogamus, vt oculos animæ noſtræ illuminet; ne aliquando onere peccatorum depreſsi, obdormiamus in mortem, inimicúsque noſter præualeat aduerſus nos. Precibus igitur & interpellationibus eorum omnium, quos ſuprà memorauimus, petimus clementiſsimum Deum; vt ipſe ſuſceptor & liberator noſter eſſe velit: nósq; à laqueis inimicorum noſtrorum benigna ſua miſericordia liberare dignetur.

Annotationes.

Neque enim aut Petrus, aut Paulus ipſe exaudit quenquam, &c. *Non hoc dicunt, quòd ſancti omninò non audiant, quódq; preces noſtras non cognoſcant, pugnat enim hoc cum his ſanctorum compellationibus, quas paulò pòſt ipſi ſubiungunt:* Sanctiſsima domina noſtra Dei mater, intercede pro nobis peccatoribus. &, Sãctorum angelorum & archangelorum chori, orate pro nobis, &c. *quales item multæ perſimiles veterum Græcorum Patrum voces vbiq; exaudiuntur*: Sancti Dei, vos lacrymis & fletu doloris pleno rogo: *Origenis.* O Baſili, cœlitùs aſpice carnis ſtimulum, aut tuis ſiſtas interceſsionibus, &c. *Nazianzeni.* O communes generis humani cuſtodes, optimi curarum ſocii precum ac votorum inuicem ſuffragatores, legati apud Deum potentiſsimi, aſtra mundi, flores Eccleſiarum: *Baſilij. Quis enim aut non audientem, aut non ſentientem hoc modo compellat? Sed illud potius dicunt, quòd neque ipſi ſancti viribus ſuis; ſed diuino dono preces noſtras cognoſcunt: neq; nobis de ſuo tribuant quidquam, ſed Deus ipſe ſanctorum precibus, promiſsionibúsq;, quas illis fecit, flexus ac perſuaſus, donat largitúrq; omnia. Percipiunt autem, & exaudiunt noſtras preces ſancti, vel in ipſo Dei verbo, quod eam ob cauſam,* Candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius: *vel in ipſo diuino lumine: iuxta illud:* Non erit tibi ampliùs ſol ad lucendum per diem, nec ſplendor lunæ illuminabit te; ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam: non occidet vltra ſol tuus, & luna tua non minuetur; quia Dominus erit tibi in lucem ſempiternam, &c. *Et Apocalyp.* 21. Et ciuitas non eget ſole, neque luna, vt luceat in ea, nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius eſt agnus. *vel etiam miniſterio angelorum, iuxta illud Tobiæ:* Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos; ego obtuli orationem tuam Domino. *Et illud Apocalyp.* 8. Et alius angelus venit, & ſtetit ante altare, habens thuribulum aureum: & data ſunt ei incenſa multa, vt daret de orationibus ſanctorum omnium ſuper altare aureum, quod

Sapi. 7.
Iſaiæ 60.

eſt ante

est ante thronum Dei. Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum,de manu angeli coram Deo. *Verùm hæc alterius,& prolixioris sunt considerationis.*

σχετικῶς οὐ λατρευτικῶς προσκυνουμένοις. Non proprio Dei cultu, sed relatè ad exemplar,&c. *Non caruit menda hic locus:itaq; sensum & sententiam sequuti sumus.*

οὐκ ἐπὶ πολὺ γινόμεθα ἁγιοπρεπῶς σχέσιν Neq; in venerandis imaginibus nimii sumus, sed intra modum, &c. *Græcè sic scriptum erat, quod certè nullum sensum habere videtur: id tamen eos velle dixisse,quod posuimus,& res,& verba ipsa innuunt. Tum Canon septimæ & octauæ synodi docet, vbi sic de imaginibus decernitur.* Sacram imaginem Domini nostri Iesu Christi, & omnium saluatoris, æquo honore, cum libro Euangeliorum adorari, decernimus. Sicut enim per syllabarum eloquia, quæ in libro feruntur,salutem consequuntur omnes; ita per colorum imaginariam operationem,& sapientes & idiotæ cuncti, ex eo, quod in promptu est, perfruuntur vtilitate. Quæ enim in syllabis sermo, hæc & scriptura, quæ in coloribus, prædicat, & commendat. Dignum est enim,vt secundùm congruentiam rationis,& antiquissimam traditionem propter honorem, qui ad principalia ipsa refertur,etiam deriuatiuæ imagines honorentur & adorentur,vt sanctorũ Euangeliorum sacer liber, atque typus precioſæ crucis.

Epilogus de quibusdam, vt isti VOCANT, ABVSIBVS.

AMplius autem ad eos, quos dicitis abusus respondentes, dicimus. Primùm vtriusque speciei participes esse oportere omnes dicitis: & rectè quidem: nam & nos hoc idem tremenda hæc mysteria participantes facimus,illi inquam,qui his digni sumus, præter id, quòd non in azymo, sed in fermentato pane panis speciẽ accipimus. Secundum est, quod dicitis,melius esse nubere,quàm vri,iuxta illud Pauli: vnius vxoris virum,& reliqua quæ Paulus in hoc genere præcipit. Proinde & nos illis sacerdotibus, qui in virginitate persistere non possunt, priusquam tamen consecrentur, & sacerdotes fiant, vxores accipiendi potestatẽ damus. Deus enim matrimoniũ sanxit. Illud non itẽ ignoramus,multa turpia & fœda suscipi inter eos, qui sacerdotes vxores accipere prohibentur. Ille autem qui semel virginitatem professus est, virgo permaneat, nec iam illi vllam amplius licentiam post votũ susceptum nubendi damus. Nemo enim mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, idoneus est consequendo cœlesti regno. Si verò huic humanitùs quid contigerit;hunc Ecclesiastica disciplina coërcemus, ac ad moderationem vitæ, per pœnitentiam,atque confessionem,carnis item mortificationem, ac omnem vi-

1. Cor. 7.
1. Tímot. 3.
Luc. 9.

tæ continentiam reuocamus, ac veluti lustratione quadam expiamus; nihil dubitantes, misericordiam benignissimi Dei, humanæ eius infirmitati non defuturã. Tertio loco explicatis, sacram liturgiam cum maiore pietate & deuotione apud vos, quàm apud aduersarios vestros celebrari; vt quã ad quæstum, & ad lucrum à quibusdam referri dicatis, indéque multiplicationem priuatarum missarum exortam esse: vnam item solam liturgiam vos celebrare, non ritu Romanæ Ecclesiæ plures, scribitis. Si qui igitur sunt, qui ad quæstum & lucrum tantùm referant mysterium; illi turpiter & improbè faciunt, quod certum & confessum esse, & nos, & veritas ipsa testatur. Quod autem additis, mortem Christi non tantùm vetus primi parentis nostri debitum sustulisse, sed & omne aliud peccatum deleuisse; in eam partem illud dicimus: Debitores nos esse vniuersæ legis diuinæ implẽdæ; ad imitationémque vitæ, & conuersationis eius, qui pro nobis mortuus est, & resurrexit, pro posse cuiusque, nos obligari; memores illius Apostolici: Charitas, inqt, Christi vrget nos: æstimantes hoc, quoniã si vnus pro omnibus mortuus est, ergo oñes mortui sunt. Et pro omnibus mortuus est Christ⁹: vt & qui viuunt, iã non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. Si enim vna parte corporis sui tãtùm circũcisus iuxta legem Mosis, debitor est vniuersę legis; quantò magis circũcisus qs, ea quæ secũdùm Christũ est, circumcisione, depositione vniuersi corporis, peccatorũ carnis, quemadmodũ scriptũ est, debitor efficitur adimplere illud Apostoli dictũ: Ego mundo crucifixus sum, & mund⁹ mihi. Viuo aũt iam nõ ego, sed viuit in me Christus. Mortuos enim nos oportet esse peccato, neq; amplius illi seruire, & ita demùm seq; Christum; quod quidẽ est Deo plenè & perfectè viuere. Si enim liberè peccabimus, nec pœnitentiam agemus vnq̃; hac qdem ratione, ne mors quidem Christi, quam adeò superbè iactamus, nobis proderit quicquam. De confessione autem & remissione peccatorum, quod quarto loco ponitis, ex sententia magni Basilii respondemus: Oportere vnumquemque Christianorum, siquidem dignum pœnitentia profectum demonstrare velit, vitæque ad legem Iesu Christi institutæ habitum & cõsuetudinem sibi comparare; nullum animi motum, occultum apud se continere, nullúmque verbum non expensum proferre; sed occultissima etiam quæque cordis sui aperire, non quibusùis passim; sed illis tantùm, qui remedium, & sciunt & possunt adhibere. Et in alio loco idem Basilius: Oportet illis, inquit, quibus commissa & concredita est sacrorum Dei mysteriorum dispensatio, peccata sua confiteri. Sic enim antiquitùs omnes illi, qui pœnitentiam egerunt, ad genua sanctorum feciſſe inueniuntur. De potestate autem remittendi & retinendi peccata, illud existimandum esse putamus, nec omnibus, vt dictum est, passim, nec simpliciter traditam esse; sed pœnitentis obedientia interueniente tantùm, paratóque animo ad ea omnia facienda, quæ is, cui ea cura animæ nostræ demandata est, iusserit atque præscripserit: tum vt is, qui absoluendus est, verè, & ex animo pœniteat: vera enim pœnitentia est, ad eadem non relabi mala. nam si quis ad eadem peccata redeat; hic similis est cani, ad suum vomitum redeunti.

Gal. 6. Galat. 2.

In Asceticis cap. 26.

2. Pet. 2.

Opor-

Oportet autem vita & proposito, ab omni temerario ausu nos remouere, contrariáque remedia vulneribus nostris adhibere. Quintum est de oblationibus,festis diebus,statis ieiuniis,de traditionibus item: & quòd gratis per Christum peccata,& non propter aliqua merita & iustitias nostras nobis remittantur,confiteri debeamus: impossibile item esse omnes traditiones quemquam seruare posse;vnde grauantur,& perterrentur piæ & trepidæ conscientiæ. Ad quæ omnia verbis D. Basilii sic respondemus. Cauendum, inquit, nobis est, ne occasione vnius præcepti, alia transgrediamur. Quare inquit,& ipse Paulus,de ciborum ratione docens,non simpliciter carnis rationem non habendam esse monet, sed in desideriis: tanquam illud quidem, quod ad libidinem & voluptatem in carne nostra est præceps & procliue, per exercitationem, atque mortificationem sit extirpandum: illud autem, quod est vtile,quódque ad virtutis & pietatis exercitium confert, éstque necessarium, diligenti cura & studio exercendum, atq; conseruandum: Esca enim, inquit Paulus, nos Deo non commendat: & regnum Dei non est cibus & potus; sed iustitia, pax, gaudium in spiritu sancto. Quare & ipsa cibi abstinentia,cũ ratione est suscipienda: quam si, inquit, ipsam per se expendas; neque si manducauerimus, abundabimus; neque si non manducauerimus, deficiemus: neque enim illi, qui non comedunt, meliores sunt, comedentibus, si ipsum solum non comedere spectes; neque iterum illi, qui comedunt, deteriores his qui non comedunt, si solam escam spectes, si interna eorum virtus sit par & æqualis. Omne igitur corporis exercitium ad animi virtutem referri, & comparari debet. Fit enim plerumque, vt ea, quæ per se ipsa pulchra, & honesta non sunt, quòd tamen talibus inseruiant, ipsa etiam pulchri & honesti formam & speciem acquirunt. Hac igitur ratione ea omnia, quæ nobis à sanctis patribus tradita sunt, tanquam ea, quæ hunc solum finem respiciunt, seruare & amplecti debemus. Qui enim talia spernit, Deum ipsum spernit. Neq; omninò quicquam earum rerum,quæ nobis à sanctissimis viris sunt relictę, aut ridendum aut traducendum est. Etsi qui præter pium vsum ac finem his abutantur; non oportet tamen propterea tales traditiones irridere, ac traducere; sed eos quidem qui illis abutuntur, leniter instruendo, admonere; ipsarum autem rerum,verum & rectũ vsum demonstrare. Quod quidem magnus ille Basilius sæpiùs facere consueuit,maximè verò in eo loco, vbi quærit,Num acceptabile sit Deo opus aliquod bonum,etiamsi non per omnia,iuxta præceptum Dei ritè & debitè sit factum: nihil enim est,quod nos magis imitatores Christi faciat; quàm vbi proximorum nostrorum curam suscipimus. Pudor autem est homini Christiano, ea cura, conscientiam suam grauari, aut perterreri dicere: Omne enim,quod ex Deo est,vincit mundum. Quare inquit idem Basilius:Quis adeò est sensus expers?quis tam incredulus; vt putet se non posse illis rebus ferendis parem esse, eísq; sufficere existimet,quæ iam antè multi alii pertulerunt? aut quomodo tanquam viribus suis grauiora, magísque laborioſa recusabit quis, quæ nulla difficultate multi, qui eum anteceſſerunt,superârunt? Quare & monasti-

Rom. 13.

1. Cor. 8.

Rom. 14.

Luc. 10.

1. Ioan. 5.

cam vitam, quæ recto fine, Deíque causa suscipitur, nemo vnquam bonus contempsit, nemo risit. Quam etsi quidem multi fidenter aggredi fortasse audent; vt tamen dignè & competenter ad calcem vsque perueniant, paucis fortasse curæ est: omninò enim non in ipso recto proposito laus operis consistit; sed in ipso fine fructus est totius laboris. Et ipsum quidem vitæ genus laudant, mirantúrque omnes; iuniores autem,& rudiores instruxerunt, & hortati sunt illi, qui potuerunt, vt alicubi à quodam subiicitur & præcipitur: Disce, inquit, tu, qui solitarius, fidelísque homo es, ipsiúsque pietatis operarius, disce inquam, Euangelicæ conuersationis modum, & reliqua. & rursus idem ipse in eodem loco docens, cum qua probatione & examine eos, qui se huic vitæ generi addicere volunt, suscipi oporteat, inquit: Necesse est illos cohortari, vt à prima statim ætate tradant & offerant se Deo, illi, qui se huic generi vitæ addicere volunt: qui enim ita fecerit;& charitate erga Deum germanus,& in eius retributionis,quæ à Domino proposita est,perceptione firmus apparebit. Quæ verò contra traditiones à vobis ex D. Paulo adferuntur, vel ex his quæ iam dicta sunt, facilè solui & explicari possunt. Apostolum scilicet, non de his obseruationibus & traditionibus, in illis locis agere, quæ piè & secundùm Deum sunt; sed de illis, quæ tum ab hæreticis, atque aliis prauis hominibus, falsò & impiè confingebantur. Itáque D. Chrysostomus in cap. 4. ad Timotheũ, hæc de Manichæis, Encratistis, ac Marcionistis dicta esse interpretatur. Vt autem illi, qui rectæ & sanæ adhærent fidei, sub tuta & secura ancora nauigant; sic illi, qui ab ea semel exciderunt, nusquam tutò & constanter consistere possunt: sed cùm multùm sursum & deorsum per omnes errores diuagati fuerint; ad extremum in ipsa extremæ perditionis vada atque scopulos deferuntur. In secunda autem ad Colossenses, gentilium atq; Iudæorum his verbis superstitiones reiici, de illísque, qui nondum Christo adhæserunt,hæc dicta esse,idem docet Chrysostomus. Quinto item ad Galatas, & 1. ad Tit. eodem modo. Quod idem D. innuit Basilius illis verbis: Si, inquit,iustitia quæ ex lege est,dum aliquibus eorum curæ est,qui in baptismo se Deo consecrârunt, tanquam non sibi amplius victuri, sed illi,qui pro eis mortuus est, & resurrexit, spiritualis adulterii obnoxios eos facit, vt per ea,quæ superius dicta sunt,abundè demonstratum est:Quid,inquit, de humanis dicet quis traditionibus? De ea porrò iustitia,quæ ex fide est, iuxta aureum os Chrysostomi respondemus. Iam primum igitur constat, ex fide cognitionem Christianam prouenire:nec sine illa quenquam Christum posse cognoscere. nam & resurrectionem, & natiuitatem, nulla humana ratio, nobis probare potest: sola autem id docet fides: hácque primum parte, causa esse iustitiæ dicitur. Quod cùm ita sit, vides quòd non simpliciter oporteat fidem habere; sed quæ sit per opera. Ille enim potissimum Christum resurrexisse credit, qui sui, vitæque suæ, nullam habet rationem; incunctanter periculis seipsum obiiciens,illiúsq; passionibus communicans. Ob ídque dixit Apostolus: Et inueniar in illo, non habens meam iustitiam, quæ ex lege est,sed illam,quæ ex fide est Christi,quæ ex Deo est iustitia

Homil. 12. in 1. Tim. ca. 4.

Homil. 3.

Philip. 3.

est iustitia in fide: ad cognoscendum illum, & virtutem resurrectionis eius, & societatem passionum illius cõfiguratus morti eius. Et iterũ idem Chrysostomus. Fidelis, inquit, Deus, qui promisit nos saluare, idem omninò saluabit; sed non alio modo, quàm eo, quo promisit: si voluerimus, si audiemus ipsum: non simpliciter, neque veluti ligna & lapides, otiosos & desides. Rectè autem illud, Confidimus per Dominum, posuit: quasi dicat: benignitati eius nos credere oportet: omniáque nostra ad eum referre, in eúmque reiicere; ita tamen, vt & ipsi in omni virtutis & honestatis genere ad extremum vsque spiritum nos exerceamus. Non igitur simpliciter Christum teneamus: etiam eius vestigia sequamur. Nam si vel minimum recesserimus, proculdubiò peribimus: scriptum enim est: Peribunt omnes, qui elongat se à te. Conglutinemur igitur ei: & conglutinemur per opera: qui enim seruat opera mea, ipse manet in me, inquit: & profectò plurimis exemplis nos multum coniungit. Et animaduerte quæso: ipse caput, nos mẽbra: ipse fundamentum, nos ædificium: ipse vitis, nos palmites. Hæc omnia conglutinationem demonstrant, & nihil vacuum in medio relinquunt, ne minimùm quidem. Quippe, qui parùm abest, cùm processerit, aberit longiùs. Nam palmes, si vel exiguum à radice abscindatur, statim aresci, ac inutilis efficitur. Itáque id, quod in ea re minimum esse videtur, paruũ omninò non est, sed in eo, quasi totum consistit. Et proinde, vbi quid parum deliquerimus, nolimus vel exiguũ despicere; siquidem id neglectum, quàm primùm in immensum crescit. Et de fide quidem hactenus. De Monachatu autem, illud cum D. Basilio sentimus, benignissimum Deum, qui salutis nostræ curam habet perpetuam, in duo quasi vitæ genera omnem hunc præsentem vitæ statum diuisisse; Coniugum, inquam, atq; Virginum: ita, vt qui non possit virginitatis perferre certamina, vxorem accipiat; illud rectè sciens, quòd nihilominus à se continentiæ & sanctitatis exposcetur ratio: quomodo scilicet eos, qui piè & sanctè in matrimonio vixerunt, liberósque ad laudem & honorem Dei educârunt, imitatus fuerit. Vnicuique enim ex his fructibus, quos ex ea charitate, quam erga Deum & proximum gessit, producere debuit, reddenda erit ratio. & item ex omni pretermissione & contemptu mandatorũ Dei. Neq; verò sola ratio reddenda; sed etiam grauis & inexcusabilis pœna subeunda, ipso Domino apud Mathæum comminante: Qui amat patrem suum, aut matrem, plus quàm me, non est me dignus. Ne igitur stertas & negligens sis, ô bone vir, qui maritus es, tanquam omnem iam potestatem mundo adhærendi, consequutus; cùm maiore etiã tibi cautione & contentione opus sit, ad id, vt certam acquiras salutem. Tu verò cœlestis conuersationis amator: tu angelici instituti negociator: tu, qui sanctorum Iesu Christi Apostolorũ cõmilito esse cupis; obfirma animum tuum ad subeunda omnia illa, quæ iubentur, aduersa: atque strenuè & fidenter te adiunge monachorum cœtui: atq; eorum, qui præclarè viuunt, sis imitator: eorúmque res gestas inscribe cordi tuo. Velis vnus ex paucis esse: rarum enim quod bonum: & propterea regnum ipsum cœleste paucis patet. Si rapere illud vis, violentus existas

Hom. 5. in 2. Thess. cap. 3.

In morali hom. 8. in 1. Cor. cap. 3. Psal. 72.

In principio Ascetic. Duo sen Status Coniug et Virgin

Mat. 10.

oportet. Submitte igitur collum iugo Christi: stringe loris illius ceruicem tuam: premat ipse atque extenuet collum tuum, perpetuo virtutum exercitio; in ieiuniis, in vigiliis, in obedientia, in quieto silentio, in psalmodiis, in orationibus, in lacrymis multis, in opere ipso, in omni rerum aduersarum, quæ exoriuntur, tolerantia; siue illę à dæmonibus contra te excitentur, siue ab ipsis hominibus proficiscantur. Cuius exercitii socia, & administra virginitas esse solet in illis; qui tam præstanti bono rectè & pru denter vti sciunt: non enim sola abstinentia, ab opere carnis, virginitatis perficit donum; sed omnem item vitam nostram, vniuersos item actus, & mores nostros, pudorem & virginitatem quandam suam conseruare oportet, in omni instituto ac conatu suo, id quod sanctum & integrum est, præseferentes. Si igitur cupimus, secundùm similitudinem Dei, characterem animæ nostræ, per quandam animi quietem & tranquillitatem exornare, vt inde vitæ item nostræ immortalitas prolatetur; attendamus nobis, ne indignè, pacto, & data fide viuentes, Ananiæ & Saphiræ iudicium incurramus: quibus licuit quidem statim à principio, possessiones suas sibi habere, nec illas Domino dicare; at posteaquam inanis gloriæ studio, sua bona voto & dedicatione Dei fecerunt, illíq; nõ tam vt Deo placerent, quàm vt apud homines liberalitate & munificentia cõspicui & admirandi essent, consecrarunt: vbi de precio illarum clam ad se partem aliquam auerterũt; talem contra se Dei indignationem commouerunt, cuius Petrus executor, & administer fuit; vt nulla etiam pœnitentia curari, aut expiari potuerint. Proinde, ante quidem castæ & religiosæ vitæ votum, atque promissionem, liberum est cuiq; volenti, iuxta concessam & legitimam viuendi rationem, coniugio sese tradere. Si quis verò spontè & liberè, voto ac professione sua, Deo se tradidit; huic verò amplius non licet retrò pedem referre; sed potiùs totum se illi, veluti quoddam semel Deo oblatum ac dedicatum donarium, purum & integrum conseruare; ne, si semel voto Deo sacratum corpus communis vitæ functionibus contaminârit; in fœdissimum sacrilegii crimen incurrat. Hæc autem cùm dico, non vnum tantùm genus elatæ cupiditatis intelligo; vti quidem permulti putant, in sola corporis custodia, totum virginitatis & castitatis cõsistere decus; sed ab omni item licentiosa cupiditate, eum, qui se Deo consecrauit, continere, ac custodire se debere existimo; ne aliqua mundi huius labe, mentis suæ puritatem contaminet: quicquid enim affectu fit, id puritati quodammodò animæ officit, & diuinæ vitæ impedimento est. Hæc igitur illum, qui mundo præsentíque vitæ renunciauit, ne vas semel Deo dicatum, hoc est seipsum, aliquo prauæ cupiditatis affectu contaminet, intueri oportet: illúdque maximè apud se expendere, iam se supra humanam naturam esse, altíusque pennas suas extulisse, ac immortale quoddam, & corporis expers vitæ genus, complexum esse, dum sibi angelicam vitam sequendam delegerit. Liberum enim ab omni coniugali lege esse, nullámque aliam pulchritudinem præter Deum ipsum, mentis, oculorúmque intuitu, perpetuò spectare, hoc proprium est angelicæ naturæ opus. Rumpendæ igitur sunt omnium cupidi-

Hæc item ex eodem loco Basilij.

ἀπάθειαν.

Act. 5.

um cupiditatum, & affectionum vitæ huius compedes illi, qui verè & per omnia Deum ſequi,& imitari velit: quod,niſi per omnimodum mundi contemptum, morúmque veterum obliuionem, obtineri nullo modo poteſt. Niſi enim nos planè ab omni mortali cognatione, communíſq; vitæ conſuetudine ſeparauerimus,ac veluti ad alium quendam mundum omni animi contentione ac propenſione, mortalitate hac ſuperata,tranſtulerimus, iuxta Pauli dictum: Omnis conuerſatio veſtra ſit in cœlis;nunquam finem illum quem quærimus,Deo perfectè placendi conſequemur,Domino præciſè dicente, eum, qui non renunciauerit omnibus quæ habet, non poſſe eius eſſe diſcipulum. Quod vbi quis noſtrum fecerit,omni deinceps cuſtodia cor ſuum eum obſeruare conuenit; ne ſanctæ illæ,quas de Deo concepit cogitationes illi effluant, néue memoriam mirabilium eius, rerum vaniſsimarum cogitatione contaminet;ſed aſsidua potiùs,& ab omni rerum mundanarum contagione, munda & libera, rerum diuinarum meditatione, impreſſam animis noſtris tanquam firmiſsimum & indelebile ſignum, ſanctam de Deo cogitationem ſecum vbique circumferat. Hac enim ratione charitas Dei nobis quæritur,ſimúlque nos ad omne mandatorum Dei exercitium excitat: quo item exercitio ipſa conſeruatur, vt conſtanter & perſeueranter colatur. Quod quidem ipſe Dominus demonſtrat: nũc quidem dicens: Si diligitis me, mandata mea ſeruate. nunc autem: Si mandata mea ſeruabitis,manebitis in dilectione mea: quales ille homines alio loco perfectos vocare ſolet. Itáque,mirum non debet videri, rectè & honeſtè viuentium monachorum vitam, perfectam appellari. Per profeſsionem quidem lauacri,inquit Chryſoſtomus,priora noſtra omnia nobis cõdonauit: ac poſt eam veniam, ipſúmque lauacrum, ſecundum præſidium & remedium, quod ex pœnitentia eſt,peccatoribus reliquit. Si fuerint inquit Propheta, peccata veſtra vti coccinum; inſtar niuis ea dealbabuntur, ac in contrarium habitum transferentur. Proinde,non tam quidem cadere obeſt; quàm vbi ceciderís, non te ſtatim erigere periculoſum eſt. Proinde laudare potiùs, quam extenuare, monaſticæ vitæ inſtitutum conuenit. Qui enim eos, qui ſe in perfecta virtute exercent, colit atque obſeruat;hic Deum ipſum tantò magis honorabit: at qui hos ſemel contemnere didicerit; hic facilè peſsimo profectu, in ipſum Deum contumelioſus euadet: Qui vos accipit, inquit Dominus, me accipit: qui vos ſpernit, me ſpernit. Hos igitur & nos imitemur: & omni ex parte Deum, ipſius vitæ honeſtæ ſtudio glorificemus. Neq; verò illud rectè quis dicere poteſt;non poſſe quenquam his ſeculis ad eum gradum virtutis peruenire. Nam cùm charitas Dei, non doceatur: ipſáque lex non aliud ſit, quàm earum, quarum nobis ſemina natura indidit,facultatum agricola & nutrix quædam; vel enim in ea parte, vbi Deus proximos noſtros, tanquam ipſos nos amare iuſsit, inſpiciamus obſecro diligenter; num item eius rei omni ex parte perficiendæ, vim & ſemina nobis inſita à Deo habeamus. Quod quidem ita eſſe, facilimè deprehendemus. Quis enim non videt hominem natura manſuetum, & ſociale animal eſſe, non ſolitarium, non ferum: neq; adeò

Philip. 3.

Luc. 14.

Ioan. 14.
Ioan. 15.

Mat. 5. 29.

Mat. 10.

quic-

quicquam eius naturæ est propriũ ; quàm cum aliis communem vitam agere , aliis vti,similéque ac cognatum diligere. Quarum igitur rerum nobis Deus prior semina dedit ; earum meritò & iure suo à nobis fructum & prouentum expetit, dicens : Mandatum, inquit, nouum do vobis, vt diligatis inuicem. Ad quod mandatum,eò magis animos nostros excitare volens , signum & indicium suorum discipulorum, non miracula , non virtutum portenta ab illis exquirit; quanquam & horum, in Spiritu sancto, illis magnam vim concesserat : sed audi quid dicat : In hoc cognoscent vos , quia mei estis discipuli, si dilectionem mutuam inter vos colueritis. Quæ quidem duo, Dei,& proximi dilectionis præcepta , ita inter se vbiq; nectit ac glutinat; vt ea officia, quæ in proximum conferuntur,in seipsum transferat : Esuriui,inquit,& dedistis mihi comedere: & deinde infert : Quæcũque , inquit, feciſtis vni ex minimis istis fratribus meis , mihi feciſtis. Proinde per primum quidem præceptum,licet secundum etiam perficere:per secundum autem est quidam reditus, & conuersio ad primum : Qui enim diligit Dominũ; idem consequenter diligit & proximum suum.Qui,inquit, diligit me,mandata mea seruabit. Præceptum autem meum hoc est,vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos. Eum item qui diligit proximum, Dei dilectionem complere testatur ; vt qui ea officia quæ proximo impenduntur,in eam partem accipere soleat,ac si in se collata sint. Quapropter fidelis ille in domo Dñi seruus Moyses,tanquam erga fratres præ se tulit charitatem, vt deleri elegerit ex libro vitæ,in quem inscriptus fuerat ; quàm vt populus ille præuaricator, suorum delictorum veniam consequi non debe ret. Quam charitatem,si complectamur, non decet sanctissimorum patrũ vniuersas traditiones & instituta contemnere. Præcipientium quidem differentia, inquit Basilius,nihil debet lædere obedientiam eorũ quibus præcipitur: cùm ne Moyses quidem aspernatus sit,consilium Iethro soceri sui, rectè monentis. Et ipsorum quidem præceptorum differentia magna est. Nam alia quidem sunt,quæ Domini præceptis aduersantur,corrumpúntq; ea,aut saltem admixtione earum rerum,quæ prohibitæ sunt,contaminant: alia cum præcepto Dei conueniunt : alia etsi clarè cum illo non conueniant;plurimũ tamen ad ea rectè perficienda conferunt,ac quasi opem quãdam præsentem adferunt. Oportet enim Pauli dicentis meminisse. Prophetias nolite contẽnere; omnia verò probantes,quod bonum est retinete:ab oñi opere prauo abstinete vos. Et rursum: Omnia cõsilia destruẽtes, & omnẽ altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei,& in captiuitatem redigentes omnẽ intellectum, in obsequium Christi : & in promptu habentes, vlciſci omnem inobedientiam,cùm impleta fuerit vestra obedientia. Et si quid fortasse ex his, quæ iubentur tale est , quod cum lege Dei consentiat, vel quod ad eam explendam nos iuuet ; huic ipsi tanquam Dei mandato, omni studio & diligentia nos parere oportet : satisfacientes illi mandato Pauli : Sufferentes vos mutuò cum charitate Dei. Si quid verò præcipitur, quod legi diuinæ aduersetur, eámq; aut euertat,aut inquinet; tũ demùm illud dicere opportunũ erit : Magis oportet nos obedire Deo ,

Hæc item ex Basilij Ascetícis.

Ibidem.

Mat. 25

1. Ioan. 4.
Ioan. 14.
Ioan. 13.

Exod. 32.

In Ascetícis Regularium breuiũ interrogat. 114.
Exod. 18.

1. Thes. 5.

2. Cor. 10.

Ephe. 4.

Act. 5.
Ioan. 10.

quàm ho-

quàm hominibus memores Domini dicentis: Alienum enim non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo, neq; enim norunt vocem alienorum. Et Apoſtoli, qui noſtræ cautionis & ſecuritatis cauſa, non dubitat, vel angelos ipſos perſtringere, cùm dicit: Etiam ſi nos ipſi, inquit ille, aut angelus de cœlo euangelizauerit vobis aliud, præter id, quod vobis euangelizauimus, anathema ſit. Vnde inſtruimur: quòd etſi maximè cognatus q̃s ſit, etſi maximè clarus; ab eo autem quod Dominus præcipit, nos phibeat; vel ad id, quod ab ipſo vetitum eſt, ſollicitet, & impellat; fugiendum, & tanquam peſtem his, qui diligunt Dominum, abominandum eſſe. Quod quidem de his, quæ à nobis dicta ſunt, nullo modo verè intelligi poteſt. Ea enim, quæ ſynodicè conſtituta ſunt, omnes Chriſti fideles, tanquam diuinitùs inſpiratæ ſcripturæ conſentanea recipiunt, atque amplectuntur ſemper: ob ídque & à ſuffocato vſque ad hodiernum diem abſtinemus nos, illúdque auerſamur, ſanctorum Patrum, atque adeò ipſorum Apoſtolorum præceptis inhærentes: ſcriptum enim eſt: Ab idolothytis abſtinendum eſſe, ſanguine & ſuffocato. Et in ſexta ſynodo Canone 67. decernitur: Si quis ſanguinem animantis comederit, excommunicetur. Diuus quoque Baſilius hac de re legem ferens, inquit: Inuenio diuinas ſcripturas, tum veteris, tum noui teſtamenti repetens, neque in multitudine, neq; in magnitudine eorum, quę delinquuntur; ſed in ſola cuiuscunque mandati tranſgreſsione, conſpicuè cenſeri, & iudicari contra Deum incredulitatem, & commune eſſe contra quamcunque inobedientiam Dei iudicium. Et paulò ſuperius: Ex iſtis itáque & conſimilibus manifeſtum eſſe iudico; quòd generaliter quidem cupiditatum malitia ex ignorantia Dei, & praua de illo opinione oritur: peculiariter verò diſsidia hæc multorũ inter nos, non aliunde proficiſci, quã quòd indignos nos gubernatione & moderatione Domini ipſi conſtituamus. Ad conſiderationem enim talis vitæ, ſi fortè aliquando, inquit Baſilius, me referre volui; ne modum quidem & magnitudinem talis ſtupiditatis, aut ſtultitiæ, aut vęcordiæ inuenire potui: ídque vel propter exceſſum malitiæ, vel neſcio quam aliam cauſam. Si enim in brutis animantibus inde concordia oritur & proficiſcitur, quòd ad ſuos duces ſeruant obedientiam; quid dicemus nos in tanta inter nos diſcordia, in tanto mandatorum Dei contemptu & rebellione deprehenſi? An non reputabimus hæc omnia, nunc quidem ad noſtram doctrinam & conuerſionem, à Deo propoſita eſſe: in magno verò illo & terribili iudicii die, in confuſionem ac condemnationem eorum, qui diſciplinam reſpuerunt, ab illo producenda eſſe, ipſo dicente: Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui; Iſraël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit? Et multa alia his ſimilia. Illud item ab Apoſtolo dictum: Si, inquit, patitur vnum membrũ, cõpatiuntur reliqua membra. & illud: Ne ſint ſchiſmata in corpore, ſed id ipſum pro inuicẽ ſolicita ſint mẽbra, ab vna ſcilicet omnia inhabitãte anima, mota & impulſa. Quorſum, inquam, hæc talis hominis fabrica? quorſum fabricæ explicatio? Ego quidem exiſtimo eò ſpectare omnia, vt eadem ſeruetur ſimilitudo: idem rectus ordo; imò multò maior in ipſa Dei

Galat. 1.

In procœmio Aſceticorũ de iudicio Dei.

Iſaiæ 1.

1. Cor. 12.

Eccleſia,

Ecclesia,ad quam dictum est: Vos estis corpus Christi,& membra de membro; scilicet principatum obtinente, ac mutuò omnia membra conglutinante capite, ipso inquam Christo Iesu. Apud quos verò mutua non colitur concordia; neque vinculum pacis seruatur,neque spiritus mansuetudo custoditur; sed discordia, contentio, & æmulatio implent omnia: nimis profectò audax res est,tales vocare membra Christi,aut dicere ab ipso regi: stultæ verò mentis,non liberè fateri,in illis imperium sensus carnis dominari, secundùm sententiam Apostoli præcisè dicentis: Cui exhibuistis vos seruos ad obediendum,serui estis eius,cui obedistis. Cuius sensus proprietates, alibi clarè exponens, inquit: Cùm enim sit in vobis zelus, contentio & disidia; nónne carnales estis? Docens autem liquidè, quàm acerbus sit horum exitus, & quàm nihil homines commune habeant, cum vera pietate, dicit: Sapientia, inquit, carnis, inimica est Deo: Legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Ob ídque dicit Dominus: Neminem posse duobus simul seruire Dominis. Neq; tales illud,quod in Actis Apostolorum dicitur, implere possunt: Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, & erant illis omnia communia,nemine scilicet propriæ voluntati parente, sed omnibus in commune in vno sancto Spiritu, vnam vnius Domini Iesu Christi voluntatem quærentibus,qui dixit: Descendi de cœlo,non vt faciam voluntatem meam; sed voluntatem eius, qui misit me, patris. Incedamus igitur iuxta hunc Canonem sanctorum,ædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Iesu Christo: in quo omne ædificium compactũ, crescit in tẽplum sanctum in Domino. Deus autem pacis sanctificet perfectè, id totum quod sumus: integérque noster spiritus, anima,& corpus nostrum,inculpatè in diem aduentus Domini nostri conseruetur. Fidelis autem est Deus,qui vocauit nos,& vos simul,& qui omnes vult saluari. Quod & faciet, si mandatis eius,quod quidem vniuersæ salutis caput est, paruerimus: & sine quorum custodia, impossibile est quenquam gratia Iesu Christi in Spiritu sancto (vt quidem iã superiùs demonstratum est,ac distinctiùs illustratum) certam consequi salutem. Ne igitur dimidia tantùm parte illum Deum esse agnoscamus,neq; benignam eius misericordiam, nostræ ignauiæ, & pigritiæ ansam capiamus; sed his omnibus quæ dicta sunt sobriè intenti, ad opus ipsum,omnia eius diuina dogmata deducere,studiosè curemus: nihil aliud respicientes, quàm illum qui dicit: Ignem veni mittere,& quid volo,nisi vt ardeat? Cuius ignis in se opus Dauid experiri volens, inquit: Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos, & cor meum. Hic siquidem ignis, interni oculi trabe absumpta, mundum oculum constituit; vt naturali videndi facultate recuperata, assiduè mirabilia de lege Dei contempletur,cum illo qui dixit: Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Hic talis ignis dæmones fugat, malitiam adurit, futuræ resurrectionis est vis & facultas, immortalitatis efficientia, sanctorum animæ irradiatio,ac rationabilium facultatum ordo & series. Hunc eundem ignem, vt & ipse ad nos

Rom. 6. Hæc ex Asceticis Basilij.

Rom. 8.

Mat. 6.

Ioan. 6.

Ephe. 2.

1. Thess. 5.

1. Tim. 2.

Ex Basilij Oratione de libero arbitrio.

Luc. 12.

Psalm. 25.

Hæc eadem ex Basilij.

Psalm. 118.

pertingat

pertingat, Deum exoremus omnes, vt in luce bonorum operum ex omni parte ambulantes, ne minimum quidem offendamus vnquam; sed tanq̃ luminaria quædam orbis vniuersi conspicui, verbis vitæ, vbique inhæreamus. Vt ita beneficiorum Dei participes facti, cum Domino nostro Iesu Christo, in vita hac, quasi consepulti, præcepta eius omnésque virtutes, ac totum hoc quod diuinum & salutare est, dignè, sanctè, vt quidem necessarium est, adimplentes, requiescamus. Sic enim vniuerso hoc incolatus nostri tempore pacto, ad veram illam cœlestis gloriæ patriam transferemur: qua gratia & beneuolentia Iesu Christi Domini nostri vtinam digni efficiamur. Amen. Et hæc quidem fratres charissimi hactenus: quæ vt & ipsi videtis, omnia cum scripturis, diuinitùs nobis traditis, præclarè conueniunt, iuxta sapientissimorum, sanctissimorúmque theologorum nostrorum interpretationem sanam doctrinam & dilucidationem. Neq; enim nobis licet, priuata confisis interpretatione, aliquid diuinitùs inspiratæ scripturæ aut ipsos intelligere, aut aliis tradere, nisi quantùm cum Ecclesiæ sanctæ theologis, à sanctis synodis, ad pium scopum in Spiritu sancto probatis, illud ipsum conuenit; ne semel ex recto Euangelicæ doctrinæ tramite, veræque sapientiæ & intelligentiæ semita abrepti, præcipites feramur; néue sensus deinceps noster, more Protei, in hanc & illam formam fidei trãsferatur, húcque atque illuc diuagetur. Atqui fortè dicet quis vestrum, quę igitur earum rerum, quæ suo loco dimotæ sunt, correctionis spes? quæ ratio? quæ inquam & qualis? Hæc inquam, Deo ipso iuuante, si nihil præter ea, quæ nobis à sanctis Apostolis sanctísque synodis diuinitùs ordinata sunt, ordiemur, nihil aliud sequemur. Qui enim intra hos limites se rectè & constanter continere volet; hic quasi eundem chorum ducet nobiscum; hic eiusdem fidei & communionis nobiscum erit. Nam ille, qui sæpe dictos Canones respuit, & contra Apostolos similiter contumaciter progreditur, & aduersùs sanctos impudenter se offert; hic nullam nobiscum communionem habere poterit. Aut quæ pars huic inter nos esse potest? quomodo item domesticus, & contubernalis noster efficitur? cùm omnes piè viuere volentes, sic alloquantur nostri contubernii doctores, illúdque doceant. Hic quidem: Quisquis dixerit aliud præter illa, quæ statuta sunt: sit quantumùis fide dignus, virginitatem & omnem vitæ cõtinentiam colat, signa & miracula faciat, futura prædicet, lupus tamen procul dubiò hic ouium pellibus tectus, ouibúsque exitium moliens existimandus est. Alter verò: Qui ex his, quæ Deo plenis Patribus visa & decreta sunt, aliquid cõ uellere velit, hoc non ampliusœconomia vocitandum, sed transgressio & præuaricatio dogmatis. Alius autem: Oportet, inquit, illos tremendum iudicium Christi ante oculos habere, scientes quantum discrimen sit ex his rebus, quæ nobis à Spiritu sancto traditæ sunt, aliquid auferre, vel illis aliquid addere. Non igitur oportet quenquam nouarum sententiarum ambitiosè auctorem esse velle, sed illis quæ nobis à sanctis viris prædicta, & relicta sunt, acquiescere. Cùm igitur tot & tanti sacræ doctrinæ interpretes, nos aliud sequi, præter ea, quæ accepimus prohibeant, vna & sola re-

Ignatius in epist. ad Hic.

rum recuperandarum ratio supereſt, idem ſemper cum ſanctis cõciliis ſentire, Canonibúsq; Apoſtolicis per omnia inhærere,& ſic in omnibus Chriſtum Dominum & magiſtrum ſequi.

Et vos igitur Germani,viri doctiſsimi, mediocritatis noſtræ filii in Chriſto chariſsimi, cùm ſapienter, magnóque conſilio, ac tota mente, velitis cum ea quæ apud nos eſt Ieſu Chriſti ſanctiſsima Eccleſia vos cõiungere, nos tanq; parentes filiorum amantes, libenter obuiis, vt aiunt, vlnis hanc veſtram charitatem ac humanitatem, in ſinum mediocritatis noſtræ recipimus;ſi modò Apoſtolicas, & ſynodicas nobiſcũ ſimul ſequi traditiones volueritis, hísque vos ipſos ſubiicere. Tunc enim demùm verè & ſyncerè vna domus nobiſcum efficiemini, & tanquam apertè ſubiecti,ei quæ apud nos eſt ſanctæ & Catholicæ Ieſu Chriſti Eccleſiæ, magnã laudem & commendationẽ apud omnes bonos, & rectè ſentientes,inde conſequi poteritis:ſícque ex duabus Eccleſiis,quaſi vna,Dei beneuolentia,facta,reliquum tempus in beneplacito Dei tranſigemus,vnáque ſimul viuemus,donec tãdem ad cœleſtem illam transferamur patriam. Qua,vtinam potiamur omnes in Chriſto Ieſu, cui ſit laus & gloria. Amen.

Scriptum Dei benignitate Conſtantinopoli, Anno ab incarnato Ieſu Chriſto Domino noſtro M. D. LXXVI. Menſis Maij, die 15. in patriarchico & veneranda beatiſsimæ virginis Mariæ monaſterio. Subſcriptum manu Patriarchæ.

ANNOTATIONES.

Primum vtriuſque ſpeciei participes eſſe oportere,&c. *Nemo fuit vnquam, qui modò vel ſacras literas ſeriò legerit, vel antiquitatis Eccleſiaſticæ aliquam notitiam habuerit, vel qui ſaltem ſobrio & quieto animo res ſacras tractauerit: qui vtriusq; ſpeciei vſum magnoperè neceſsarium eſſe iudicârit. Qui enim ſacram ſcripturam legit,ille facile animaduertit, ſacra quidem myſteria nobis à Chriſto Domino relicta eſſe, ſed & eorundem diſpenſatores, Apoſtolos, virósq; Apoſtolicos inſtitutos.* Sic nos, *inquit Apoſtolus*, exiſtimet homo,tanquam Dei miniſtros,& diſpenſatores myſteriorum eius. *Teſtamentum, vltimámq; voluntatem,quam nulli mortalium tranſgredi licet,nobis perſcriptum eſſe: ſed eiusdem teſtamenti procuratores atque executores Apoſtolos, eorúmque ſucceſsores conſtitutos. Atqui & depoſiti, & legati diſpenſandi tota poteſtas, penes diſpenſatores,teſtamentíque curatores poſita eſſe ſolet; ſi præſertim teſtator voluntatem ſuam diſertis verbis non expreſerit; ſi diſtinctè,quid cuiq; debeatur,non docuerit: quod in hoc vtriusq; ſpeciei legato factum eſſe videmus. Datur diuinum legatum duodecim præſentibus curatoribus ſolis, vt ipſi præſentes vtantur: adhibeatur alius nemo,ampliúſque additur nihil. Quæ cauſa?*

causa? nisi vt tota dispensationis potestas, penes curatores atque dispensatores tanti legati sit: ita, vt nisi additus locus ille Ioannis 8. *fuisset:* Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis sanguinem: *qui tamen multas expositiones recipit: ne vnam quidem speciem multitudo, à testamenti curatoribus ex legato iure repetere posset. Aliquid autem præter voluntatem, vel dispensatorum, vel curatorum ex demortui hæreditate sibi vsurpare nihil aliud est, quàm furem & violentum inuasorem esse, ipsiúsq; vltimæ voluntatis testatoris euersorem. Nulla igitur necessitas est vtriusq; speciei, si voluntatẽ testatoris spectes. Sic qui veteris Ecclesiæ mores, aliqua ex parte cognouit: ille æquè frequentem vsum vnius speciei, quàm vtriusque facilè animaduertere potuit. Primùm in domesticis & priuatis communionibus, quarum sæpiùs Tertullianus, Hieronymus, Cyprianus item meminerunt. Vbi enim minus dignos se esse censebant, vt ad martyrum templa venirent; domi aßeruatam Eucharistiam, communicabant.* Non sciat maritus, *inquit Tertullianus vxori suæ*, quid secretò antè omnem cibum gustes: & si sciret panem, nõ credit illum esse, qui dicitur. *Et Cyprianus docet:* Cùm mulier quædam arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire; igne inde surgente deterritam esse, ne auderet attingere. *Hieronymus autem:* Quod, inquit, in Ecclesia non licet; nec domi liceat: nihil Deo clausum est, & tenebræ quoq; lucent apud Deum. Deinde in persequutionibus, vbi vtriusque speciei commodus vsus nequaquam esse potuit. In solitudinibus item, *cuius vtriusq; rei meminit in ea Epistola, quam ad Cæsarium patritium scripsit Basilius.* Illud autem, inquit, in persequutionis temporibus, necessitate cogi quempiam, non præsente sacerdote, aut ministro, id est, Diacono, communionem propria manu sumere, &c. *Et paulò post:* Omnes in eremis solitariam vitam agentes, vbi non est sacerdos, communionem Dominiser uantes, à seipsis communicant. *Et:* In Alexandria, *inquit*, & Aegypto, vnusquisque eorum qui sunt de populo, vt plurimùm, habent communionem in domo sua. *Demùm in nauigationibus ipsis, quomodo Paulus in Actis communicasse videtur: & Satyrus frater D. Ambrosii, de quo illud idem scribit Ambrosius, cui quod secum gestabat in naui, Christiani de Eucharistia contulerunt, quod alligauit in onario, & orariũ inuoluit in colo, atq; ita se deiecerat in mare; non requirens de nauis compage resolutam tabulam, cui supernatans iuuaretur; quoniam fidei solius arma quæsierit. Quod item in ægrotis, qui vtriusq; speciei capaces esse non possunt, fieri solitum, ex pulcherrima illa de Seapione historia, apud Eusebium lib.* 6. *cap.* 36. *videre licet. In peregrinorum itẽ communione, quæ laica etiam dicebatur, & qua nonnunquam Clerici puniebantur, quæ aßeruata Eucharistia conferebatur peregrinis, sub vnáque specie dabatur. Cuius rei autor est Irenæus in Epistola ad Victorem, referente Eusebio lib.* 5. *cap.* 24. *Cyprianus in Epistola ad Antonianum, Toletanum cõcilium Canon* 4. *Quod idem cernitur in illa communione, quæ obuiam Episcopis aliísque magnis viris mitti à Diœcesanis solebat, ad probandum, num eiusdem essent communionis, & num ea, quæ ad pacem sunt, secum ferant. Cuius rei apud veteres scriptores frequẽs fit mentio. Quomodo item & in illa cõ-*

munione, quæ die Paraſceues, atque die Sabbati magni ſemper fiebat, & nunc ſit etiam ex præſanctificatis atq; præconſecratis, ac in multis aliis ſimilibus eodem modo clarè videre licet. Tum quidem certè, cùm ea de re à Conſtantienſi ſynodo Canon latus eſt, ad vnámque ſolam ſpeciem communio laica reuocata, totum quaſi orbem, præter eas, quæ Vikleff atq; Hus hæreſim ſequutæ erant prouincias, vna ſola ſpecie ſpontè, & nullo Eccleſiaſtico quaſi Canone iuſſos, vſum fuiſſe patet: quod vel ex ipſo decreto eius concilij, quod in hunc modũ decernit, apparet: Cùm in nonnullis mundi partibus quidem temerariè aſſerere præſumant, populum Chriſtianum ſacramentũ Euchariſtiæ ſub vtraque panis & vini ſpecie ſuſcipere, & non ſolùm ſub ſpecie panis, ſed & ſub ſpecie vini, populum laicum paſsim communicent, &c. *Et infrà:* Vnde, cùm huiuſcemodi conſuetudo ab Eccleſia, & ſanctis Patribus, rationabiliter introducta, & obſeruata ſit; habenda eſt pro lege, quam non licet reprobare, aut ſine Eccleſiæ autoritate pro libitu mutare, &c. *Quæ quidem omnia, cum Græci rectè perſpecta habeant, neq; nunc, neq; alias vnquam, in hac parte nimij vtriusq; ſpeciei exactores, extiterunt: & cùm in eo totum ſtudium ſuũ collocâſſent; quo aliquid vel perexiguũ reperirent, in quo Latinos accuſarent; vnius ſpecici tamen vſum, nunquam illis ſeriò obiecerunt: non prætermiſſuri, ſi quid in ea re momenti ineſſe putarent. In Concilio quidem Florentino, vbi omnia, etiam minima vtrinq; diligentiſsimè expendebantur, ea præcipuè, quæ ad hoc ſpectabant ſacramentum; de vtriusque tamen communionis vſu, aut decreto Conſtantienſi, ne verbum quidem vnum prolatum fuit. Idq; ob eam cauſam, quòd & ipſi Græci, eos, qui à re diuina abſunt, & qui domi infirmi communicant, vna ſola reficiunt ſpecie: non aliud iudicantes, quàm illud nihil omninò intereſſe; num aliquis ſub vna, aut ſub vtraque ſpecie communicet; cùm vtrinque plenus & integer Chriſtus accipiatur. Sed & iſti ambitione, atq; ſtudio nocẽdi, homines temulenti, qui hoc tanquam vexillum quoddam perturbandæ Reipublicæ Chriſtianæ erexerunt, alio modo hac de re loquuntur, vbi crapulam edormierunt; & alio, vbi praua cupiditate victi, omnia agunt, ferúntque. Edormita crapula Lutherus in libro declarationis Euchariſtiæ, inquit:* Non dixi, neq; conſului, neque eſt intentio mea, vt vnus, vel aliqui Epiſcopi propria autoritate, alicui incipiant vtramque ſpeciem porrigere, niſi ita conſtitueretur & mandaretur in concilio generali. *Et alio loco:* Quàmuis pulchrum eſſet, vtraque ſpecie Euchariſtiæ vti, & Chriſtus hac in re nihil tanquam neceſſarium præcipit; præſtaret tamen vnitatem, quam vtique Chriſtus præcipit ſectari, quàm de ſpeciebus ſacramenti contendere. *At vbi furor illum inceſsit, vbi ſpiritus vertiginis & tumultus occupauit, in libro de captiuitate Babylonica, ipſe fœdè à ſuis cupiditatibus captus longè aliter ſentit, & loquitur.* Si quo caſu, *inquit*, Concilium ſtatuerit, minimè omnium nos vellemus, vtraq; ſpecie potiri: imò tum primùm in deſpectum illius Concilii vellemus, aut vna, aut neutra, & nequaquam vtraque potiri: & eos planè anathema habere, quicunque talis Concilii autoritate potiretur vtraque. *Similiter ab eadem perturbatione relictus, Melanchthonem in ſuis hypotypoſibus, ſicut edere ſuillam, aut abſtinere à ſuilla; ſic*

alterutra

alterutra ſpecie vti, medium & indifferens eſſe docuit. In familiaribus item colloquijs, vtriusq; ſpeciei vſum indifferentem eſſe, quaſi ſemper cenſuit. Quo autem animo & quo inſtituto ab his ea agitari cœpta ſit quæſtio, præclarè explicant primi huius tragœdiæ autores Bòemi. Propterea enim Iacobello Miſinenſi ſcribuntur gratulabundi adhæſiſſe, quia reperiſſent ſcripturam & articulum, quo turpiter erraſſe Eccleſiam Romanam demonſtrare poſſent, & per quem Romanæ ſedis ignorantia vel nequitia argui poſſit. Lutherus etiam profitetur amplexum ſe opinionem hanc de vtraque ſpecie, vt à ſede Romana & Concilijs liberiùs diſſidere poſſit. Ita iſti faſcinum quæſierunt, quo commodè ouiculis Chriſti fucum facere poſſint. Si quando autem dubitabatur, num aliquid boni inſit in hac vtriusq; ſpecie, extra obedientiam nimia & pertinaci repetitione; nunc planè hæc omnis dubitatio ſublata eſſe videtur, cùm, ſi hoc eorum hominum ſtudium, cum ſenſu & voluntate Chriſti coniunctum fuiſſet, nũquam huiuſcemodi homines ex hoc ipſo quaſi principio, in tot poſtea errores tam fœdos, diſſidia tot, omniúmq; rerum humanarum & diuinarum perturbationem, blaſphemias, mentem denique impietatem prolapſi fuiſſent: neque hæc ipſa res tot peſtium & calamitatum ſeminarium fuiſſet. Non quòd in ſpeciebus aliquid mali inſit, ſed quòd melior ſit obedientia quàm victima: & auſcultare magis, quàm offerre adipem arietum: quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare: & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere, ait Dominus Omnipotens: inobedientia autem, omnis erroris mater & magiſtra eſt. Sed & hæc hactenus.

Qui Sacerdotes vxores accipere prohibeant, &c. *Neq; hoc priſcum eſt, neq; cum veteri more Eccleſiæ coniunctum. Quanquam enim in primis crescentis Eccleſiæ initijs, non ex continentibus tantùm, ſed etiam ex illis, qui vnius vxoris eſſent viri, & presbyteri, & Epiſcopi eligerentur; tamen vbi iam in eum ordinem aſcrebantur, non ampliùs vxoribus conuiuebant ſuis. Lubet hac de re duorum ampliſſimæ authoritatis virorum adferre teſtimonia, Græci alterius, Latini alterius. Ex Græcis Epiphanius eſt, Epiſcopus Cypri: ex Latinis D. Hieronymus. Epiphanius igitur contra Montaniſtas, nuptias tanquam natura impuras damnãtes, ſic ſcribit:* Gaudet, inqt, ille Apoſtolus his, qui approbatum Dei cultum præſtare poſſunt, & virginitatem, ac caſtitatem, & continentiam exercere diligunt. Verùm vnas nuptias honorat, etiamſi maximè ſacerdotii dona, per eos, qui ab vnis nuptiis ſe continuerunt, & in virginitate vitam degunt, ſe ornaſſe præexpreſsit; velut etiam Apoſtoli ipſius Eccleſiaſticam ſacerdotii regulam ordinatè, ac ſanctè conſtituerunt. Si verò quis per debilitatem opus habuerit, poſt primæ vxoris obitum, ſecundas nuptias contrahere; hunc ipſum veritatis regula non interdicit, hoc eſt, eum qui non ſit ſacerdos. *Et longè clariùs contra Catharos.* Reuera enim non ſuſcipit ſancta Dei prædicatio, poſt Chriſti aduentũ eos, qui à nuptiis, mortua ipſorum vxore, ſecundis nuptiis coniuncti ſunt, propter excellentem ſacerdotii honorem ac dignitatem: & hæc certò ſancta Dei Eccleſia cum ſynceritate obſeruat. Sed & adhuc viuentem, & liberos gignentem, vnius vxoris virum, non ſuſcipit; ſed eum qui ſe ab vna continuit, aut

Tom. 1. lib. 2 hæreſi 48.

Hæreſi 58.

nuit, aut in viduitate vixit, Diaconum, & Presbyterum, & Episcopum, & hypodiaconum; maximè vbi synceri sunt Canones Ecclesiastici. At dices mihi, omninò in quibusdam locis adhuc liberos gignere, & Presbyteros, & Diaconos, & hypodiaconos: at hoc non est iuxta Canonem, sed iuxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit, & propter multitudinem, cùm non inueniretur ministerium. Nam quod decentius est, id semper Ecclesia per Spiritum sanctum benè dispositа videns statuit apparare; vt cultus diuini indistracti Deo perficerentur, & spirituales necessitates cum omni beneuola cõscientia peragerentur. Dico autem quod decorum est, propter repentina ministeria ac necessitates, vt Presbyter, & Diaconus, & Episcopus Deo deditus sit. Si enim præcipit populo sanctus Apostolus dicens, vt ad tempus vacent orationi; quantò magis sacerdoti id præcipit, vt indistractus sit, inquam, ad vacandum secundùm Deum sacerdotio, quod in spiritualibus necessitatibus ac vsibus pficitur? *Idem ijsdem planè verbis docet D. Hieronymus lib.* 1. *contra Iouinianũ, hoc modo:* Sed & ipsa Episcopalis electio mecum facit. Non enim dicit, eligatur Episcopus, qui vnam ducat vxorem, & filios faciat; sed qui vnam habuerit vxorem, & filios in omni subditos disciplina: certè confiteris, non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat: alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur. Aut permitte sacerdotibus exercere opera nuptiarum, vt idem sint virgines, quod mariti: aut si sacerdotibus non licet vxores tangere; in eo sancti sunt, quia imitantur pudicitiam virginalem. Sed & hoc inferendum. Si laicus & quicunque fidelis orare non potest, nisi careat officio coniugali; sacerdoti cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est. si semper orandum est: ergo semper carendum matrimonio. Nam & in veteri lege, qui pro populo hostias offerebant; non solùm in domibus suis non erant, sed purgabantur ad tempus, ab vxoribus separati, & vinum & siceram nõ bibebant, quæ solent libidinem prouocare. *Et in Apologia ad Pammach.* Igitur, vt dicere cœperamus, Christus virgo, virgo Maria, vtriusque sexus virginitatem dedicauêre: Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes: Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post sacerdotium in æternum pudici. Quid vobismet ipsis illudimus & irascimur, si, subantibus nobis ad coitum præmia pudicitiæ denegentur? Volumus op piparè comedere, vxorum adhiberi complexibus, & in numero virginum & viduarum regnare cum Christo? idem ergo habebit fames præmium, & ingluuies? sordes & munditiæ? saccus & sericum? Lazarus recipit mala in vita sua: & diues ille purpuratus, crassus & nitidus, fruitus est carnis bonis dum ad viueret; sed diuersa post mortem tenent loca; miseriæ deliciis, & deliciæ miseriis commutantur: in nostro arbitrio est, vel Lazarum sequi vel diuitem. *Et aduersus Vigilantium.* Quid facient orientis Ecclesiæ? qd Aegypti & sedis Apostolicæ, quæ aut clericos virgines accipiunt, aut continentes; aut si vxores habuerint, mariti esse desistunt? Hoc docuit Dormitantius, libidini frena pmittens, & naturalem carnis ardorem, qui in adolescentia

Epist. 50.

centia plerunque ferueſcit, ſuis hortatibus duplicans, imò extinguens coitu fœminarum; vt nihil ſit, quo diſtemus à porcis, quo differamus à brutis animantibus, quo ab equis, de quibus ſcriptum eſt: Equi inſanientes in fœminas facti ſunt mihi: vnuſquisque in vxorem proximi ſui hinniebat: hoc eſt, quod loquitur per Dauid Spiritus ſanctus: Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. Et rurſum de Dormitantio & ſociis eius: In chamo & freno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te. *Hæc Hieronymus.*

Sanctorum Patrum, atque adeò Apoſtolorum, &c. *Conſtitutio Apoſtolica hæc eſt.* Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria; vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione, à quibus cuſtodientes vos, benè agitis. *Quod idem Canone 62. ita præcipiunt.* Si quis Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel omninò ex ſacerdotali catalogo, comederit carnes in ſanguine animæ ipſorum, vel quid à feris captum, vel morticinium, deponatur: hoc enim lex prohibuit: ſi autem ſit laicus, ſegregetur. *Canon item, quem iſti tanquam ſextæ Synodi, allegant, in hunc modum præcipit.* Sacra ſcriptura nobis præcepit, vt abſtineamus à ſanguine & ſuffocato, & fornicatione. Meritò igitur damnamus eos, qui cuiuſcunque animalis ſanguinem arte aliqua condiunt, & ſic comedunt. Qui hoc fecerit clericus, deponatur; laicus excommunicetur. *Nos verò ad Apoſtolicam quidem conſtitutionem reſpondentes, dicimus, præceptum illud pro tempore tantùm factum fuiſſe, hoc eſt quàm diu idola manebant: & quàmdiu item Iudaicæ infirmitatis habenda fuit ratio: & quatenus erant immolaticia: & ad idolorum, quibus conſecrata erant, culturam pertinentia, quod ſatis etiam ipſius decreti verba declarant: non enim dixit, vt abſtineant à contamin atione idolothyti, ſed à contaminationibus idolothyti, & ſanguinis, & ſuffocati. hæc enim omnia erant contaminationes: quia omnis ſanguis habebatur dijs conſecratus: & omne item ſuffocatum, propter ſanguinem retentum. In illo autem quod ſequitur, & à fornicatione, repetendum eſt verbum, abſtineant; non referendo fornicationem ad contaminationes, quas dixerat: fornicatio enim, etſi crimen graue eſt, non tamen ad contaminationem cultus idolorum pertinet. Immolatitium autem ſanguinem, & ſuffocatum, in hoc decreto prohibita eſſe, teſtes, & autores ſunt Tertullianus in Apologetico: Cyrillus, Hieronymus in cathecheſi 4. Iuſtinus martyr in quæſtione 45. Gregorius Nazianzenus in Sermone in ſanctum Paſcha. Origenes libro 8. contra Celſum: & Magnetes antiquiſſimus autor libro 3. Apologiæ pro Euangelio contra Theoſthenem Euangelia calumniantem. Vbi autem & idola ſunt ſublata, nec amplius illis offertur quicquam, & iam infirmitatis Iudaicæ tanquam deſperatæ nullus habendus ſit reſpectus: quin imò potiùs illud agendum, ne vlla ex parte Iudaizare, eorúmq; ſuperſtitionem ſequi videamur: ſublata legis cauſa, legem ſublatam eſſe putamus: cùm præſertim quemadmodum tum, cùm ea lex ferebatur, illud maximè cauebatur, ne Chriſtiani gentilizare videantur; ita nunc viciſſim plurimùm curandum eſt, ne Iudæorum ritus ſequi videamur. Itaque iam*

ipse Paulus posterioribus temporibus, huius legis, vbi eius causa auferri cæpta est, rationem non habuit, cùm omnibus indifferenter vtendum esse, nihil interrogantes propter conscientiam præcipit: alia præsertim causa longè maiore eum mouente, quòd iam exoriebantur homines attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentes mendacium, & cauteriatam habentes conscientiam: prohibentes nubere, & abstinere à cibis, quos Deus creauit, ad percipiendum, cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognouerunt veritatem. Quorum error, ne aliquo modo confirmaretur, omnibus passim indifferenter cum benedictione & gratiarum actione, vtendum esse præcipitur: hócque magis est Iudaizare, si modò præsentiant Græci contra præceptum Pauli, qui omnibus indifferenter vescendum esse putat, à suffocato abstinere, quàm in azymo pane, Christi exemplo, cœnam Domini conficere. Sed isti festucam ex oculis alienis eijciunt, cùm trabem in suis non videant. Ad Canonem autem sextæ Synodi illud dicimus: Canonem illum sextæ Synodi non esse, sed particularis cuiusdam, quæ post quatuor, vel quinque annos, à sexta Synodo fuit ab Imperatore Iustiniano, in despectum quasi Sergii Pontificis, qui tum eius conatibus obsistebat, congregata. Cui neque legati sedis Apostolicæ præfuerunt Constantinopoli, neque deinceps ipse summus Pontifex subscripsit. Et reuera illi Canones multa habent, quæ neque planè Catholica sunt, & iam futurum schisma olent. Itaque per iocum ab ipsis Græcis πενθεκτὴ quinta sexta dicebatur, quod neque quinta, neque sexta esset, sed monstrum potius, vtriusque sibi nomen vendicans. Hæc autem ita esse, vt diximus, non melius cognosci potest, quam ex illorum ipsorum Canonum verbis: sic enim habet. Quoniam autem sanctæ & vniuersales synodi quinta & sexta, de ministerio fidei plenissimè disputantes, Canones non fecerunt: propterea nos conuenientes ad hanc Imperialem vrbem, sacros Canones conscripsimus: oportebat enim, vt synodus vniuersales Canones Ecclesiasticos promulgaret. *Verùm de his Canonibus suum cuique conseruetur iudicium. Hæc verò, vt & alia, hactenus.*

VLTIMA

VLTIMA RESPONSIO TVBINGENSIVM,

Ad tertium Patriarchæ ſcriptum, ex Patriarchio allata, ipſorúmq. Tubingenſium manu ſubſcripta.

SANCTISSIMO PRINCIPI ET DOMINO,

Dño. Ieremiæ Archiepiſcopo Conſtantinopolis Nouæ Romæ, & Vniuerſali Patriarchæ, reuerenter in venerabiles manus reddatur.

GRATIA VOBIS ET PAX A DEO PATRE NOSTRO ET DOMINO IESV CHRISTO.

QVemadmodum ſuperiori tempore, quadam tempeſtate & perturbatione res veſtras occupante, Sanctiſsime Domine, veſtræ ſanctitati ſyncera mente, & charitate non ficta condoluimus, caſúmq; veſtrum conſolando leniorem facere voluimus; ad eundem modum nunc pace & tranquillitate vobis Dei benignitate reſtituta, rebúsque veſtris in tutiorem portum adductis, S. V. ſyncerè & ex animo congratulamur, quòd priſtinum in Eccleſia ordinem & miniſterium auxilio Dei receperit. Precamur autem Deum Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti Græcas veſtras Eccleſias ſancto Spiritu cooperante, S. V. cura, vigilantia, ac fideli diligentia, ſaluberrimè Chriſti Euangelio paſci; vt principem paſtorem illum Chriſtum vnicum ipſorum redemtorem rectè agnoſcant, ac ſuam ipſorum gratitudinem erga Ieſum Chriſtum bonis operibus, quæ ipſe præcepit, palàm teſtentur; vt aliquando curſu præſentis vitæ rectè confecto, finem fidei ſuæ, vitæ æternæ immarceſsibilẽ auferant coronam. Fiat.

Nunc ad veſtram reſponſionem, qua ſcripto noſtro reſpondiſtis, accedamus, pro re aliq̣d, ídq; breuiter, tanq̃ per Epilogum dicturi. Non quòd diſſidendi ac vicendi morbo (à q̣bus longè abſumus) laboremus; ſed quod neceſsitate ipſa ſimus cõpulſi, vt & veritati breuibus teſtimoniũ p̣hibeamus, (in priorib⁹ enim duob⁹ libris copiosè noſtra explicauimus) & vobis ſignificemus, ad ea quæ ſcripſimus, nondũ ad hunc diem vſq; ſatis reſponſum eſſe. Nobis enim multis argumentis aſſerentib⁹ Spiritũ S. non à ſolo tantùm Patre, ſed & à filio mitti, & inde neceſſariò ſeq̣, Spiritũ S. non tantùm à Patre, ſed à filio etiam p̣cedere: vos vniuerſam argumenti ſolutionẽ in eo poſitã eſſe putatis, ſi modò à ſubſtantia Spũs S. gratias & op̣ationes diſtinxeritis, ídq; multis tã ſacræ ſcripturæ, quàm ſanctorum Patrũ teſtimoniis aſtruitis; cùm nihil tot teſtibus, in renõ neceſſaria op⁹ fuerit. Neq; enim hic eſt caput cõtrouerſiæ noſtræ, neq; de hoc inter nos lis eſt; hoc enim idẽ ipſi vſque adhuc in Eccleſiis noſtris D. Paulum ſequuti docemus: Diuiſiones verò 1. Cor. 12.

verò gratiarum sunt,idem autẽ Spiritus: & diuisiones ministeriorum sunt, idem autem Dominus : & diuisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Nos autem sic ratiocinamur. Quemadmodum Pater non mitteret Spiritum,nisi ab illo procederet: sic neq; Filius mitteret eundem Spiritum, nisi ab illo eodem modo prodiret. Nam etsi non vnum ac idem est mittere ac ꝓcedere, (vt quidem vobis pridem notum est) nihilominus missio à processione dependet: & si quis in tempore potest mittere Spiritum sanctum, ab eodem & ante omnia secula idem Spiritus proficiscitur. Amplius, si Spiritus sanctus est virtus eius,qui supra omnia est,Dei ; non frustrà neque absurda statuerimus,eam virtutem non minus ab æterno Dei filio,quàm ab ipso Patre procedere : præsertim cùm Spiritus sanctus non tantùm Patris, sed & Filii Spiritus in diuinitus traditis scripturis vocetur. Ad has igitur demonstrationes, vt & ad alias, quæ nostro libro continentur, vsque adhuc (quod tamen vt in bonam partem accipiatis obsecramus) seriam & sufficientem responsionem non accipimus.

a Quid igitur illud ad Cainũ, iam post lapsũ,in re et officio spirituali sibi uultꝰ Nónne si bene egeris,recipies:sin aũt malè,statim inforibus peccatũ tuum aderit? sed sub te erit appetitꝰ eius, & tu dominaberis illiꝰ. Aegrũ igitur & uulneratũ est liberũ arbitriũ hominis: sed nõ extinctũ neq; cõsossũ : q; Samaritani parabola clarè docet

Quantum autem ad hominis liberum arbitrium, humanámque quo ad spirituales operationes vim & facultatem attinet, facilè percipimus ; vos hominem nunc in eodem statu & conditione contemplari, in quo & qualis fuit, priusquam lapsus fuisset, ferens adhuc imaginem & similitudinem Dei. [a] Indéq; rationem dominam omnium affectuum (quod valdè miramur) dicitis. Atqui quanta post humani generis lapsum peruersio & luxatio vniuersam naturam humanam occupârit, ipse Moyses testatur, inquiens,omnem cogitationem cordis intentam esse ad malum omni tempore, ἐπιμελῶς inquiunt septuaginta,quod Phauorinus interpretatur continuè ac studiosè. [b] Hebraicus autem textus (semper enim ad fontes ac primam sacræ scripturæ linguam nos referre debemus,si à veritate aberrare,à qua plerumque interpretes recedere solent, nolumus,) legit rach , quod verbum vt illi qui Hebraicè norunt rectè intelligunt, solùm significat. Natura igitur ad solum malum cor hominis ab adolescentia & ab omnibus diebus vitæ suæ pronum est. [c] Et nihil mirum : genuit enim Adamus, non in illa prima sua impossibilitate peccandi;sed post peccatum:genuítque,iam non secundùm similitudinem & imaginem Dei, sed secundùm suam ipsius imaginem , hoc est peccatores produxit , qualis ipse fuit. Itáque irrefragabilem veritatem habent dicta Pauli : Non sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis,quasi ex nobis; sed Deus est,qui operatur in nobis & velle & perficere.Et Christus nobis depingit deprauationem naturæ cordis humani, cùm inquit : De corde exeunt cogitationes malæ,homicidia, adulteria, fornicationes,furta,falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc enim in corde tanquam in nido delitescunt,pro tempore autẽ & occasione erumpunt: (Si non per Spiritum sanctum inhibeantur) In iniquitatibus enim concepti sumus, & in peccatis concepit nos mater nostra. Illi itáque qui eas virtutes hominis, quæ post lapsum relictæ sunt, illis facultatibus , quas priusquam deliquisset, primus Adam habuit, comparant ac illis metiuntur : isti

b Soluit hæc oñia lõgiꝰ ab eis repetita uerbũ ἐγκειται qđ & hîc & inferius est positũ qđ ferri aut ꝓnũ esse significat, nõ planè delapsũ esse nam alioqui nihil inter hoẽm & apostatã angelũ interesset

c Negãt hoc Sãcti patres, negat Basiliꝰ,qui etsi similitudinem Dei nos prauis moribꝰ nostris amittere posse affirmat,imaginẽ tñ ullo tẽpore amitti negat,quãtumuis deformari posit:alioqui homo amplius homo nõ esset. q idẽ scriptura iã post lapsum testatur: Signatũ est inquit,sup nos lumẽ uultꝰ tui Domine.

idem no-

idem nobis facere videntur, ac ſi quis aliquem hominem in extremam paupertatem delatum, ob illas diuitias quas aliquando habuit, ditiſsimum eſſe contenderet. Sed vtinam eam vim, qualis ante lapſum fuit, liceat nobis re ipſa quotidiana experientia probare. Quam adeò verbis nimis efferunt illi, qui aut legem Dei qualem perfectionem à nobis requirit, non ſatis nouerunt, aut propriæ naturæ deprauationem & infirmitatem non benè perſpectam habent.

[d] Ex ſacramentis autem duo ſola agnoſcimus, Baptiſmum, atq; cœnam Dñi. Hæc enim à Dño inſtituta eſſe ex ſacris ſcripturis didicimus. Propriè autem hæc dicuntur ſacramenta, partim quòd viſibilia elementa à Domino ordinata habent: partim quòd adiectas remiſsionis peccatorum & vitæ æternæ promiſsiones continent. Tutò igitur his duobus ſacramentis fides noſtra niti poteſt: reliqua autem eandem definitionem non habentia, meritò ex verorum ſacramentorum numero excludimus.

Sanctos Dei ob eximia & ſingularia dona Dei, & ornamenta, quæ habuerunt, admiramur, eorúmque fidem, ſpem, charitatem, patientiam, & alias virtutes imitari contendimus: ipſos autem neque inuocamus, neq; adoramus; ſed neque reliquias eorum atq; imagines colimus. Solùm enim Deum adorandum eſſe ex ſacris ſcripturis didicimus. [e] Quo loco non latet vos, verba hæc λατρεύειν καὶ λατρεύειν pro eodem indifferenter vſurpari: Nam λατρεύειν, non ſolùm ad creaturas, ſed ad Deum ipſum referri atq; illi ipſi tribui legimus, quomodo Matthæi 6. legitur, οὐ δύνασθε θεῷ δουλεύειν καὶ μαμμωνᾷ Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ. Et 1. ad Theſſal. cap. 1. δουλεύειν θεῷ ζῶντι καὶ ἀληθινῷ Seruire Deo viuenti & vero. Et rurſus τὴν λατρείαν non ſolùm Deo, ſed etiã creaturis tribui πᾶν ἔργον λατρευτὸν οὐ ποιήσετε ἐν αὐταῖς Exod. 2. Omne opus ſeruile non facietis in illis λατρεία δουλεία ἐστὶ μισθῷ καὶ λάτρον ὁ μισθὸς inquit Suidas. λατρεία id eſt, Seruitus precio locata, & λάτρον ipſum precium. Et Ioannes apud Nonnum ὑδροφόρος δὲ ἦν ἐλάτρις ὄμιλος id eſt, Aquarius autem ſciuit famulans cætus. Et apud Xenophontem. 3. Cyri inſtitutione ἕτοιμος τὶς ἂν τῆς ψυχῆς προαποχρέοι αὐτὸν ὥστε μὴ λατρεῦσαι αἰχμάλωτον γενομένῳ τῷ ἑαυτοῦ γυναῖκα· τὸ λατρεῦσαι ἐν τοῖς ἔξω διὰ τοῦ δουλεύειν ἑρμηνεύεται, αὐτῆς τῆς γυναικός. paratus quidam ſcribitur anima redimere vxorem ſuam captiuam ne ſeruiret, vbi λατρεῦσαι in ſequentibus exponitur per δουλεύειν ab eadem vxore. [f] Neque talem cultum à nobis ſancti repetunt, neque ſacra ſcriptura docet aut ſanctos inuocandos eſſe, aut eorum imagines adorandas, magis autem eos pœnas mereri ex ſacris ſcripturis diſcimus, qui eorum imagines in hunc modum, vt vobis obſcurum non eſt, venerantur. [g] Sed neq; promiſsio vlla inuenitur, quæ doceat cultum aut inuocationem ſanctorum hominibus aliquid vtilitatis adferre. Quin contrarium docet Iſaias: [h] Tu es Pater noſter, & Abrahã neſciuit nos, & Iſraël ignorauit nos: [i] tu Domine Pater noſter redẽtor noſter: à ſeculo nomen tuum ſuper nos eſt. Si autem non norunt nos ſancti, quomodo preces noſtras audiunt? quomodo nobis opem ferunt? Cõtenti igitur ſumus Dei Patris, & Filii, & Spiritus ſancti inuocatione, à quo tam animi quàm corporis accipimus beneficia, cuius beneficiis obligati benignæ

d Quid utriuſque tã orientalis, quàm occidentalis Eccleſiæ cõſenſus Pauli teſtimoniũ de matrimonio? Sacramentũ hoc magnũ ẽ, dico inter Chriſtũ & Eccleſiã? ludus & iocus.

e Scilicet hæc non uidet Damaſcenus aliiq; præſtãtiſſimi Patres: aut quaſi idẽ uocabulũ, priuè & cõmuniter uſurpari nõ poßit

f Quid igitur illud eſt: Angelus qui eruit me de cũctis malis, benedicat pueris iſtis, & inuocetur ſuper eos nomen meũ, nomina quoq; patrũ eorũ Abraã & Iſaac, ut creſcãt in multitudinẽ ſuper terram?

g Parũne hæc, pmiſſio ẽ locupleS? Et quicũq; potũ dederit uni ex miniſtris iſtis calicẽ frigidæ, aquæ tãtũ in nomine diſcipuli: Amẽ dico uobis, non perdet mercedem ſuam.

h Quid igitur toties appellãtur? Neq; auferas miſericordiã tuã à nobis, ppter Abraã dilectũ tuũ, & Iſaac ſeruũ tuũ, & Iſrael ſanctũ tuũ.

i Quidẽ in ſummis neceſsitatibus ad eorũ preces ſe cõferebant ſemper Amalech quidẽ ad Abraã, ad Iob amici eius, Pharao ad Moyſen, Anna ſoror ac uniuerſa populꝰ, Reges ad pphetas & ſacerdotes, Petro cũ Paulo ad Eccleſiã. At uiuorũ dices: atqui ſãcti uerè uiuunt.

benignæ eius liberalitati ac munificentiæ gratias agimus.

Peccatorum item confeſsionẽ non aſpernamur, ſed & publicè ante ſuſceptionem ſacræ Euchariſtiæ peccata noſtra confitemur, abſolutionem ipſorum grato animo accipientes: & priuatim apud eoſdẽ ſacros miniſtros, priuſquàm ſacra Euchariſtia communicamus, confitemur. [k] A nullo autem ſpecialem in confeſsione apud ſacerdotem peccatorum omnium enumerationem repoſcimus. Quam enumerationem peccatorum, vtpote impoſsibilem (iuxta illud: Peccata quis intelligit) neque Chriſtus à nobis repetit, neque nos Eccleſiæ tantùm imponimus oneris: Notum enim eſt vobis illud Chryſoſtomi, vbi affirmat: [l] Sufficere nobis, ſi Chriſto peccata noſtra confiteamur, ipsíque vulnera noſtra monſtremus, qui ſolus illa ſanare poteſt. Sed videmus vos magnos honores & laudes ſanctis Patribus maximè Græcis prolixè tribuere, interim tamen ſæpiùs ab eorum doctrina recedere. [m] Vnde nec nobis imputare debetis, ſi idem facimus, quãdo illi à ſcriptura, in qua fundatur Eccleſia, aberrant.

De Monaſtica autem vita tum demùm eam politiam Angelicam credemus, cùm ex ſacra ſcriptura illius tale encomium [n] demonſtratum fuerit. Sed cùm vitæ genus hoc excogitatio & inuentum [o] humanum abſque Dei verbo & præcepto ſit; iuſtè illi (quod tamen in nullius contumeliam dictũ velimus) alias vocationes, vitæque genera, vtpotè à Deo inſtituta, anteferimus. [p] In hoc enim genus humanum productum eſt, vt vnuſquisque ſecundùm vocationem ſuam Deo ſeruiat & proximo. Cœlibem autem vitã ſi apud nos placet cuiquam degere, hunc quidem non impedimus, modò caſtè ante Deum degat.

Schiſmata autem & hæreſes inter nos exorientes vos nobis exprobrare valdè miramur. Neque enim hinc Eccleſiam condemnare erroris, aut ſuſpectã habere oportet, quòd peruerſi oriantur homines ipſam turbantes, qui eam ob cauſam ex complexu [q] Eccleſiarum eiici ſolent. Ex nobis exierunt, inqt Ioannes, ſed non erant ex nobis. Et Paulus non ideo contemnit aut accuſat Eccleſiam Epheſiorum, cùm ipſorum presbyteris ſcribit: Ego ſcio, quod poſt diſceſſum meum, ingredientur lupi graues in vos, qui non parcent gregi, & ex vobis ipſis exurgent viri loquentes peruerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſeipſos. Quãùis enim his diſsidiis offendantur multi, melius tamen putamus cum Eccleſiis illis agi, quæ cum erumpentibus hæreſibus armis, & præſidiis diuinis pugnant; quàm cum iis, quæ extra quidem tranquillitate gaudent, intus autem errores non modicos in ſinu fouentes ægrotant. Quemadmodum & corpora, quæ à peſsimis humoribus purgantur, ſaniora fiunt, quàm illa, quæ ob imbecillitatem inſiti caloris id præſtare non poſſunt: ad eundem modum & Eccleſias illas melius valere putandum eſt, quæ cum adnatis hæreſibus confligunt eásque expellunt, quàm quæ ꝓpter mentis & temperaturæ imbecillitatem errores ſuſtinẽt.

Cum Hebræis quidem omninò nihil commune habemus, sícq; ab illis diſiuncti ſumus, quòd ex plurimorum principum noſtrorum prouinciis eiiciantur, neque vllus locus illis inter nos manendi concedatur. Impietatem au-

Deus .n. uiuorũ eſt nõ mortuorũ:

k Facit hoc idem Catholica Eccleſia u: nullũ ad impoſſibilia obliget, examẽ tamẽ & trutinã ſuiipſius ab unoquoq; requirit, iuxta illud: Recogitabo tibi oẽs annos meos, in amaritudine animæ meæ: Et illud Dauid: Exercitabar & ſcopebã ſpiritum meum.

l Quid igitur illud: Cõfitemini alterutrũ peccata ueſtra? Qui cõſeruo cõfitetur, Domino confitetur?

m Quo igitur tã magnifico iudice Patres aberrant? Quòd ſi aberrant, quomodo ſancti? quomodo Prophetæ, quomodo patres, quomodo doctores à ſcriptura uocantur? aut quomodo illud Prophetæ uerum erit? Hoc fœdus meum cũ eis dicit Dominꝰ. Spiritꝰ meꝰ in te, & uerba mea quæ poſui in ore tuo, nõ recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, à modo & uſq; in ſempiternum. Nã etſi ſinguli priuatos quoſdã ſenſus habere poſſũt, oẽs tamẽ ſimul errare nõ poſſunt.

n Demõſtrat Baſilius, & cæteri ſancti Patres, ex illis ſcripturæ locis. In reſurrectione .n. neq. nubẽt neque nubentur ſed ſunt ſicuti Angeli Dei in cœlo.

o Quid igitur Elias, Eliſæus, quid

tatem autem eorum omni parte perfectus ille Doctor Lutherus ſapienter & ſolidè damnans, ac planè pedibus conculcans refutauit. Neque tamen ideò Hebraicos errores nobis quis ob linguæ illorum cognitionem obiici et:non enim eorum abſurdas ſententias,ac infidelitatem, ſed ipſam linguã didicimus. [r] Quemadmodum & Græcam linguam, ex quibusùis ſcriptoribus diſcentes,nequaquam ob eam cauſam ethnicorum impietatem complectimur.Igitur qui doctrinam & confeſsionem fidei noſtræ,tanquam ex Hebræis profluentem calumniantur; iſti profectò innocentes iniuria affecerunt nos.

Hæreticos autem nos appellari nequaquam ferre poſſumus, etſi quis amiciſsimus ſit,qui nos hoc nomine appellet.Neq; enim vſq; ad hunc diem erroris alicuius ex ſacris ſcripturis conuicti ſumus. Paratiſsimi ſemp autẽ ſumus, & fuimus, de ſententia noſtra decedere, ſi axiomata, & ſententiæ graues ex ſacris ſcripturis rectè vſurpatæ cõtra nos adferri poſſent. [s] Quod vſque adhuc neminem feciſſe videmus,neque gratia Dei nobis cooperante in poſterum videbimus. [t] Omnia enim fidei Chriſtianæ capita in pectore noſtro condidimus nihil illorũ omninò reiicientes. Item ſacramentis à Chriſto inſtitutis piè & ſanctè vtimur,amplꝰ verò graui & inculpabili vitę & politiæ operam damꝰ. Quibꝰ igitur ex cauſis hæreſeos nos accuſent,nõ inuenimus. Patribus authoritatem eam quàm illi ipſi ſibi tribuunt concedimus,nimirum accipientes omnia ea quæ ab illis ſcripta ſunt,in quantum diuinis ſcripturis conſentiunt:reliqua autoribus ipſis tribuentes,iuxta magnum Baſilium in Aſceticis ita præcipientem: [u] Oportet, inquit, auditores eruditos in ſcripturis examinare ea, quæ ab iis, qui docent, dicuntur: & alia quidem conſona ſcripturis recipere, ea autem,quæ aliena ſunt, abiicere, & talibus dogmatibus inhærentes fugere vehementius. Neq; enim poteſt illis rebus quæ fundamentum non habent fides noſtra niti, multáq; Chriſtianorũ millia à ſacris illuſtrata ſcripturis, ac quaſi manu deducta æternæ vitæ viam ingreſſa &ſalua facta ſunt: priusquam patres illi,quorum dogmatibꝰ humanæ traditiones defenduntur,geniti in terra apparuiſſent. Quanquam autem poſtuletis, ne amplius vobis ſimilibus ſcriptis negotium faceſſamus, etſi amiciſsimè & humaniſsimè, & eo quo par fuit honore vobiſcum contulimus; tamen optimam ſpem concipimus, vos ea quæ à nobis vſq; adhuc ſcripta ſunt,ſucceſſu temporis exquiſitius & melius iudicaturos & æſtimaturos. Quod ſi feceritis, Deo auxiliante cognoſcetis confeſsionem noſtram,firmo,& indubitato,& illuſtri verboDei ſuperædificatam eſſe; cui neque hominum opiniones, neque traditiones,imò neq; vetuſtiſsimas conſuetudines anteponendas eſſe putamus. [x] Solum enim verbum Dei homine in agone trepidante inſuperabile,ſolum laborantis & onerati hominis animum erigit ac confirmat. Quod reliquum eſt, S. V. ſanctiſsime Domine Patriarcha,Deo ſupremo cõmendamus. Quantum verò ad nos attinet, parati ſumus eam quam vobiſcum ſemel iniuimus amicitiam, hanc eandem in poſterum integram ac perpetuam ſeruare. Omnia autem,ea quæ optima & ſaluberrima ſunt, pleno animo S. V. precamur,inpri-

[r] Ioannes Baptiſtaꝰ quid Antoniꝰ, Paulꝰ, Hilarius? quid Benedictꝰ Dominicꝰ, Frãciſcꝰ, Bernardꝰ, quid de hoc genere uitæ Philonis doctiſſimus liber? quid Hieronymi Epiſtolæ? quid Baſilii Aſcetica? quid Auguſtini regulæ? luſꝰ & iocꝰ. P Maria optimã partẽ elegit, quæ nõ auferetur ab ea qNiſi ſuper ueſtra uitula araßẽt iſti, niſi in ueſtrũ fundamentis & principiis ſuperædiſicaßẽt,niſi per uos de ſinu matris ſuæ educti fuiſſent,niſi ſeminainobedientiæ inde hauſiſſẽt: & niſi itidem uos ipſos ab orbis terrarum conſenſu ſeparaſſetis: uera eſſet hæc oratio.

[r] Iuſta oratio: ſed ſi nõ ubiq; cupreſsum ſimules, & ſi nõ priuatas quaſuis interpretationes catholicis ueriſionibus à Spiritu S. cõprobatis anteferas.

[s] Qui nõ audierit Eccleſiam, ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus.

[t] Patres à uero ſcripturæ ſenſu aberrare poßũt, peſtantes nõ: quo priuilegio? Ego dixi dii eſtis.

Laudet te alienus & non os tuum.

[u] Hæc de illis docentibꝰ intelligẽda ſũt, qui ſeipſos miſerũt, priuatasq. ſententias ſequũtur, non de his, quos ChriſtusDo-

minus promisit se missurum : Ecce ego mitto ad uos prophetas, sapientes, & scribas, & quos Spiritus sanctus per unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam per omnem seculorum decursum laudauit & comprobauit, & quos ipse in omnibus commendat & sequitur D. Basilius.

x Christus ascendens in altum &c. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios uerò Euangelistas, alios autem pastores & Doctores ad consumationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi. Statim igitur à principio Rectores erant.

y Ecclesia, est columna & firmamentum ueritatis.

mur, imprimis autem hæc, vt omnes S. V. actiones ad Dei gloriam, & ad eius Ecclesiæ salutem Spiritus S. dirigat Amen.

IACOBVS ANDREAE, *Doctor Theologiæ, S. Tubingensis Ecclesiæ Præpositus, eiusdémq; Academiæ Cancellarius, & Illustrissimi Principis Consiliarius.*

EBERHARDVS VIDENBACHIVS, *Doctor Theologiæ, & monasterij quod est in Beben Abbas, Illustrissimíque Principis Consiliarius.*

IOANNES MAGIRVS *Theologus, & Stuccardiensis Ecclesiæ Præpositus, in rebúsq; Ecclesiasticis Consiliarius.*

THEODORETVS SNEPHIVS, *Theologiæ Doctor, cùm Ecclesiæ, tùm Academiæ Tubingensis Professor.*

IACOBVS HERBRANDVS, *Theologiæ Doctor, Tubingensis Ecclesiæ & Academiæ Professor, & eorum qui sumptibus Principis in studijs aluntur, Præfectus.*

LVCAS OSIANDER, *Theologiæ Doctor, & Illustrissimæ aulæ Virtenbergensis Concionator, ac in rebus Ecclesiasticis Consiliarius.*

IOANNES BRENTIVS, *Theologiæ Doctor, & Academiæ Tubingensis Professor, eorúmq; qui sumptibus Principis literis operam dant, Præfectus.*

GVILELMVS OLDERERVS, *Theologus, & Ecclesiæ Stuccardiensis Antistes, in rebúsque Ecclesiasticis Consiliarius.*

IOANNES SCHOPHIVS, *Theologus, & Illustrissimæ aulæ Stuccardiensis Concionator, & in Ecclesiasticis negotijs Consiliarius.*

MARTINVS CRVSIVS, *tam Græcæ quàm Latinæ in Academia Tubingensi disciplinæ Magister.*

STEPHANVS GERLACHIVS, *Doctor Theologiæ, & in eadem Academia Professor.*

Mirum est in religionis negotio Episcoporum & Presbyterorũ, ad quos potissimum hæc causa spectat, nullam fieri mentionem, nisi fortè hæc non sunt Euangelica, & Apostolica : neque Paulus eorum vocabulorum vsquam meminit.

STANISLAI

SOCOLOVII

AD WIRTENBERGENSIVM THEOLOGORVM INVECTIVAM, QVAM SVIS CVM IEREMIA *Patriarcha Constantinopolitano, de Augustana Confessione, actis & scriptis, per eos Græcè & Latinè editis, præfixerunt:*

Breuis responsio.

MODESTIA VESTRA NOTA SIT OMNIBVS HOMINIBVS: DOMINVS ENIM PROPE EST.
Philip. 4.

Stan. Socolouius, Iacobo Gorscio præceptori suo.

REsponsionem nostram, ad Tubingensium theologorum maledicta (quo enim alio nomine scriptum illorum appellem, adhuc non inuenio) quam affecta valetudo nostra, occupata præsertim Commentationibus aliis, interim parere potuit, Iacobi Gorsci, ad te defero: vt qui Præceptor noster quondam fueras, idem pro singulari tua eruditione, iudicio, dicendíque facultate, corrector, iudex, vindéxque sis: quanquam misericordia magis mihi, quàm iusto certamine tales homines digni esse videantur. Vtimur autem hoc breuiori & concisiori dicendi genere, quod illud maius & fusius Patriarchæ istis non placuerit; an fortasse pressius hoc placebit, (sed non spero:) & quòd ab aliis, hæc quæ illi mirantur, & sua esse putant, abundè & satis fusè confutata sint. Ponimus verò integras sententias, & verba istorum; vt videant, quanti maledicta illorum faciamus, quàm eorum conuitia curemus nihil, quantum bonitati causæ nostræ, cuius tu es locupletissimus testis, confidamus. Quod Socratem quondam fecisse legimus: quem, vt nosti, Aristophanes ille mordax & acer comicus, ab Anyto homine inimicissimo, magna pecunia redemtus, in Comœdiam malignè & scurriliter, vti solebat, induxerat, cùm alias ob causas, tùm potissimùm quòd Sophistas traduceret, illorúmq; vanitatem aperiret, in quibus iam tum nihil sanum erat, & qui nihil serium aut sciebant ipsi, aut alios docebant. Aderant tum in theatro Athenienses pro more omnes, qui primùm insolentia rei & inusitato in scena spectaculo Socratis offensi, vt sunt ingenia hominum, vtcunq; grauiùs tulerunt. deinde, quoniam natura inuidi erant, & ad optimis quibusque detrahendum procliues, non solùm iis, qui in administratione reipub. & magistratibus excellerent; verùm etiam qui vel doctrina literarum, vel vitæ grauitate præfulgerent, facilè factum Aristophanis approbârunt. aderat & data

opera non ignarus totius cauſæ Socrates, ac in loco conſpicuo ad tollendam dubitationem omnem conſederat, quod ille rarò aliàs facere ſolebat; niſi quando Euripides cum nouis tragœdiis certaret, quem tum propter ſapientiam, tum propter carminum honeſtatem amabat & obſeruabat: aderat vniuerſa Græcia, ac permulti vndique peregrini. qui cum quiſnam ille Socrates, qui in comœdia traduceretur, eſſet, interrogarent; ſurrexit ille, ac per totum drama congredientibus hiſtrionibus ſtabat, ac inambulabat nonnunquam; vt quanti & Ariſtophanis comœdiam, & Athenienſium iudicium faceret, demonſtraret. Quod idem nobis, non in diſsimili negotio, hoc tali tempore faciendum eſſe putauimus. Tu quod in noſtra reſponſione deeſſe videbis, tua illa Tulliana eloquentia complebis. Vale. Cracouiæ Idib. Auguſti Anno Domini 1584.

THEOLOGI STANISLAI

VIRTEMBERGENSES SOCOLOVII

AD INVECTIVAM Virtembergenſium Theologorum, breuis reſponſio.

Pio Lectori S. P.

EDIDIT HAVD ITA PRIdem Staniſlaus Socolouius, Sereniſsimi Stephani Poloniæ Regis Theologus, Patriarchæ Conſtantinopolitani ad Confeſsionem Auguſtanam à nobis ipſi tranſmiſsam, reſponſum, furtim comparatum, A

A *Dq. vobis inuitis ac nolentibus: qui more ſerui illius nequam, tantum talentum in agro defodentis. Vti igitur ab iniquis poſſeſſoribus auferendum erat. Græci tamen hæc nobis, tanquam lumen à lumine accendere paſsi, vel propter ſuos, quorũ hîc plenæ ſunt prouinciæ, & quos veſtris doctrinis inficiis iniquiſsimè ferunt, libentiſsimè ſuppeditârunt. Sed vnde quæſo ſcitis, furto comparatum? An fortaſsis ſeriò interdixeratis, vt illud nemo videret, ne veſtra conſilia patcrent? Sed quid opus eſt verbis.*

Cenſuram Socolouius vocat, ex Græco in latinã à ſe conuerſum linguam, qua fide, B nihil moramur.

B *Ea, de qua corruptiſsimum exemplar noſtrum teſtari poteſt: & cuius præcepta nobis à doctiſsimis viris præſcripta ſunt: in tumultibus tamen aulicis, & bellicis, vt mirum ſit nos aliquid in eo genere præſtitiſſe. Vobis quidem, quod fatendum eſt, in hac verſione omnia ſubſeruierunt: nam veſtra, & ad vos ſcripta, quod parui laboris fuit, reddidiſtis; mea certè vel legere non potuiſſetis ipſi. Quanquam ne vos quidem ipſi totam de optimè interpretandi artem expreſsiſtis. Veſtro igitur exemplari adiuti, meliora faciemus omnia.*

Cui præfixit ad Pontificem Romanum Gregorium eius nominis XIII. Præfationem valdè mordacem, odioſam, falſam, mendacem, virulentam, c

c *Hi*

C *Hi cauponæ & ganeorum sunt dicendi modi potiùs, quàm Scholæ Christi, aut quàm Lycæi & Academiæ. Credo hos tropos ex D. Paulo eos hausisse.* Philip. 4. *Aristoteles scilicet cum Platone, Empedocle, Anaxagora, hunc in modum disputat: iuxta illud D. Pauli: Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Sed isti quo ouo nati sunt, facilè se cantu suo produnt. Sed videamus quàm vera sint hæc omnia.*

plenámque Sophistices & calumniarum, qua nos nostrásque Ecclesias, petulanter, mendaciter, maliciosè, & falsò coram toto mundo traducit, criminibúsq; atrocissimis hæreseos & apostasias intentatis onerat; quasi deserta Ecclesia Romana nouum & toti Ecclesiæ incognitũ doctrinæ genus amplexi, ad Græcos confugere, nósque ab illis in communionẽ recipi, (hæc enim illius verba sunt) *Recognoscimus nostra.* studiosè petierimus, ipsósque iudices communis causæ constituisse vociferatur. Cùm igitur tam ab his, quàm à Romanensibus, quorum incredibilis sit consensus, concordia summa, vt non eadem dicant tantùm omnes, sed iisdem penè verbis sententia contra nos sit lata; ideo nõ sine causa nos Censuram hanc suppresisse. Quare se hanc publicè legendam proponere, vt nos transfugas, nihil non contra matrem nostram molientes, nullámq; nocendi partem relinquentes, proderet: deinde quàm nos nostræ nouitatis pudeat, atque tædeat, quòd cum nulla Apostolica Sede coniuncti simus, quòd successionem nullam demonstrare possimus, quòd ἀκέφαλοι hoc est, membra sine capite demonstraret.

Ad quæ singula accusationis capita, conuicia, & mendacia, ne crimina obiecta agnoscere videamur, eáq; nostro probare silentio, respondendum, actáque integra scripta, vltro citróque missa edenda esse iudicauimus; vt non tàm verbis nostris, & oratione calumnias & mẽdacia Poloni D istius refutemus, quàm rebus ipsis nostram testatam faciamus innocentiam, causæq; bonitatem demonstremus. Et primum quidem quod ad Hæreseos crimen attinet, E atrox hoc est & intolerabile: sed non tam facilè probatur, quàm intenditur.

D *Nimirum hominis non mali, & à vestris dissensionibus alieniſsimi.*

E *Verissima Oratio.*

F Videndum igitur initiò, quid sit Hæresis. Vnde facilè intelligetur, vtrinam sint hæretici. Est aũt hæresis propriè, pertinax erroris alicuius cũ fundamento religionis & doctrinæ Christianæ pugnantis propagatio, nec velle credere, vbi etiam conuictus quis ex verbi Dei vera & genuina sententia fuerit.

F *Serior tandem post quinquaginta annos nominis hæreseos deprecatio. Quasi verò ego nunc primùm vos hoc nomine compellauerim: aut quasi non vbiq; apud omnes, qui vos non sequuntur, his titulis ornemini: aut, ac si hæc vel puer cum lacte simul non hausisse. Reperi in Ecclesia hunc titulum, non ipse intuli. Quin & Patriarcha hoc eodẽ modo alicubi vos honorat; qua de re grauiter cum illo expostulatis his verbis:* In Tert. Resp. Hæreticos nos appellari à nullo

quantumùis amico ferre poſſumus, non enim vllius erroris ex ſacris literis ſumus conuicti: & parati fuimus ſemper cedere, ſi nobis autoritas ſcripturæ rectè allegatæ opponi poſsit: ſed qui id hactenus fecerit, neminem vidimus, neque per gratiam Dei poſthac videbimus. *Quaſi vnquam fuerit hæreticus quiſpiam, qui ſe hæreticum eſſe fateretur. Nomen ſemper declinârunt omnes, quamùis rem ſequuti ſunt. Sera igitur apologia hæc: actum eſt: cauſa in rem iudicatam abijt.*

Quòd igitur ad nos attinet, prorſus nihil pugnans cum ſacra ſcriptura docemus. Sicut & hactenus nullo legitimo iudicio ex ſcriptura ſacra de vlla Hæreſi ſumus conuicti. G

G *Quoties autẽ id factum eſt, aut fit quotidie? Et definitio quidem hæreſeos veſtra, quam ipſi, vt vobis vtile fuit*

Mat. 18. *confinxiſtis, qualis ſit, nihil moror. At longè alia Chriſti Domini: Qui, inquit, non audierit Eccleſiam, ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus. Et Iudæ Apoſtoli: Hi ſunt, qui ſegregant ſemetipſos, animales, ſpiritum non haben-*

1. Ioan. 2. *tes, &c. Et diui Ioannis: Ex nobis exierunt, ſed non erunt ex nobis. Qui ſuam electionem ſectantur, hæreticos vocat, vicinus Apoſtolorũ temporibus Tertullianus: indéq; ex Græco eorum nomen deducit. Auguſtinus, qui à parte ſunt, hæreticos definit. Vnde illi dicendi modi vſitati à parte Donati, à parte Nouati eſſe, qui ſæpiùs ab eo repetuntur. Quæ omnia ſibi conuenire iſti negare nõ poſſunt: nam nec Eccleſiam audiunt: & ſegregauerunt ſe: & exiuerunt ex nobis: & ſuas electiones ſectantur: & à parte aut Lutheri, aut Caluini, aut Philippi ſunt; quarum rerum noſtris nihil conuenire poteſt: in antiquis ouilibus permanſimus: foras non exiuimus: vetera omnia ſequimur: cum omnibus bonis ſentimus: priuatas ſententias nullas habemus.*

Et certi ſumus ex verbo Dei nullius etiam in omnẽ æternitatem cõuinci nos poſſe, etiam ſi omnibus viribus coniunctis Synagoga Pontificia, aſſeclæ & Paraſiti, Rabulæ, Sophiſtæ, Eſauitæ omnes, multis magnis clamoribus, & ſcriptis multiplicibus, id ſummo conentur ſtudio; fruſtra tamen laborabunt. Nã quod ad Conciliabulum Tridentinum H attinet, nihili illud facimus & floccipendimus, quod ipſummet palpabiles tetros & horrendos ꝓpugnet errores. I

H *Sed quorſum iſta compellatio Concilij Tridentini? Nimirum priuata conſcientia, quæ omnia prodit, ac in lucem profert, contra eos concludebat in hũc modum. Qui non parent legitimè congregatis Concilijs, hæretici ſunt: Sed Tubingenſes non parent legitimè congregato Concilio: ergo hæretici ſunt. Et hoc eſt, quod illi nullo obijciẽte ipſi præoccupant, quódq; maximè eorum animos pungebat. Quid Diabolus arrogantius poſſet dicere? Cõmunis hæc vox eſt omnium hæreticorum. Atqui Conciliabulum vocant: quaſi verò interſit quo nomine illi vocent. Hoc eodem modo Nicenam Synodum Arius: Conſtantinopolitanam* I. *Macedonius: Epheſinam Neſtorius: Chalcedonen. Eutyches appellarunt. Liberum eſt cuiq; voces & conuitia affingere, vtpotè mendacem, virulentum, mordacem, odioſum, syco*

osum, sycophantam, parasitum, matæologum, nebulam, blateronem, Esauitam, falsò & gratuitò aliquem appellare; nomina tamen & conuitia, rerum naturas non mutant. In rebus seriis seriò est agendum, neq; ex conuitijs apud stultam plebeculam vana gloria captanda. Quasi verò non hæc eadem in eos quis vel longè plura congerere possit, si non charitatis Christianæ & existimationis suæ rationem habeat: & nisi misericordia potiùs, quam seria reprehensione digni esse videantur. Non descendam igitur cum illis in tale certamen, ex quo deterior victor victo discedit: inermis & imbellis est, cœno pugnare.

Quod à nostris ad oculum copiosè demonstratũ est, & iure optimo in Pontificios hoc retorquere possumus, cuius nos reos agunt: cùm patroni sint errorũ stupendorum, crassissimorũ, & turpissimorum, quos enumerare tantùm singulos, nimis foret prolixum, cùm numerum excedant septingenariũ K vt à nostris est annotatum.

I *Hæc vestra vetera sunt conuitia, millies à doctissimis viris refutata; quos quid attinet recensere, vel populares vestros, Eckium, Cochleum, Tapperum, Lindanum, Staphylum, Sonniũ, Iodocum, Tiletanum, Petrum Canisium, Fabricium Leodium, Vicelium, Georgium Schererum, & reliquos innumeros? Vt nostros interim Hosios, Orichouios, Gorscios, Patritios, & alios qui nunc in acie pugnant, prætermittamus.*

K *Mirum est istos adeò Lincæos esse, vt ea videant, quæ nemo videt, ea numerent, quæ non sunt. Scilicet decem quidam Tubingenses viri plus vident & intelligunt, quàm plusquam trecenti Sanctissimi & doctissimi Patres, qui illi Concilio non tantùm interfuerunt, sed præfuerunt etiam. Debilitas hæc est intellectus, & præsumptio mera.*

Quinetiam veteres quasdam hæreses, L iam olim totius Ecclesiæ iudicio & cõsensu publicè damnatas, è cineribus eruerunt. Cum Ebionæis, ad salutem, solam Christi fidem, M sufficere negant.

L *Lis mihi fuit vobiscũ de tribus capellis id est, de iudicio Patriarchæ, vestráq; quam ad eũ misistis, doctrina. Vos Ebiones, Cerinthos, & omnia potius quàm illud, quod caput causæ continet, iactatis: hoc est lectori imponere: hoc est à proposito aberrare: sed de his paulò post.*

M *Cum Paulo diceretis potiùs: cuius illa est doctrina. Si habuero oẽm fidẽ, ita vt montes transferã, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et cum D. Iacobo: Abraham, inquit, pater noster, nónne ex operibus iustificatus est? Item cum D. Ioan. qui hoc argumentum duabus totis epistolis ex instituto tractat, bonáq; opera ad salutem esse necessaria docet: contra Ebionem aliósq; sui temporis hæreticos. Nam Ebionitæ simul cũ Euangelio legem Mosis seruandam esse docebant: quod nemo ex nostris vnquã docuit. Tridentinum autem Concilium, qua fide & veritate in hac re allegetis, ipse Canon, quem appellatis, testis sit:* Si quis dixerit, fidem iustificantem, nihil aliud esse, quàm fiduciã diuinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum: vel eam fiduciam solam esse, qua iustificamur: anathema sit. *Quantum hoc distat ab illo, quod vos dicitis viri veraces:* 1. Cor. 13. Iacobo. 2.

Custodiendam enim etiam legis obseruantiam, docentes. N

N *Quantum ad vitam & mores tantum attinet. Præclarè enim Magnus Leo docet: In præceptis moralibus, nulla testamenti decreta reprobata: sed Euangelica mysteria multa sunt aucta, vt perfectiora & lucidiora essent dantia salutem, quàm promittentia Saluatorem. Sed et ipse Christus Dominus: Non veni soluere legem, sed adimplere.*

Cum Valentinianis Hæreticis, ingentem Diuorum, Diuarúmque turbam excogitârunt. o

o *Deus ipse, qui Sanctus Sanctorũ est, suáq; cuiusque fides, ac præstans virtus sanctos facit, Ecclesia quam Spiritus sanctus docet, illiq; omnia, ne errare possit, suggerit, discernit. Communio & memoria Sanctorum retinenda est: vsus Ecclesiæ in omnibus sequendus: abusus superstitiosi fugiendi. Quos* Sess. 25. *abundè notat & abrogat S. Tridentina Synodus illis verbis. In has autem sanctas & salutares obseruationes, si qui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri sancta Synodus vehementer cupit: ita, vt nullæ falsi dogmatis imagines, & rudibus periculosi erroris occasionem præbentes statuantur. Quòd si aliquando historias & narrationes sacræ scripturæ, cùm id indoctæ plebi expediet, exprimi & figurari contigerit; doceatur populus, non propterea diuinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit. Omnis porrò superstitio, in Sanctorum inuocatione, reliquiarum veneratione, & imaginum sacro vsu tollatur: omnis turpis quæstus eliminetur: omnis denique lasciuia vitetur; ita, vt procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur, & Sanctorum celebratione ac reliquiarum visitatione, homines ad comessationes atq; ebrietates non abutantur; quasi festi dies in honorem Sanctorum per luxum ac lasciuiam agantur. Postremò, tanta circa hæc diligentia & cura ab Episcopis adhibeatur, vt nihil inordinatum, aut præpostere & tumultuariè accommodatum, nihil profanum, nihilque inhonestum appareat, cùm domum Dei deceat sanctitudo. Hactenus Synodus. Quòd si tam inuisos Sãctos habetis nullóque honore dignos putatis, deponite, quæso, ista eorum nomina, à quibus denominamini, ne aliquid cum illis commune habere videamini.*

Quatuordecim quoque opitulatores in necessitatibus, inter quos officia distribuerunt. Quemadmodum etiam Romanenses Episcopi, ethnico planè more, templum idolatricum, quod Pantheon dicebatur, tantùm mutato nomine, sed retenta eadem idolomania, p. D. Virgini, tanquam Deûm magnæ matri, & omnibus Sãctis consecrauerunt.

p *Falsum est: nam & templum illud, vt & cætera omnia, more vetustissimo, Deo vni, & trino, dedicatum est: sub nominibus tamen matris Dei ac omnium Sanctorum, quod antiquos fecisse testatur Augustinus, Basilius, & omnes sancti patres. Quod vos aut nescire, aut si scitis, contra conscientiam dissimulare, miandum est. Nam & spolijs Ægyptiorum adornauerat arcam & tabernaculum Domini, populus Dei: & magnifica donaria à gentilium Regibus, in domum*

domum Domini importata illíque dedicata fuerunt. Sed cur item vos templis & calicibus nostris, quos idololatras vocatis, abutimini? cur Abbatijs pinguissimis? cur sacerdotijs ampliſsimis? Sed vos festucam videtis: cætem quæ dicitis, mera mendacia sunt.

Sicut Collyridianorum quoque Hæresin & honorem semper V. Mariæ placentas obtulerunt: quod rectissimè vanitatem, impiũ, nefarium & blasphemum, Epiphanius à prædicatione SS. alienum, totum diabolicum opus, & spiritus immundi doctrinã vocat: Pontificiam Romanam Ecclesiam ex orco reuocâsse, res ipsa loquitur. R R *Res ipsa negat.*

Q qua mulieres in nomen Q *Hoc falsum est. Nusquam docet, aut docuit vnquam Ecclesia, alteri quàm trino & vni Deo offerendũ esse. Matrem tamen Christi honorandam & benedictam prædicandam, non vt Deam, quod Collyridianos docuisse Epiphanius tradit, sed vt matrem Dei, iuxta illud: Ecce beatam me dicent omnes generationes, magnificè docet: Vnde illud Gregorij Nazianzeni:* Luc. 2.

Hoc propter, ecce texo nunc tibi memor
Gratúmque carmen, ô puella gratia
Æquanda nullis, mater & virgo, supra
Omnes decora virgines: & maxima,
Quæ vincis omnes cœlitum ordines,
Regina, domina, generis humani bonum:
Amica semper esto tu mortalibus;
Maximáque quouis in loco mihi salus.

Testantur id vota eidem nuncupata, & anathemata passim in omnibus templis s ipsi dicatis suspensa: similiter, tituli quoque Epitheta, & cultus ipsi exhibita, quibus maximè est illa occupata.

s *Hæc omnia soli Deo cultuíq; eius nũcupantur: sub nominibus Sanctorum tamen, vt laudetur Deus in sanctis suis, vt qui compassi sunt, conglorificentur: vt qui euntes ibant & flebãt mittentes semina sua, redeuntes redeant cum exultatione, portantes manipulos suos: Ideóque coronas suas subijciunt pedibus agni, vt lætetur Dominus in hæreditate sua.* Apoca.

A Montano, Encratitis, Tatianis & Manichæis, Romanenses didicerunt leges T ieiuniorum indicere: prohibere, & soluere coniugium, V diuinitus institutum, & honorabile in omnibus; vt nõ hæreticos tãtùm, & Antichristianos se esse declarent; verùm etiam dæmoniorum doctrinas ꝓponere, manifestum facerent omnibus.

T *Falsum est: à Christo potiùs, qui & ipse ieiunauit, & alijs ieiunij formam præscripsit, & illud docuit, quædam dæmoniorum genera non eijci, nisi per orationem & ieiunium. à Paulo item pluribus in locis. ab vniuersa itë sancta, Catholica, & Apostolica, atq; per totum orbem fusa Ecclesia: quod idem vestri Græci, ad quos prouocastis, abundè docent.* Mat. 4. Mat. 17.

V *Falsum est: Nam neq; coniugium in Romana Ecclesia cuiquã prohibetur, nisi illis*

niſi illis, quibus ob certas cauſas nubere non licet. Neq; diſſoluitur, niſi illud quod verum connubium non fuit, quamuis putaretur eſſe. Quod vos magnos Theologos non videre demiror.

Pelagianorum hæreſes multiplices plerasq; retinent, & tanquam pro aris & focis pugnant pro eis: cõ cupiſcentiam x non eſſe peccatum; quia naturalis. Hominem liberum y habere arbitrium etiam in ſpiritualibus, y gratiam ſecundùm meritũ dari. Hominem ſuis naturalibus viribus poſſe legẽ implere. z Per legem, eiúsq; obſeruationem eſſe iuſticiam.

x *D. Iacobus docet concupiſcentiam nõ eſſe peccatum; ſed vbi conceperit demùm parere peccatum. Eadem eſt D. Pauli doctrina.*

y *Et hæc vana ſunt: ſemper enim & vbiq; in omnibus Romana Eccleſia præſupponit fidẽ & gratiam, tam præuenientem, quàm ſubſequentem, ſiue implicita illa ſit, ſiue expreſſa. Quod vos Theologos tantos in illius ipſius Tridentini Cõcilij Canonib. quos tàm auidè deuoraſtis, non vidiſſe mirandum eſt. Canones illi ſunt:*

Seſs. 6. de iuſtificatione.

Canon. 1. Si quis dixerit, hominem ſuis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiant, abſque diuina per Ieſum Chriſtum gratia, poſſe iuſtificari coram Deo: anathema ſit.

Can. 2. Si quis dixerit, ad hoc ſolum diuinam gratiam per Ieſum Chriſtum dari, vt faciliùs homo, iuſtè viuere, ac vitam æternam promereri poſsit; quaſi per liberum arbitrium ſine gratia vtrunque ſed ægrè tamen & difficulter poſsit: anathema ſit.

Can. 3. Si quis dixerit, ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur: anathema ſit.

Can. 22. Si quis dixerit, iuſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei, in accepta iuſtitia perſeuerare poſſe, vel cum eo non poſſe: anathema ſit. *Sed & publica Eccleſiæ Dei Oratio eadẽ docet.* Largire nobis quæſumus Domine ſemper ſpiritum cogitandi, quæ recta ſunt, propitius, & agendi, vt qui ſine te eſſe non poſſumus, ſecundùm te viuere valeamus, per Dominum &c. Omnipotens & miſericors Deus, de cuius munere venit, vt tibi à fidelibus tuis dignè & laudabiliter ſeruiatur: tribue quæſumus nobis, vt ad promiſsiones tuas ſine offenſione curramus. Dirigat corda noſtra quæſumus Domine tuæ miſerationis operatio, quia tibi ſine te placere non poſſumus. *Et hæc quidem eſt fides & veritas, in allegandis conſilijs Tubingenſium: qui tamen ad mendacia alijs obijcienda tam promti & effuſi ſunt. Quis igitur iſtos verè calumniatores non appellet? aut quam demonſtrationem ſenſus noſtri firmiores quærunt, niſi fortè cum Momo, vt illis feneſtram ad corda & mentes hominum aperiat? atqui ore confeſsio fit ad ſalutem.*

z *Hoc falſum & Pelagianum eſt. Vnde illa communis in rebus aggrediendis Eccleſiæ præfatio*: Deus in adiutorium meum intende. *Et illa:* Actiones noſtras, quæſumus Domine aſpirando præueni, & adiuuando proſequere: vt cuncta noſtra oratio & operatio à te ſemper incipiat, & per te

cœpta

cœpta finiatur. *Et illa:* Tua nos quæsumus Domine gratia semper & prę-ueniat & sequatur, vt bonis operibus iugiter præstet esse intentos.

Patriarchas lege naturæ, Israëlitas Moysis, sub gratia Christianos, legis nouæ obseruatione saluatos asserunt. AA Vt interim taceamus alias ipsorum veteres & nouas hæreses, cùm sentina & colluuies BB sit Papatus omnium errorum. Iudicet iã totus orbis christianus, iudicent omnes cordati, pii, boni, docti pariter indocti, an ne ouum ouo sit similius, quàm Põtificii hæreticis veteribus. Parciùs itaque nobis hæreticos obiicere meminerint, Papæ mancipia, CC millies ipsi hæretici, séque in proposito hoc contemplentur speculo; tum quanta sit ipsorũ apparebit deformitas & turpitudo, nisi quod frõtem habeant meretricis, erubescere nescientes. DD

AA *Fide Messiæ præsuppositа, siue in actu siue in virtute, siue explicita siue implicita (vt antiquorum verbis vtamur) iuxta gradus temporum, perfectionis, & reuelationis. Vna fides, teste D. Leone, iustificat vniuersorũ temporum sanctos, &c. vt in fine annotationum habetur.*

BB *Contrarium sensit Basilius, Hieronymus, & omnes antiqui Patres, vt post docebimus.*

CC *Nos quidem Papam, vt patrem & pastorem, à quo plerumq; tot regionibus distamus, meritò cum omni vetustate veneramur. Vos autem non modo mancipia, sed etiam mancipiorũ vestrorum mancipia estis; illius, inquam, multorum capitũ beluæ vulgi, atq; vestrarum cupiditatum, quæ vos tanquam quidam venti, in omnem distrahunt partem, nec vsquam firmiter consistere patiuntur: qui vobis tanquam prætores quidam doctrinæ atq; concionum formulas, quas matriculas in quibusdam ciuitatibus appellare soletis, præscribunt: ac si alia ratione inter vos nunquam conuenturi sitis, nisi Ciuilis Magistratus eius concordiæ vobis regulas figat.*

DD *Iuuat modicum tam nobili victoria parta, vos magnos Athletas requiescere. Sed audite vicissim obsecro. Vos in omni dogmate, quod vestrum sit proprium, asseritis planè nihil, quod ab aliquo damnato hæretico assertum priùs non fuerit. Bona opera, mercèdem iustitiæ & salutis, non mereri docetis: docuit hoc idem Cerinthus, atq; Simon Magus, quem duabus Epistolis refutat D. Ioannes, vna item S. Iacobus. Sanctos inuocandos, eorúmq; reliquias venerandas esse negatis: negauit hoc idem Iulianus atq; Vigilantius, quos refutat D. Hieronymus. Liberum arbitrium tollitis: auferebant & olim Valentiniani, Manichæi, & Massiliani, referente Augustino Latino, & Damasceno Græco. Secretum Confessionem auferris: auferebant Nouatiani, quos refutat Cyprianus. Negatis quicquam offerendum pro mortuis: ieiunium feria quarta & sexta, & quadraginta diebus, aliisq; statutis temporibus, non seruatis. Carnium & ciborum omnis generis in ieiunio, indifferentem vsum esse dicitis, nullaq; lege in hac parte fideles teneri. Docetis inter Episcopum & Presbyterum, differentiam nullam esse: docebant hæc omnia similiter Aëtiani; vt Epiphanius, Augustinus, & Damascenus docent. Tem-*

pla &

pla & aras euertitis: euertebant & olim Maßiliani. Episcopos, vniuersumq; Clerum, diuitiarum & possessionum causa condemnatis: condemnabant Vadiani, quos eo nomine accusat, & inter hæreticos refert post Augustinum Damascenus. Adorationem Christi in Eucharistiæ Sacramento, idololatriam esse dicitis: hoc idem dixit Nestorius. Imagines aufertis: hoc idem fecerunt Iconomachi. Matrimonium virginitati & viduitati antefertis: æquauit Iouinianus. Cæremonias accusatis: accusauit Iouinianus, quem latè refutat D. Hieronymus. Quòd si isti, quos dixi, vel vestro ipsorum iudicio hæretici fuerunt; vos autem eorum sententias sequimini; quomodo, vel vestra ipsorum sententia, hæreticorum nomen effugietis? Romana quidem sedes habet hoc diuinitùs sibi concessum priuilegium, quòd ab omni hæretica labe fuerit alienissima, illiq; mirè restiterit semper. Cuius suæ integritatis, ac, vt ita dicam, castitatis, pulcherrimum illud refert ab Orientalibus Ecclesiis apud

Epist. 69. *Basilium testimonium: Reuera summa prædicatione felicitatis vestræ dignũ est illud, pietati vestræ tributum à Domino esse, fucatum & adulterinum à probato & puro posse discernere. Patrum autem fidem sine omni præuaricatione prædicare, quam & nos suscepimus, ac didicimus ex Apostolicis characteribus formatum, & in cuius partem vnà vobiscum venimus, &c. Hæc Orientales. Licuisset ergo verbis vestris eodem modo contra vos concludere. Viderint ipsa vulgi mancipia, millies ipsi hæretici, si honestas & verecundia orationis nostræ id pateretur.*

Defectionem porrò à Romana Pontificia Ecclesia, imò vt Rhetor amplificat, ab ipso terrarum orbe, omnibúsque Ecclesiis, quod nobis obiicit, sciat Polonus iste, & discat, si ignorat, non omnem defectionem vitio vertendam esse hominib.

EE Quoties enim Deus populum suum per Prophetas suos hortatꝰ est, vt auerterent se à viis suis pessimis, quas à suis maioribus pessimis didicerant, similiter & ab idolis, & contaminationibus suis? Et, an non Saluator ipse suos omnes hortatus est discipulos? vt sibi caueant à Pseudoprophetis?

EE *Nouimus hanc cœlestem sapientiam vestram, & longè melius, quàm vos ipsi: neq; enim defecerunt isti, quos dicitis; sed recesserunt à viis suis malis: Defectio enim à bono est: ideóq; in malam partem, quod vox ipsa docet, sumitur sæpius: sed lingua vestra erranꝫ de vobis vera fatetur. Si quis enim deficiat à pastore, toties à Christo compellato: si à legitimo Magistratu: si à sedibus ac successionibus Apostolicis: si à sacris Concilijs: si à Patrum iudicijs: si à totius orbis consensu: si à maioribus suis: si ab vna, sancta, Catholica, & Apostolica, per orbem fusa Ecclesia; hunc quomodo ego appellem, pro vestra epithetorum copia, syncerè me quæso doceatis. Quo loco vos esse, non ego qualiscunq; Polonus tantùm, sed tot præstantiss. Itali, Hispani, Galli, Angli, atq; vestri nobilissimi Germani, imo & nostri tot eruditissimis scriptis suis docuerunt, modò illos audire voluissetis, & si non aliquot priuata capita vestra tanto consensui antetulissetis. Sed & Græci ipsi amici vestri, veritate, cuius maxima est vis, victi, vt videtis, triplici vos responsione condemnarunt. Meritò igitur priuata voce &*

sententia

sententia vestra, vos apostasiæ & defectionis condemnastis. nam ea, quæ vos ad defensionem defectionis vestræ vel attulistis adhuc, vel statim allaturi estis; hæc partim falsa sunt, partim malignè & in alio sensu prolata: scitis autem quantum interfit, quomodo quidque dicatur? partim iam diu ab alijs refutata & exposita sunt. Agite igitur doctissimi viri, & aliquando meri Germani esse incipite, hoc est, veri & synceri: nec tantùm linguas in quibus elaboratis excolite; sed iudicia longè magis, quæ, vt nostis, non traduntur arte, sed diuinitùs potiùs modestis animis conferuntur, studio, & obseruantia veterum confirmantur, Ecclesiastica obedientia perficiuntur. Nam quòd me sycophantam appellatis, id quidem à meis moribus alienissimum esse, sciunt illi, qui mecum modò viuunt, mecúmq; versantur, sed & alij omnes, qui me norunt. Sum vir potiùs dolorum, vt me noritis, ac plenus zelo pro domo Domini. Vestræ enim dissensiones istæ, Arianismum, Ebionismum, Paganismum, ac Gentilismum per eos, qui à vobis fugiunt, ad nos inuexerunt, Christúmque Dominum in ordinem planè redegerunt: sed vos nondum incalescitis, nos iam ardemus. Et hæc sunt, quæ nobis grauiores illas querelas, quas vos traducitis, non Rhetorica aliqua, vt vos dicitis, de qua nec minimũ iam quidem nunc cogitamus, exprimunt.

Apostolus canes & lupos monet cauendos. Ioannes in sua Apocalypsi hortatur Ecclesiam, vt exeat à Babylone, (quam Hieronymus Romam intelligendã docet) FF ne plagarum eius fiat particeps. Et nunquid Apostoli Christi quoq; à Pontificibus, qui in legitima erant & ordinaria successione, defecerunt? Et rectè ac laudabiliter fecerunt.

FF *Fuit certè tempore D. Ioannis Roma Babylon, in qua omnia omnium gentium falsa numina domicilium fixerant, & omnes errores confluxerant. At paulò pòst, meruit illud testimonium fidei suæ à Paulo referre. Primùm quidem gratias ago DEO meo, per Iesum Christum, pro omnibus vobis; quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo. vbi enim abundauit delictum, superabundauit gratia. In qua ecclesia perpetuò conseruatam eam fuisse, quæ est ab Apostolis, traditionem, refert Irenæus: cui totam doctrinam Apostolos vnà cum sanguine suo profudisse, Tertullianus asserit: ad quam accessum habere perfidiam nunquam potuisse, testatur Cyprianus: quam ita semper incorruptæ doctrinæ fuisse tenacem, vt quoties Romana fides diceretur, Catholica intelligeretur, ex his quæ scripserunt Hieronymus, Ambrosius, didicimus: in qua semper Cathedræ Apostolicæ viguisse principatum, narrat Augustinus: quam hæretici fœtoris semper expertem permansisse, nec vnquam in ea qui contrarium sentiret, sedisse; quin potiùs Apostolicam gratiam inuiolatam custodisse, testatur Theodoretus: cui hoc testimonium, quod nulla per orbem Ecclesia æquè, vt Romana, ab omni fœce hæreseon, cunctis retro temporibus permansit, perhibet Lanfrancus: ad quam propterea de fidei causis iam inde ab Apostolorum temporibus nunquam non relatum fuisse, asserit Bernardus. Mores Romani Hieronymo displicuerunt, non Roma, quam ille magnificè celebrat illis verbis: Sed ad te loquar, quæ scriptam in fronte blasphemiam, Christi confessione* Rom. 1.

Lib. 2. aduers. Iouini. in fine.

delesti: vrbs potens: vrbs orbis domina: vrbs Apostoli voce laudata; interpretare vocabulum tuum. Roma, aut fortitudinis nomen est apud Græcos, aut sublimitatis iuxta Hebræos. Serua, quòd diceris, virtus te excelsam faciat, non voluptas humilem. Maledictionem, quam tibi Saluator in Apocalypsi cõminatus est, potes effugere per pœnitentiam, habens exemplum Niniuitarum. Cauc Iouiniani nomen, quod ab Idolo deriuatum est, &c. Hæc Hieronymus. Qui quanti Apostolicam sedem fecerit, quantum illi detulerit semper, testantur illius ad Damasum epistolæ. De qua Chrysostomus illud:

Chryso. ferm. 32. in Epist. ad Rom. *Ego Romam propterea diligo, tametsi aliunde queam illam laudare, nempè à magnitudine, ab antiquitate, à pulchritudine, à multitudine, ab imperio, à diuitijs, & à rebus in bello fortiter gestis. Sed dimittens omnia, ob id illam beatam prædico, quòd erga illos Paulus, dum viueret, adeò fuit beneuolus, adeò illos amauit, & coram disseruit, & postremò vitam apud eos finiuit, cuius sanctum corpus ipsi possident: & propterea ciuitas illa hinc facta est insignis magis, quàm ab alijs rebus omnib. & tanquam corpus magnum ac validum duos habet oculos illustres, sanctorum videlicet horum corpora. Non ita cœlum splendescit, quando radios sol demittit, quemadmodum Romanorum vrbs duas illas lampades vbiq; terrarum effundens. Hinc rapietur Paulus, illinc Petrus. Considerate & horrete, quale spectaculum visura sit Roma; Paulum videlicet repente ex theca illa cum Petro resurgentem, in occursum Domini sursum ferri. Qualem rosam Christo mittet Roma? qualibus coronis duabus ornatur vrbs ista? qualibus catenis aureis cincta est? quales habet fontes? Propterea admiror hanc vrbem: non propter copiam auri, non propter columnas, neq; propter aliam rem, sed propter columnas illas Ecclesiæ. Quis mihi nunc dabit circumuolui corpori Pauli, affigi sepulchro, videre puluerem corporis illius, quæ adhuc in Christo deerant adimplentis, stigmata illius gestantis? Hæc ille.*

Damnata verò est Apostasia, cùm GG à Deo agnito, verbóq; eius, religione syncera, & cultibus diuinitùs institutis, adeóque à vera Christi Ecclesia, homines turpiter, vel spe emolumentorum & dignitatum, aut metu periculorum fracti, aliisúe de causis, errore, leuitate, & iudicij imbecillitate, * deficiunt: séq; publica professione alij sectæ, quę vera dei Ecclesia non est, coniungunt. Nos verò Euangelij Confessores, GG qui Augustanam amplectimur Confessionem, Cæsari Carolo V. Anno 30. exhibitam, ** minimè vel à Deo, eiúsq; verbo, vel Catholica Christi Ecclesia, sed à Pontificia, HH

Negant hoc Græci, negant & vestri, in illa vobis rectè cognita de libro Concordiæ admonitione Christiana, in qua septem luculentissimis argumentis demonstratur, vestram Augustanam longè à Canonicorum & catholicorum scriptorum fide abesse, nihilq; præcipuum ante alias habere: Quam ego rudimentum & seminariũ quoddam hoc tempore omnium hæreseon, propter eam, quam habet cum Ecclesia Catholica similitudinem, in quamcunque partem id à vobis accipiatur, esse statuo.

* *quod vos facitis.*

** *Exhibuistis quidem: sed quid inde vicissim retulistis? Non aliud certè, quàm illud, quod & à Patriarcha:*

nisi

nisi quid fortè deterius. Sed quid attinet dicere? idémq; semper ab omnibus cordatis hominibus relaturi estis. Aliud enim est scholis iura perscribere, aliud fidei & religionis gentibus, contra perpetuum Ecclesiæ sensum & consensum leges dare: Dei, & Ecclesiæ eius, quæ Spiritu sancto regitur, hoc est, & fuit semper proprium, non paucorum quorundam hominum.

HH *Quid igitur ista sibi volunt ter repetita verba: Pasce agnos meos: Pasce oues meas? Et illud: Tibi dabo claues Regni Cœlorum? Et illud: Ego pro te orani Petre, ne deficiat fides tua? Non dictáne hæc sunt à Christo? an frustra & temerè dicta? Aut demissáne est aliqua similis vox de cœlo, de excelsa gloria, ad vestrum Lutherum, quem vos Prophetam magnum, virum diuinitùs egregiè illuminatum, & æmulatione veritatis incensum vocatis? aut ad Augustanam, quam in loco quinti Euangelij colitis, vt illis credamus? Recipiunt, dicetis, alias expositiones loci illi: Nempe falsas, idq; à vobis profectas, non ab Ecclesia neq; ab illis qui fuerunt in ea principes. Atqui vos nihil simile proferre potestis, præter illa, quæ communia omnium hæreticorum fuerunt semper, inanem scilicet verbi Dei iactationem. quasi omnia malignè exponi, ac in falsum sensum retorqueri non possunt: quod à Sacramentarijs & Arianis, in similibus locis fieri, vos ipsi toties confitemini.* Ioan. vltimo. Mat. 16. Luc. 22

Romanensi & Antichristiana defecimus Synagoga. quod magna voce, plenóque ore profitemur, libenter id ipsum dicturi, quoties isti audire volent. II Eiúsq; rei causas habuimus grauissimas. Quod doctrinæ genus excogitârit, KK & sonet illa diuersum & alienum à Prophetica & Apostolica scriptura, cùm docet: Quemlibet actum cha-

II *Pro vestra impudentia. Et hæc quidem talis præsumtio & pertinacia hæreticos facit.*

KK *Mutate sic hæc omnia. Vos à Romana Ecclesia eas ob causas defecisse; quòd ex charitate legem & Prophetas pendere doceat: quòd charitatem plenitudinem legis appellet: quòd virginitatem centesimũ fructum cum Patribus ferre doceat: quòd amicos Dei, eorúmq; memoriam honorat nimis: quòd Matrem Dei benedictam prædicat: quòd communionem Sanctorum recipiat: quòd si quis furetur, amplius non furandum esse doceat, magis autem laborandum operando manibus suis, quòd bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti: quòd scrutandas esse, non percurrendas, aut potiùs peruolandas scripturas doceat: quòd quotidianam mortis Domini annunciationem, quam illi Missam vocant, pro viuis & mortuis, pro quibus omnibus Christus mortuus est, peragat, donec ipse summus sacerdos veniat: quòd iustam & piam cogitationem esse putet, orare pro defunctis, vt à peccatis soluantur: quòd claues à Christo relictas agnoscat: quòd particeps omnium timentium & custodientium mandata dei esse velit: quòd eius ciues ieiunent: quòd sine intermissione orent: quòd in oratione Dei pernoctent: quòd relictis suis omnibus voluntatéq; adeò sua, in locis solis viuant: quòd verbum Dei traditum, iuxta doctrinam Pauli, studiosè amplectantur: quòd ordinationi Dei non resistant, sed eam sequantur: quòd Magistratui pareant, præpositísq; suis obediant: quòd disciplinam colant: quòd ministri*

Mat. 22. Rom. 13. Col. 3. Psal. 138. Luc. 2. Symbolum. Epiph. 4. Ioan. 5. 1. Cor. 11. 1. Cor. 5. 1. Tes. 5. Luc. 6. Mat. 19. 2. Tes. 2. Rom. 13. Hebr. 3 Hebr. 12. 1. Cor. 7.

ministri eorum ne diuisi sint, vxores non accipiant. Dicite sic: calumnias, & illa quæ ipsi confinxistis, omittite: & videbitis, num aliis causam vestram probare possitis.

ritatis LL absolutè mereri vitam æternam. Virginitatem, maximam esse peccatorum satisfactionem, & meritum vitæ æternæ. Missam theatricam Pontificiam, Sacrificiũ esse pro peccatis viuorum & mortuorum, verè propitiatorium.

LL *Hæc omnia malitiosè & in alio longè sensu proferri, quàm Rom: Ecclesia sentit, iam olim multi doctissimi simul & sanctissimi docuerunt: quorum doctrinam repetere, nihil aliud est quàm acta agere.*

His assuunt ieiunia sua MM pre- culas, peregrinationes ad Diuorum memorias & reliquias, quibus se pro peccatis satisfacere docent, indulgentias Papales, ad adorationem imaginum & statuarum datas: Inuocationem mortuorum hominum: Ordines Monasticos innumeros: Regulas & vota ociosorum hominum, & ignauorum, q̃ tanquam fuci, mella, prætextu longarum precum, deuorant domos viduarum: sicut Christus de Pharisæis loquitur. Luc. 16.

MM *Maledicta hæc sunt & temeraria iudicia, à quibus abstinendum esse Christus diligenter monet.*

Cùm verò ex verbo dei hæc sua nequaquam probare possint, errores suos, blasphemia palliare, & tegere conantur, & in scripturæ accusatio- nem conuersi, imperfectam, NN obscuram, incertam, dubiam, ambiguam, materiam litis; adeóque librum hæreseon appellant, OO vt olim hæretici.

NN *Non de scriptum nobis lis est, sed de sensu scripturæ, dicebat Hilarius. Pelles istæ sunt vestræ, sub quibus delitescere soletis. Nos scripturam, ita vt meretur, venemur omnes, exosculamur, vtpote sanctam, immaculatam, conuertentem animas, testimoniúmq; Domini fidele, sapientiam præstans paruulis; iustitiásque Domini rectas, lætificantes corda, & præceptum Domini lucidum illuminans oculos: eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatũ septuplum: lucernam deniq; lucentẽ in caliginoso loco, thesaurúmq; absconditũ & margaritam pretiosam. Si quid enim obscuritatis illi accidit, quod vos dicitis, id illi, non natura sua, sed magna ex parte hæreticorum curiosorúmq; hominum, tum & temporum & interpretationum vitio euenit. Pro qua scriptum quotidie mori etiam, vbi vsus tulerit, parati sumus. Vos autem proferte vel vnum hæreticum, qui scripturam non allegaret, & vincetis.*

OO *Scribit hæc Tertullianus: sed longè in alio sensu, quàm vos malitiosè dicitis, cùm inquit: Nec periclitor dicere, ipsas quoq; scripturas sic esse ex Dei voluntate dispositas, vt hæreticis materias subministrarent, cùm legem, oportere hæreses esse, quæ sine scripturis esse non possunt. Sed & magistri vestri Lutheri eadem est oratio, qui scripturam sacram ad extremum hoc nomen consecutam scribit, quòd vocetur liber hæreticorum, quos ex ea omnes hæreses ducant originem.*

Et ad traditiones humanas confugiunt, pp eásque sacræ scripturæ æquant, parem illis ad pietatẽ vim tribuentes: quod ex illis faciliùs, quàm ex hac, sua probare possint. Ideóque longè eas huic præferunt, pleniores ac planiores illas esse asserentes: hácque sua doctrina Pontificii, cœci, cœcorum duces, miseros homines secum in exitium & barathrum inferni abducunt.

pp *Paulus hæc primus docuit, qui nos traditiones tenere iubet, eásque cum scriptum comparat, sed & ante Paulum Christus ipse Dominus: Hæc, inquit, oportuit facere, & illa non omittere. Quantum traditionibus tribuat Basilius, quantum D. Augustinus, quantum alij Patres, vos scitis, si scire velletis: nisi fortè plura vobis quàm estis tribuo. Vt autem illas sacræ scripturæ non postponimus, ita non anteponimus: cùm vtraque ex eodem fonte promanent; ad idémque principium referantur, Deum videlicet ipsum primam veritatem.* Mat. 24.

Ad hæc pios verbi Dei Confessores persequitur Romana Synagoga, vbicumq; locorum potest, per suos carnifices, qq inquisitores, hæreticos prauissimos. Damnat verbum Dei petulanter, probat * * *punit potius.*

qq *Itáne per vos impunè licebit Spiritui sancto, & Apostolis, Apostolicis, viris illudere, ac quósuis errores serere? Hac quidem ratione Petrum damnabitis, qui Ananiam cum Sapphira modici mendacij causa, verbo interfecit: vel Christum dominum potiùs, qui per os Petri est operatus. Atqui ista vestra impunitate noster Sarmaticus orbis planè Arianus factus est: & si quid deteriùs. Sed & vestri carceres non sunt vacui ab his, qui à vobis aliter sentiunt. In Anglia quid fiat, non ignoratis: quid Caluinus, quid Beza, hac de re senserint, quid scripserint, quid ipsi fecerint, notius est, quàm vt dici possit.* Act. 5.

libidines vagas in præcipuis membris, quæ exemplaria pietatis & castitatis, ac typi fidelium esse debebant, in verbo & conuersatione. Minus peccare Sacerdotem scortantem, rr quàm coniugem habentem propriam, vociferantes, turpissimi lenones, aliorum vxores & filias permolentes, * * *Idem vobis vxoratis sæpe euenit.* adeóque ipsam damnantes consuetudinem coniugalem, pessimè ad hoc detorto & deprauato scripturæ testimonio.

rr *Oratio boni viri pudica esse debet, non tantùm vita. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Vitia virtutes non auferunt: sed vos vitia videtis; virtutes autem, inuidia & malicia excæcati, videre non vultis, nec potestis. Nam quas vos putatis nuptias, illæ veræ nuptiæ non sunt: quia contra primam fidem. Quod dum vestri non agnoscunt, neque distinguunt, ideo neq; pœnitentiam agunt, neq; de correctione cogitant: & ideò scorta pro coniugibus fouent alúntq;. Finis autem mali nullus.* Luc. 6. Heb. 13.

Qui in carne sunt, Deo placere non possunt, &c.

ss *Hoc vestrum commentum est. Nos enim honorabile coniugium, & thorum immaculatum cum D. Paulo dicimus,*

cimus, illúdq; in numero Sacramentorum reponimus: adulteros autem & ſcortatores iudicaturum dominum docemus. Suum tamen virginitati & viduitati, quam Paulus tantopere commendat, relinquimus locum. Scandala quidem remouenda ſunt, res ipſæ non auferendæ.

Quę cùm ita habeant, nemo pius & prudens nos Apoſtaſię verè arguere poterit, cùm nequaq̃ à vera dei, ſed malignantiũ iſta & Antichriſti Eccleſia, exemplo Apoſtolorũ diſceſſerimus: quam Spiritꝰ ſanctꝰ odiſſe etiã, ab eáq; exire mandant Chriſtus & Apoſtoli. Maximè cùm Romanꝰ Pontifex, cum ſuis Eſauitis, totóq; ſuo regno Apoſtata verus ille ſit, quem Apoſtolus venturum prædixit: qui à Deo, verbo eius, veritate, fide, & Eccleſia Chriſti, Antichriſtus ipſe, ſit defecturus, tt apertiſsimè eſt vaticinatus, in hæc ſcribens verba: Spiritus ſanctus manifeſtè dicit, vv quia in nouiſsimis temporibus

tt *Atqui Antichriſtus, vltimus apoſtata, vnus eſſe debet: Pontifices autem ad hæc vſq; tempora trecenti fuerunt. Vaniſſima igitur eſt iſta illorũ oratio. Nam locus Ioannis de multis Antichriſtis, μεταφορικῶς intelligendus eſt.*

1. Tim. 5.

vv *Quaſi verò D. ipſe Paulus, nominatim eos hæreticos in altera Epiſtola, quos intellexerit, & quos refutauit, non recenſeat: Hymenæum, inquam, Alexandrum, Philetum, & alios veſtri ſimiles: quod poſtea idem conſequentes docuêre ſcriptores. Pudeat obſecro vana loqui. Aut quaſi obſcurum ſit, etiam ſi millies negetis, quid Gnoſtici, quid Encratitæ, quid Tatiani, quid alij de hoc genere ſenſerint. Nam nouiſſima tempora communiter horam diémq; pro toto hoc ſeculo, quo Chriſtus dominus apparuit, vſque ad futurum aduentum eius, vſurpare Apoſtolos non ignoratis.*

xx diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, † cauteriatam habentium conſcientiam, prohibentium nũbere, & abſtinere à cibis, quos Deus creauit. Quibus verbis diſertè & expreſsè Apoſtaſias mentionem facit, niſi venerit, inquiens, apoſtaſia. Et iterum: ἀποστήσονται deficient à fide, & doctrinas Dæmoniorum proponent. Quòverò faciliùs agnoſci & caueri poſſint, notas addidit certas: yy Vna eſt nuptiarum prohibitio: altera, ciborum abſtinentia. Hæc in Pontificem Romanũ quadrare qui non videt, talpa eſt cœcior, qui non palpat, leproſus eſt. Quòd enim ad Tatianos & Encratitas hæreticos transfe-

xx *Ergo non primis. Atqui Pontifices Romani, ſtatim Chriſto eiúſq; Apoſtolis ſucceſſerunt. Ad hæc ſi diſcedent quidam à fide, ergo non vniuerſæ eccleſiæ, non totus oriens & occidens, neq; tota ſancta Catholica & Apoſtolica eccleſia.*

† *Hi veſtri proprij ſunt colores, vt aliâs monſtrauimus.*

yy *Quarum nulla, aut Pontifici, aut Pontificijs conuenit. Vobis autem omnes conuenire aliâs docui: nam & nuptias Sacramentum magnum, cum D. Paulo, quod vos negatis, vocamus, intérq; Sacramenta reponimus: vos excluditis. Et omnem creaturam bonam*

transferunt: nugæ sunt, & putidum figmentum. Non enim de * personis certis loquitur, sed de rebus ipsis, quas sint prohibituri, & ita notas certas & infallibiles, quibus Apostatæ doctrinas dæmoniorum ꝓponentium agnosci possint, descripsit Apostolus. ⁂

⁂ *Nugas igitur meras & putida figmenta vestro iudicio sequitur Epiphan. quem D. August. & cæteri omnes, in hac materia sequuntur: qui de Tatiano in hunc modum scribit: Continentiam autem hic prædicat: nuptias autem scortationem & corruptionem putat: asserens nihil differre matrimonium à scortatione; sed idem esse. De Encratitis autem sic: Nuptias autem palàm diaboli esse decernunt, animata verò abominantes interdicunt: non continentiæ gratia, neq; honestæ vitæ; sed propter timorem & imaginationem, vt ne condemnentur ab animatorum esu. Viuntur & ipsi mysterijs per aquam. vino verò omninò non vtuntur, diabolicum esse dicentes: & bibentes, ac vtentes iniquos esse peccatores. Vbi & hæreticorum errores & Catholicam veritatem disertè explicat vetustissimus Autor, dum addit: Non continentiæ gratia neq; honestæ vitæ, quod Ecclesia facit, sed propter timorem & imaginationem. Quid his verbis clariùs? quid illustriùs? & tamen non pudet vos ineptire, ac ea, quæ omnibus patent, negare.*

Quicunque ergo has profitentur doctrinas, à Dæmonibus impulsi, à fide defecerunt, sùntque Apostatæ. Vtcunque ergò se torqueant Romanenses, & in quascunque se vertant formas, nomen & crimen Apostatarum non effugient.

Adhæc, quod Matæologus zz zz iste, nos nouum, & toti Ecclesiæ incognitum doctrinę genus AAA amplexos conuiciatur, more suorum id facit: ignorantium, quid vetus aut nouum sit. Hoc ipsum olim de Christo eiúsq; doctrina Capernaitæ mirantes dicebant: Quæ nam doctrina hæc noua? Vetus non est, quod secula aliquot durauit, * sicut Missa Papistica, Inuocatio mortuorum, Purgatorium Platonicum & Poëticum, Monasticè & similes impietates

Qui dixerit fratri suo Racha: si autem Matæologus, cur tantum laborẽ eius causa suscipitis? Matth. 5.

AAA *Trigesimo primùm anno vos sensus vestros conscripsisse, ac Carolo V. tradidisse, ipsi paulò ante dixistis. Quomodo igitur hæc non noua? Nam nostra, quæ vos noua vocatis, vester Patriarcha satis abundè veterа esse docuit, & vos ipsi videtis. nam de vestro cum veteribus*

* *Iam monstratum est, personas certas nominare Paulum.*

* *Tanto minus vetus non est, quod heri aut nudiustertius ortum est.*

bonam esse dicimus, eáq; cum benedictione vtimur, nisi quando ieiunij & orationis causa, vt docet Paulus, ab his abstinemus. 1. Tim. 4.

Vos igitur proprio iudicio Apostatæ & hæretici estis: Et tamen Matæologi vocari non vultis: & tamen vos mendacij non pudet. Ita nubere, & edere, summa Euangelij istorũ, præcipuaq; notæ Ecclesiæ sunt. At Paulus contrà optat, si fieri possit, esse omnes, sicut ipse fuit, id est, castos, & continentes. Quàm dispar hic est spiritus ab illo! 1. Cor. 7.

tes Pontificiæ. De his enim omnibus in ſcriptura ſacra altum eſt ſilentium, & ne gry quidem reperitur. † Ideóq; noua hæc ſunt. Et in hoc ſenſu rectè dicitur: Vetera tranſierunt, & ecce noua facta ſunt omnia, videlicet in Papatu. Vetus, imò vetuſtiſsima eſt, & omnium prima, quam nos profitemur, doctrina & religio, cuius initium eſt à mundo condito, primùm à Deo in Paradiſo, de ſemine mulieris benedicto, contrituro caput ſerpentis, tradita: Poſtea repetita ad Abraham, quòd in ſemine eius benedicendæ eſſent omnes familiæ terræ. Hoc ſemen eſt Chriſtus, cui teſtimonium perhibent omnes Prophetæ, remiſsionem peccatorum accipere, per nomen eius, omnes, qui credunt in eum. Hæc doctrina & fides fuit omnium Patriarcharum & Prophetarum. Hæc fides & doctrina fuit Apoſtolorum, quam Petrus in Concilio Apoſtolorum, ſua ſententia eſt profeſſus: Quid, inquiens, tentatis Deum, imponentes iugum (Legis ſcilicet) ſuper ceruices diſcipulorum, quod neq; nos, neque Patres noſtri portare potuimus vnquam? Sed in nomine Ieſu Chriſti credimus ſaluari, BBB quemadmodum & illi.

† *Hæc gnatis dicuntur. Neq; enim eos habetis oculos, qui hæc videre potuerint.*

BBB *Magnifica verba. In nomine Ieſu credimus, & nos omnes ſaluari; ſed per bona opera, certam facientes vocationem, & electionem noſtram. Sic enim Chriſtus dominus dicit: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; docentes eos ſeruare omnia, quæcunq; mandaui vobis.*

2. Pet. 1.

Mat. vltimo.

Hæc eadem noſtra quoq; eſt fides & religio, & non alia. CCC Cætera quod attinet, noui apud nos prorſus eſt nihil. DDD Non enim noua habemus aut excogitauimus Biblia, ſed vetera illa, quæ vniuerſalis omnium temporum, & Catholica agnouit & retinet Eccleſia, ambabus amplectimur manib⁹. * Neque alium Baptiſmum habemus, niſi

CCC *Hæc communis eſt omnium Chriſtianorum confeſſio, non veſtra tantùm. Quiſquis es aſſertor nouorum dogmatum, quæſo te, inquit D. Hieronymus, vt parcas Romanis auribus: parcas fidei, quæ Apoſt. voce laudata eſt. Cur poſt quadringentos annos docere nos niteris, quod ante neſciuimus? Cur profers in medium, quod Petrus & Paulus edere noluerunt? vſq; ad hunc diem ſine doctrina iſta mundus Chriſtianus fuit. Illam ſenex tenebo fidem, in qua puer natus ſum. Peluſiotas nos appellant & luteos, animaléſq; & carneos, quòd non recipiamus ea, quæ Spiritus ſunt. Illi ſcilicet Hieroſolymitæ, quorum mater in cælo eſt. Hæc ille.*

DDD *Hominem adultum poſt baptiſmum ſola fide iuſtificari: liberum arbitrium hominis nullum eſſe: in omni opere bono hominem peccare: hominẽ peccatorem, niſi credere nolit, damnari non poſſe: religionem ſine viſibili*

* *Noſtra hæc eſt poſſeſſio.*

ſibili ſacerdote, ſacrificio, cæremonia, poſſe conſiſtere: viſibile ouile ſine viſibili paſtore: virginitatis, viduitatis ac nuptiarum diſcrimen nullum eſſe: votorum nullã nationẽ habendam: ieiunia atq; orationes, eleemoſynas item & bona opera meritoria non eſſe: pœnitentiam cauſam remiſſionis peccatorum non eſſe: & alia quàm plurima. Demonſtrate, apud quem ex Prophetis aut Apoſtolis hæc legiſtis: & tum demum Prophetarum & Apoſtolorum hanc doctrinam appellabitis, & vincetis. Niſi fortè vobis hæc noua non videntur, quia hæc à veteribus hæreticis, vt ſuprà demonſtratum eſt, mutuati eſtis.

EEE niſi à Chriſto inſtitutum, abiectis tantùm iis, quæ ab hominibus otioſis * ſunt addita, nihil ad rem facientia, quibúſq; magis deformatur, quàm ornatur Baptiſmi Sacramentum.

EEE *Non alium ſed decurtatum atque contaminatum: effeciſtis tamen, vt alij nullum habeant. Dum enim vos aufertis accidẽtalia, alij etiam ſubſtantialia ſuſtulerunt. Omnia hæc ferè eadem*

* *Veſtro iudicio. Igitur Apoſtoli fuerũt homines otioſi. Illorũ enim has traditiones eſſe D. Dionyſius, Baſilius, Auguſtinus, & cæteri teſtantur omnes.*

habebant Nouatiani, Encratitæ, Vigilantiani, Tatiani, Collyridiani: quòd tamen alia quæ oportebat non habuerunt, eos, vel voſmetipſi ſuperiùs hæreticos eſſe dixiſtis. Sufficit enim vnus pertinax error in fide, ad conſtituendam hæreſim: vt in rebus publicis, etiam ſi quis omnia, quæ eius Reipub: ſunt, amplectatur, Principi tamen non pareat ſuo, ab eóque diſſideat, rebellis eſt: ciuis amplius non eſt. Niſi enim hæc fundamenta, quibus adeò vos effertis, vtcunque retineretis; tum iam non hæretici, ſed Iudæi, atq; Gentiles eſſetis. Nulla enim, inquit D. Auguſtinus, falſa doctrina eſt, quæ non aliqua vera intermiſceat: vera ergo falſis inordinatè permiſta, in vna diſputatione, vel narratione hominis, tanquam in vnius corporis colore apparentia, ſignificant lepram, tanquam veris falſisq; colorum fucis humana corpora variantem, atq; maculantem. Et in Pſal. 54. Quare dixit, qui appropinquant mihi? Quia in multis erant mecum. In hoc, inquit, verſu, duæ ſententiæ occurrunt. In multis erant mecum. Baptiſmum habebamus vtiq;: in eo erant mecum. Euangelium vtriq; legebamus: erant in eo mecum. Feſta martyrum celebrabamus: erant ibi mecum. Paſchæ ſolennitatem frequentabamus: erant ibi mecum. Sed non omninò mecum. In ſchiſmate non mecum: in hæreſi non mecum. In multis mecum: in paucis non mecum. Sed in his paucis, in quibus non mecum, non eis proſunt multa, in quibus mecum. Hæc ille. Sed & dæmones credunt, & contremiſcunt: quia tamen charitate & obedientia carent, hæretici & Apoſtatæ ſunt.

Lib. Euang. cap. 40.

Iacob. 2.

Nec aliam, quàm eam, quæ à Chriſto eſt inſtituta cœnam, vulgò Euchariſtiam dictam, in noſtris celebramus Eccleſiis, eámq; integrã,

FFF quam ſe, hoc modo, à Domino accepiſſe, Eccleſiæque Corinthiorum tradidiſſe, Apoſtolus teſtatur: muta-

FFF *De integritate Cœnæ iam ante à nobis dictum eſt in Annotationibus Cenſuræ, cap: vltimo.*

Itáne

mutatione, mutilatione,& propha- GGG natione ad Missas sacrilegas, GGG ex nostris Ecclesiis explosis. Nec mortuos homines, ** qui nec

GGG *Itáne annunciare mortem domini, vestitu, habitu, actione, oratione, repræsentare, donec ipse veniat, meritúmq; mortis eius, vsu corporis & sanguinis Domini, sibi accommodare, sacrilegum erit? an vestra oratio potiùs prophana & sacrilega?*

** *Vita quidem ista vestra mors est: nam de illorum vita magnificè*
Matth. 22. *testatur ipsa vita. De resurrectione, inquit, mortuorum non legistis, quod dictum est à Deo, dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob: non est Deus mortuorum, sed viuentium. Quod idem de Petro & Paulo, aliisq; Sanctis dictum esse existimandum est. Non mortui laudabunt te Domine, neq; omnes qui descendunt in infernum. Atqui sancti continua laude Deum celebrant & magnificant. Aut si mortui sunt, quomodo in omni memoria seculorum dies mortis & martyrij illorum, dies natiuitatis vocatur & colitur?*

audire, HHH nec iuuare possunt, contra verbi Dei sententiam, inuocamus: sed Deum patrem, p Christum, in spiritu & veritate, * sicut à Saluatore nostro sumus edocti.

HHH *Nuncios credo nouos de cœlo accepistis, qui vobis retulerunt, eos neq; audire, neque quidquam rerũ nostrarũ cognoscere. At qui nobis reuelauit, vnicus filius Dei, qui de sinu patris aduenit, eos esse sicut Angelos Dei, in quorum honores successerunt, & quorum ruinas impleuerunt: qui non tantùm ipsi omnia nostra nouerunt; sed etiam orationes ac merita omnium nostrum in conspectu Dei offerunt. Longè illi omnia clariùs in diuino cernunt lumine, quàm nos aliquid in huius solis radijs cernimus, iuxta illud Isaiæ:*
Isa. 60. *Non erit tibi ampliùs sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam: non occidet vltra sol tuus, & luna tua non minuetur; quia Dominus erit*
Apoc. 12. *tibi in lucem sempiternam. Et in Apocalypsi: Et ciuitas non eget sole, neque luna vt luceat in ea; nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius est Agnus.*

* *Hoc idem facit vniuersa Ecclesia.*

Ioan. 1. Matth. 22. Psal. 109. Tob. 12.

Symbola vsitata Ecclesiæ, Apostolorum, Nicenum, & Athanasij, sanctè custodimus. III Similiter & claues Regni cœlorum Ecclesię datas, & si quæ alia sunt huiusmodi.

III *Quorsum igitur in dies nouæ exoriuntur Confessiones? de quibus quidã ex vestris, vt meliùs nostis, illud verissimè pronunciârunt: Confessiones autem nostræ sunt sicut voces partiũ litigantiũ, &c. Et idẽ paulò inferiùs: Sed hæc mala, vt vitentur, illum etiam horum fontem caueri est necesse, ne qua particularis Confessio pro fidei & veritatis regula habeatur, vel cen-*

Heidelberg. Theolo. de Confess. August. cap. 4. & 5.

Hæc igitur verè Catholica est fides, doctrina & Religio, in qua nihil est noui: quam agnoscimus, amplectimur, & profitemur: quam etiam nobiscũ amplexi sunt & professi omnes, quicunq; hinc à condito mundo vixêre, & sal-

uati

suræ

uati sunt. * Non est enim aliud nomen sub cœlo, (inquit iterum Petrus) in quo oportet nos saluari, nisi in nomine Iesu. Nec est in alio quoquam salus, &c. Quòdsi hanc nostram doctrinam, fidem, & religionem veterem, quam isti nouam, sibíq; incognitam, quæ eadem est cum Patriarcharum, Prophetarum, & Apostolorum, Pontificij non ipsi quoque nobiscum agnouerint, sed nouam esse vociferabuntur & damnabunt; non habebunt partem in Regno DEI, sed in æternum peribunt.

Præterea, quòd calumniatur Sycophanta Polonus, nos Græcos elegisse, KKK & communis causæ iudices constituisse, ad eósq; prouocâsse: vtque, quoniam ab Occidentali defecerimus, in communionem Orientalis Ecclesiæ, à Patriarcha Constantinopolitano reciperemur, studiosè petijsse: pura puta sunt Poloni mendacia, ab ipso ad prægrauandas nostras Eccle-

* *Iam dictum est, quid nouũ, quid antiquum apud vos sit.*

suræ Christianæ eximatur. Id enim si fiat, non iam vna ex multis confessionibus fides et religio, sed tot religiones & Christianismi existent, quod confessionum formæ: ex qua distractione, nihil, nisi conscientiarum perturbatio, Atheismi incrementum, & Ecclesiarum ruina potest consequi. Hæc illi. Quanquam ne Symbola quidem integra & plena sequimini. Nihil dico de Communione Sanctorum, nihil de vna, sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesia; nam hæc iam alij dixerunt: sed ne illud quidem, Vitam æternam, omninò confiteri videmini: nam paulò antè Sanctos, mortuos appellâstis.

KKK *Quod audiuimus, quod legimus, hoc testamur: nam & coràm, qui exemplar nobis transmisit, idem testatus est: & scripto Patriarcha non obscurè id significare videtur. Primùm in Epistola præmissa Censuræ, vbi inquit:* Si igitur volueritis, méq; audiueritis, inquit Dominus, bona terræ comedetis. Eodem sanè modo nostra mediocritas, vt Christo pro misericordia eius vicaria succedens, vestram adhortatur charitatem. Vtinam consentiatis cum nostra, quę Christi est, Ecclesia. Quòdsi verè & ex animo toto re ipsa feceritis, gaudium absq; dubio in cœlo & in terra erit, ob vtriusq; Ecclesiæ coniunctionem, quæ ad gloriam Christi futura speratur. *Deinde, in genemli totius operis complexione:* Si, *inquit*, & vos viri Germani sapientissimi, & filij mediocritatis nostræ dilecti, vultis, vt mente præditi, ex toto animo vos nostræ adiungere sanctissimæ Ecclesiæ; Nos vt Patres amantiss. promtè vestram charitatem & beneuolentiam recipiemus: si volueritis decreta Apostolica & Synodica, vnanimi consensu nobiscum sequi, & his credere; tunc reuera consortes nobiscum eritis: & tanquam apertè huic nostræ & Catholicæ Christi Ecclesiæ subditi, ab omnibus rectè sentientibus laudabimini. Hoc modo: si ex vtraq; Ecclesia, vna, Deo bene iuuante, facta fuerit; coniunctionem societatémq; vitæ posthac colemus piam, Deóque placentem, donec etiam cœleste intremus Regnum: quod vtinam omnes consequamur, per Christum IESVM, cui gloria in secula. Amen. *Sed*

& vos

& vos duabus Epistolis, quas in limine præsentis libri vestri posuistis, idem planè, longè disertiùs, si modò vos persentitis, testari videmini, illis verbis: Deinde Libellum quendam mitto, fidei nostræ totius capita continentem, vt Sanctit. tua videat, quænam sit religio nostra, & num cum doctrina Ecclesiarum S. Tuæ consentiamus, an verò aliquid fortasse dissentiat: quod sanè nollem. Magnoperè autem S. tuam oro, vt eum pari, qua priora mea, beneuolentia accipiat: ac, nisi graue sit, sapientissimum suum de his capitibus iudicium beneuolè significet; si fortè Deo dante, idem in Christo sentiamus. *Et in alia Epistola:* Hanc itáq; notissimam beatorum Patrum nostrorum Confessionem, (quam à multis iam hactenus annis, non pauca millia Martyrum suo sanguine comprobârunt) tuæ Sanctit. ante Menses circiter quinque, antequam optatas ipsius literas accepissemus, misimus: sperantes, etiam si fortè propter tantum locorum interuallum, differentia inter nos aliquorum rituum sit; omninò in præcipuis saltem salutis consequendæ capitibus, nos nihil nouare; sed illam, quæ à sanctis Apostolis & Prophetis, & Spiritum sanctum habentibus Patribus ac Patriarchis, & sup diuinas literas ædificatis VII. Synodis tradita est, fidem, (quantum quidem nos intelligimus) amplecti & conseruare. Ideo in præsentia non iudicauimus plùs molestiæ exhibendum S. tuæ; vt quæ alias circa suas Ecclesias, fideliſsimè pascendas, & salutis viam vigilanter tradendam occupatissima sit; sed eius sapiens, & pium maximè, de Confessione, à nobis missa, iudicium & responsum expectandum: quod etiam suo tempore, modò ne S. tuæ molesti simus, nobis paterno animo mitti, reuerenter & humiliter oramus. Si fortè misericors Pater cœlestis, per dilectum suum filium, vnicum conseruatorem nostrum vtrobiq; faciat; vt nos, etiamsi longissima locorum intercapedine disiuncti simus, attamẽ recto de religione sensu, propinqui inuicem fiamus: & Constantini vrbs Tybingáq;, Christianæ concordiæ & charitatis vinculo mutuò copulentur: quo nihil optatiùs contingere nobis posset. Prorsus enim nullum aliud fundamentum fidei, (sicut amantissimè S. tua precatur) præter id, quod positum est, (qui est immotus ille angularis lapis, Christus, ipsa veritas) retinere, Deo iuuante cogitamus: excluſa omni innouatione & claudicatione. Vale Sanctiſs. Domine, cum venerabilibus Presbyteris tuis, Christiano gregi diu feliciter puidens: nósq; venia dignans, & in paternã tuam curam beneuolè recipiens. *Hæc vos. Quid igitur obsecro ego aliud in mea Præfatione dixi, quàm quòd vos hoc loco, si modò sensu non caretis, dicitis? Scripsi, vos Confessionẽ vestrã ad Patriarchã misisse; scribitis & ipsi: scripsi eius iudicio & arbitrio subiecisse; subijcitis & vos: coniunctionẽ Ecclesiarum mutuã vt Constantini vrbs Tubingáq; coniungerẽtur, petiisse, in paternã curam recipi postulare; facitis hæc omnia: addideră, vos vestramq; doctrinam à Patriarcha damnatã esse; docetis hoc idem ipsi, dum ad tertiã vsq; conformem, (vt Iurisconsultorum verbo vtar) contra vos Patriarchæ sententiam, in triplici responso nobis profertis, vt ampliùs nullus, neq; prouocationis, neq; dubitationis locus vobis relictus esse videatur. Quomodo igitur, aut quam ob causam*

mendacem

mendacem esse Præfationem meam dicitis, ipsi non admodum verraces? At non tàm humiliter, nec tàm demissè scribimus. Neq; enim soletis vnquam: neq; id ferunt ingenia vestra. Sed quacunq; ratione tandem factum vestrum licèt appelletis, cùm de re constet, non sit de nomine pugna. Nos quidem vobis magnas gratias agimus, qui hæc eadem, quæ nos, & longè plura edidistis.

sias, hac calumnia conficta. LLL A LLL syncera scilicet & incorrupta doctrina cœlesti, & religione vera, ad doctrinas & traditiones humanas, à veritate ad falsitatẽ † & figmenta, à luce ad tenebras non recipiemus? Hoc quid magis furiosum? *

Hæc eadem de Occidentalibus Ecclesiis dicitis, hæc eadem de Asiaticis, & Africanis. Quis igitur vobis satisfaciet? vbi igitur erit ille consensus, quem iactatis, cum ecclesiis Apostolicis? aut quomodo ab orbe terrarum non dissidetis? aut vbi tandem illam ECCleſiam CAtholicam, quæ columna & firmamentum veritatis est, inuenietis? illam, inquam, cum qua vos conueniatis? ita nobis ad Hesperidum insulas nauigandum erit sine remis & velis. Abstinete à iudicijs temerarijs homines docti.

† *Ita vobis vnus & idem Patriarcha, vbi vtile est, nunc sanctissimus, Oecumenicus, Pater patrum, & est, & dicitur. & idem, eiúsq; doctrina simul, si ita opus est, falsitas, figmentum, tenebræ. Sic Aristippum decet omnis color.*

* *Cur igitur fecistis? aut cur scripsistis?*

Et sciat homo iste, per Dei gratiam non ita accisas, attenuatas aut in angustum adeò redactas nostras copias, nec ita nos inopes consilij aut fluctuari animis: ad defensionẽ nostræ veræ & syncerę doctrinę, & Religionis, quam profitemur, & Dei beneficio contra portas infernales, furores Diabolorum, ✣ & totius Mundi potentiam, propugnamus: alieno vt nobis opus sit auxilio, aut milite extraneo subsidiario, MMM quem ex peregrinis aduocemus locis, quo muniti, tuti simus aduersus insultus hostiles: nedum, vt tanquam victi, prostrati ac fugati, nos miseris victis subijciamus. ** Quis hîc vanitatem, vertiginem, imò stuporem mentis in homine, qui sibi sapere videtur, & eruditionis persuasione inflatus, hæc, quòd ad summum suæ Ecclesiæ caput, & Christi † in terris, si Dijs placet, † vicarium, audet perscribere, non miretur? Cúmq; à Græco Monacho copiam Censuræ Patriarchicæ de Confessi-

✣ *Animosè.*

MMM *Isti iam militẽ conscribunt: copias numerant. Quasi ego non de consensu cum vetustissimis Apostolicis Patriarchalibúsq; sedib. potiùs, quàm de aliquibus extraneis subsidijs locutus fuerim. Quàm pcul vtrinq; absumus! quã diuersa sentimus!*

** *Bona verba obsecro Euangelici viri.*

Luc. 6. *Ex abũdantia cordis vtrorũq; os loquitur. Placuit quidem non multis, sed vni, vero, & benedicto Deo, cuius illæ sunt voces: Pasce oues meas, pasce agnos meos. Et in alio loco: Deus ab antiquis diebus in nobis elegit, per*

one Augustana sibi communicari petierit Socolouius; cur non pari ratione, responsi etiam nostri ad illam Censuram? cur non Epistolam, à quodam nostrûm ad Patriarcham, cum qua missa est confessio ✲ Ecclesiarum nostrarum communis, exhiberi sibi petijt? NNN Ex quibus, si veritate tantùm historiæ delectaretur Polonus, rem omnem certiùs potuisset cognoscere. Et vt videat, nos nihil dissimulare, verba ipsa, ex ista Epistola nostratis, cum ipsa Confessione missa, adscribere nos minimè pudet, quæ hæc sunt: Deinde libellum quendam mitto, fidei nostræ totius capita continentem, vt Sanctitas tua videat, quænã sit religio nostra, & num cũ doctrina Ecclesiarum Sanctitatis tuę consentiamus: an verò aliquid fortasse dissentiat, quod sanè nollem. Vbi hîc Socoloui, nos in communionẽ recipi studiosè petimus? ⁎ quę tua sunt, superbissime, commenta: cùm vnius hominis † Epistola sit perbreuis, qua is fidei nostræ confessionem mittit Patriarchæ, non vt iudicem Patriarcham communis causæ constituat; sed vt videat, num eadem sit ipsius, quæ & nostra Religio, & quatenus conueniat inter nos, num (vt verba habent) consentiamus vel dissentiamus, vbi hîc nos eius subijcimus iudicio, vt hoc stemus & cadamus? Quòd enim Patriarchæ Constantinopolitano eos titulos in nostris scriptis tribuimus, ooo quos illi alij etiam tribuere solent, id ciuilitatis fuit: quam Socolouius (si aliquid sani cerebri haberet) non calumniari, sed cõmendare in nobis debebat. Neq; enim is, qui modestè & humiliter sese erga alios gerit, propterea se, & sua, ipsorum iudicio, ita, vt eo stare & cadere velit, submittit. Quòd igitur

✲ *Docuistis tamen ipsi, vt iam ostendi, ijsdem Epistolis, vos aliud egisse nihil, quàm illud, quod nos scripsimus. Diuinabamus igitur futurum quod euenit: ideo non multum de vestris soliciti eramus.*

NNN *Petij vel inprimis: sed & à vobis ipsis in mea responsione, ad futuras calumnias maleuolorum, contra Censuram Orientalis Ecclesiæ, iam ante vnum annum flagitaui, & vix tandem nunc impetraui. Pòst tamen, Epistolam illam solam vestram à Patriarcha recepi, quæ totius negotij fecit catastrophen. Cuius initium: Quemadmodum superiori tempore, &c.*

⁎ *Iam demonstratum est.*

† *Vobis tamen omnibus terna responsione Patriarcha respondet. Quinetiam in tertio responso vestro, omnes propemodum nomina & titulos vestros subscripsistis.*

ooo *Vtinam eandem vrbanitatem, & vt vocatis, ciuilitatem, erga nobiliss. decus gentis vestræ Lindanum conseruassetis: vtinam erga clarissimum Ficklerum: vtinam erga non malum Socolouium, hominem tamen studiosum. Parua dico: vtinam erga sacrosanctum Tridentinum Concilium, quod Conciliabulum impiè vocatis:*

Au-

vtinam

Augustanam nostram Confessionem Patriarchæ iudicio subiecerimus, tua sunt, Socoloui, somnia, figmenta, mendacia. Credo, (scripsit idem Author, in alia quadam ad eundem Epistola, de eodem) in fundamento doctrinæ de Christo, & saluata fide nos omninò consentire; quod charitatis est, quæ secundũ Apostolum, omnia credit. Sed quid hæc ad Socolouij narrationes & institutum? Tantum igitur abest, vt ad Græcos transire cupierimus, ✣ vt ipsos magis ad nos perducere simus conati. Et quod olim Dominus Ieremiæ Prophetæ suo dixit, eúmq; consolatus est: Conuertentur ipsi ad te, & tu non conuerteris ad eos: id sibi omnes Pontificij, siue Orientales, siue Occidentales, dictum putent: nos nempe, nunquam abiecta, quàm ex verbo Dei didicimus, religione, ad ipsos accessuros, etiam si fractus illabatur orbis. PPP Si verò æternæ animarum suarũ saluti consultum isti cupiant, necesse est eos ad nos accedere, nostrámq; * amplecti doctrinam, aut in æternum peribunt.

vtinam erga Christi vicarium Romanum Pontificem. Longè enim hæc maiora sunt illis, sempérq; totius orbis terrarum consensu sanctissima iudicata sunt. Miram hominum modestiam & humanitatem.

✣ ✣ *Neq; enim vos, si velletis etiam, cum hac doctrina & moribus reciperent.*

PPP *Talis sensus hæreticos parit, vel vestra definitione teste: æquiùs est regredi, quàm malè progredi. Hoc non liberum, sed obstinatum arbitrium est. Atqui vos liberum negatis. Quàm multos simili præsumtione audiui, qui postea secuti sunt Dominum Deum suum, & Ecclesiam eius: idq; ex magnis.*

* *Christi dixisset potiùs, & Ecclesiæ eius: sed excidit incautis.*

Nequaquam igitur hoc consilio communis electorum Principum QQQ & Ordinum Imperij reliquorum Confessio, quam olim Imperatori Carolo V. inuictissimo, nostri exhibuerunt maiores, ad Græcos est ab vno nostrûm, hoc consilio transmissa, vt Iudices constitueremus ipsos, aut vt nos in suam reciperent communionem, (quod Polonus scribit, sed mendaciter) studiosè petijmus. Hoc enim etiam in vnius RRR non fuisset potestate hominis: sed quia Pontificij nos, nostrámq; diffamãt, † suis clamoribus, calumniisq; Religionem, eámq; suspectam reddere conantur passim, calumnia nouitatis excogitata & sparsa; vt hoc nos purgaremus crimine, Augustanam Confessionem, tanquam fidei nostrę compendium, in Orientem mit-

QQQ *Mallem Episcoporum & Presbyterorum more veteri. Sed vestrum hoc est* ὕστερον πρότερον.

RRR *Non vni tamen, sed multis, vt videtis respõdet Patriarcha: nec respondet tantum: sed etiam fert sententiam.*

† *Scilicet Pontificij Byzantium vos accusatum ibant.*

tere voluimus: ✻ præsertim, cùm ad nos indè perscriptum esset, passim Constantinopoli Lutheranos diffamatos esse, quasi nullam *Religionem curarent, horrendos errores defenderent, & scelerate atque flagitiosè, absq; vllo Dei timore viuerent. Deinde eam etiam ob causam cum Græcis de Religione conferre voluimus, quia nos nostræ Confessionis & fidei non pudet, nec de doctrina dubitamus: noluimus eam sub modio abscondere; sss sed quia in Græcam linguam antea conuersa fuerat, & nacti sumus occasionem, misso ex nostra Schola vno, pio, & docto Magistro, tùm Stephano Gerlachio, Græcę linguę perito, vt esset à Sacris Cæsareæ Maiestatis Oratori, Generoso Domino Dauidi Vngnad: quòad plures peruenirent Christi odor gratus, noluim⁹ eam negligere: sed omninò mittendam esse, visum est, si quo modo, per gratiam Dei & operatione Spiritus Sancti, oculi cœcutientium, hoc modo & medio aperirentur, vt erroribus vsitatis aliquot seculorum agnitis, eisdem valedicentes, ad veritatis agnitionem peruenirent: deinde etiam agnitam veritatem profitentes, secum alias plures, vt fieri solet, ad Regnũ Christi perducerent. † Credidi, (cecinit olim diuinus Psaltes) propterea loquor. Et hæc natura est, hoc ingenium fidei, vt, sicut bonum (quemadmodum veteres locuti sunt) communicatiuum est sui; ita ipsa quoq; se continere nequeat: verùm in omnes occasiones intenta est, vt, quam agnouit veritatis viam, alijs quoq; monstrare cupiat. Quod & Apostolis iniunctum à Christo fuit: & studiosè hoc egerunt ipsi. Quis ergò nobis vitio vertet, quod lucernam ✻ verbi Dei non sub modium abscondimus, sed super candelabrũ collocauimus, eámq; lucere voluimus in Oriente? Hoccine tantum est flagitium, támque horrendum peccatum? ✻✻

Non ergò est, quòd tantopere triumphet Socolouius, qui inter causas æditionis responsi Patriarchici, primam hanc numerat: vt

✻ *Misistis vos quidem: sed talem virginem, cum hac fama, & cum his moribus accipiet nemo; etiam si sexcenti pronubi adsint: etiam si omnibus gemmis, omniq; auro, dotéq; amplissima eam exornet quis, quamùis non tantùm in Græciam, sed etiam vltra vlmum Thulæ eam mittatis. Verùm fœtus etiam illius adiungendi fuerũt.*

* *Certè exiguam: cum omnem diuinum cultum externum sustulerint, siue altare visibile, siue sacerdotẽ, siue sacrificiũ spectes.*

sss *Abscondistis tamen multo tempore præcipuam negotij partem. Sed quid opus est verbis?*

† *Nihil impedit, vnius rei plures esse causas.*

✻ *Titionem potius, & sudem præustam. Quasi verò Confessio Augustana sit verbum Dei. Hæc vna pars est idolomaniæ vestræ.*

✻✻ *Nihil horum damnamus: sed illud solùm, quod totam causam in publicũ non produxistis, vt & nos cognoscere-mus; num etiam aliâs præter Tubingam Christiani essent.*

nos

nos scilicet proderet, nostras artes detegeret, nocendíq; studium ostenderet, qui cùm contra nos lata sit sententia, censuram istam, quam ipse ita vocat, suppresserimus. Nihil enim apud nos arcanum: & facilè non modò diuinare potuimus, non intra parietes, aut in occulto reseruatum iri hæc scripta; sed etiam sedulò hoc egimus, quantum potuimus omni studio, vt passim in tota Græcia euulgarentur, ttt quæ vltrò citróque sunt scripta. Horum enim, vt suprà meminimus, nos neq; pudet, neq; pœnitet Socoloui, vt scias. Quid tibi vis amplius? vvv

Quod verò hactenus scriptum hoc Patriarchæ non publicauimus: xxx factum est partim, vt parceremus ipsi, quòd tûm in summo versaretur periculo, (sicut & de gradu dignitatis suæ, ad tempus fuit deiectus) ne illi maius ex æditione ista crearetur periculum: yyy partim, quòd nullam admodum ex ista æditione ad Ecclesiam Christi vtilitatem peruenturam sperare possem°: cùm alia extent plurima, ac meliora scripta, & malorum aliâs plus satis sit.

Iam verò cùm tanta, támq; multa, à vobis contra nos, totámque causam spargantur mendacia & calumniæ, ea vt depellamus ⁂ à nobis, réque ipsa potiùs, quàm verbis refutemus, visum est, omnia scripta, vltrò citróq; missa euulgare, vt omnibus, quantùm quidem in nobis est, satis faceremus.

ttt *Cur ergo dicitis, à me furto comparatum esse, quod publicè euulgatum voluistis? Oportet esse memorem. Innotuissent igitur hæc eadem & apud cæteros.*

vvv *Vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Sitis autem* 1. Cor. 1.
perfecti in eodem sensu & in eadem sententia, vt conuertamini & viuatis, Amen.

xxx *Feciss etis saltem post biennium vel triennium, vbi tempestas illa sedata, motúsq; compositi sunt.*

yyy *Magnam per omnia: vt de rebus controuersis cognoscerentur sensus & iudicia aliarũ quoq; Ecclesiarũ: vt venerãda antiquitas magis eluceseeret: vt cõsensus Ecclesiæ manifestaretur: vt Ariani atq; Ebionitæ, cæteríq; eius generis aut confunderentur, aut conuerterentur: ne soli vobis ipsis sapere videremini, vt quidem admodum videmini. Sed subticetis illam potiorem causam, quòd hæc publicè legi vobis non expediebat.*

⁂ *Laudamus, & gratias agimus.*

Secunda causa Socolouij est, propter quam censuram hanc ædiderit: Deinde, inquit, vt quantum eos ipsos huius suæ nouitatis pudeat atq; tædeat: quòd cum nulla Apostolica, veteríq; sede coniuncti sint: quòd successionem nullam demonstrare possint: quòd ἀκέφαλοι hoc est, membra sine capite, mutila sint, vel ex hoc ipsorum facto demonstrem.

Inscitiamné rerum sacrarum, in isto Parasito, zzz qui linguam suam venalem, tàm turpiter Romano Pontifici prostituit: an verò leuitatem miremur, dubium est.

zzz *Quàm falsi estis: scilicet in media Moschouia, dum hæc vertebamus, Papa suppeditabat nobis mensas lautissimas. Nitent obryzo auro Roma ap-*

ma apportato parietes nostri. Ne obsecro faciatis infamiam studijs vestris, hac vestra matæologa. Vel hoc solo iudicabit mundus, etiamsi nihil aliud sit, hæc falsò scripta esse omnia. Habeo, Deo gratia, Regem locupletissimum, & fortunas meas honestissimas: ex quibus & ipse honestissimè viuo, & multi alij mecum studiosi, ac bonis literis exercitati homines. Sed & vos ipsos, si fortè casus aliquis tulerit, quàm libenter mensa & hospitio acciperem. Verùm, vultísne non inuíci? Vos ipsi Papæ, vt leuissimo verbo vtar, parasiti estis. Nam vos bonis Ecclesiasticis, contra maiorum vestrorum voluntatem, quorum dispensatorem illi Summum Pontificem reliquerunt, viuitis & abutimini. Quid Principes vestros, qua & quanta emunxistis, vel specie ipsa huius emendicatæ concordiæ, pecunia? nolo dicere. Omnes vident.

Quid enim, ✣ per DEVM immortalem, de nostro cum Apostolicis veteribus Ecclesijs dissidio, rabulá A impudentissime, mentiris? Nos certè non solùm ad has, B sed etiam omnium temporum vniuersalem Patriarcharum, Prophetarum & Apostolorum Ecclesias prouocare non dubitamus: cum quibus nos coniunctissimos esse, ⋆ luculenter C suprà, ex ipsa scripturà Prophetica & Apostolica est demonstratum: tantùm abest, vt nos nostrę religionis, quam nouam esse conuiciatur, cuiúsq; contrarium à nobis est probatum, pigeat vel tædeat.

✣ *Quid hoc ad inscitiam rerum sacrarum pertinet?*

A *Hæc Iurisconsultorum sunt: omnium artium epitheta in maledicendo consumserunt.*

B *Grammatici certant, & adhuc sub iudice lis est. Atq; hæc est illa petitio principij: quod verbo affirmatur, verbo facilè reijcitur.*

⋆ *Dicitis, & nemo credit.*

C *Nec nos obscurè docuimus, quos Magistros & authores ex veteribus hæreticis sequamini. Eædem nunc sunt Apostolicæ Ecclesiæ, quæ & veteres fuerunt, quas vos turpiter diffamatis.*

Similiter, quod ad successionem D attinet, non hęc in loco consistit,

D *In vera successione vtrq; requiruntur, & doctrina & Cathedra, vt & doctrina Cathedræ, & Cathedra doctrinæ respondeat, ac testimonium det, iuxta illud: Super Cathedram Moysi, sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunq; dixerint vobis, seruate & facite: secundùm autem opera eorum nolite facere. Adferenda autem & illa Tertull. ex eodem libro huc spectantia fuerunt verba, quæ vtrq; hæc, quæ dixi, coniungunt. Ergo non ad scripturas, inquit ille, prouocandum, nec in his constituendum certamen, quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut parum certa. Nam etsi non ita euaderet conlatio scripturarũ, vt vtrumq; partẽ parem sisteret; ordo rerũ desiderabat illud priùs proponi, quod nunc solum disputandum est; quibus competat fides ipsa, cuius sint scripturæ, à quo, & per quos, & quando, & quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani. Vbi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ, & fidei Christianæ; illic erit veritas scripturarum, & expositionum, & omnium traditionum*

Matth. 23.

traditionum Christianorum. Et paulò post. *Ita ex ipso ordine manifestatur id esse Dominicum & verum, quod sit priùs traditum: id autem extraneum & falsum, quod sit posteriùs immissum. Ea sententia manebit aduersus posteriores quasq; hæreses, quibus nulla constantia & conscientia concedit, ad defendendam sibi veritatem. Cæterùm, si quæ audent interserere se ætati Apostolicæ; vt ideo videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere: Ædant ergo origines Ecclesiarum suarum: euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem; vt primus ille Episcopus, aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerit, habuerit authorem, & antecessorem: hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt: sicut Smyrnæorum Ecclesia Polycarpum ab Ioanne conlocatum refert: sicut Romanorum Clementem, à Petro ordinatum: id & proindè vtique & cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos Apostolici seminis traduces habeant. Hactenus Tertullianus. De vestri igitur similibus hæresibus, quæ tanquam simiæ quædam doctrinam Catholicam imitabantur, doctrinæ autem veritate carebant, successionéq; quam plurimùm in Ecclesia Dei valere videbant, veluti alienis plumis se commendare volebant; non de orthodoxa Ecclesia, ea quæ adfertis, dixit Tertullianus. Verùm hac de re aliâs fusiùs diximus.*

in quo & canis sedere potest; E sed in doctrina: quod & ex Hieronymo, † & alijs scriptoribus Ecclesiasticis discere poterat Polonus, si non opinionibus Pontificijs de loco fascinatus esset.

E *Blasphemia hæc est, in throno Cathedráq; Christi canes collocare. Sed nihil alienũ ab ingenio. Hoc est blateronem esse.*

† *Quoniam autem Hieronymum à nobis requiritis, Hieronymũ, quid hac de re sentiat,*

ne quid à nobis desideretis, vobis adfero. Breuem tibi apertámq; animi mei sententiam proferam; in illa esse Ecclesia permanendũ, quæ ab Apostolis fundata, vsq; ad diem hanc durat. Hæc ille in dialogo contra Lucifer. cap. 9.

Quod vt videat, vnico hoc iam contenti erimus, quod Tertullianus, inter primos scriptores Ecclesiasticos docet, veram Apostolorum successionem in doctrinæ cognatione consistere. Confingant, inquit, tale quid (de successione personarum) hæretici: Quid enim illis post blasphemiam illicitum? sed etsi confinxerint, nihil promouebunt. Ipsa enim doctrina eorum, cum Apostolica comparata, ex diuersitate & contrarietate sua pronunciabit, non esse Apostoli alicuius authoris, neque Apostolici. Et post pauca: Ad hanc itáque formam prouocabuntur ab illis Ecclesijs, quæ licèt nullum ex Apostolis vel Apostolicis authorem suum proferunt, vt multò posteriores, quæ deniq; quotidie instituuntur; tamen in eadem fide conspirantes, non minùs Apostolicæ deputantur, pro consanguinitate doctrinæ.

✲ Ακεφάλους porrò nos, quod bla- ✲ *Coniungite hunc locum vestrum cum illis, quos nuper ex Tertulliano attulimus: sic plenam doctrinam habebitis.*

tero F calumniatur, hoc est, absque capite, quòd non agnoscamus Antichristum Pontificem Romanũ

Exod. 22. Actor. 23. G bestiam istam, & meretricem Babylonicam, pro nostro & Ecclesiæ capite: sceleratè id facit, imò non absq; horrenda blasphemia in Christum, quem Deus pater dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius. Christum, inquit, Apostolus, Deus Pater dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.

Apoc. 13.

Quærimus ex te, Socoloui, corporis, quod Christum caput habet, membra, mutiláne sint? quòd si mutila sunt, H caput, quod est Christus, aut mortuum est, aut languidum, aut non viuificans membra. * Quod quàm impiè à te dicatur, nemo est, qui non videat.

Matth. 7.

F *Ludunt copia maledictorum. Non descendo in certamen.*

G *Principi populi tui non maledices. Antichristus ergo fuit Petrus, Linus, Clemens: Antichristus D. Syluester, Leo: Antichristus Gregorius magnus, et cæteri innumeri Martyres, et Confessores, qui huic sedi præfuerunt. Quid? si item de vobis illud occinatur? Et aperuit bestia os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius, & eos qui in cœlis habitant. Quid si Augustanam vestram, mulierem illam, quæ propinat errores et dissidia omnibus gentibus, quis appellet? an non longè veriora dicet?*

H *Nequaquam mutila, quia Christum caput habent, &*

* *Mira diuisio. Petrum eius vicarium. Non omnis tamen qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in Regnum cœlorum. Neq; illi porrò suum caput habere possunt, præsertim qui vicariam, ac subalternam potestatem eius negant. Qui enim eam audit, Christum audit: qui eam spernit, Christum spernit: qui eam accipit, Christum accipit. Et ad Samuelem: Non te spreuerunt, sed me. Ouis, quæ Pastori rebellis est, Domini sui ouis non est, quidquid vos dicatis. Nec ille Regem agnoscit, qui eius vicario parere non vult. Quæ enim à Deo sunt, ordinata sunt. Itáq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Regit ille ima per media, vt in natura, & in politia, ita & in Ecclesia: idem ille semper est: candẽ viam & rationem in omnib. sequitur: pœnitentia nulla vnquam ducitur.*

Luc. 10. Matth. 10. Reg. 8. Rom. 13.

Ne verò dicas, triumphantis Ecclesiæ Christum caput esse, Pontificem verò Romanũ, militantis: vel hunc visibile caput, & sic vicariũ Christi: auelles túne caput à membris? I

I *Imo per caput visibile coniunguntur membra cum capite inuisibili. A quo visibili capite cùm vos sponte seiunxeritis, ideo ab inuisibili excidistis. Tenetis me? De vicario & sensibili capite loquor: cui ex ore Dei (quoniam scripturam vbiq; quæritis) dictum est: Pasce oues meas: pasce agnos meos. Nisi fortè agni & oues eius esse nolitis. Qui enim Pastorem, vt iam dixi, non recognoscit; ille Dominum domus, qui pastorem constituit, non recognoscat oportet. De quali capite dictum est: Ecce constitui te hodie super gentes & super Regna, vt euellas, & destruas, & disper-*

& dissperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. Neq; verò hoc in scriptura, inusitatum est, capitis nomen hominibus tribui. Sic Sauli dixit Samuel, 1. *Reg.* 15. *Caput in tribubus Israël factus es. Sic de se Dauid inquit Psal.* 17. *Constitues me in caput gentium. Sic apud Oseam cap:* 1. *legimus: Ponent sibimet caput vnum. Sic apud Paulum* 1. *Cor:* 11. *& ad Ephes.* 5. *Vir caput est mulieris. Certè cùm Paulus semel atque iterum dicat: Vir caput est mulieris; non ideo Christum esse caput mulieris negauit: verùm hoc dicere voluit: Christum caput mulieri constituisse virum, vt eam gubernaret, quàm etiam gubernat Christus; sed per virum. Sic etiam cùm dicitur: Pontifex est caput Ecclesiæ; non Christum excludimus, qui verè caput existens, verè gubernat Ecclesiam: sed sicut mulieri virum; sic huic sponsæ suæ constituit Petrum, & eius successorem, cuius ministerio illam gubernaret, quando dixit: Pasce oues meas. Ipse caput, ipse gubernator est Ecclesiæ suæ: ipse Pastor & Episcopus animarum nostrarum. Sed interea Petrum elegit, Petriq; successores, quorum in ea pascenda gubernandáq; ministerio vteretur. Si igitur vicarium caput contemnitis; neq; principale sequimini, cùm ea sit natura rerum subalternatarum, vt sibi mutuo respondeant, nam hac ratione planè Sophistica Regum atq; Principum, legitimiq; Magistratus imperia simul effugietis: nam & isti capita populorum dicuntur; sub vno tamen generali capite Iesu Christo, nec tamen ideo bicipitia Regna dicuntur. Quòdsi vicaria potestas nulla est, vimq; nullam habet; quomodo obsecro illius Liturgiæ, orationes, precationes, benedictiones, excommunicationes, execrationes tantùm valent; vt non modò viuos afficiant, sed etiam mortuos, in terráq; conditos, non sinant post multos annos consumi, eosdémq; ad vitam reuocent, aliósq; admirabiles effectus pariant? quod vos ipsi multis admiratione dignis exemplis Patriarcharum Constantinopolitanorum, Gennadij, Maximi, & aliorum, disertissimè & prolixè satis in secundo vestræ Turcograeciæ libro, orbi terrarum testatum reliquistis, ac ipsorummet Saracenorum sententijs confirmastis. Nisi fortè ijs, quæ scribitis ipsimet, fidem non adhibetis.*

Vicarius enim absentis est, κ & mendacem facies Christum dicentem: Ecce ego vobiscum sum, omnibus diebus &ç. λ

κ *Neq; hoc Axioma ex primo Posteriorum est.*

λ *At alio loco idem Christus dixit:* Matth. 16. *Pauperes semper habebitis vobiscum,* Ioan. 12. *me autem non semper. Et Paulus: Mortem Domini annunciabitis donec* 1. Cor. 11. *veniat. Semper ille nobiscum est in altaris Sacramento: semper cura & gubernatione: semper ope & præsenti auxilio adest: abest tamen visibiliter. Vicarios autem visibiles, dedit quosdam Apostolos, quosdam Euangelistas,* 1. Cor. 12. Ephes. 4. *quosdam Pastores & Doctores, tanquam instrumenta, per quæ omnia operatur, & hunc ipsum, quem vos negatis, & quem vniuersa vetustas agnoscit, Petrum, Petriq; successores: qui illud quod dixi in vniuerso cœtu Apostolico,* Actu. 15. *totiúsq; Ecclesiæ congregatione, de seipso testatur: Viri fratres, inquit, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus, Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere*

aut Ec-

Matth. 22. aut Ecclesiam monstrum biceps facies, M quam nos non agnoscimus, contenti vno capite, Christo, & sic nequaquam ἀκέφαλοι, quamdiu nobiscum Christus est. Vobis verò, quib. hoc non sufficit caput à Deo Patre datum, per nos sanè licet, corpori vestro caput iungere Asininũ, quale monstrum in Tyberi vicina Romæ, nostra est memoria repertum, cui nomen indiderunt Papasellus. †

Hebr. 13.

Matth. 23. 1. Tim. 2.

Pergamus ad tertiam æditionis causam Socolouij. Demûm, inquit, vt, quàm sit vtriusq; Ecclesiæ, Occidentalis, & Orientalis, de istis rebus, quas isti ex sua sede commouerunt, incredibilis consensus, summa concordia, vt non eadem dicamus tantùm omnes, sed ijsdẽ penè verbis, etiam omnibus clarum fiat.

M *Sed & ipse est Pater omnium nostrûm, ipse Dominus, ipse rex regum, & princeps principum. & cùm prohibeat patrem in terra vocare, Paulus tamen nihilominus patrem se appellat. Ipse est Pastor, quem resuscitauit Deus; & tamen ipse dedit alios pastores: ipse Magister & Doctor summus ac primus; alios tamen vocat Magistros & Doctores. sed vos distinguitis nihil, vel distinguere non vultis: ideo erratis & alios in errorem inducitis: Quamuis aũt, vt inquit Magnus Leo, Petro principaliter dicat: Pasce oues meas: ab ipso tamen Domino ipsa regitur cura Pastorum, & venientes ad Petram, tam lætis, támque irriguis pascuis alit.*

† *Exhilarata miseria.*

Vtique mi homo, incredibilis inter vos est consensus. Verùm hoc dicis: quia nemo hominum hoc credit, cùm eius contrarium constet, & res loquatur ipsa. Quod, vt manifestum fiat omnibus, exemplis quibusdam ob oculos positis, planum faciemus. Et si autem, quod ad confessionem auricularem, quam vocant, attinet,

N omniúmq; peccatorum enumerationem, bellè iam conueniat inter Græcos & Latinos:

N *Quid de iustificatione? quid de libero arbitrio? in quibus summa controuersiæ vestræ consistit: quid de numero Sacramentorum? quid de sacris cæremonijs, totóq; planè externo cultu? quid de obedientia ad maiores? quid de alijs multis? vobiscúmne sentiunt? nequaquam. hæc vos tacetis. Nimirum minora hæc sunt, aut non cernuntur. Et talis est syncerit as vestra. Triginta quidem tria præcipua capita religionis vestræ, nullo Catholicorum labore, à Patriarcha damnata esse, vestrimet scriptum reliquerunt. Quod mirum est vos non vidisse, nec apud vestros legisse.*

In resp. Deputat. primi nominis protestantium ad literas Regis Navar.

Eo ipso tamen hodierna Orientalis Ecclesia, à seipsa, o suísque maioribus dissidet: à quibus illa propter stupratam quandam nobilissimam matronam in confessione, à Diacono est abrogata. Et in iure Canonico glossa: P Ergo ne-

o *Quasi verò vnius vrbis, pro tempore, factum & decretum, imò vnius Episcopi Nectarij, cùm tamen multas interpretationes suscipere vos ipsi non ignoratis, totum Orientem, atque adeò vniuersum mundũ obligare potuisset.*

P *Quia*

ceſſaria eſt confeſsio in mortalibus apud nos, apud Græcos non: quia non emanauit apud illos talis traditio.

P *Quid igitur Baſilius? quid Nazianzenus? quid Dionyſ. Areopagita? & cæteri innumeri ſancti docent Patres? Legiſtísne obſecro vel non? Gloſſas allegant, homines nempè Canonum obſeruantes. Quaſi verò in rebus fidei talium gloſſarum vlla vnquam fuerit in Eccleſia authoritas: quam tamen gloſſam copiosè refutat grauiſſimus Cardinalis de Turre cremata.*

Sed vt vanitas Sycophantæ iſtius impudentiſsimi appareat, incredibile dictu eſt, quanta ſit inter Orientales & Occidentales diſſenſio, quod vel ex ipſomet reſponſo Patriarchico, ad nos dato, perſpicuum eſt. Quod vt omnibus innoteſcat, verba Reſponſi Patriarchici ex tranſlatione Socolouij, huc Q tranſcribere viſum eſt, quæ hæc ſunt: Amplius autem ad eos, quos dicitis (in Confeſſione Auguſtana) abuſus, reſpondentes, dicimus: primum, vtriuſq; ſpeciei participes eſſe oportere omnes dicitis: & rectè quidē. Nam nos hoc idem, tremendis his myſterijs participantes, facimus: illi, inquam, qui his digni ſumus: præterid, quòd non azymo, ſed in fermentato pane, panis ſpeciem accipimus. Secundum eſt, quod dicitis: Melius eſſe nubere, quam vri, iuxta illud Pauli: Vnius vxoris virum, & reliqua, quæ Paulus in hoc genere præcipit: Proinde & nos illis Sacerdotibus, qui in virginitate perſiſtere non poſſunt, prius quàm tamen conſecrentur, & Sacerdotes fiant, vxores accipiendi poteſtatem damus. Deus enim Matrimonium ſanxit. Illud item non ignoramus, turpitudinis germina multa ſuſcipi inter eos, qui Sacerdotes, vxores accipere, prohibent.

Q *Non pudet vos hæc talia contra me proferre, homines literatos, tantúmq; virus acerbitatis veſtræ in me hominem innocuum euomere? quaſi verò non ipſe annotauerim, in quibus inter nos & Græcos conueniat, & in quibus non: præcipuè autem hæc duo capita, in quibus exaggerandis vobis adeò diſerti videmini. Sed & annotationibus quibuſdam, in quibus vobis, & illis ſimul reſpondemus, hæc eadem illuſtrauimus. Pandite igitur portas: extendite vela eloquentiæ veſtræ, diſertiſſimi Rhetores: & in rebus non neceſſarijs, verbis ſuperfluis abutamini: pugnate cum non repugnantibus: vincite idem ſentientes: dimicate more ebrioſorum noctu cum vmbris: ite, & ſycophantas alios appelletis.*

Quid, Socoloui, incredibilíſne eſt inter vos Romanenſes, in his, & Orientales, conſenſus? concordia ſumma? Eadémne vos quoq; dicitis, & quidem ijſdem penè verbis? Quid tibi in mentem venit, bone vir, hæc cùm ſcriberes? An illorum es oblitus, quæ Patriarcha, te interprete, ſcripſit? Vbi os tuum illud impudens? vbi frons? Quis enim hominum eſt omnium, tàm ignarus rerum, imò vecors adeò, aut demens, qui ignoret, quid Romana Eccleſia de Euchariſtiæ inſtitutione à Chriſto facta, ſentiat & faciat? Hanc enim, vt hominis fortè inter pocula ebrij, aut

ſtolidi

ſtolidi reijciunt, pro ſuo libitu mutant, inuertunt, ex, OMNES, R facientes, non omnes, Eccleſiæ altera parte ablata: & ſic mutilato Sacramento, Teſtamentum Saluatoris noſtri IESV Chriſti violant ſceleratè. Homines pios & innocentes Teſtamentum Chriſti obſeruantes perſequuntur, exurunt, ſtrangulant, ſubmergunt, &c. hac ſola de cauſa, quòd teſtamentum Mediatoris ſanctè obſeruare cupiant. Interim verò negant, Chriſtum pro Laicis integrum inſtituiſſe, ſed tantùm Sacerdotibus in Miſſa offerendum: cùm Apoſtolus ſub vtraque ſpecie, vt vùlgo loquuntur, ſe à Domino accepiſſe, quemadmodum tradiderit Eccleſijs Corinthiorum, non ſolis Miniſtris, teſtetur. Græci rectè nos facere, cùm vtriuſque ſpeciei participes eſſe oportere omnes dicimus: ſe quoque idem facere, affirmant. Vbi hîc incredibilis veſter conſenſus? vbi concordia ſumma? vbi eadem penè verba?

R *De hoc ipſo, Omnes, ſcripſerunt contra vos ferè omnes, ſed & ex veſtris quidam, ſi modò aliquem locum rationi relinqueretis. Datum eſt tunc omnibus, & tunc omnes biberunt: ſed tædet acta agere. Bibitis tamen & vos omnes, quo autem profectu, Deus iudicet. Sacramentum enim hoc vnitatis eſt: quæ inter vos, vt video, nulla inuenitur. Vel hoc loco tamen aliquid in gratiam veſtram diſſimulârunt Græci: illud inquam, quòd & illi ſuos infirmos vna ſola reficiunt ſpecie, alitérq; Clerum, aliter populũ, in Templo communionem ſacram apud eos accipere: quod & hoc loco ipſi innuunt, cùm dicunt: Qui idonei & digni ad percipiendam vtramque ſpeciem ſumus.*

Præterea, idémne de Sacerdotum coniugio ſentitis, quod Orientales? qui Sacerdotibus, (vt verba ipſorum habent) qui in virginitate perſiſtere non poſſunt, prius quàm conſecrentur, & Sacerdotes fiant, vxores accipiendi poteſtatem faciunt, coniugéſq; & maritos Sacerdotes conſecrant.

Vos, ô ſceleratiſsimi, contrarium planè facitis, S maritos etiam, aliâs ad Sacerdotium idoneos, tamen, niſi diuortio ab vxoribus priùs facto, ad ordines non admittitis:

S *Tenete manus obſecro. Nouum ſcilicet eſt, ex vtriuſq; partis conſenſu inter coniuges caſtitatem ſeruari. Quanquam apud vos nouum, homines carni & ſanguini deditos. Fecit hoc prima ipſa mater Dei. D. item Petrum & Andream, & alios Apoſtolos feciſſe legimus: qui quamùis vxores ſuas ſecum duxiſſe leguntur; illis tamen non ampliùs vſos eſſe, iuxta conſilium Domini, teſtatur grauiſſimus author Hieronymus: Si quis venit ad me, inquit dominus, & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, & filias, & fratres, & ſorores, adhuc aũt & animam ſuam; non poteſt meus eſſe diſcipulus. At veſtri iſti beati Græci, quod ego aliquando dum in Ruſſia eſſem vidi, ſine omni mutuo cõſenſu, vxores in Monaſteria conijciunt, atq; ipſi etiam nonnunquam conijciuntur.*

Vt verò poſtea coniugib⁹, diuortio facto, pro concubinis abutãtur, * conceditis. Sacerdotum T verò,

* *Falſum eſt. Multa mala admittuntur, etiam ſi non concedatur.*

T *Sacrilegæ*

t *Sacrilega certè connubia, quæ post irritam primam fidem coniunguntur, vt Paulus definit, nemo vnquam bonus laudauit, neq; nostri, neq; Græci ipsi, quorum, vos homines syncerissimos, verba, quæ proximè in illorum scripto sequebantur, summámq; causæ continebant, non apposuisse valde miror: an fortasse vobis præripuissent omnem hanc declamandi occasionem? hæc autem sunt:* Qui verò castitatem vouit, castitatem seruet; hunc, post votum factum, maritum esse non permittimus. Nemo enim, qui manu sua, ad aratrum missa, respexerit retrò, aptus est regno Dei. Quòdsi infirmitate humana lapsus sit, castigamus eum, pœnitendo, confitendo, certas frictiones subeundo, & à malis abstinendo, donec ablutus sit: tunc misericordia Dei non reprobabit ipsum. *Hæc vos non legistis. Neque igitur illi nostrum castum Sacerdotium, vt videtis, neq; nos illorum damnamus matrimonium, quod prima fides non antecesserit, sed vnusquisq; suæ Ecclesiæ morem sequitur. Verùm vos videre nihil vultis: & si videtis, inculcatis tamen, modò stultæ plebeculæ imponatis.*

Coniugium, tanquam impurum vitæ genus, damnatis: longéque præferendum Sacerdotem scortantem, * propriam habenti coniugem, asseritis. Hícne consensus est? hæc concordia summa inter Orientales & Occidentales? cùm tantum inter vos sit discrimen, quantum inter nigrum & album, verum & falsum, sacrum & prophanum. Quidni exclamet hîc Melicerta, perisse frontem de rebus? Nihil hîc verbis opus est: Socoloui vanissime, res loquitur ipsa. v

* *Falsum est: tamen nuptias, quæ non sunt veræ nuptiæ, nuptias credere, stultum est.*

v *Nihil opus fuit grauissimi Germani tanto vestro conatu in re superflua: sumpsissetis potiùs id, quod propiùs fuit ex Præfatione nostra, quam tantopere accusatis, & quod totam causam vestram continet, nempè hoc: Quò amplius conuiciari desinant hæc Latina esse, ab illo vel hoc Romano Pontifice profecta, cùm hæc eadem ab his, qui Romanis vniuersisq; Latinis, insito quodam odio, infensi sunt, non minore studio atq; contentione colantur atq; defendantur. Agnoscimus igitur, sine vestro clamore nobis infensos esse. Sed & illud simul, eos se nunc recolligere, atque ad communia referre castra. Sed & causam nostis: communis est vtrisque vestrum, nempe Contentio.*

Nec nouum hoc est, sed valdè vetus vtriusq; Ecclesię diuortium, x sicut in iure Canonico habetur, ex Concilio vniuersali 6. quod hîc adscribere voluim': vt hinc Pontificij y Socolouij vanitas, omnibus fiat manifesta. Verba hæc sunt: Quoniam

x *Quasi verò hoc non illud sit, quod omnes boni seriò triumphant, vos ab illis, qui à nobis sunt alieniissimi, reiectos ac refutatos esse: ne putetis eos amicitiæ nostræ, ac gratiæ aliquid dedisse; hoc ego egi, hoc spectaui, huc omnem conatum meum contuli, vt inimici sint iudices.*

y *Vestra, inquam: nam & hic Canon, quem sextæ vniuersalis Synodi esse dicitis*

niam in Romani ordine Canonis esse cognouimus traditum, eos, qui ordinati sunt Diaconi, vel Presbyteri, confiteri, quòd non suis iam copulentur vxoribus: Antiquum sequentes Canonem Apostolicę diligentiæ, & constitutiones sacrorũ virorum, legales nuptias, à modò valere volumus, nullo modo cum vxoribus suis eorum connubia soluentes, aut priuantes eos familiaritate ad inuicem in tempore opportuno. Quicunq; ergò diligens inuentus fuerit in subdiaconali ordinatione, aut diaconali, aut Sacerdotali, hi nullo modo prohibentur, ad talem ascendere gradum, pro vxoris suæ habitatione. Nec etiam tempore ordinationis suæ profiteri cogantur, quòd abstinere debeant à legalis vxoris familiaritate. Item, oportet eos, qui altari ministrant, in tempore oblationis Sanctorum, continentes esse in omnibus, vt à Deo possint consequi, quæ suppliciter postulant. Si quis igitur præsumpserit, contra Apostolicos Canones, aliquos Presbyterorum & Diaconorũ priuare à contactu & cõmunione legalis vxoris suæ, deponatur. z

dicitis, eius Synodi non est, vtpotè, cuius Canones nulli extent; sed alterius cuiusdam, quæ post quatuor vel quinq; annos, à sexta Synodo celebrata fuit, de qua variæ sunt Doctorum opiniones, & in quam multos irrepsisse errores testantur. Itáq; per iocum à Græcis πενθέκτη *quinta sexta dicebatur: quòd neque quinta, neque sexta esset. Hæc autem ita esse, vt diximus, non aliundè meliùs cognosci potest, quàm ex illorum ipsorum Canonum verbis. Sic enim habent:* Quoniam autem sanctę & vniuersales Synodi, quinta & sexta, de mysterio Dei plenissimè disputantes Canones non fecerunt, propterea nos conuenientes ad hanc imperialem vrbem, sacros Canones conscripsimus: oportebat enim, vt Synodus, vniuersales Canones Ecclesiasticos promulgaret. *Hæc Synodus. Vos interim non necessarijs testimonijs illud probatis, quod nemo negauit vnquam.*

z *Respondissetis potiùs ad locos Epiphanij & Hieronymi, duorum vetustissimorum Patrum, quos nos in ea re authores in Annotationibus nostris laudauimus. Quid illud Pauli? Vidua irritam faciens primam fidem, damnationem habet. An non eodem modo Sacerdos, aut Monachus, irritam faciens*
1. Tim. 5. *primam fidem, damnationem sibi acquirit? Hæc vera sunt, hæc immediatè ex sacra scriptura petita. Atqui vos tales habetis duces & Magistros.*

Similiter & Presbyter ac Diaconus, qui Religionis causa vxorem suam expellet, excommunicetur. Si verò in hoc permanserit, deponatur. Hactenus verba Canonis.

Vbi Gratianus addit: Hoc autem ex loco intelligendum est: Orientalis enim Ecclesia (cui sexta Synodus viuendi Regulam præscripsit) votum castitatis in ministris altaris non suscepit. Vnde Stephanus Papa ait: Aliter se Orientalium traditio habet Ecclesiarum, aliter huius sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Nam earum Sacerdotes, Diaconi, aut Subdiaconi in matrimonio copulantur. Istius autem Ecclesiæ, vel Occidentalium, nullus Sacerdorum, à Subdiacono, vsque ad Episcopum habet coniugium sortien-

hanc controuersiam explicat? Multi ex hac litem dixerunt, quòd orientales possunt contrahere in sacris ordinibus: sed eis obstat distinctione proxima, c. Si quis eorum qui ad clerum accedunt, voluerit nuptiali iure mulieri copulari, hoc ante ordinem Subdiaconatus faciat. Ne à principio quidem, vt dixi, opus fuit.

Sed quid argumentis multis opus est, quibus diuortium Græcę & Latinæ Ecclesiæ probemus? Cùm hoc vnicum maximi momenti sufficiat, quòd Patriarcha Constantinopolitanus, quotannis, Dominica Inuocauit, Romanum Pontificem, cum tota sua Ecclesia, solenni ritu, tanquam schismaticum, inter alios hæreticos excommunicat. AA

Tàm bellè itáq; conuenit Græcis atque Latinis. Hic incredibilis ille est, Socoloui audin', consensus: * hæc concordia summa inter Orientalem & Occidentalẽ, quam tantoperè Polonus prædicat, hácq; de causa Patriarchæ censuram euulgandam sibi esse existimauit, vt consensus ille declaretur. Sed turdus ipse sibi malum. BB

AA *Non de contentione loquimur, sed de doctrina. Et eam ob causam, sanctissimi & beatissimi, sed & Oecumenici, contra omnem veterẽ morem, contráq; vestrum ipsorũ sensum, nomen ad eum detulistis.*

* *Audiui certè & legi mirabilem cõsensum, sed & alij omnes: præter duos illos non tanti momẽti articulos; quos ego ipse prior, deinde vos notastis, et excepistis. Quod si nobiscum non sentiunt sed vobiscum, cur tantopere cum illis pugnatis?*

BB *Vos ipsi, cùm ad Patriarcham hæc nequidquam scribebatis. Aut cùm hæc tam nitentia arma contra vos, ex armamentario vestro, Ecclesiasticis viris, sed & ipsismet vestris, protulistis: quod ipsi paulò pòst meliùs experiemini.*

Quibus Socolouij calumnijs, cc vanitatibus ac mendacijs refutatis: nos, vt quàm candidè totam hanc egerimus causam, quàm nihil dissimulare cupiam⁹, aut tegere, quámque nos Confessionis nostræ non pudeat, vel pigeat, vt alias plures iam taceamus causas: scripta contraria omnia hinc inde missa, quorum sex sunt numero (licèt postremum, num Patriarcha Constantinopolitanus acceperit, ignoremus) hoc volumine ædenda censuimus: vt æquus Lector videat, nos nequaquam, sicut Polonus mentitur, Græcos constituisse communis causæ iudi-

cc *Vestris potiùs ineptijs detectis, impotenti & maledico animo prodito, qui hominem, quem ne de facie quidem nouerat is, & de quo nihil vnquã sinistri audistis, nec Dei Gratia audituri vnquam estis, conuicijs & maledictis incessere nõ estis veriti. Nam meæ præfationis veritas stat, stabitq; semper: quam dum maledictis vestris opprimere vultis, magnificè illustrastis. Vobis autem apud eos, qui meminerunt, noströque legunt, æternam comparastis infamiam: ac quo dolore hoc nostrum scriptum acceperitis, tanquam chirographo quodam orbi in omne posterum tempus testatum reliquistis.*

iudices, neq; ſtudiosè ab illis recipi petierimus: ſed hoc egiſſe ſtudiosè, quod bonos, cordatos, & pios decet viros, vt ad agnitionem ſyncerę doctrinæ Religionis eos perducęremus.

quiſtis. Nam ea, quæ in me dixiſtis, vobis facilè condono. Beati enim ſumus, cùm nobis maledixerint homines, propter zelum & veritatẽ. Quin potiùs magnas vobis ago & habeo gratias, quòd fidem meam, hac æditione veſtra, apud multos liberaſtis: plurimi enim ex veſtris, hæc vos ſcripſiſſe negabant: multi me id totum confinxiſſe, vt ſolent, calumniabantur: tùm quòd correctiùs exemplar mihi præbuiſtis, ex quo in poſterum noſtra emendatiùs publicè legi poterunt. Nunc vos etiam atq; etiam rogo & moneo, vt aliquando, ad amabilem concordiam cum Eccleſia Dei redeatis, ac ne propter diſſenſiones & ſciſſuras veſtras, male nomen Domini in gentibus audiat, operam detis. Quod ita facile fiet, ſi primùm non vos ſolos homines eſſe, aut ſolos ſapere putaueritis: ſi de alijs omnibus, meliùs quam de vobis ipſis, quòd Chriſtianæ modeſtiæ eſt, ſenſeritis: ſi non tantùm ipſi dare, ſed & ab alijs fidei & religionis leges accipere didiceritis; nam hæc Tyrannis eſt, quam ne veſtri quidem iam in vobis perferre poſſunt, & quam vos Eccleſiæ Dei toties falsò obijcitis, à qua tamen non abſtinetis ipſi: & Eccleſia quidem orbis terrarum veterem poſſeſſionem tuetur, vos decem viri quidam, ſub ſpecie Auguſtanæ, tanquam Sirenis cuiuſdam formoſæ, veſtra commenta obtrudere, licentiámq; propagare vultis: quam eandem in Græciam, atq; adeò vniuerſum Orientem mittendam vobis eſſe putaſtis, vt ſpecie ſua hominibus illis imponat, eóſq; ex portu veritatis eductos, in caſſes veſtros impellat. Sed quaſi eſtis à cautis hominibus turpiter cum ea foras. Quæ ſi amplius prolem ſuam, atq; pediſſequas ſuas, ſecum accepiſſet, Sacramentariam, inquam, Arianam, Ebioniticam labem; tum profectò in profundum pelagus vnà cum illis proiecta fuiſſet. Et latêre hæc talia veſtra conſilia putatis, quæ omnes vident? Si deinde Hierarchicum ordinem à politico diſtinxeritis: ſi cæteros quoq; aliarum gentium homines ea videre, quæ vos videtis, aut etiã plura, & melius, vobis perſuaſeritis: & non ignoraueritis alios æquè homines conſcientiæ rationem habere, futuræq; gloriæ retributionem, ſimiliter vt vos expectare. Deinde, ſi illud apud vos ſtatueritis, quod D. Auguſtinus habet: Omnia quidem, quæ nouit Donatus, noſſe Eccleſiam: non tamen omnia, quæ nouit Eccleſia, noſſe Donatum. Etſi neque ſacram ſcripturam à ſanctis Patribus, neq; ſanctos Patres à ſcriptura ſeiunxeritis, ſed ſi vtraq; hæc tanquam pulcherrimè contextam coronam coniunxeritis, omnia εὐαγγελικῶς *ſimul* καὶ πατρικῶς *vt poſt D. Baſilium Damaſcenus loqui ſolet. Demum ſi parentem cœleſtem non ita parcum eſſe iudicaueritis, vt ſolis Tubingenſibus luceat. Æquus ille eſt omnibus, qui ſolem ſuum facit oriri ſuper iuſtos & iniuſtos. Et ita oriri, vt quamùis aliæ nationes minus, aliæ minus illo participare videantur; omnes tamen ex æquo, etſi alio & alio tempore, illo gaudent & fruuntur. Vltimò, ſi Chriſtum Ieſum, eiúſq; pretioſiſſimam mortem, non vobis ſolis vſurpare volueritis: qui cùm Saluator communis ſit omnium, nullum vult perire, ſed omnes cupit ad agnitionem veritatis peruenire; cui ſoli ſit laus & gloria in Eccleſia. Dominus Deus det vobis pacem*

& meliorem mentem: & det vobis cor carneum, vt non sitis inflati amplius sensu carnis vestræ, nec iuxta capitis vestri visiones scripturas interpretari velitis, sed Ecclesiæ potiùs Catholicæ, cui promissus & missus est Spiritus sanctus, quam columnam & firmamentum veritatis vocat Apostolus, sensum & consensum sequamini: sacrilega verò separationis consilia, haud aliter atq; præsentissimum venenum fugiatis. Amen.

Quo consilio etiam Calendis Octobris, Anni 77. Compendium Theologiæ Iacobi Heerbrandi Doctoris, à M. Martino Crusio in Græcam linguam conuersum, ad Patriarcham missum, &, vt cæteris quoq; Episcopis communicaret, est rogatus. Vbi additum est in Epistola ab eisdem ad ipsum data: Neminis libellum istum continere damnationem, nisi eius, qui Christo repugnet, séq; supra sacras literas, Christum & veritatem collocet, planéque absolutam sibi potestatem in Ecclesia Christi vendicet. Quid? Num hîc quoq; Socoloui, ad Græcos confugimus, ab eísque nos in communionem recipi studiosè petijmus? Num iudices ipsos communis causæ constituimus?

DD DD *Speciosiùs ista hoc modo dicuntur, quàm alio: vos tamen videritis, quo animo à vobis aliquid factum fuerit. Quanquam aliud, vt dixi, Patriarcha significare videtur. Sed & vos ipsi, si verum fateri velletis. Qua in re, vel ad proximè positas duas Epistolas vestras prouoco. Verùm vltimam sententiam & finem totius Dramatis audiamus omnes.*

IEREMIAS
Misericordia Dei Archiepiscopvs Constantinopolis nouæ Romæ, & Oecumenicus Patriarcha.

Conclusio tertij responsi Patriarchæ.

QVANDO QVIDEM PRÆTEREA INVOCATIONEM SANCTORVM, VANAM EXISTIMATIS: ET IMAGINES EORVM, VENERANDASQVE RELIQVIAS, ET ADORATIONEM REIICITIS, EX HEBRÆO FONTE SVMPTA OCCASIONE ET ANSA: REIICITIS ITEM MVTVAM ALTERIVS AD ALTERVM CONFESSIONEM: PRÆTEREA, MONASTICAM VITAM, ANGELIS ÆQVALEM: IDEO NOS AD

HAEC RESPONDEMVS. DIVINA DICTA, QVAE DE HIS EXTANT, NON INTERPRETATA EXPOSITAQ. ESSE A SIMILIBVS VESTRI THEOLOGIS: NEQVE DIVINVM CHRYSOSTOMVM, AVT ALIVM QVENQVAM BEATORVM ILLORVM, ET REVERA THEOLOGORVM, VNQVAM INSTAR TORRENTIS ABSTRACTVM FVISSE. IPSE VERO, ET IPSIVS SIMILES DIVINI VIRI, SPIRITV S. PLENI, MIRACVLIS A SE EDITIS STVPENDIS, IN VITA ET MORTE CLARI, SIC INTERPRETATI SVNT, QVEMADMODVM HABEMVS: CAETERIQVE, TRADITIONES TALES CVM APPROBASSENT, VT NECESSARIAS ET PIAS, CONTINVA SVCCESSIONE PER MANVS VELVTI TRADENTES, AD NOS VSQVE PROPAGARVNT: QVARVM ALIQVAS VETVS ETIAM ROMA OBSERVAT, ET NOBISCVM AMPLECTITVR. VNDE IGITVR VOS RECTIVS ET MELIVS, VETERE NOVAQVE ROMA SAPVISTIS; VT, VERORVM THEOLOGORVM SCRIPTIS RELICTIS, VESTRA ISTA, MELIORA POTIORAQ. DVCERETIS? EX HEBRÆO FONTE. AT CONTEMPTIO SANCTARVM IMAGINVM IN HAC VRBE, ET DIVINARVM RELIQVIARVM, AB HEBRAEIS INITIVM HABVIT, SICVT HISTORIAE TESTANTVR. ET SCHISMATA, QVAE APVD VOS SVNT, QVAE MVLTA VARIIQ. GENERIS SVNT, LVTHERANORVM, HEBRAEI ALIQVI, VT FAMA FERT, PIETATIS SIMVLATIONE INTRODVXERVNT

AC DISSEMINAVERVNT. NVNC ETIAM, SICVT OCVLIS CERNITVR, PROFICIVNT IN PEIVS, ET QVOTIDIE CRESCVNT. CVM QVIB. EQVIDEM NOS PRORSVS NON COMMVNICANTES QVICQVAM, ECCLESIÆ NOSTRÆ MYSTERIA, IMMOTA SERVAMVS: MANENTES IN IIS, QVAE DICTA SVNT A SVCCESSORIB. PRAECONVM DEI APOSTOLORVM: EORVMQ. INTERPRETATIONES, QVOVIS AVRO ET GEMMA PRETIOSIORES DVCIMVS. INVOCAMVS AVTEM SANCTOS OMNES: NON QVIDEM, VT CONSERVATORES ET REDEMTORES, (ABSIT: VNVS ENIM EST CONSERVATOR ET REDEMTOR, CHRISTVS) SED PRO MEDIATORIBVS EOS OBIICIMVS: NOS, QVI PECCATORES, ET IN MALIS SVMVS: ILLOS, QVI PVLCHRE ET DIVINE CONFECERVNT VITAE CVRRICVLVM, ET AD DEVM EMIGRAVERVNT, PRO NOBISQ. INTERCEDERE LARGE POSSVNT. NEC FRVSTRA HOC FACIMVS: SED SCOPVM CONTINENTER ATTINGIMVS. DVM ENIM SACRAS IPSORVM IMAGINES ADORAMVS, ET RELIQVIAS SALVTAMVS: QVAE INNVMERAS SANATIONES, CEV EBVLIENDO, EFFVNDVNT IDENTIDEM ILLIS, QVI FIDE ACCEDVNT: FRVCTVM VTILITATEMQ. HAVD VVLGAREM PERCIPIMVS AB IPSIS: ATQVE TVM ANIMO, TVM CORPORE, ILLVSTRAMVR. CONFITEMVR ITEM PECCATA NO-

STRA INVICEM, SECVNDVM S. SCRIPTVRAM: NECNON ANGELORVM SIMILEM, SOLITARIAM AMPLEXAMVR VITAM: IISQ. QVI HOC IVGVM SVBIRE VOLVNT, NEQVAQVAM RETROCEDERE MANDAMVS: MODO VELINT APTI AD REGNVM COELORVM ESSE. ROGAMVS ITAQVE VOS, NE POSTHAC LABORES NOBIS EXHIBEATIS: NEQVE DE IISDEM SCRIBATIS, ET SCRIPTA MITTATIS. NAM THEOLOGOS, QVI ECCLESIAE LVMINA FVERVNT, ALIAS ALITER TRACTATIS: ET VERBIS QVIDEM HONORATIS EOS, EXTOLLITISQVE, FACTIS VERO REIICITIS: ARMAQ. NOSTRA, INVTILIA NOBIS EFFICERE VVLTIS: EXCVTERE SCILICET DE MANIBVS NOSTRIS, VERBA ILLORVM SANCTA ET DIVINA, QVIBVS NOS AD SCRIBENDVM, ET CONTRADICENDVM VOBIS, VTI POTVISSEMVS. QVAMOBREM QVANTVM AD VOS ATTINET, LIBERASTIS NOS CVRIS. VESTRAM ERGO VIAM EVNTES, NE AMPLIVS DE DOGMATIBVS, SED AMICITIAE TANTVM CAVSA, SI VOLVERITIS, SCRIBITE.

Ex actis & scriptis Theologorum Wirtembergensium, de Augustana Confessione Græcè & Latinè ab ijsdem editis.

EPISTOLA THEOLEPTI ARCHIMANDRITÆ, CVM QVA CONSTANTINOpoli opus hoc ad nos perlatum est.

Τῷ λογιωτάτῳ καὶ ἀοιδιμωτάτῳ κυρίῳ Στεφάνῳ τῷ τῆς ἐκκλησίας διδασκάλῳ, καὶ ἐμοὶ φιλτάτῳ, εὐλαβῶς χειρισθῆναι.

ἀπὸ Κωνσταντινουπόλεως

εὐπραττειν

Οὐκ ἐσιώπησα, ἀλλ' ἔγραψά σοι πρότερον, καὶ ἔπεμψα ἐκεῖνο τὸ βιβλιοντὸ κατὰ τῶν Λουτέρων, μετὰ τοῦ ἀρμενίου ἱερέως τοῦ Λεοντοπολίτου. Περὶ δέ ἐμοῦ γίνωσκε, ὅτι οἰκῶ ἐν Κωνσταντινουπόλει εἰς τὸ πατριαρχεῖον, ἐν ᾧ εἰμὶ καὶ ἄλλοτε. Ἦν δὲ θέλῃς μαθεῖν, ἕνεκα τῆς ἀφίξεώς μου τῆς πρὸς ὑμᾶς, τὰ νῦν οὐ δύναμαι ἐλθεῖν, διὰ τοὺς πολέμους καὶ τὰς ἀναστασίας. ἐὰν δὲ εἰρηνεύσωσιν ἀμφότεροι, Θεοῦ εὐδοκοῦντος ἐλεύσομαι. ἔρρωσο φίλτατε ἀνδρῶν.

Τὸν σεβασμιώτατον καὶ εὐγενέστατον κύριον ἱερώνυμον τὸν πρεσβύτερον, ὡς ἐξ ἐμοῦ πρόσειπε. ὁμοίως καὶ τὸν καλὸν πάντα φίλτατον καὶ ἐνδοξότατον κύριον γεώργιον τὸν ἡμέτερον ἀδελφόν.

Ἀντιβολῶσοι κύριε, πέμψον μοί τὰ βιβλία, ἃ εἰς ἐνδύμκσιν ἔγραψάσοι, καὶ δώσω τὰ χρήματα τῷ κομίζοντι προθύμως. ἤν δὲ ἄλλοτι ζητῇς ἀπ' ἐντεῦθεν, γράφον μοι καὶ ἀσμένως ὑπηρετήσω.

Eruditiss. & Reuerendiss. Dño Staniſlao, Eccleſiæ Doctori, mihiq. chariſs. reuerenter in manus reddantur.

Salutem.

En non taceo, ſed ſcribo tibi prior, mittoq; librum illum contra Lutheranos, per Sacerdotem Armenium Leontopolitanum. Me autem ſcias habitare Conſtantinopoli, in ædibus Patriarchæ, vbi & olim degebam. Cæterum de meo ad vos aduentu, ſi cupis cognoſcere, ſcias velim, me nunc propter bella tumultusq; venire non poſſe. Si autem pax vtrinq; firmata fuerit, Deo propitio, veniam. Vale virorum chariſſime.

Reuerendiſſimum & generoſiſſimum Dominum Hieronymum presbyterum, meo nomine ſaluta. Itidem omnibus modis chariſſimum & clariſſimum Dominum Georgium fratrem noſtrum.

Peto à te Domine, vt mittas mihi libros, quos notaui: pretium verò ei, qui attulerit, perſoluam lubens. Quod ſi tu quoq; hinc aliud quid habere deſideras, fac mihi ſcribas: inſeruiam enim libenter. Conſtantinopoli.

VNA EST COLVMBA MEA, PERFECTA MEA: VNA EST MATRI SVÆ, ELECTA GENITRICI SVÆ, VIDERVNT EAM FILIÆ, ET BEATISSIMAM PRÆDICAVERVNT: REGINÆ ET CONCVBINÆ, ET LAVDAVERVNT EAM. Cantic. VI.

DE VERÆ ET FALSÆ ECCLESIÆ DISCRIMINE:

Staniſlai Socolouii Libri tres.

AD SERENISSIMVM STEPHANVM, *Poloniæ Regem, victorem, & triumphatorem magnificum, Præfatio.*

MVLTAS QVIDEM, ET VARIAS, EASQVE pulcherrimas ex multiplici genere potentiſsimorum hoſtium victorias, STEPHANE Rex, dulce præſidium, dulce decus meum, tibi per hoc ſexennium, quo apud te officio Concionatoris fungor, coràm gratulatus ſum; nunc abſens, propter hanc meam importunam ægritudinẽ, ipſum quaſi victoriarum finem, hoc autem eſt optatiſſimam pacem, lætus, & ex animo gratulor: tibi nominiq; tuo ampliſsimo, nobis, reipublicæq; noſtræ, ac toti orbi chriſtiano felicem ac fauſtam in omne æuum, à Deo Opt. Max. precor. Neq; qualemcunq; ac vulgarem aliquam pacem M. V. gratulor, ſed eam, quæ pulcherrima & magnificentiſsima, hoc noſtro ſeculo in orbe chriſtiano exſtitit, quæ tot, tantiſq; præteriti temporis difficilimis ac pluſquàm propemodum Herculeis laboribus, contentionibus, bellis, ac præſtantiſsimis tuis rebus geſtis, extremam quaſi manum hoc tempore impoſuit, eáſque illuſtri cataſtrophe concluſit, ad omnémq; immortalitatem obſignauit. Quarum admirabili rerum geſtarum tuarum virtute atque gloria ſuperbum ac potentem hoſtem perdomuiſti, ad pedéſq; tuos, ſedíſque ſanctæ Apoſtolicę matris tuæ inuitum, ac multis temporibus reluctantem, ſupplicem tandem confugere coëgiſti. Hæc eadem præſtans tua virtus afflictiſsimas, potentis inimici iniurijs, continuiſq; diuexationibus, gentes erexit ac conſolata eſt, illiſq; inuictum & inſuperabilem tranquillitatis & ſecuritatis parietem excitauit, ac multos mortales, ab impotentiſsimi hominis dominatu liberauit: opprobrium ex Iſraël ſuſtulit, ac neſcio quam ſuperioribus temporibus contractam ignauiæ maculam abſterſit, nomẽnq; ac decus priſtinum reſtaurauit: hæc virtutem & robur multi temporis otio ac deſidia quondam veluti conſepulta denuo reuocauit: arma obtuſa, ſitúque, puluere, ac ærugine obducta, excuſsit, ac expoliuit. Quibus ijſdem rebus geſtis, tu regnum tibi, tuorúmq; erga te animos, niſi & beneficiorum ingrati

ingrati & publicæ ſaluti infeſti videri velint, mirificè confirmaſti, ſterilitatémq; ſuperiorum regum tua vberi fœcunditate ſuſtuliſti, tótq; pignora atque aras æterni amoris ſponſæ tuæ, regno inquam tuo, tot nobiliſsimas ac clariſsimas victorias, tot munitas arces, & munitiones, ac populoſiſsimas vrbes, flumina, portus, ac integras regiones, tanquam liberos quoſdam adieciſti; vt neq; tu illi, neq; illa tibi ſterilis & infœcunda permaneat; vt iam de reliquo tempore æquè tu illam, atq; illa te tanta támque illuſtri & multiplici intercedente prole, non niſi amare poſsit. Vicinas gentes perterruiſti: Irruit, inquit ſcriptura, pauor domini ſuper vniuerſa regna terrarum, cùm audiſſent, quòd pugnaſſet Dominus contra inimicos Iſraël: apud reges atque principes externos, tibi magnum & immortale nomen comparaſti: te illi mirantur, tuam amicitiam expetunt, te ſibi perfectum imperij exemplar proponunt, in te omnium oculi ſunt conuerſi, te omnes in cœlum iurè ac verè ferunt. Quæ eadem rerum geſtarum æternum celebranda gloria, ora inimicarum ac æmularum gentium ad maledicendum quondam aperta magnificè obſtruxit, ad nouas autem laudes tuas prædicandas aperuit; ita vt tuas præſtantes virtutes inuiti prædicent, vel tacendo, iuxta Comici dictum, ſatis laudent. Quæ pax eadem reſtituta religionem catholicam, ordinem ſacrum, cultum literarum, omnémq; humanitatem ad eas ipſas hoſtis immaniſsimi crudelitate afflictas, ac planè deſolatas gentes denuò intulit, ipſúmq; Chriſtum dominum in ſuam poſſeſsionem quaſi poſtliminio reduxit; templa atque delubra, aráſq; ipſas, auariſsimi hoſtis cupiditate denudata, tua inſigni pietate & munificentia, veſtimentíſq; tuis propemodum, omníq; aurea & argentea ſuppellectili magnificè veſtiuit, priſtinóq; ſplendori reddidit. Auditúſq; poſt multum luctum & lamenta in terra noſtra ſonus cytharæ & buccinæ, vox exultationis & lætitiæ ac iubili, ille inquam, reuerſus eſt omnis Iſraël, & Ioſaphat rex ante illos in Hieruſalem, cum lætitia magna, eò quòd dediſſet illis dominus gaudium de inimicis ſuis; ingreſsíq; ſunt in Hieruſalem cum pſalterijs & cytharis, & tubis in domum Domini. Talem, inquam, tam raram, tam illuſtrem, tótq; fructibus & dotibus grauidam, & dotatam pacem, tibi gratulor, ac perpetuò firmam & ſtabilem à Deo immortali ſupplex precor: néue hos ipſos tuos veros & æternos triumphos ægritudo contaminet aliqua, æterno parenti, conceptis in eam rem votis ſupplico. Verùm cùm omnis gratulatio, quę dono caret, inops, ieiuna, & ſterilis ſit, minúſq; grato animo accipi ſoleat, vacuúmq; ante conſpectum Dei, atque regum comparere, vel ipſa Scriptura teſte, non conueniat; eam ob cauſam tractationis de Eccleſia Dei apud M. V. aliquando ſuſceptæ, eam partem, quæ de diſcrimine veræ & falſæ Eccleſiæ agit, eiúſq; ſigna, indicia, & notas explicat, M. V. mitto: vt quemadmodum quondam falſos Prophetas, veris & proprijs coloribus depinximus; ita nunc veram ſponſam Iesv Christi inter tot innumerabiles eius æmulas & inimicas, verámq; eius formam & ſpeciem demonſtremus. Tuum enim illud fuit ſemper ſapientiſsimum iudicium: qui veram Dei

Eccleſiam

Eccleſiam demonſtrauerit, qui diſcrimen eius à falſis cœtibus inuenerit; eum omnes hæreſes hoc vno facto ſublaturum & interempturum eſſe. Et veriſimè quidem. Nam illud quidem inter omnes ſectarum huius ſeculi homines, qui modò ſanæ mentis aliquid habent, conuenit: Eccleſiæ Dei parendum eſſe: vt, quæ ſit domus Dei viuentis, columna, & firmamentũ veritatis, corpus Chriſti, cui qui non pareat, ille in loco ethnici & publicani habendus ſit. Quæ autem vera ſit, quæ falſa Eccleſia, in eo cardo negotii verſatur, omnisq. cauſæ controuerſia, omnibus id ſibi falsò tribuentibus, conſtituta eſt: quam qui ſuſtulerit, ille omnibus diſputationibus ac controuerſiis finem facilè impoſuerit. Ita tu, non modò de his artibus, quæ tuæ ſunt propriæ, Regiis, inquam, ac Imperatoriis, ſed de aliis quoque ita ſapienter, ita acutè ſtatuere ſoles, tanquam eas ipſas ſolas didiceris: ſic vt te ipſi diſciplinarum earum artifices & doctores plerunque mirentur, tuáſque ſententias & iudicia laudent atque appellent. Ita autem M. V. eam de qua dicebam, nobiliſsimam pacem gratulor; vt ſimul Deum immortalem orem; vt qua felicitate & ſucceſſu externos fregit & perdomuit hoſtes, nullaq. vi ſubmouendam gloriã ſibi poſteritatíque ſuæ peperit; eadem contra quaſdam internas ac domeſticas vtatur peſtes. Peſtes autem cùm dico, non homines, ſed hominum vitia intelligo: hoc autem eſt, extremam impietatis, ac malè de Deo rebúſque diuinis ſentiendi, iniquiſsimis legibus ac fœderibus communitam licentiam, tótque fœdiſsimas hæreſes, & ea, quæ ſub hæreſibus latent, indeque oriuntur, flagitia: cultus inquam diuini abrogationem: Sacramentorum ac Sanctiſsimarum cæremoniarum profanationem: templorum expilationem: ſacrorum vaſorum conflationem: dotis Eccleſiaſticæ direptiones: ſacri ordinis in ordinem redactionem: pudoris alieni inceſtas oppreſsiones: priuatorum bonorum per luxum & ambitionem immoderatam profuſionem; vnde rapinæ, vſuræ, ſimoniæ, vnde mater omnium malorum promanat auaritia: furta, denique rapinæ peculatus, innocentiſsimorum hominum impunitæ vexationes, vulnera, pulſationes, cædes, aliaque infinita mala prodeunt. Quibus malis tantò diligentiùs maioréque ſtudio hoc tempore tibi erit obſiſtendum; quantò magis pax ipſa talia vitia alere, illíſque fomentum quoddam ſubiicere ſolet. Cùm enim pax & tranquillitas, omnia, quæ optima generi humano eſſe putantur, ſecum ferat; hoc tamen, niſi prudenter & ſapienter regatur, habet vitii, vt ſub illius vmbra infinita ſuccreſcant mala: otium, inquam, ex quo luxus & profuſio: inde temeritas & curioſitas: inde hæreſes & multiplices errores: inde legum contemptus, legitimíque magiſtratus deſpectio: inde turbæ, domeſtici tumultus, belláque ciuilia: inde ad extremum occaſus & interitus rerumpub. Cui malo ita tu facilè obſiſtes: ſi primum leges quaſdam, cum naturæ & omnis honeſti legibus pugnantes, publico Reipub. ſancito ſuſtuleris: ſi licentiæ frena impoſueris: ſi à fœcibus externis, quæ hanc Rempubli. iam olim turpiter defædant, regnum maturè expurgaueris: ſi nullum vitium impunitum, nullam virtutem præmio non affectam eſſe volueris: ſi bene-

meritos homines, ampliſsima dignitate, ſummíſq; honoribus ornaueris: ſi robuſtos clamatores, quos Demoſthenes ac tota Græcia δημαγωγοὺς vocat, contemſeris: ſi facinoroſis merita ſupplicia irrogaueris: ſi ius ſuum cuiq. reddideris: ſi Tros Tyriúsque tibi in tanta nationum, quibus præes, diuerſitate, iuxta Pòétæ dictum, nullo agetur diſcrimine; ſed veluti ſol quidam benignus, ex æquo te omnibus nobis amandum & fruendum exhibebis: ſi ſacroſanctis ECcleſiis Epiſcopos integerrimos & doctiſsimos præfeceris: publicas præfecturas præfectis innocentiſsimis viris, qui non ambitione certent, ſed dignitate & merito gradum ſibi ad veram laudem cõparent, non tam ad humana varia & incerta iudicia, quàm ad vnctionis ipſius ſpiritusq. ſancti, qui tuo muneri aſtat, internum inſtinctum contuleris: aulam militésque tuos, quod facis, quòdq. etiam atque etiam in tanta licentia, morumque diſſolutione facere debes, in officio continueris: ſi ipſe denique omnes eas virtutes atque ſenſus, quos ad regnum & imperium hoc, Dei immortalis munere, tanquam pulcherrimam quandam & ditiſsimam dotem affatim attuliſti, ſacroſanctè conſeruaueris: religionem, inquam, pietatem, zelum decoris domus Domini, iuſtitiam, animi æquitatem & moderationem, manſuetudinem & obedientiam, morum ſynceritatem cum ſumma grauitate coniunctam, grataq. lenitate conditam, amorem in tuos, in condonandis iniuriis planè inuictum & incomparabilem, verè Stephano dignum, qui nouerat aliquando etiam pro perſecutoribus exorare, animum, omnem deniq. honeſtatem & vitæ continentiam, pauperum & orphanorum curam, & ſolicitudinem ac reliquas innumerabiles dotes conſeruaueris: neque eam animi tui conſtantiam ſuo loco vnquam dimoueri paſſus fueris. Quibus quidem virtutibus, ita vſque adhuc abundas; vt non cum Regibus tantùm, aut aliis tui ordinis & conditionis hominibus; ſed cum ipſis etiam in eo genere virtutum perfectis certare poſsis. Nec modò ab his nulla vnquam ratione te deterreri patieris, ſed augebis etiam & cumulabis; vtque extrema conueniant primis, etiam atque etiam vehementer elaborabis; memor illius pulcherrimi D. Baſilii dicti: μὴ προκόπτειν ἐστὶν ἀποκόπτειν. hoc autem eſt, vt ſanctus interpretatur Leo: Non proficere, deficere eſt. Nunc autem, ſapientiſsime REX, illud apud te ſtatue, atq; ita iudica, hanc ipſam pulcherrimam mulierum, cuius nunc veriſsimos colores, atque ornamenta, ex quibus illa cognoſci poſsit, refero atque explico, non tam à me, quàm ab ipſo Ieſu Chriſto in cruce pendente, in qua illa ex eius latere aperto, tanquam altera Eua ex coſta Adæ, profluxit, ac progenita, eiúſque ſanguine, qui inde manauit, ſanctificata atque lota eſt; illis verbis, quibus quondam dilecto diſcipulo ſuo, matrem ſuam Ioanni commendauit, nunc tibi itidem commendari, STEPHANE Rex inclyte: ECCE MATER TVA, quæ te in lauacro fontis, cœlorum regno genuit: quæ catholicè & orthodoxè educauit: quæ ſingulis annis corpore & ſanguine ſponſi ſui Ieſu Chriſti paſcit & reficit: quæ in maximum REgem & Principem vnxit. Accipe igitur illam in tuam, vt quidem iam olim accepiſti & adamaſti, & à cuius conſtanti amore & dilectione, non

te Docto-

te Doctorum errantium, toties tua cauſa nequidquam collecta impia manus, non patriæ communis contagio, non æqualium quondam cauillationes ac conuitia, non ambitio vlla, principatúsque cupido, non ciuium ardor, vt inquit ille, praua iubentium, non inſtantis vultus tyranni abducere potuerunt vnquam. Et mortui ſunt illi, qui quærebant animam tuam; tu tamen viuis. viuis, imò & feliciſsimè victor & triumphator magnificus regnas: & tam diu viues,& regnabis, dum iſtum præſtantiſsimum animum erga Chriſtum, qui te in partẽ vnctionis ſuæ vocauit, coronáque gloriæ, & victoriæ induit, eiusque vnicam ſponſam geres. Scitum eſt illud & memorabile, dum ad Polocenſe bellum proficiſcebamur, factum tuum. Ardebant tunc initio belli omnium animi, in apparatúq. tantæ obſidionis occupati erant, omnia tunc alia quiſque cogitabat,cùm tu de medio illo itinere, diuino ac cœleſti quodam furore percitus, Collegii ſancti Patres, dimidiata ferè cum illis pecuniola, quæ tum victus præſentis, in ærario ſatis exigua pro infinitis illis ſumptibus fuit, in Tranſyluaniam germanam patriam tuam, fundandæ Catholicæ religionis cauſa miſiſti. Cuius diuini tui facti eum fructum cepiſti; vt & tu pulcherrima & optatiſsima victoria potitus ſis, & illi Chriſto domino nobilẽ prouinciam tuo ſtudio adiecerint: illudq. magnificè comprobatum eſt, primùm quærendum eſſe regnum Dei, & omnia adiici nobis. Mactè igitur ea pietate & amore erga Deum, & veram Eccleſiam Ieſu Chriſti eſto, nihilque aut publicè aut priuatim vtile eſſe cuiquam cenſeas, quod cum illius incommodo ac dedecore ſit coniunctum. Errant enim, errant vehementer plerique Principes Chriſtiani, qui vulneribus illius ſuarum rerumpub: vulnera ſanari poſſe putant: eius perturbatione ſuam pacem tuentur: eius paupertate ſuas diuitias augent. Regnum ſiquidem Chriſtianum,illa infelice, felix eſſe nõ poteſt: pendent enim à diuinis res humanæ. illas ſi contemnamus, has non facilè tuebimur: illæ ſi labefactentur, hæ ſtatim corruent. Et cùm vera Eccleſia nihil aliud ſit, quàm regnum illud cœli, de quo prædixit Daniel: In diebus autem regnorum illorum ſuſcitabit Deus regnum cœli,quod in æternum nõ diſsipabitur,& regnum eius alteri populo non tradetur:cõminuet autem & conſumet vniuerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternũ. Cui regno omnia regna ſubiecta eſſe debuerunt,cuius regni cætera membra & particulæ quædam ſunt. Qui totum igitur illud violauerit, infecerit, profanauerit,partes item ſanas & incolumes nullo modo tueri ac ſuſtinere diu poterit vnquam. Probauerunt hoc Aſię regna,probauerunt Græciæ, idque magna rei Chriſtianæ inclinatione & ruina. Sed & noſtros vicinos, atque adeò nos ipſos, iſta ipſa nimia, ſi diis placet,prudentia,quàm parum ſuperioribus temporibus iuuerit, quàm parum bonæ nobis frugis attulerit,experti ſumus,ac indies magis ac magis experimur. Eos inquam, Principes tali ſenſu præditos, REX prudentiſsime, imitari noli; ſed illos potiùs, quibus cum tibi multa communia ſunt, Machabæos, inquam, viros fortiſsimos, de quibus illud ſcribitur: Dixit autem Iudas, & fratres eius: Ecce contriti ſunt inimici noſtri: aſcendamus nunc mundare ſancta,

& renouare. Dauidem autem, vel inprimis regem pientiſsimum: de quo, itidem pace ſimiliter potito, locúmque domino atque tabernaculo eius quærente, cultúmque eius ſollicitè cogitante, illud narrat ſcriptura: Iurauit domino Dauid, votum vouit Deo Iacob. Si introiero in tabernaculum domus meæ: ſi aſcendero in lectum ſtrati mei. Si dedero ſomnum oculis meis: & palpebris meis dormitationem. Et requiem temporibus meis; donec inueniam locum domino, tabernaculum Deo Iacob. Pro quo tam præſtanti ac pleno pietatis ſtudio, illud viciſsim audiuit: Iurauit dominus Dauid veritatem, & nõ fruſtrabitur eum: de fructu ventris tui, ponam ſuper ſedem tuam. Si cuſtodierint filii tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea hæc, quæ docebo eos. Et filii eorum vſque in ſeculum, ſedebunt ſuper ſedem tuam. Quoniam elegit dominus Sion: elegit eam in habitationem ſibi. Hæc requies mea in ſeculum ſeculi: hîc habitabo quoniam elegi eam. Viduam eius benedicens benedicam: pauperes eius ſaturabo panibus. Sacerdotes eius induam ſalutari: & ſancti eius exultatione exultabunt. Illuc producam cornu Dauid: paraui lucernam Chriſto meo. Inimicos eius induam confuſione: ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea. Quid magnificentiùs, quid illuſtriùs, quid ſalubriùs, quid optabiliùs tantis promiſsis eſſe poteſt? Sed longè magis ipſa promiſſorum munificentiſsima exhibitione. Quæ eadem omnia eos manent omnes, qui eandem virtutem & pietatem ſimili ſtudio coluerint, ac conſectati fuerint. Quorum enim facta imitamur, eorum coronas, præmia, & merita iure expectare debemus. Et ſedebit Rex STEPHANVS felix, ac Deo dilectus in domo ſua, & dominus dabit ei requiem vndique ab omnibus inimicis ſuis, ſenex plenus dierum, conſtituétque filium ſuum ſuper Iſraël. Quod tibi Magnanime Rex pro tua ardenti pietate, aliiſque præſtantiſsimis meritis, tribuat pater omnipotens, fiat, fiat. REX IN AETERNVM VIVE, tuúmque Socolouium ama & foue. Cracouiæ Idib. Febru. 1582.

SVMMA EORVM CAPITVM, QVÆ in his libris continentur.

Capita Libri Primi.

EA ſigna, quæ hæretici veræ Eccleſiæ indicia ſtatuunt, vera ſigna non eſſe. Caput I.

Cur ſupradicta ſigna, neque à ſacra ſcriptura, neque à ſanctis Patribus inter notas veræ Eccleſiæ cenſeantur. Caput II.

Supradicta ſigna, etſi veræ notæ Eccleſiæ Dei non ſint, magis tamen Eccleſiæ Catholicæ, quàm ipſis eorum auctoribus conuenire, & inprimis ſanam Euangelij doctrinam. Caput III.

Verum

Verum Sacramentorum vſum, quem ſecundam notam iſti eſſe dicunt, magis Eccleſiæ Catholicæ, quàm illorũ cœtibus conuenire. Caput IIII.

Capita Libri Secundi.

VErorum Eccleſiæ Dei ſignorum partitio. Caput I.

Ea indicia quæ in ſacro ſymbolo continentur, veras Eccleſiæ Dei notas eſſe. Caput II.

Prima ex ſacro ſymbolo nota explicatur: Eam veram Eccleſiam, quæ ſit Vna. Caput III.

Secundæ notæ explicatio: Illam veram Eccleſiam eſſe, quæ ſit Sancta. Caput IIII.

Tertiæ notæ explicatio: Eam eſſe veram Eccleſiam, quæ ſit Catholica. Caput V.

Quartæ notæ explicatio: Eam veram Eccleſiam eſſe, quæ ſit Apoſtolica. Caput VI.

Capita Libri Tertii.

PRimum inſigne veræ Eccleſiæ: Præſentia Spiritus ſancti. Caput I.

Secundum inſigne: Ad formas & ſpecies eius, in ſcriptura adumbratas, conuenientia & conſenſus. Caput II.

Tertium inſigne: Filiæ regis obedientia ad legem primam, hoc eſt, ad legem naturæ. Caput III.

Quartum inſigne: Vbertas donorum Spiritus ſancti. Caput IIII.

Quintum inſigne: Incorrupta per omne ævum fundamentorum religionis chriſtianæ conſeruatio, atque eius documentorum. Caput V.

Sextum inſigne: Veri cultus diuini perpetua conſeruatio. Caput VI.

Septimum inſigne: Ordo à Chriſto Domino & eius Apoſtolis deſignatus & inchoatus, vſque ad hanc ætatẽ integer conſeruatus. Cap. VII.

Octauum inſigne: Communionis ſanctorum ſenſus & conſenſus. Caput VIII.

Nonum inſigne: Virtus miraculorum. Caput IX.

Decimum inſigne: Lumen & veritas Prophetiæ. Caput X.

Vndecimum insigne: Præsens vbique & perenne Dei adiutorium. Caput XI.

Duodecimum insigne: Opportuna & salutaris correctio ac depressio. Caput XII.

Tredecimum insigne: Perpetuus in melius profectus. Caput XIII.

Quatuordecimum insigne: Nouitatem omnem fugere, ac suspectam habere, venerandæ autem vetustati in omnibus adhærere. Caput XIIII.

Quintumdecimum veræ Ecclesiæ insigne: Extrema non sequitur, medio tutissima incedit. Caput XV.

Sedecimum Ecclesiæ insigne: Perpetuum contra illam omnium hæreticorum & schismaticorum bellum ac impugnationes. Caput XVI.

Decimumseptimum insigne: Quòd sit canõ & regula omnis veritatis; & quòd vltimò omnes hæretici ad eam prouocẽt ac redeant. Cap. XVII.

Decimumoctauum insigne: Quòd Deus ordinauit ex eius ore audire gentes Euangelium & credere. Caput XVIII.

Decimumnonum insigne: Omnium Ecclesiarum præsentis & præteriti temporis verissimum testimonium. Caput XIX.

Vigesimum & vltimum insigne: Apostasiæ, hoc autem est ab ea defectionis præsentissima, tàm publicè quàm priuatim Dei vindicta. Caput. XX.

STANISLAI

DE VERÆ ET FALSÆ ECCLESIÆ DISCRIMINE:

Liber primus.

PROOEMION.

NON sine diuina ac cæleſti prouidentia, quæ regit Iſraël, quæ deducit velut ouem Ioſeph, eueniſſe exiſtimandum eſt; quòd poſt ſeptuplum vario & multiplici igne, hæreticorum inquam & ſchiſmaticorum impugnationibus ac calumniis, probatos omnes fidei Chriſtianæ articulos, vltimo tandem occidente ac ſeneſcente ſeculo, nouiſsimis temporibus inſtantibus, vrgente Antichriſto, hic ipſe de vera Eccleſia Dei, ſponſa Chriſti, articulus; quæ, & qualis ipſa ſit, ac vbi inueniatur, probandus, ac diſcutiendus, relictus eſſe videatur: vt tanquam impendente altero longè periculoſiore ac funeſtiore orbi rerrarum diluuio, alia arca Noë, in qua tantum effugiat naufragium, populo ſit quærenda Chriſtiano. Vt enim nihil ſalutariùs, nihil optabiliùs eſſe ſolet, quàm nocte intempeſta ingruente, ventis excitatis, tempeſtate, & procella ſæuiente, latrone, & inimico inſtante; viatori quidem vrbem & diuerſorium; naufrago portum; fugientibus ex acie, caſtra; diſiectis & errantibus nauibus, cynoſuram; diſperſis ouibus, caulas & ouilia; paulóque poſt futuram lucem, demonſtrari: ſic & nunc, ingruente ſumma illa & vltima nocte, atq; rerum omnium occaſu, quo charitas refrigeſcet, fides extinguetur, ſæuiente infeſtiſsimo latrone, & pirata Antichriſto, impendente extrema tribulationum & perſecutionum tempeſtate, per tot hæreſes & ſchiſmata, tanquam inquietiſsimos ventos, Chriſti diſiectis ratibus, inclinata acie, ouibúſq; diſsipatis, nihil magis vtile, magísque neceſſarium eſſe poteſt; quàm veram IESV Chriſti ſponſam, Vnam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam, Chriſti ouibus indicare: ne nocte intempeſta opprimantur: ne naufragium faciant: ne ſpolientur: ne aberrent: ne à lupo feroci extra caulas & ouile paſtoris ſui reperiantur; vt denique, quid in tanto errorum turbine & procella electi Dei ſequi, quid fugere debeant, recenti quaſi commoneantur præmonitione. Hæc enim eſt ciuitas illa in monte poſita: hæc eſt vrbs fortitudinis Sion, ſaluator in ea murus & antemurale, columna & firmamentum veritatis: & ideò, ne portæ quidem inferi, ipſeq; portarum dominus, Antichriſtus, contra illam præualere poteſt: intra cuius ſeptum, nemo ſpoliari, nemo decipi, aut falli ſolet. Hæc eſt tutiſsima illa ſtatio carinis, vnicúſq; portus ſalutis; in quo

Matht. 5. *Eſa. 26.* *1. Tim. 3.* *Matth. 16.*

nemo naufragium patitur, nemo perit, nisi malè & indignè vocatione sua viuat: hæc sunt castra illa Dei viuentis, quæ nullus hostis perfringere aut capere potest: hæc est fixa, nautísq; gratissima cynosura, portum naufragantibus monstrans; qua duce, nemo aberrat vnquam: hoc est illud ipsum ouile ouium, quibus anteit pastor, & oues eum sequuntur, & vocem eius audiunt; quod nullus lupus superare, nulla fera pessima adire
Ioan. 10. *Matth. 5.* potest: hæc est illa lucerna ardens, posita super candelabrum, errantibus
Isaiæ 60. viam monstrans: hæc est sancta Ierusalem, de qua Isaias: Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos; super te autem orietur dominus, & gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui: hæc est domus Dei viuentis, in qua, ex nuptiis
Lucæ 12. rediens paterfamiliâs, vbi suos inuenerit seruos vigilantes, præcinget se, & ministrabit illis: & in qua sola agnus paschalis manducatur. Extra quã ne inueniamur, ex qua ne vltimis illis nocentissimis temporibus egredia-
Matth. 24 mur, monet diligenter ipse paterfamiliâs: Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hîc est Christus, aut illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ: & dabunt signa magna & prodigia ita, vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis, Ecce in deserto est; nolite exire: ecce in penetralibus; nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab oriente, & paret vsque in occidentem; ita erit & aduentus filii hominis. Vbicunque fuerit corpus, illic congre-
1. Tim. 3. gabuntur & aquilæ. Extra hanc domum salus non est, vita non est, fides non est, iustitia non est: extra hanc veritas non est; est enim columna & firmamentum veritatis: extra hanc Sacramenta & ceremoniæ non sunt, vel si sunt, non prosunt: spes immortalitatis non est: extra hanc Spiritus sanctus nulli datur, qui illi semper assistit, eiusque propria dos est: extra hanc Christus non est; caput enim eius est: Deus non est; nam hic caput
1. Cor. 11. Christi est. In hunc enim modum eam catenam nectit Paulus: Volo autem vos scire, quòd omnis viri caput, Christus est; caput autem mulieris, vir; caput verò Christi, Deus. Extra hanc qui est, tanquam ethnicus & publicanus est: extra hanc virtus non colitur, & si colitur, non prodest.
Epist. 152. ad Donatistas. Quisquis ab Ecclesia Catholica, inquit Augustinus, fuerit separatus, quantumùis laudabiliter se viuere existimet, hoc solo scelere, quòd à Christi v-
Epist. 170. ad Seuerinum. nitate diuisus est, non habet vitam, sed ira Dei manet super illum. Hanc neminem ignorare debere, monet idem Augustinus. Vt autẽ hanc nemini
Cantic. 6. ignorare licet; ita eius cognitio est difficilima. SEXAGINTA SVNT, INQVIT SCRIPTVRA, REGINAE, ET OCTOGINTA CONCVBINAE, ET ADOLESCENTVLARVM NON EST NVMERVS. VNA EST COLVMBA MEA, PERFECTA MEA: VNA EST MATRIS SVAE, ELECTA GENITRICI SVAE. Octoginta fuerunt vsque ad tempora Epiphanii hære-
In Epist. ad vitam solitariam agentes ses: ducentas suo iam demum tempore numerat Picus Mirandulanus: consecutæ sunt postea infinitæ ac inenumerabiles aliæ: exoriuntur item in dies magis ac magis aliæ, ita, vt bellè Athanasius semper, primæ secundam dicat succedere: & secundæ tertiam: & sic deinceps, ita vt sem-

per

per posterior priore sit deterior. Nulla tamen ex his fuit, ac ne nunc quidem in tanta earum multitudine est, quæ se non illam vnicam columbam atque dilectam esse dicat: quæ non vultum, aspectum, incessum, gestum, ornatum, vestitum eius sibi affingat atque repræsentet. Quis igitur in hac varietate tanta non aberret? quis id, quod verum est, facilè sine duce inueniat? quis non hæsitet? Itaque longè clariùs, teste Augustino, veteres Prophetæ, sanctique Apostoli, támq. prisci, quàm huius seculi Doctores, de ipsa Ecclesia Christi scripserunt, atque prædixerunt, quàm de ipso sponso eius Christo Iesu: Plures illius imagines, colores, ornamenta, ex quibus cognosci ac diiudicari possit, adumbrauerunt, quàm ipsius spõsi, quem in ædibus sponsæ facilè inueniri posse iudicauerunt.

Sequemur igitur & nos hos ipsos præstantissimos ac sanctissimos duces, sed longis pòst passibus: ac quæ sit hæc ipsa pulcherrima mulierum, inquiremus. Quæ item inter tot regis Salomonis reginas, & tot concubinas, tam multas inquam & tam varias & pugnantes seculi huius sectas atque hæreses, vna columba eius, perfecta eius, vna matri suæ, electa genitrici suæ, priusquàm tanta tamque horrenda nox incumbat, docebimus. Qui conatus noster, vt meliùs & fructuosiùs succedat, cum seruo illo, quem ad quærendam & accipiendam sponsam filio suo, primus pater credentium Abraam miserat, patrem Domini mei occurrere nobis hodie precor; vt facere nobiscum misericordiam velit, indicétque nobis puellam, quam præparauit seruo suo Isaac; vt per hoc intelligamus, quòd fecerit misericordiam nobiscum. Pius autem lector, nos, qui tantum opus aggredimur, eodem prosequatur voto: DOMINVS mittat angelum suum coram te, vt inuenias sponsam, & vxorem filii eius. *Gene. 24.*

Ea signa, quę Hęretici verę Ecclesiæ INDICIA STATVVNT, VERA signa non esse.

Caput I.

VBI igitur pascat, vbi cubet, pulcherrima hæc mulierum, inquiramus; ne post greges alienarum vagari incipiamus: idque ea ratione, vt primùm simpliciśimè ea signa (quæ isti, qui falsò sibi nomen Ecclesiæ vendicant, comminiscuntur) referamus ac confutemus: illudque doceamus, neque hæc vera signa veræ Ecclesiæ esse; & si sint, magis tamen Ecclesiæ Catholicæ, quàm istis conuenire: deinde ipsi veras & proprias eius notas & insignia, quibus sacra scriptura, quibus omnes vniuersales Synodi, quibus Patres, quibus vniuersa vetustas vsa est, in medium proponamus. Nam cùm isti animaduertissent eas notas, quibus *Cant. 1.*

bus Apoſtoli, apoſtoliciq. viri, atque adeò omnis antiquitas, veram à falſa diſtinxit Eccleſiam, ſuis ſectis & hæreſibus cõuenire non poſſe: alia ſigna, aliasq. notas, quæ illorum cœtibus vtcunq; accomodari poſsint, quærendas ſibi exiſtimârunt: in quibus aſtruendis, idem illis euenit, quod in cæteris ferè omnibus; vt primùm à nobis ac vniuerſa vetuſtate recedãt, deinde ipſi ſecum nõ conueniant. A nobis quidem recedunt, dum alia quædam & nuſquã antea cuiquam audita ſigna referunt: ſecum autẽ diſsident, dum alii alia ſequuntur. Quidam enim vnũ ſolum verę Eccleſię Dei ſignum eſſe ſtatuunt, perfectam ſcilicet populi Dei ſanctitatem, innocẽtiam, ac vitæ integritatem: vt illa demum vera ſit Eccleſia, in qua omnes à minimo ad maximum cognoſcant Dominũ: in qua omnes ſint iuſti: per quam non tranſeat incircũciſus, neq; immundus: in qua nemo peccet: quam omnes, qui viderint, cognoſcant: quòd illa ſit ſemen, cui benedixit Dominus: quæ ſit ſancta, immaculata, ſine macula, ſine ruga: quæ ſentẽtia Nouati primò, deinde Donatiſtarum, Anabaptiſtarũ deinceps fuit. Quidam duo, puram, & ſanam Euangelii doctrinã, & rectum vſum Sacramentorum, quomodo illi omnes, qui Auguſtanam ſequũtur, vel ſaltem, qui eam ſe ſequi ſimulant, opinantur: eadem Brentii, eadem Caluini, & qui eorum doctrinam imitantur, fuit ſententia. Centuriatores ad has duas addunt alias duas, perſeuerantiam in cõfeſsione fidei, vſq; ad mortem; & obedientiam, ad miniſtrũ verbi. In qua tamen ſignorũ ac ſententiarum varietate, illa duo maximè iactant, ac quaſi in prima conſtituunt acie, ac veluti Catholica veneratione precipuè colunt; Verbi dei, doctrinæq; Euangelicę, incorruptã profeſsionẽ, ac Sacramentorũ conuenientem diuinæ inſtitutioni vſum. Nos verò illud dicimus: Primùm quidem hæc talia eſſe, ſine quibus Eccleſia Dei non ſit: neque tamen hæc ideo vera Eccleſiæ Dei ſigna habenda eſſe, cùm non ſtatim ſequatur; vt, ſi quid tale eſt, ſine quo aliqua res eſſe nõ poſsit, illud eius rei nota atq. indiciũ ſit. Nam & leges, & magiſtratus, & iudicia talia ſunt, ſine quibus reſpublica omninò ſtare non poteſt: neq; tamen ideo, aut leges, aut iudicia, aut magiſtratus alicuius reipublicæ notæ & ſigna ſunt. Sic ſomnus, cibus, potus, ea quidem ſunt, ſine quibus humana natura omninò conſiſtere non poteſt; neq; tamen aut hominis, aut alicuius animantis hæc ſunt inſignia, aut propriæ notę, quin potiùs accidentia quædam, omni generi animantium cõmunia: quibus ſi quis tanquam propriis quibusdam ſignis ac notis vti vellet; hic ſtultus quidã ac mentis expers eſſe videretur. Et vitæ igitur integritas, atq; ſanctitas huic vitæ competens, & purum putumq. verbum Dei, rectusque ac legitimus Sacramentorum vſus, perſeuerantia item ac obedientia, huiusmodi quidem ſunt, ſine quibus Eccleſia Dei eſſe non ſolet; ſigna tamen Eccleſiæ Dei hæc nullo modo eſſe poſſunt: & ſi ſint, magis tamen veræ Eccleſiæ quàm iſtis, qui ſe his rebus nimis efferunt, conueniunt. Primum igitur hos ipſos, qui hæc ſigna Eccleſiæ Dei eſſe ſtatuunt, qui ſine ſcriptura quidquam dicere erubeſcunt, vel hæc ipſa ſigna, & indicia Eccleſiæ, ex eo ipſo verbo Dei, ſacraq. ſcriptura demonſtrare oportuit, ac aliquem inſignem, vel ex lege veteri, vel ex

Euangelio

Euangelio, vel ex Paulo, locum adferre; vbi clarè & euidenter hæc ipsa, quæ dicunt signa, veræ Ecclesiæ esse doceantur: cùm nihil admittendum esse tradant, quod scripturis non probetur: & quicquid sine illis dicitur, vt verbo affirmatur, ita verbo reiiciendum esse moneant: cùm nihil neque magnum, neque paruum sit, quod modò ad salùtem aliqua ratione pertineat, quod in scripturis clarè & expressè contineri non putent. Docuisset igitur insigni aliquo & euidenti scripturæ testimonio, aut vitæ integritatẽ, aut purum putúmque verbum Dei, aut legitimum Sacramentorum vsum; aut perseuerantiam atque obedientiam in fide, notas veræ Ecclesiæ esse: verùm nihil tale adferunt, neque adferre possunt. Et in eam quidem partem, quæ docet sine scripturis, sinéque vero Sacramentorum vsu, aliisque eius generis, Ecclesiam Dei non esse, sine omni negotio, plurima sacræ Scripturæ testimonia, tàm in veteri, quàm in noua lege inueniri poterunt; hæc tamen veræ Ecclesiæ signa, atque notas esse, ex quibus illa cognosci possit, nusquam scriptum reperient: quin contrarium potiùs, vbi vera sit Ecclesia, ibi hæc omnia quærenda esse; ducem & regulam, atque magistram earum rerum omnium, Ecclesiam existere. Quales sunt illi loci: Si ergò dixerint vobis, ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. Vbicunque enim fuerit corpus; ibi congregabuntur aquilæ: id est, vbi vera Ecclesia, ibi sacri Euangelistæ eorúmque interpretes, ibi verbum Dei, ibi verus Sacramentorum vsus, ibi cætera omnia. Et illud: Non potest abscondi ciuitas super montem posita. Hac ergò reperta, & leges eius, & arcana illius, & reliqua omnia ad eam pertinentia, facilè reperire licebit. Et illud Pauli: Ecclesia, inquit, quæ est columna & firmamentum veritatis. Cuius tandem veritatis? num eius, cuius sensus magister est? nequaquam; nam hæc seipsam spontè offert: an eius, quæ per demonstrationem quæritur? ne huius quidem; nam hæc philosophorum est. Illius igitur, quæ ex scripturis petitur atque confirmatur: Non scriptura igitur Ecclesiam, sed Ecclesia scripturam, tanquam columna & fundamentum omnis veritatis fulcit atque indicat. Est enim scriptura propria eius possessio: est depositum in sinu eius conditum: est semen, quo is ager cõsitus viret. Quod præclarè explicat vetustissimus Doctor Tertullianus: Deinde quoniam nihil proficiat congressio scripturarum, nisi planè, vt aut stomachi quis ineat versionem, aut cerebri. Ista hæresis non recipit quasdam scripturas: & si quas recipit, adiectionibus, & detractionibus, ad dispositionem instituti sui interuertit: & si recipit, non recipit integras: & si aliquatenus integras præstat, nihilominus diuersas expositiones commentata conuertit. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus. Variæ præsumptiones necessariò nolunt agnoscere ea, per quæ reuincuntur: his nituntur, quæ ex falso composuerunt, & quæ de ambiguitate ceperunt. Quid promouebis exercitatissime scripturarum, cùm si quid defenderis, negetur ex diuerso: si quid negaueris, defendatur? & tu quidem nihil perdes, nisi vocem in contentione: nihil consequeris, nisi vilem de blasphematione laudem. Ille verò, si quis est, cuius causa in congressum

Matth. 24.

Matth. 25.

1. Tim. 3.

Tertullianus de præscripti onibus aduersus hæreticos

„ congressum descendis scripturarum, vt eum dubitantem confirmes, ad ve-
„ ritatem; an magis ad hęreses deuerget? hoc ipso motus, quòd te videat
„ nihil promouisse æquo gradu negandi & defendendi, diuersa parte statu-
„ tum: certè & pari altercatione incertior discedet, nescіens quam hæresim
„ iudicet. Hæc vtique & ipsi habent in nos retorquere. Necesse est enim &
„ illos dicere, nobis potiùs adulteria scripturarum & expositionum eorum
„ mendacia inferri, qui proinde sibi defendant veritatem. Ergo non ad scri-
„ pturas prouocandum est: nec in his constituendum certamen, quibus aut
„ nulla, aut incerta victoria est, aut parum certa. Nam etsi non ita euade-
„ ret conlatio scripturarum, vt vtramque partem parem sisteret; ordo rerũ
„ desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est: qui-
„ bus competat fides ipsa, cuius sint scripturæ: à quo, & per quos, & quan-
„ do, & quibus sit tradita disciplina, qua fiunt christiani. Vbi enim apparu-
„ erit esse veritatem disciplinæ & fidei Christianæ; illic erit veritas scriptu-
„ rarum & expositionum, & omnium traditionum christianorum. Primùm igitur nullis sacræ scripturę locis, hæc vera Ecclesiæ Dei signa esse demonstrant, vel quæ hac sola ratione conuincuntur; quòd quicquid apud illos sine scripturis dicitur, id eadem facilitate reijci doceant, qua probatur.

Verùm age, paulò liberaliùs ac munificentiùs cum illis agamus, intráque præsidia nostra eos recipiamus. Cùmque, vt diximus, nullo euidẽti sacræ scripturæ testimonio institutum suum probare possint; doceant sanè, quod vniuersale vel particulare Concilium, quæ Synodus antiqua his signis veram à falsa Ecclesiam distinguendam esse suo canone decreuerit? quis ex veteribus patribus hæc ipsa signa Ecclesię protulit? quis contra sui seculi hæreses hoc pariete, se, Ecclesiámque suam, à sectis illorum temporum distinxit? quis limitibus istis possessionem Iesu Christi terminauit? Illud quidem docere possunt, sacram Scripturam, verúmque Sacramentorum vsum, & reliqua his similia, eos omnes in cœlum summis laudibus extulisse, principémque in omni doctrina Christiana, fidem & locum tenere docuisse, ac in refutandis omnibus erroribus sacra Scriptura, tanquam
2. *Tim.* 3. præcipua demonstratione, vsos fuisse, edoctos à D. Paulo: Omnem scripturam diuinitus inspiratam, vtilem esse ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia; vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus: signa tamen verę Ecclesię hæc esse, nusquam dixerunt, nec vsquam Ecclesias suas ab aliis Ecclesiis his indiciis distinxerunt. Pugnauerunt primis Ecclesię initiis contra Valentinum Martionem, ac reliquos Gnosticos, duo præcipua illius seculi lumina, Irenæus atque Tertullianus, multis argumentis: plurimis sacrarum literarum testimoniis, eorum errores confutârunt; nusquam tamen his signis veram Ecclesiam, quam sequebantur, ab eorum erroneis sectis separârunt; sed illis po-
Lib. 1. *cap.* 2. tiùs, vt quidem paulò pòst prolixius demonstrabimus: V. NIVERSITATE, „ inquam, Ecclesia, inquit Irenæus, per vniuersum orbem, vsque ad fines „ terrę seminata, & ab Apostolis & discipulis eorum, accipit eam fidem, quę „ est in vnum Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cœlum, & terram,

mare

mare, & omnia quæ in eis sunt: & in vnum IESVM Christum filium Dei, »
incarnatũ pro nostra salute: & in SPIRITVM sanctum &c. VNITATEM »
Ecclesia, inquit idem Irenæus, & quidem in vniuersum mundum dissemi- *Irenæus lib. 1.*
nata, diligenter custodit, quasi vnam domum inhabitans: & similiter cre- *Cap. 3.*
dit iis, videlicet quasi vnam animam habens, & vnum cor: & consonan- »
ter hæc prædicat, & docet, & tradit, quasi vnum possidens os. APOSTO- »
LICA SVCCESSIONE habemus, idem inquit, adnumerare eos, qui ab *Lib. 3. cap. 3.*
Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & successores eorum, vsque »
ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognouerunt, quale ab his delira- »
tur. Eadem omnia contra Iudæos, Hæreticósque adfert Tertullianus. Pu-
gnauit paulò pòst contra Nouatum Cyprianus. Nusquam huc prouocat,
sed illuc: Deus vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia, & cathedra vna *Cypria: lib. 1.*
super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut sacerdoti- *Epist. 8. & de*
um nouum fieri, præter vnum altare, & vnum sacerdotium, non potest. *vnitate Eccle-*
Quisquis alibi collegerit, spargit. Pugnauerunt pòst contra Arium, Euno- *siæ.*
mium, Aëtium, Photinum, Athanasius, Basilius, Nazianzenus: multa præ-
clara ex sacris Scripturis testimonia protulerunt; nullibi tamen his signis
Ecclesiam Catholicam ab illorum Ecclesiis seiunctam esse docuerunt, sed
illis potiùs quę D. explicat Basilius: Fidem autem nos, neque recentiorem *Epist. 59. ad*
ab aliis conscriptam acceptamus, neque ipsi mentis nostrę fœtus aliis ob- *Anthiochenam*
trudere audemus, ne humana putentur pietatis verba; sed quę à sanctis *Ecclesiam.*
patribus edocti sumus, ea rogantibus nos annunciamus. Est itáque Eccle-
się nostrę à patribus administrantę, etiam à sanctis patribus, qui Nicææ cõ- »
uenêre, conscripta fides; quam tametsi arbitramur oretenus & apud vos »
in vsu haberi; non tamen detrectabimus, ne desidiei crimine notemur, »
ipsa quoque verba literis annotare. Eos verò qui dicunt, erat aliquando »
tempus, quando non erat, & antequam gigneretur non erat, & quòd ex »
non existentibus factus sit, aut ex alia subsistentia esse, vel vertibilem aut »
alterabilem filium Dei dicunt, anathemate Catholica & Apostolica Eccle- »
sia condemnat. Istis credimus. Et in alio loco: Idem, inquit, sunt nostri, *Epist. 74. ad*
& vestri Doctores mysteriorum Dei, patres spirituales, qui à principio Ec- *Neocæsarien-*
clesiam nostram fundauerunt: Gregorium illum dico inprimis, & quicun- *ses.*
que ordine & successione Episcopatus vestri sedem acceperunt, alter al- »
teri tanquam sydera quædam succedentes, ac iisdem vestigiis incedentes, »
vt clarè atq; facilè dignosci possit quę suę gubernationis & administratio- »
nis signa, omnibus illis, qui eos sequi velint, reliquerint. Et in alio item: »
Nos verò illorum parentum filii existentes, qui paucis characteribus com- »
munionis nostræ symbola sanxerunt, vt à finibus terræ ad alios fines vsque »
illa circumferamus, ac omnes omnium nostrum & domesticos esse pute- »
mus, nos ipsos ab vniuersali orbe seiungamus, & neque de singularitate »
erubescemus, neque eam mutuæ concordię dissectionem, maximum no- »
bis damnum adferre existimabimus: & alia multa eius generis. Pugnauit »
cõtra Manichæos, Donatistas, Pelagianos, falsò sibi nomen Ecclesiæ vsur-
pare volentes, Hieronymus atq; Augustinus; nusquam tamen his notis &

indiciis vſi eſſe leguntur; ſed illis potiùs, quę ſepiùs inculcat Auguſtinus: Et eritis mihi teſtes ab Ieruſalem, Iudæa, & Samaria, & vſque ad extremos fines terræ. Et, Ego namque catholicam fidem profiteor, & per illam me ad certam ſcientiam peruenturum præſumo. Et alibi: Si ad Euangelium te tenes, ego ad eos me teneam, quibus præcipientibus Euangelio credidi, & iis iubentibus, tibi omninò non credam. Et: Ego verò Euangelio non crederem, niſi me catholicæ Eccleſiæ commoueret authoritas: quibus ergo obtemperaui dicentibus: Credite Euangelio; cur eis non obtemperem dicentibus mihi, noli credere Manichæo? Elige quid velis. Si dixeris, Crede Catholicis; ipſi me monent, vt nullam fidem accomodem vobis: quapropter non poſſum, illis credens, niſi tibi non credere. Si dixeris: Noli Catholicis credere: non rectè facies, per Euangelium me cogere ad Manichæi fidem, quia ipſi Euangelio Catholicis prædicantibus credidi. Si autem dixeris: Rectè credidiſti Catholicis laudantibus Euangelium, ſed non rectè illis credidiſti vituperantibus Manichæum; vſque adeò me ſtultum putas, vt nulla reddita ratione, quod vis credam, quod non vis non credam? Multò quippe iuſtiùs & cautiùs facio, ſi Catholicis, quoniam ſemel credidi, ad te non tranſeo, niſi me non credere iuſſeris, ſed manifeſtiſsimè ac apertiſsimè ſcire aliquid feceris. Quocirca ſi mihi rationem redditurus es, dimitte Euangelium. Si ad Euangelium te tenes, ego ad eos me teneam, quibus præcipiẽtibus Euangelio credidi: & his iubentibus, tibi omninò non credam. & alia his ſimilia. Quæ omnia ſi recenſere vellem, integri illorum mihi deſcribendi atq; huic loco inſerendi eſſent libri. Nuſquam ígitur Scriptura, nuſquam ſacrę Synodi, nuſquam ſancti patres, hæc indicia Eccleſię, hásque notas eſſe docuerunt: non quòd plurimum hæc non valeant, aut quòd ſacro ſancta non ſint, non quòd ſumma & prima earum maieſtas & autoritas in Eccleſia eſſe non debeat, non quòd ad confutandas omnes hæreſes, omnésque errores plurimum non valeant, non quòd omnis veritatis & gratiæ fundamenta & principia non ſint, non quòd Eccleſia Dei ſine illis rectè conſiſtere non valeat; ſed quòd omninò eius ſigna & notę proprię eſſe non poſsint: hócque cum vi & natura earum pugnet.

Contra Donatiſtas vbique.

Contra Epiſt. fundamenti Cap. 4.

Cur ſupradicta ſigna, neque a ſacra Scriptvra, neqve a sanctis patribus inter notas veræ Eccleſiæ cenſeantur.

Caput II.

Quinque



QVINQVE sunt earum rerum, quæ vera & propria signa & notæ esse debent, sapientissimorum hominum iudicio, leges, atque conditiones.

Primùm, vt natura sua cognitæ, perspectæ, & euidentes sint. quę enim obscura sunt, illa rebus obscuris, & quæ cognosci debent, nullam lucem adferre possunt: neque verò doctis & eruditis tantum cognitæ sint oportet; sed rudibus etiam atque idiotis longè magis notę esse debent: nam vt argumenta & demonstrationes pro doctis comparata sunt; ita signa & indicia, indoctis & rudioribus, qui intima & penetralia rerum, propter ingenii imbecillitatem ingredi nō possunt, deseruiunt.

Secundò, vt ea ipsa re, quam demonstrare ac denotare debent, longè sint clariores, longè illustriores. nam si vel magis ignotę, vel æquè obscuræ erunt; nullo modo ad eius rei cognitionem, cui indicandę comparatæ sunt, nos deducere poterunt.

Tertiò, ne communes sint multis: & quas sibi æquè res aliæ omnes, vt illa, ad quam significandam & inuestigandam comparatæ sunt, vendicare non possint: in descriptione enim rei cuiusque, propria differentia, finem & discrimen causæ imponit: nam si ex æquo omnibus inseruient; tum non amplius propria signa, sed communia accidentia censeri debebunt; quale est hoc, hominem duos oculos habere.

Quartò, vt vbicunque signum & vestigium illud sit; ibi rem necessariò esse oporteat: vbi non sit, ne rem quidem ipsam esse: quomodo vbi lux est, corpus quod luceat, esse necessarium est: vbi absit, ne lucem quidem esse.

Vltimò, vt non tantùm signum illud cognitum sit; sed illustre etiam, & propalam ac in aperto positum, ita, vt se primo aspectu spectantibus offerat, hoc est, vt non in penitiori aliquo recessu lateat; sed in ipso quasi primo ingressu, & vestibulo rei positum sit; ac planè oculis etiam ipsis se insinuet.

Cùm igitur signa & indicia Ecclesiæ Dei quærimus, talia quærimus, quæ eam omnibus demonstrent, ac quasi digito indicent: & per quæ non ab his tantùm, qui CHristo nomina sua dederunt, quique in ea nati & instituti sunt; sed etiam ab aliis omnibus ipsisque adeò Iudæis, atque gentilibus, vniuersisque linguis, & nationibus, quicunque modo aliquando ad illam redire, in eius sinum se recipere, ac in leges ac iura illius concedere velint, cognoscatur. Signa enim omnibus exposita & omnibus nota esse conuenit, qualia sunt acierum signa, ciuitatum insignia, regum sigilla. Quod igitur verum signum esse debebit, non quidem qualecunque; sed illud quod Aristoteles τέκμαρ, hoc autem est, finem controuersiæ faciens, vocat, omnes eas signi conditiones, quas diximus, habeat oportet. Cùm autem neque scripturæ, neque vero & legitimo sacramentorum vsui, neq; aliis supradictis hæc conuenire vllo modo possint; signa profectò Ecclesię Dei,

ſię Dei, hæc nulla ratione eſſe, aut dici poterunt. Nam primùm quidem hæc, non vulgo tantùm & hominibus popularibus; ſed ne doctis quidem, ac benè eruditis omnibus cognita ac perſpecta ſunt. Vt enim à verbo Dei, eiusque germano ſenſu ordiar, hunc non ita clarum eſſe, vt iſti putant, primùm Saluator ipſe docet, dum illud theſauro in agro abſcondito confert, ex quo non quiùis, ſed doctus tantùm, in regno cœlorum ſcriba proferat noua & vetera. Ideóque non ſimpliciter legendas ſcripturas; ſed diligenter perueſtigandas atque perſcrutandas eſſe monet: Scrutamini, inquit, ſcripturas; illę enim teſtimonium perhibent de me. Deinde hoc idem D. IOANNES ſignificat, dum ſacram ſcripturam libro ſcripto intus & foris ſignato ſigillis ſeptem comparat: ET vidi, inquit, in dextera ſedentis ſuper thronum, librum ſcriptum intus & foris, ſignatum ſigillis ſeptem. Et vidi angelum fortem & prædicantem voce magna: Quis eſt dignus aperire librum, & ſoluere ſignacula eius? Et nemo poterat neque in cœlo, neque in terra, neque ſubtus terram aperire librum, neque reſpicere illum. Et ego flebam multùm: quoniam nemo inuentus eſt aperire librum, nec videre eum: & vnus de ſenioribus dixit mihi: Ne fleueris: Ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & ſoluere ſeptem ſignacula eius. Quem non alium librum fuiſſe, quam Euangeliorum quatuor, ſcriptorúmque Apoſtolicorum ipſe interpretatur IOannes. Et vidi: Et ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio ſeniorũ agnum ſtantem tanquam occiſum. &c. Manifeſtiùs hoc idem verba D. PETRI docent: Hoc primùm intelligentes, quòd omnis prophetia ſcripturę propria interpretatione non fit, non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines. Sed quid opus eſt in re clara multis argumentis, cùm inter tot hæreſes nulla ſit, quæ ſibi verbum Dei, eiúsque verum & germanum ſenſum, non vſurpet: vbi tamen hoc ipſum verbum Dei, aut hic eius verus ſenſus ſit, non ita facilè eſt iudicare: plurimíque ad hunc lapidem etiam docti nonnunquam offendunt. Ita vt præclarè quidam ex veteribus verbum Dei, ſacrámque ſcripturam, pulcherrimę imagini ſimilem eſſe dixerit, quæ vnum quidem verum & proprium aſpectum habeat, ſoli ipſius artifici Spiritui ſancto, & Eccleſiæ Dei cognitum; ita tamen affecta ſit, vt ex quacunque parte quis conſtiterit, eum aſpicere videatur. Non eſt igitur clara ratio ſacrę ſcripturę, ſed & vſus ſacramentorum eodem modo: de quibus itidem iudicare & ſtatuere non omnium, ſed paucorum eſſe docet D. Paulus. Sic nos, inquit, exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Hîc iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur: nam & illud, qui iuſti, & ſancti in hac vita ſint, quod iſti non pro mediocri ſigno ponunt, adeò eſt obſcurum, adeò ſoli Deo cognitum; vt in hoc iudicio, etiam ipſi ſancti, & electi Dei, aliquando lapſi eſſe videantur, illíq; qui certò ſpiritu Dei agebantur. Putabat quodam tempore magnus ille Elias, inter tot vitia & ſcandala, ſolum ſe iuſtum, verúmque Dei cultorem relictum eſſe: at audit: Reſiduos, inquit, ſeruaui mihi in Iſraël ſeptem millia virorum

Math. 19.

1. Cor. 4.

3. Reg. 19.

virorum, quorum genua non sunt curuata ante Baal, quorum omnium os non adorauit eum, osculans manum suam. Putabat Ionas propheta in ciuitate infideli Niniue, cui nomine diuino certum denunciârat interitum, nullum fuisse, qui dignus esset placare iram omnipotentis Dei; donec ab illo, cuius oculi vident æquitatem, audit: Tu doles super hederam, in qua *Ionæ 4.* non laborasti, neque fecisti, vt cresceret, quæ sub vna nocte nata est, & sub vna nocte periit; & ego non parcam Niniue ciuitati, in qua sunt plus quàm centum viginti millia hominum, qui nesciunt, quid sit inter dexteram & sinistram suam, & iumenta multa? Itáque rectè monet D. PAulus. Nolite, inquit, ante tempus iudicare, quoadusque veni- *1. Cor: 4.* at Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo.

Primùm igitur eam ob causam hæc vera Ecclesiæ Dei signa nullo modo esse possunt, quòd non sint ita clara & euidentia, vt ab omnibus facilè cognosci ac discerni possint: sed neque ea ipsa re, ad quam designandam & demonstrandam sunt instituta, clariora. Nam cùm Ecclesia Dei, ciuitas sit quædam, & respublica rectè ordinata, scriptura verò ac verbum Dei, sit eius ciuitatis lex, atque ius, sacrameuta autem, depositum atque thesaurus quidam teste D. Paulo; quis non videt ciuitatem quamque, *1. Tim. 6.* atque rempub. ipsam cuique notiorem esse: quàm eius leges, atq. arcana, ac penitiora ornamenta? eius item opes, atque depositа, quę plerunque ne ciuibus quidem ipsis omnibus cognita esse solent? Quot enim in repub. inueniuntur, qui eius iura, leges, institutáque ignorant: quibus neque mores maiorum, neque vetera monimenta, neq; sanctiones vllę sunt cognitę? qui eius sanctiores thesauros, atque depositа, atque adeò res pretiosissimas, donaria, arcana, antiquitates, ne viderunnt quidem vnquam? multi priùs de vita decedunt, quàm hæc, vtrum sint, cognouerint. Neque igitur nota ista aut perspicua sunt; neque omninò ea ipsa re, ad quam designãdam ab istis referuntur, notiora; sed neque talia, quæ multis communia non sint, & quæ aliò transferri non possint, quæ denique non sibi omnes ex æquo vsurpare possint. Nulla fuit vnquam, tam fœda, tam absurda, tam præpostera, tam impia hæresis, quæ sibi, & pro se scripturas non vsurparet: quę vero Sacramentorum vsu nõ gloriaretur. Monstra hominum potiùs quàm homines erant, Valentinus, Martion, Manichæus: quos cùm ob absurditatem doctrinę, tùm ob impuritatem vitæ apostatas veritatis, & serpentis aduocatos, pandoras, sophistas, peruersissimos, non homines, sed muta animalia, hominum vmbras præferentes, pepones denique, Homerico vocabulo vsus, vocat Irenæus: agrestes, & inanes amigdalas, a- *Ireneus lib. 1.* dulterantes veritatem, regulæ Ecclesię fures, principes ac duces mysteri- *cap: 5.* orum impiorum, animalia immunda, quæ bifidas quidem habent vngulas, minimè autem ruminant, Clemens Alexandrinus: vaniloquos, men- *7. Stroma.* tis seductores, Christũ mercantes, verbi Euangelici caupones, sycophantas, fructus mortiferos, progeniem maledictam, inimicos crucis Christi, ramos eorum, qui Dominum gloriæ occiderunt, prophetarum interfecto-

res, malas herbas, feros homicidas, sementem diaboli nequam, inimici seminarium, cippos & sepulchra mortuorum, malos operarios, canes mutos, serpentes se contrahentes, dracunculos squamosos, aspides, basiliscos, scorpiones, thòés astutos, & simias hominũ imitatrices, Ignatius: Non homines, sed feras crudeles in humana figura, lupos pernicioſos, diaboli organa & iræ filios, Clemens Romanus: Borborianos, Coddianos, Stratioticos, Phibionitas, Barbelitas, Barbeliotas, Epiphanius appellare solent. Hos tamẽ omnes, & si nihil præter nomen Christi habẽtes, propheticis sententiis, Euangelicis dictis, Pauli doctrina, sua dogmata confirmasse, testis est Irenæus. Fide, inquit, digna aptare conantur, his, quæ dicta sunt, vel parabolas dominicas, vel dictiones propheticas, aut sermones apostolicos, vt figmentum illorum, non sine teste esse videatur: ordinẽ quidem & textum literarum supergredientes, & quantum in ipsis est, soluentes membra veritatis. Transferunt autem & transfingunt, & alterum ex altero facientes, seducunt multos ex his, quæ aptant ex diuinis eloquiis, malè composita phantasmata. Similia facientes his, qui cõtrouersias sibimetipsis quaslibet proponunt: pòst deinde conantur Homericis versibus meditari eas, ita vt idiotę putent, ex illa temporali declamata controuersia, Homerum versus feciſſe: qui autem scit Homerica cognoscat quidem versus, argumentum autem non cognoscet. Et Tertullianus item: Scripturas, inquit, obtrudunt, & hac sua audacia statim quosdam mouent: in ipso verò congressu, firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt. Et paulò pòst, de hoc toto genere, tàm scripturę quàm Sacramentorum fusiùs. Nec periclitor dicere, ipsas quoq; scripturas sic esse ex Dei voluntate disposita; vt hæreticis materias subministrarent, cùm legam, oportere hæreses esse, quæ sine scripturis esse non possunt. Sed quæritur, à quo intellectus interpretetur eorum, quę ad hæreses faciant? A diabolo scilicet, cuius sunt partes interuertendi veritatem: qui ipsas quoq; res Sacramentorum diuinorum, in idolorum mysteriis æmulatur. Tingit & ipse quosdam, vtique credentes & fideles suos: expiationem delictorũ de lauacro repromittit, & sic adhuc initiat Mithrę: signat illic in frontibus milites suos: celebrat & panis oblationem: & imaginem resurrectionis inducit; & sub gladio redimit coronam. Quid, quòd & summum pontificem in vnius nuptiis statuit? Habet & virgines, habet & continentes. Cæterùm, si Numæ Pompilii superstitiones reuoluamus, si sacerdotalia officia insignia, & priuilegia, si sacrificantia ministeria, & instrumenta & vasa ipsorum sacrificiorum, ac piaculorum, & votorum curiositates consideremus; nonné manifestè diabolus morositatem illam Iudæę imitatus est? Qui ergo ipsas res, de quibus Sacramenta Christi administrantur, tam æmulanter adfectauit exprimere in negotiis idololatriæ; vtiq; & idem, & eodem ingenio gestiit, & potuit instrumenta quoque diuinarum rerum, & Sacramentorum christianorum, sensum de sensibus, verba de verbis, parabolas de parabolis, prophanè & æmulè fidei attentare. Et ideò, neque à diabolo immissa esse spiritualia nequitiæ, ex quibus etiam hæreses veniũt, dubitare

Epist. ad Trali. & ad Philad. & ad antioch.

Lib. 1. contra hæres. 26.

Lib. 1. cap. 1.

De præscriptionibus aduersus Hæreticos.

dubitare quis debeat: neque ab idololatria distare hæreses; cùm & autho- »
ris, & operis eiusdem sint, cuius & idololatria: Deum aut fingunt aliũ ad- »
uersus creatorẽ: aut si vnicum creatorẽ cõfitentur, aliter eũ differunt, quàm »
in vero est: Ita omne mendacium de Deo, variatio quodam modo sexus est »
idololatrię. Hæc ille. Martionẽ vniuersum Euangeliũ Lucę, omnésq. Pauli Epistolas ad suum dogma ita transtulisse, vt putares id Lucã, aut Paulum loquutum, quod ipsi nunquam locuti sunt, demõstrat grauissimus author Epiphanius. Manichæus se Spiritum paracletũ esse verbis Domini auditoribus suis probabat: Paracletus autẽ Spiritus sanctus, cùm venerit, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia. Et illis item: Mittam vobis Spiritum paracletũ de cœlis. &c. Marcus, à quo Marcosiorum sectam fuisse deductam, testatur Epiphanius, se scientissimum ac perfectissimum, & virtutem maximam esse, ab inuisibilibus, & inenumerabilibus cœlestibus delapsum locis, sceleratus impostor, referente Irenæo, iactabat. Helcesaitę, Origenis tempore, non tantùm præsentibus sacræ Scripturę libris erant contenti; sed librum etiam de cœlis delapsum se habere, & circumferre prædicauerunt: quem qui legisset, & credidisset; aliam longè remissionẽ peccatorum acciperet ab ea, qua Christus peccata remisit. Simon magus, à multis quasi Deus glorificatus est, inquit Irenæus, & docuit semetipsum esse, qui inter Iudæos quidem, quasi filius apparuerit, in Samaria autem quasi Pater descenderit, & in reliquis verò gentibus, quasi Spiritus sanctus aduentauerit. Esse autem se sublimissimam virtutem, hoc est, eum, qui sit super omnia Pater, & sustinere ad extremum vocari se, quodcunque eũ vocant homines. Martionis discipuli, perfectos seipsos appellabant, quasi nemo possit exæquari magnitudini agnitionis ipsorum: nec si Petrum aut Paulum dicas, vel alterum quempiam Apostolorum; sed plus omnibus se cognouisse, & magnitudinem agnitionis illius, quæ est inenarrabilis virtutis solos ebibisse. Quòd si tam perditi & absurdi homines verbo Dei abutebantur tantum, atq; facilè suas nugas probabant; quid de Ario, Eunomio, Macedonio, dicemus? Nestorius sacram Scripturam se primum, & solum intelligere, & omnes eos ignorasse iactabat, quicunque ante se magisterii munere præditi, diuina eloquia tractauissent: vniuersos scilicet Sacerdotes, vniuersos confessores, & martyres, quorum alii explanassent Dei legem, alii verò explanantibus consensissent, vel credidissent: totam postremò etiam nunc errare & semper errasse adseuerabat Ecclesiam; quę, vt ipsi videbatur, ignaros, erroneósque Doctores, & sequuta esset, & sequeretur. Quam ob causam magnus ille Nazianzenus, hæreticos plumbeos enses, argenteis vaginis inclusos, & occultatos vocabat. Tertullianus autem similes meretriculis esse dixit: quæ vt amatores quotidie sibi fuco lasciuos irretiunt; sic & isti scripturis coaceruatis, incautos fallunt & decipiunt. Vincentius Lirinensis Pharmacopolis comparat, qui noxia gramina salubribus titulis coronant. Sed quid attinet veteres allegare hæreses? Quis adeò peritus est Arithmeticus, qui nostri seculi hæreses rectè numerare possit? quis Dialecticus eorum omnia dogmata ad certa capita

Lib. 1. hæresi. 34.

Lib. 1. cap. 8.

Euseb. lib. 6. histo: cap. 38.

Lib. 1. cap. 20

Ad Nicobulum.

Lib. de hæres. cap: 35.

& genera reuocare, Nouorum Iudaizantium inquam, Ebionitarum, Arianorum, Anabaptiſtarum, Sacramentariorum, Lutheranorum, Confeſsioniſtarum, & id genus aliorum? Quis tamen ex iſtis eſt, qui non ſe ſolum verum, & putum verbum Dei, legitimúmq. Sacramentorum vſum habere glorietur, quíque hoc ipſum ſibi plenis & inflatis buccis non vſurpet: & eò magis illi, qui fœdiores, magísque noxias ſententias ſecuti ſunt? Scimus Ebionitas, Arianos, Macedonianos, hoc ſolo ſemper exultare, quòd ſpretis conciliis, atque patribus, ad ſolas prouocent ſcripturas; quem eorum morem perpetuum fuiſſe, ante mille annos teſtatur Lirineñ: illis verbis:

Vincentius Lirinen: lib: de hæreſ. cap: 33.

Hic fortaſſe aliquis interroget, an & hæretici diuinæ ſcripturę teſtimoniis vtantur. Vtuntur planè, & vehementer quidem: nam videas eos volare per ſingula quæque ſanctæ legis volumina, per Moſis, per Regnorum libros, per Pſalmos, per Apoſtolos, per Euangelia, per Prophetas. Siue enim apud ſuos ſiue alienos, ſiue priuatim ſiue publicè, ſiue in ſermonibus ſiue libris, ſiue in conuiuiis ſiue in plateis; nihil vnquam penè de ſuo proferunt, quod non etiam ſcripturæ verbis adumbrare conentur. Lege Pauli Samoſateni opuſcula, Priſcilliani, Eunomii, Iouiniani, reliquarúmq; peſtium; cernas infinitam exemplorum congeriem, propè nullam omitti paginam, quæ non noui aut veteris teſtamenti ſententiis fucata & colorata ſit. Sed tantò magis cauendi & pertimeſcendi ſunt, quantò occultius ſub diuinæ legis vmbraculis latitant. Sciunt enim fœtores ſuos nulli ferè citò eſſe placituros, ſi nudi & ſimplices exhalentur: atque idcircò eos, cœleſtis eloquii, velut quodam odore aſpergunt, vt ille qui humanum facilè deſpiceret errorem, diuina non facilè contemnat oracula. Itáque faciunt, quod hi ſolent, qui paruulis auſtera quædam temperaturi pocula, prius ora melle circumlinunt; vt incauta ætas, cùm dulcedinem præſenſerit, amaritudinem non reformidet. Quod etiam his curę eſt, qui mala gramina, & noxios ſuccos, medicaminum vocabulis præcolorant; vt nemo ferè, vbi ſupra ſcriptum legerit remedium, ſuſpicetur venenum: Hæc Lirineñ. Falſò inquis iſti appellant ſcripturas. At hoc idem illi de te dicent. Quis igitur tantas inter vos de tantis rebus componet lites non modò ex his, qui foris ſunt, ac nunc primùm ſeſe ad fidem chriſtianam conferunt; ſed ne ex veteranis etiàm ipſis atq; bene fundatis? Tu né igitur illud verum & proprium ſignum Eccleſię Dei eſſe dices, quod adeò commune eſt multis, vt hoc ſolo quisq; ſe ſuperiorem & victorem triumphet? vel ſi hoc ipſum verum & ſufficiens ſignum eſt; cur inter hos ipſos non diſtinguit? cur tantas controuerſias & diſſenſiones non aufert? cur cauſæ finem non imponit? cur nobis non oſtendit, quos ex iſtis potiùs ſequi debeamus, vel illis ipſis ſaltem? Quomodo item & illa ipſa vitæ innocentia, ac integritas, perſeuerantia item atq; obedientia; cur eaſdem non dirimit rixas? quibus itidem eodem modo veteres hæreſes omnes mirè ſeſe ad plebem commendare volebant. Vnde illa nomina, Angelicorum, Catharorum, id eſt, mundorum atq; piorum: Gnoſtici, referente Irenæo, albos ſe & intellectores perfectos, & ſemina electionis, ob vitæ ſanctitatem, vocabant.

Lib. 1. cap. 16

cabant. Sabbatianos, & Nouatianos seipsos, Catharos, & Aristeros, hoc est sinistros se vocasse, refert Canon 7. concilii primi Constantinopolitani: qui non vita tantùm, sed confictis etiam & comentitiis signis, ac miraculis, sese cõmendabant: Nemo, inquit, fabulas vendat, scribit Augustinus: & Pontius fecit miraculum, & Donatus orauit, & respondit illi de cœlo Deus. (iactantiæ hæc Donatistarum erant) Primò aut falluntur, aut fallunt: postremò, fac illos montes transferre: si charitatem non habent, nihil sunt. Videamus an habeant charitatem. Crederem, si non diuisissent vnitatem. Et contra istos, vt sic loquar mirabiliarios, cautũ me fecit Deus meus, dicens: In nouissimis temporibus, exurgent Pseudoprophetæ, facientes signa & portenta. Teneamus ergo vnitatem fratres mei, præter vnitatẽ enim, & qui facit miracula, nihil est. Vnde illa præclara S. Ignatii sententia: Quisquis dixerit præter illa, quę statuta sunt, etiã si fide dignus sit, etiam si ieiunet, etiam si virginitatem seruet, etiam si signa faciat, etiam si prophetet; lupus tibi censeatur, sub ouis pelle, ouium corruptionem moliens. Quomodo item nunc se Prophetas, Apostolos, Paulos, Angelorum iudices, Elias, mundíque huius sydera & luminaria, Euangelicos item reformatos, ex vtero sanctificatos, plerique appellare solent.

Tracta. 14. in Io.

In Epist. ad Hiero.

Nullo igitur modo hac parte hæc signa verę Ecclesię esse possunt. Sed neque illud eis conuenire potest, vt vbicunque sint, vbicunque conspiciantur, ibi veram Ecclesiam esse oporteat: cùm multi schismatici sint, multi ex graui aliqua causa excommunicati, qui & si verum sensum scripturæ sequuntur, & legitimo Sacramẽtorum vsu vtuntur, & multa probitate illustres sunt, neque tamen illos in ecclesia esse vel isti affirmare possunt. Et multæ pro veris Ecclesiis habitæ sunt, quibus aliquid horum, propter primam eorum infantiam ac teneritatem, defuit: nam & Corinthii de corporum resurrectione malè senserunt, & Galatę simul legalia cum Euangelio retinenda esse docuerunt; quos eo nomine grauiter obiurgat D. Paulus: Cœna itidem Domini primario Sacramento, non rectè vsos fuisse Corinthios, scribit D. Paulus: item rebaptizabant hæreticos sub Cypriano, & aliis 86. Episcopis Africanæ Ecclesiæ; pro veris tamen Ecclesiis, quòd per ignorantiam errarẽt, & quòd paratæ erant discere, & quòd didicissent sequi, habebantur. Itaque & Paulus Corinthiorum atque Galatarum, Ecclesias appellat, & in Africa veras Ecclesias fuisse, Hieronymus contra Lucriferianos, & D. Augustinus lib: 6. cap. 7. contra Donatistas docet.

Postremò diximus, signa cuiusque rei exposita, atque in aperto propalam posita, in ipsoque vestibulo rei constituta esse debere, vt ab omnibus passim videri & agnosci facilè possint. Atqui & sacram scripturam, & Sacramentorum vsum, atque administrationem, cùm in Ecclesia primitiua, tùm apud alias omnes sobrias, sanctáque sanctè colentes, Ecclesias in arcanis & conditis rebus habita esse videmus: indéque nomen mysteriorum sortita, ita, vt nulli planè præter hos, quos ministros & dispensatores earum rerum ipse constituit dominus, paterent: idque ab Apostolis, ac Apostolicis viris edocta semper sanctissimè tenet & obseruat Ecclesia.

Cuius

Cuius rei primus dux & auctor Deus ipſe fuit, qui in monte Sinai legem
Nazianzenus in prim. Theologi: orati. daturus, ipſum quidem Moyſen nubem ſubire iubet: ſi quis autem Aaron ſummus ſacerdos erat, comitem ſe aſcenſus præbere, atq; in proximo ſtare, extra nubem tamen eſſe: ſi autem Nadab quispiam aut Abiud, aut ex ſeniorum ordine, aſcendere quidem illi permittitur, cæterum procul conſiſtere, pro puritatis ſuæ merito atque dignitate; ſi verò quispiam ex vulgo huiuſcemodi ſublimitate, & ſpeculatione indignus, ſiquidem omninò impurus ac prophanus ſit, nullo modo accedere, ne ea temeritate periculum ſibi accerſat: ſi autem leuiter ſaltem purgatus, inferiori loco manere, ac ſolam vocem, atque buccinam audire præcipitur; montem autem circumfuſum ac coruſcantem videre, terrore ac admiratione afficiẽtem eos, qui aſcendere nequeunt: quòd ſi quis bellua ſit, ſacra conculcans; hunc longiùs à mõte abſcedere, ne lapidibus opprimatur aut obruatur, malúsq; malè pereat. Idem fecit Chriſtus Dominus, qui ſublimiorem aliquam doctrinam traditurus, cum duodecim illis præſtantiſsimis doctrinæ ſuæ nunciis, ſemper vel in ſolos montes, vel in deſerta, vel in mare ſe à turbis recipiebat. *Matth. 13.* Vnde illud: Vobis datũ eſt noſſe myſteria regni cœleſtis, aliis autem in parabolis. *Matht. 7.* Et illud: Nolite proijcere ante porcos margaritas. Et illud: Nolite dare ſanctum Dei canibus. Sed ne his quidem ſimul omnia manifeſtabat, ſed tum demum, vbi ab illo probati, ſanctificati, ac cœleſti ſpiritu ex alto illuminati ſunt. *Ioan. 16.* Vnde illud: Multa habeo dicere vobis, *1. Cor. 2.* ſed non poteſtis portare modò. Et Paulus: Sapientiam, inquit, loquimur inter perfectos, ſapientiam verò non huius ſeculi, neque principum huius *1. Cor. 2.* ſeculi, quod deſtruitur; ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio quæ abſcondita eſt. Et alio loco: Spiritualibus, inquit, ſpiritualia comparantes. Animalis autẽ homo, non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere. Ego autem fratres non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. Tanquam paruulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam, nondum enim poteratis, ſed necdum qui*2. Tim. 1.* dem poteſtis: adhuc enim carnales eſtis. Et Timotheum hortatur, vt arcanum depoſitum cuſtodiat: Bonum depoſitum cuſtodi, per Spiritum ſanctum, qui habitat in nobis. De Sacramentis verò illud: Vt prudentibus *1. Corint. 10.* loquar, vos ipſi intelligite, quæ dico: quaſi non omnes paſsim hæc intelligere diceret. Calix benedictionis cui benedicimus, nónne communica*2. Ioan. 1.* tio corporis Domini eſt? Et D. Ioannes. Plura: inquit, habens vobis ſcribere, nolui per chartam & atramentum: ſpero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui. Et alio loco: Multa habui tibi ſcribere, ſed nolui per a*De cœleſti Hierar. ca. 1.* tramentum & calamum ſcribere tibi. &c. Dionyſius Areopagita proximus Apoſtolorum ſucceſſor, ſic Timotheum Pauli diſcipulum, ea de re di» ligenter monet: Vide, inquit, ne ſancta ſanctorum enuncies, ſed reuere» beris ea potiùs, & quę occulta Dei ſunt, cognitione mentis & animi in ho» nore habebis, ac pretio: ita tamen, vt ea & minùs perfectis non tradas, & » cum his ſolis, qui ſancti erunt, cum ſancta illuſtratione, pro ſacrârum re*Ibidem.* rum dignitate, communices. Et paulò pòſt: Itáque ſanctis tuis promſſionibus

nibus ductus, (eas enim sanctum est commemorare) sacrosancti muneris pontificii; vt quod præstet omnibus rationem, cum alio non communicabis, nisi cum diuinis sacrorum perfectoribus collegis tuis: quibus suadebis, vt profiteantur ex instituto pontificio se mundos, ac sanctos, ad ea quæ sancta sunt, tractanda, venturos communicaturosque, & diuina cum diuinis solis, & ea, quæ vim perficiendi habent, cum his, qui perficiunt, & cum sanctis, ea, quæ sunt sanctissima. Nam cùm alia munera quæ Hierarchiæ propria sunt, tùm hæc tibi mandaui. Hæc Dionysius. Basilius autem: Nónne, inquit, ex doctrina quam patres nostri in silentio, quod curiosos & otiosos submouet, seruârunt: pulchrè quidem illi, nimirum docti, arcanorum venerationem silentio conseruare. Nam, quæ nec intueri fas est, non initiatis; quî conueniebat horum doctrinam publicitùs circumferri scripto? Deinde Moysis exemplo probans, qui non omnes ad penitiora sacramenta admisit: probè, inquit, sciens pro sua sapientia res vsu tritas, & vndecunq; parabiles, expositas esse contemptui: cæterùm id, quod depositum est, quódque rarum est, huic natura coniunctum esse, summam admirationem & studium. Ad eundem profectò modum, & qui in primordiis Ecclesiæ certos ritus perscripserunt Apostoli, & Patres, in occulto silentióque mysteriis suam seruauerunt dignitatem: neque enim omninò mysteriũ est, quod ad populares & vulgares aures effertur. Est autem etiam silentii species ipsa obscuritas, qua vtitur Scriptura, mentem ad contemplationem dogmatum inhabilem exercens, idque ad vtilitatem in scripturis versantium. Hactenus Basilius. Vnde ille communis vetustissimorum Patrum dicendi modus: Origenis: Nouit, inquit, qui mysteriis intentus est, & carnem, & sanguinem verbi Dei: non ergo immorentur in his; vt quę & scientibus nota sunt, & ignorantibus patere non possunt. Chrysostomi: Qui mysteriis initiati sunt, intelligunt quæ dicuntur: Mysteriorum Dei consortes norunt quod dicitur: Initiati, quæ dicuntur, norunt fideles. Vnde illa contra doctrinę atque Sacramentorum profanatores Nazianzeni grauis querela: Illud saltem, inquit, inter nos conueniat, vt mystica mysticè, & sancta sanctè proloquamur, nec in profanas aures, quæ in vulgus efferri nefas est, proiiciamus; ne alioqui constet eos, qui dæmones adorant, & turpium fabularum, ac rerum cultum profitentur, nobis grauitate superiores esse: quippe, qui his, qui nõ iisdem sacris initiati sunt, cruorem potiùs suum, quàm sermones quosdam impertirent. Nostra quidem hac insana ætate, ebrii magistri stulto populo omnia in publicũ protulerunt, planéque prostituerunt: indéque pretiosæ margaritæ ante porcos proiectæ, fædè conculcatæ iacent.

In li. de Spiritu sancto cap. 27.

In oratione prima de Theologia.

Cùm igitur signa & indicia cuiusque rei clara, & cuiq; obuia esse debeant, omniúmque oculis patere; scriptura autem, atque sacramentorũ vsus, inter arcana & secreta semper habita sint; hæc signa & indicia veræ Ecclesiæ nullo pacto esse possunt. Atq; ita nulla ex parte conditiones verorum signorum his ipsis rebus, quæ isti pro notis veræ Ecclesiæ constituunt, conuenire possunt. Hæcque illa causa est, cur quantumùis hæc maximè

ximè sint vtilia ac necessaria, quantumùis principem fidem & locum in Ecclesia Dei teneant; neque tamen aut sacra scriptura, aut sancti Patres his tanquam signis vsi sint vnquam. Nunc quoniam abundè demonstratũ est, hæc vera signa Ecclesiæ Dei nullo modo, nec esse nec dici posse; ideò ad illud secundum caput orationem nostram transferamus,& si vera signa sint, magis tamen Ecclesiæ Catholicæ, quàm istis, qui illis tantoperè gloriantur, conuenire.

Supradicta signa, etsi verę notę Ecclesiæ Dei non sint, magis tamen Ecclesiæ Catholicæ, quàm ipsis eorum auctoribus conuenire, & inprimis sanam Euangelii doctrinam.

Caput III.

VT igitur à Scriptura, sanáque Euangelii doctrina ordiamur; videamus primùm obsecro, quid tandẽ id sit, sacra scriptura, ac verbo Dei, sanáque Euangelii doctrina gloriari, illámque appellare, suúmq; quodam modo Euangelium dicere. Num hoc tanquam depositum quoddam apud se semper conseruasse? num plenum ac integrum vsurpare, ita vt non partem quidem illius, prout locus & tempus fert alleges, partem autem penitus abroges? num verum & germanum eius sensum ac interpretationem sequi; an omninò nihil, quòd illi contrarium sit, cum eóq; pugnet,docere aut tradere? His enim omnibus modis, Ecclesiam Scripturámque quis sibi vsurpare possit. Quamcunque earum rationem acceperis, omnes illæ Ecclesiæ Catholicę magis,quàm istis conuenient. Nam si hoc est, verbum Dei sibi tribuere, suúmque putare, quod semper tanquam in depositó quispiam apud se sanctè conseruârit; quis, obsecro, Scripturam per hos mille quingentos annos,priusquàm isti noui dispensatores exorti essent, custodiuit? quis ab iniuriis & calamitatibus temporum, ipsiúsque, vt ita dicam, mortalitatis tutatus est? quis à flammis & igne tyrannorum texit? quis à fraudibus & adulteratione hæreticorum defendit? quis ab improbitate & scelere impiorum vindicauit? quis testimonio suo hanc ipsam canonicam scripturam verbúmque Dei, & non aliam esse cõfirmauit, præter eam, quę per orbem vniuersum fusa est, Catholicam Ecclesiam? Aut ex quorum tandem archiuis & bibliothecis, hæc ipsa Euangelia, quæ sibi isti falsò tribuunt, aut Wikleff, aut Hus, aut Lutherus, primi istorum duces atque magistri, in publicum protulerunt? in cuius

in cuius scholis,sub quibus magistris hoc Euangelium didicerunt? in quibus Ecclesiis hoc primùm legi, & publicè prædicari audiuerunt? Hæc ipsa Germania,Bòémia, vnde isti diuini & cœlestes magistri primùm orti sunt, vnde primùm fidem Euangeliúmq; Christi accepit? Nostra hæc est possessio, dicebat Tertullianus, nostrum depositum, Romæ quidem Clementi à Petro, à Clemente autem Anacleto, & sic deinceps: Alexandriæ Aniano à Mario, ab hoc autem Abitio: Hierosolymis à Iacobo fratre Domini Simeoni Cleophæ filio,qui frater Saluatoris dicitur: Antiochiæ ab eodem Petro Lucæ, & post hunc Zachæo, Euodio denique, ac deinceps aliis: Cretæ Timotheo à Paulo relictum: & sic eodem modo in aliis Ecclesiis. Isti verò lupi erant rapaces, cucullis atque superciliciis, tanquam velleribus ouium tecti, ementitis sacris ordinationibus,atque Ecclesiasticis titulis, dum se amicos sponsæ simulant, fraude ac dolo, dormitante aliquantisper Timotheo, aliísque negotiis intento, depositum hoc sustulerunt, ac pro sua propria possessione ad vulgus prodiderunt: illúdque, quod per furtum ac dolum malum à nobis quæsierunt, pro vera & germana hæreditate sua, aliis obtrudere non verentur. Quæ tamen ipsa cùm per tot annos, integra & incorrupta à vera dispensatrice mysteriorum Dei Ecclesia, ita conseruata fuissent, vt in omnibus linguis & idiomatibus,ne apex quidem vnus ex his disperditus fuerit; ipsi infideles possessores per hos paucos annos sic deprauârunt, sic prauis versionibus adulterârunt, sic nouis interpretationibus atque castigationibus contaminârunt, sic falsis commentariis maculârunt;vt non agnoscas hæc eadem esse: sic stultis & temerariis censuris de loco suo mouerunt; vt non capita tantùm quædam sacrę scripturę sustulerint;sed integras etiam Canonicas Epistolas,atq; adeò ipsum sanctissimum & diuinissimum Ioannis Euangelium, quidam ex illis impiè abrogare non reueriti sunt. Sed quid mirum: non enim propria,sed aliena bona dispensarunt: neque iusti & bonæ fidei possessores, sed fures & latrones fuerunt: res autem qua fide quæritur, eadem dispensatur: malè parta, pessimè dilabuntur: prodigus est dispensator, fur, & latro. Túne igitur illam Ecclesiam Euangelio, veróque Dei verbo caruisse dices,à qua nisi accepisses, ne an illud quidem fuerit vnquam somniare posses? Itaque eos ex eius tanti peculii possessione pulcherrimè exturbat Tertullianus: Constat ratio propositi nostri definientis non esse admittendos hæreticos ad eandem de scripturis prouocationem, quos sine scripturis, probamus ad scripturas non pertinere. Si enim hæretici sunt, christiani esse non possunt, non à Christo habendo, quod de sua electione sectati, hæreticorum nomine admittunt. Ita non Christiani, nullum ius capiunt Christianarum literarum: ad quos meritò dicendum est, qui estis? quando, & vnde venistis? quid in meo agitis non mei? quo denique Marcion iure syluã meam cædis? qua licentia Valentine fontes meos transuertis? qua potestate Apelles limites meos commoues? Mea est possessio. quid hic cæteri ad voluntatem vestram seminatis & pascitis? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo: habeo origenes firmas, ab ipsis authoribus, quorum

» fuit res. Ego ſum hæres Apoſtolorum: Sicut cauerunt teſtamento ſuo, ſi-
» cut fidei commiſerunt, ſicut adiurauerunt, ita teneo. Vos certè exhæreda-
» uerunt ſemper & abdicauerũt, vt extraneos, vt inimicos. Verùm cùm hæc nobis, niſi impudentiſsimi planè ſint, concedant oportet; ad ipſum vſum & allegationem ſacrarum Scripturarum nos conferamus. De qua non plura dicamuus, quàm illud: Communem illam non omnibus hæreticis tantùm, ſed maligno etiam ipſi ſpiritui eſſe, qui quondam contra ipſum Dei filium, eius autoritate non tàm vti, quàm abuti veritus non eſt: Si filius, inquit, Dei es, mitte te deorſum. Scriptum eſt enim: Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis.

De pleno porrò & non truncato totius verbi Dei vſu, ex eo ipſo, quod afferemus, cui ille magis conueniat, facilè quisque ſtatuere poterit. Vniuerſum verbum Dei Paulus atque Ioannes, duo maximi veritatis teſtes, in
1. Teſſ. 2. duo genera partiti ſunt: In verbum ſcriptum, & ore prolatum: Itáque fratres, inquit, Paulus, ſtate & tenete Traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram. Et Ioannes toties à calamo & atramento, vti ſuperiùs diximus, ad viuam vocem ſuos reuocat. Quod idem poſtea omnes ſancti Patres mirifico conſenſu docuerunt, idque ſe ab ipſo
Lib: 1. de Eccleſiaſti: hierar: cap. 1. Paulo accepiſſe, teſtatur Dionyſius Areopagita. Noſtrę, inquit, hierarchię vis omnis in verbis, quę à Deo tradita ſunt, cernitur. Sanctiſsima autem venerationéque digniſsima verba ea eſſe dicimus, quæ nobis à ſacroſanctis
» noſtris præceptoribus, in ſanctis atque Theologicis ſcripturæ libris ſunt
» prodita, quǽque ab iisdem ſanctis viris inſtitutione, quæ magis à materia
» abhorreret, proximáque iam quodam modo eſſet, ac ſimilis cœleſti hie-
» rarchiæ, ex mente in mentem verbo corporeo illo quidem, ſed quod mi-
» nus eſt materiæ particeps, ſine ſcripto ſtudiorum noſtrorum duces princi-
Ibidem. pésque didicerunt. Et paulò poſt. Quocircà, primi illi hierarchiæ noſtræ
» duces ac principes, cùm & ipſi à diuinæ bonitate plenè cumulatéque ſan-
» ctum hoc munus accepiſſent, & à diuina benignitate eius apud poſteros
» propagandi, prorogandíque cauſa miſsi eſſent: iidémque valdè vt diuini
» poſteros ad cœleſtia, & diuinitatis ſimilitudinem traducere cuperent: ſi-
» gnis, quæ ſub ſenſum cadunt cœleſtia, varietatéque ac multitudine, id
» quod coniunctum connexúmque erat; & humanis diuinas res, quǽque
» materia carent, iis quæ ex materia conſtant, ac noſtris eas quę eſſentia ſu-
» periores ſunt, partim ſcriptis, partim non ſcriptis ſuis inſtitutionibus, ex
Irenæus lib. 3 cap. 4. ſacroſanctis legibus nobis tradiderunt. Eodem modo Irenæus à Polycarpo Ioannis diſcipulo edoctus, ſuos confutat Gnoſticos. Quid enim, & ſi
» quibus de aliqua modica quæſtione diſceptatio eſſet, nónne oporteret in
» antiquiſsimas recurrere Eccleſias, in quibus Apoſtoli conuerſati ſunt, &
» ab eis de præſenti quæſtione ſumere quod certum & re liquidũ eſt? Quid
» autem ſi neq; Apoſtoli quidem ſcripturas reliquiſſent nobis, nónne opor-
» tebat ordinem ſequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committe-
» bant Eccleſias? cui ordinationi aſſentiunt multæ gentes barbarorum eo-
» rum, qui in Chriſtum credunt, ſine charactere vel atramento ſcriptam habentes

bentes per spiritum in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes, in vnum Deum credentes fabricatorem cœli & terræ, & omnium quæ in eis sunt, per Christum Iesum Dei filium. Hanc fidem qui sine literis crediderunt, quantum ad sermonem nostrum, barbari sunt; quantum autem ad sententiam, & consuetudinem, & conuersationem, propter fidem, perquàm sapientissimi sunt, & placent Deo, conuersantes in omni iustitia, & castitate, & sapientia. Quibus, si aliquis annunciauerit ea quæ ab hæreticis adinuenta sunt, proprio sermone eorum colloquens, statim concludentes aures, longo longiùs fugient, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium. Sic per illam veterem Apostolorum traditionem, ne in conceptionem quidem mentis admittunt, quodcunq; eorum portentiloquium est: neque enim congregatio fuit apud eos, neque doctrina instituta. Traditione igitur, quæ est ab Apostolis, sic se habente in Ecclesia, & permanente apud nos, reuertamur ad eam, quæ est ex scripturis ostensionem, eorum qui & Euangelium conscripserunt Apostolorum. Idem docet D. Basilius, idem Augustinus, duo oriẽtis atque occidentis orbis amplissima lumina. Quæ in Ecclesia prædicantur, inquit Basilius, quædam habemus è doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, id est, in occulto tradita recepimus. Quorum vtraque parem vim habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit, quisquis sanè & tenuiter expertus est, quæ sint iura Ecclesiastica. Nam si consuetudines, quæ scripto proditæ non sunt, tanquam haud multum habentes momenti conemur reiicere, imprudentes & ea damnabimus, quæ in Euangelio necessaria ad salutem habentur, imò potiùs ipsam fidei prædicationem ad nudum nomẽ contrahemus. Et paulò pòst. Aliud, inquit, est δόγμα: & aliud κήρυγμα dogmata, inquit, silentio tegũtur, κηρύγματα publicè prædicantur. Hæc Basilius. D. verò Augustinus. In his, inquit, de quibus nihil certi statuit diuina scriptura, mos populi Dei & statuta maiorum pro lege tenenda sunt: & sicut præuaricatio diuinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum, còércendi sunt. Cuius quidem rei causam adfert D. Basilius: Hæc, inquit, est ratio, cur quædam citra scripturam tradita sunt, ne dogmatum cognitio propter assuetudinẽ vulgò veniret in contemptum. Constat igitur Apostolorum, Apostolicorúmque virorum luculentissimis testimoniis: vniuersum verbum Dei, sacra scriptura, & traditione contineri, hæcque eandem vim & auctoritatem habere, atque adeò traditione ipsa magis spirituale quid, vt Dionysius, magis autem arcanum, vt Basilius docet, contineri. Quis igitur magis vtramque hanc partem verbi Dei complexus est? quis maiore sanctitate colit? quis summa fide & integritate vsque ad hodiernam diem ambo hæc conseruauit? Ecclesiáne Catholica, an isti? Quid verbis opus est, cùm nõ modo sacras traditiones isti non colunt; sed eo etiam solo nomine Ecclesiam maximè incusent & damnent, quòd eas sequatur, quòd illis habeat fidem. Istíne igitur plenum Dei verbi vsum sibi meritò tribuent, qui potissimam eius partem abrogant, sacram autem scripturam ita truncam reddiderunt:

In lib: de spiritu S. ca. 27.

Epist. 86. ad Casulanũ distinct. 11. cap. in his.

Ibidem.

Idem Origen. in ca. 3. epist. ad Titum.

Et Hiero. ad Lucin. epi. 28.

Idem Tertul. in li. de præscriptionibus hæreticor.

diderunt; vt paucos poſt dies vix eius vllas reliquias integras apud ſe retenturi.

Neque igitur poſſeſsione ſcripturę, neque vſu verbi Dei Eccleſiam catholicam vincũt: quin potiùs longiſsimis paſsibus pòſt eam relinquuntur. Interpretatione igitur & vero ſenſu fortaſſe: hoc enim quartum caput propoſiti fuit? Nequaquam. Nos enim eos ſcripturæ interpretes ſequimur; qui Chriſtum Dominum ipſi oculis ſuis viderunt: qui ab ipſis ſanctis Apoſtolis, qui hæc manibus ſuis contrectârunt, eorúmque proximis ſucceſſoribus edocti atque inſtituti ſunt: qui temporibus illis, quibus hæc geſta ſunt, vixerunt: qui rebus ipſis interfuerunt: quorum ingenii vim, doctrinę vbertatem, eloquentię copiam, ſapientiam admiratus eſt infidelium orbis, ducésq; eius & magiſtri: quorum fidei ſynceritatem ac conſtantiam, vitæque ſanctitatem multis miraculis & portentis confirmauit ipſe Deus: qui eam doctrinam, quam nobis tradiderunt, vita ſanguinéque ſuo obſignârunt: qui ea, quæ viderunt, & quorum ipſimet magna pars fuerunt nobis tradiderunt: quorum fidem, auctoritatem, & doctrinam, tot ſeculorum decurſus, tótque ſynodorum ac doctiſsimorum hominum conſenſus comprobauit: quos neque amor, neque odium, quæ plerunque iudicia humana peruertunt, neque vllus humanus ſenſus, vtpotè à noſtris controuerſiis ac temporibus remotiſsimos attingunt; horum inquam ſenſum & interpretationem nos ſequimur, illi ſuum. Et cùm ſcriptura, dicente Petro, priuatæ interpretationis non ſit; nos Catholicum omnium temporum & locorum tuemur ſenſum, iſti priuatum. De quibus Clemens Romanus
» Petri ſucceſſor Epiſtola 5. ſic ſcribit: Relatum eſt etiam nobis, quòd qui-
» dam in veſtris partibus cõmorantes, aduerſantur ſanis doctrinis, & pro-
» ut eis videtur non ſecundùm traditionem patrum, ſed iuxta ſenſum ſuum
» docere videntur. Multas enim quidam (vt audiuimus) veſtrarum parti-
» um ſecundùm ingenium hominum, ex his quæ legunt veriſimilitudines ca-
» piunt: & ideo diligenrer obſeruandum eſt; vt lex Dei quum legitur, non
» ſecundùm propriam ingenii intelligentiam legatur, vel doceatur. Sunt e-
» nim multa verba in ſcripturis diuinis, quæ poſſunt trahi ad eum ſenſum,
» quem ſibi vnusquisq; ſpontè præſumpſit; ſed fieri non oportet: non enim
» ſenſum, quem extrinſecus adulteretis alienum & extraneum debetis quæ-
» rere, aut quomodo ipſum ſcripturarum authoritate confirmetis; ſed ex
» ipſis ſcripturis ſenſum capere veritatis. Et ideo oportet ab eo intelligen-
» tiam diſcere ſcripturarum, qui eam à maioribus ſecundùm veritatem ſibi
» traditam ſeruauit, vt ipſe poſsit ea, quæ rectè ſuſcepit, competenter aſſere-
re. Tuné igitur potiùs, aut Luthero, aut Caluino, aut Serueto, vel Blandratæ ira ac furore accenſo, Ioannis vel Pauli aliquem locum interpretanti credes: quàm aut Polycarpo, aut Ignatio, aut Irenæo, vel Dionyſio, eorúmque diſcipulis, qui cum illis ſimul vixerunt, qui ab eis docti ſunt, quos ipſi in ſuis nominârunt libris? Túne de eo ſenſu & interpretatione ſcripturæ, quam vel Nicena Synodus, vel Conſtantinopolitana, vel Epheſina, vel Chalcedonen: ſecuta eſt, earúmque conſtitutionibus plus credes Caluino,

no, quàm Athanasio, Luthero, quàm Gregorio, Basilio, Chrysostomo, & aliis, qui synodis illis non interfuerunt tantùm, sed etiam præfuerunt? Gregorium Nazianzenum Constantinopolitanam primam Synodum ex sententia vniuersi concilii, propter eius præstantem doctrinam quantum ante omnes alios excellebat patres conscripsisse plurimi censent. Puerorũ certè aut insanorum, & non prudentium, & adultorum hominum hæc talia erunt iudicia. Quas easdem scripturas, qua fide tractent & interpretentur hæretici, docet Tertullianus: Vnde autem extranei & inimici Apostolis hæretici, nisi ex diuersitate doctrinæ, quam vnusquisque de suo arbitrio aduersus Apostolos, aut protulit aut recepit? Illic igitur & scripturarum & expositionum adulteratio deputanda est, vbi diuersitas inuenitur doctrinæ. Quibus fuit propositum aliter docendi eos, necessitas institit aliter disponendi instrumenta doctrinæ. Aliâs enim non potuissent aliter docere; nisi aliter haberent per quæ docerent hæresim. Sicut illis non potuisset succedere corruptela doctrinæ eius, ita & nobis integritas doctrinæ non competisset sine integritate eorum, per quæ doctrina tractatur. Etenim quid contrarium nobis in nostris? quid de proprio intulimus, vt aliquid contrarium ei & in scripturis deprehensum, detractatione vel adiectione, vel transmutatione remediaremus? Quod sumus, hoc sunt. Inde scripturæ ab initio suo. Ex illis sumus, antequàm nihil aliter fuit, quàm sumus. Quid denique fuit antequã nobis interpolarentur? Cùm autem omnis interpolatio posterior credenda sit, veniens itaque ex causa æmulationis, qua neque prior, neque domesticarum est eius quàm quod æmulatur, tam incredibile est sapienti cuique, vt nos adulterum stylum intulisse videamur scripturis, qui sumus & primi & ex ipsis, quàm illos non intulisse, qui sunt & posteri & aduersi. Alius manu scripturas, alius sensu expositiones interuertit. Neque enim si Valentinus integro instrumento vtitur videtur non callidiore ingenio, quàm Marcion. Marcion enim exertè & palam machæra, non stylo vsus est, quoniam ad materiam suam cœdem scripturarum confecit. Valentinus autem pepercit: quoniam non ad materiam scripturas, sed materiam ad scripturas excogitauit: & tamen plus abstulit, & plus adiecit auferens proprietates singulorum quoque verborum, & adiiciens dispositiones non comparentium rerum.

At nihil, inquit, scripturæ aduersum: nihil cum Dei verbo pugnans docere, hoc est, synceram Euangelii doctrinam profiteri. Iam igitur & hoc ipsum expendamus caput. Docet Scriptura: Omnem hominem mendacem, solum autem Deum veracem esse: negant isti, dum se solos errare nõ posse, ac etiã si omnes synodi, vniuersi patres, tota Ecclesia, diuersum quid ab illis sentiat; ipsi tantùm se solos vera sentire arbitrantur. Docet Scriptura: Obediendũ esse præpositis, ac dominis, etiam discolis, non tantùm propter metum, sed etiam propter conscientiam; isti obediunt nemini. Docet Scriptura: Christum Dominum priusquam in cœlos ascendisset, Petro eiúsque successoribus claues regni cœlestis, hoc est, vniuersam Ecclesiæ gubernatio-

Rom: 3.

Roma. 13.

Matth. 16.

Ioannis vltim.

gubernationem tradidiſſe, térque repetitis vicibus, illi paſcendarum oui-
Ioan. 20. um ſuarum & agnorum munus cõmendaſſe; negant iſti. Docet Scriptu-
ra: Chriſtum Dominum in diſcipulos ſuos inſufflaſſe, eísque Spiritum ſan-
ctum dediſſe; vt quorumcunque dimiſerint peccata, dimittantur illis, quo-
Pſal. 150. rum retinuerint, retenta ſint; negant iſti. Docet Scriptura: Laudandum
eſſe Dominum in ſanctis eius, laudandum in firmamento virtutis eius: ni-
Pſal. 138. mis honorandos eſſe amicos Dei, nimis confortatum eſſe principatum il-
Rom: 2. lorum: gloriam item eſſe & honorem omni operanti bonum, Iudæo ſi-
mul & Græco. &c. iſti Sanctorum honorem idololatriam eſſe cenſent.
Lucæ 1. Prædixit ipſa mater Dei: Beatam ſe prædicaturas omnes gentes, quia fe-
cit illi magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen eius: iſti matrem Dei an-
Matth. 12. gelica voce ſalutare, pro piaculo ducunt. Docet Scriptura: Iuſtam & piam
eſſe cogitationem, orare pro defunctis, vt à peccatis ſoluãtur: negant iſti.
Lucæ 2. Docet Scriptura: Annam Phanuelis filiam non diſceſsiſſe de templo, ie-
iuniis & obſecrationibus ſeruiuiſſe Domino die ac nocte: iſti ieiunia & o-
1. Timo. 5. rationes ab omni parte cultus & ſeruitutis diuinæ excludunt. Docet Pau-
lus: Viduam irritam facientem primam caſtitatis fidem, damnationem ſi-
bi acquirere: iſti votum caſtitatis irritum facere, libertatem & perfectio-
1. Cor. 7. nem Chriſtianam eſſe putant. Vult Paulus: omnes eſſe ſicut ipſe fuit, hoc
eſt, caſtos & continentes: iſti omnes nubere volunt. Docet Paulus: Vir-
ginem quæ nubit bene facere; ſi tamen non nubat, melius facere: iſti, ſi
Epheſ. 5. nubat, melius facere aiunt. Hic idem dicit, matrimonium Sacramentum
Matth. 5. magnum eſſe, inter Chriſtum ſcilicet & Eccleſiam: iſti negant. Docet Chri-
ſtus: Beatos eſſe pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorũ:
Beatos mites, quoniam ipſi poſſeſſuri ſunt terram: Beatos qui lugent, quo-
niam ipſi conſolabuntur: Beatos qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoni-
am ipſi ſaturabuntur: Beatos miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam
conſequentur: Beatos mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt: Bea-
tos pacificos, quoniam ipſi filii Dei vocabuntur: Beatos qui perſecutionẽ
patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum: iſti
in omnibus his iuſtum peccare docent. Iubet Dominus omnes qui pro-
pter nomen eius res aduerſas patienter perferunt, gaudere & exultare,
quia merces eorum copioſa ſit in cœlis: iſti nullam vel exiguam bono o-
Ioan: 5. peri mercedem propoſitam eſſe docent. Dicit Dominus: Qui bona ege-
runt, eos in vitam æternam ituros, qui autem mala, in ignem æternum.
Quæ autem iſta ſunt bona, aut quæ mala, ipſe clariùs explicat: Eſuriui e-
nim, & dediſtis mihi comedere: ſitiui, & dediſtis mihi bibere. &c. iſti ſo-
Ioan: 6. lam fidem ad ſalutem ſufficere prædicant. Promittit idem Dominus: Ve-
ram carnem & verum ſanguinem, atque adeò ſeipſum nobis in cibum &
potum daturum, non ſicut Moyſes dedit manna in deſerto, in vmbra & fi-
gura; ſed verè & re ipſa: iſti in ſola figura illum carnem & ſanguinem ſu-
Marci 16. um nobis dediſſe mordicus affirmãt. Docet Scriptura: Niſi quis credide-
rit & baptizatus fuerit, eum ſaluari non poſſe: negat hoc Caluinus, par-
uulósque ſi ex Chriſtianis parentibus naſcantur, ſanctos eſſe, & ſi ſine ba-

ptiſmo

ptismo moriantur, omninò non damnari affirmat. Docet Scriptura: Perditionem nostram ex nobis esse, salutem autem ex Domino: negat hoc Caluinus, qui dicit: Sola Dei prædestinatione homines saluari aut damnari. Docet Scriptura: Sub nobis esse appetitum nostrum, nósque dominos illius esse: & si benè egerimus, nos mercedem recepturos; si autem malè, statim in foribus peccatum nostrum adfuturum: Deúmque hominem cõstituisse in potestate sua, proposuisse illi bonum & malum, vt ad quodcunque extenderit manum, det illi, animam eius in manibus eius sitam semper: isti omnem liberi arbitrii rationem disputationibus suis euertunt. Docet Scriptura: Neminem scire, vtrum odio an amore dignus sit: in timore & tremore salutem operandam esse: isti neminem damnari posse, nisi qui credere nolit, affirmant. Docent isti, omnes passim ad vtriusque speciei vsum admittendos esse: CHRistus Dominus, cum solis duodecim recubuit. Docet Scriptura: Christum Dominum Deum verum, vitam æternam, Deum benedictum esse: negant isti. Docet Scriptura: Per Christum facta esse secula: isti ante Ioseph & Mariam eum extitisse negant. Docet scriptura: Æqualem esse Patri: isti seruum & creatorem esse blasphemant. Docet Scriptura: Ab Angelis debuisse adorari: isti ne ab hominibus quidem adorandum esse tradunt. Satísne clarè & simpliciter probamus, hos nihil docere, nisi quòd cum sacra Scriptura ex diametro quasi pugnet? satisné luculenter & sufficienter demonstrauimus, ex his ipsis signis, quę ipsi commenti sunt, quibúsque se magnificè efferunt, apud eos veram Ecclesiam Dei non esse?

Oseæ 13.

Gene. 4.

Ecclesiast. 15.

Eccle: 9.

Philip. 2.

Hæbr. 1.

Verum Sacramentorum vsum, quem SECVNDAM NOTAM ISTI ESSE DICVNT, magis Ecclesiæ Catholicæ, quàm illorum cœtibus conuenire.

Caput IIII.

NAM de legitimo Sacramentorum vsu, quid ego dicam? de quorum vel numero inter istos non satis conuenit: Illyricani & Geneuenses duo sola, Illyrico atq; Caluino authore, numerant: Lipsenses tria: Witembergenses quatuor: sunt qui vnum, sunt qui nullum: ita vt quidam ex illis ipsis exhilarata miseria, facetè hanc eorum inconstantiam riserit: à quo, cùm quæsitum esset, cur quemadmodum reliquæ orientales & occidentales Ecclesię septem non numerarent sacramenta, respondisse dicitur: Imo, inquit, habemus septem, & hoc amplius duo: Witembergæ enim quatuor, Lipsiæ tria, Magdeburgi duo: quæ in vnum

ſimul, collecta, nouem efficiunt. Aut qua tandem ratione illi ritè & legitimè Sacramentis vti dici poſſunt, qui eorum legitimis, & ad eam rem debitè ordinatis miniſtris careant, cùm ipſum ſacri ordinis ſacramentum, quod Græci vetuſtiſsimo χειροτονίας vocabulo appellant, per quod ipſi miniſtri conſecrantur, contra totius orientis ac occidentis orbis conſenſum, ex numero ſacramentorum ſuſtulerint? Quos quidem miniſtros debitè ordinatos, inprimis ad vim & naturam Sacramentorum conſtituendam pertinere, ſi quid reliquum ſanæ mentis habent, negare nullo modo poſſunt: quibus cum careant; ſacramentis item illos carere, luce meridiana clariùs eſt. Verùm iam de ſingulis ſacramentis aliqua dicamus.

Baptiſmus primus eſt, cuius in primis ritus, & cæremonias ex ipſo Apoſtolorũ ore exceptas, tanquam humanæ traditionis ſuperſtitiones, impuriſsimos in hac parte imitati Gnoſticos, impiè abrogârunt: de quibus illud refert Irenæus: Alii, inquit, hæc omnia recuſantes, dicunt non oportere inenarrabilis & inuiſibilis virtutis miniſterium per viſibiles & corruptibiles perfici creaturas: & ea, quæ mente concipi non poſſunt, & incorporalia, & inſenſibilia, per ſenſibilia & corporalia. Eſſe autem perfectam redemtionem, ipſam agnitionem inenarrabilis magnitudinis. Suſtulerunt & illi ſimiliter hæc omnia, exorciſmos, inquam, exſufflationes, cruce ſignationes, manuum impoſitiones, ſathanæ abrenunciationes, aurium atque narium apertiones, pacis & oſculi porrectiones, ſacras vnctiones, veſtium mutationes, lucernæ geſtationes, & alia quamplurima: quæ ante mille trecentos annos prima Conſtantinopolitana ſynodus his verbis recenſet ferè omnia: Primo, inquit, die, ipſos Chriſtianos facimus: ſecundo catechumenos: deinde tertio exorcizamus ſiue adiuramus ipſos, ter ſimul in faciem eorum & aures inſufflando: & ſic eos catechizamus ſiue initiamus & curamus; vt longo tempore verſentur in Eccleſiis, & audiant ſcripturam, & tunc eos baptizamus. Quæ eodem modo D. Auguſtinus in ſymbolo ad catechumenos enumerat: Omnia, inquit, Sacramenta, quæ acta ſunt, & aguntur in vobis, per miniſterium ſeruorum Dei, exorciſmis, orationibus, canticis ſpiritualibus, inſufflationibus, cilicio, inclinatione ceruicum, humilitate pedum, pauor ipſe omni ſecuritate appetendus: hæc omnia, vt dixi, eſcæ ſunt, quæ vos reficiunt in vtero, vt renatos ex baptiſmo hilares vos exhibeat mater. Nec tantum hæc veteres Patres recenſuerunt, ſed etiam in quibus verbum illud ore traditum ſitum eſſet indicarunt. Ex illísq; tanquam rebus notiſsimis, & his quę ab omnibus admitterentur, tanquam ipſo Dei verbo ſcripto primarias hæreſes refutarũt. Demonſtrabat contra Marcionem vir proximus Apoſtolorum temporibus Tertullianus, ſumpto ex his cæremoniis in hunc modum argumento: Creaturam Dei non eſſe malam. Ille, inquit, neque aquam reprobat creatoris, qua ſuos abluit: neque oleum quo ſuos vnxit: neque mellis & lactis ſatietatem, qua nos infantauit. Demonſtrat ex iiſdem cæremoniis idem author, tanquam ex certiſsimis diuinæ vocis teſtimoniis futuram corporum noſtrorum reſurrectionem illis verbis: Sed & caro abluitur, vt anima muniatur:

Lib. 1. ca. 18. aduerſus hæreſes.

Canone vlti.

Lib. 1. contra Marcionem.

Lib. de carnis reſurrecti.

caro

caro manuum impositione adumbratur, vt & anima spiritu illuminetur: »
caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur. »
Non possunt ergò separari in mercede, quæ opera coniungunt. Episcopi »
Africani, temporibus D. Cypriani, probabant hæreticos non posse baptizare quòd nimirùm non potuerint exorcizare. D. Augustinus & ipse ab Apostolorum temporibus non multum remotus, & quo in disputando nemo fuit solidior, nemo magis acer contra Pelagianos, probat paruulis inesse originale peccatum, quòd alioqui Ecclesia illos non exorcizaret, neque exsufflaret, eámque antiquissimam Ecclesiæ traditionem esse docet, qua exorcizantur & sufflantur paruuli. Neq; verò in vno aliquo loco hoc vtitur argumento, sed planè in infinitis: Sic ille lib: 2. de originali peccato cap. 4. & lib. 1. de nuptiis, & concupiscentia cap. 2. & lib. 2. cap. 18. & lib. 1. contra Iulianum cap. 2. & lib. 6. cap. 2. Quo eodem modo Chrysostomus in sermone de Adam & Eua: Optatus libr. 4. contra Donatistas argumentantur. Quid illæ voces vetustissimorũ patrum? quàm hoc ipsum quod diximus, nobis scriptis suis consignatum innuunt. Iustini martyris: *Quæstio 137.* Vnguento inungimur, eius memoriam recolẽtes, qui vnguenti perfusionẽ »
sepulturæ causa fieri voluit, & figura quidem in hac vita, veritate autem in »
futura. Cypriani: Vngi quoque necesse est eum, qui sit baptizatus, vt ac- *Lib. 1. epi. 12.*
cepto chrismate, id est vnctione, esse vnctus Dei, & habere in se gratiam »
Christi possit. Porrò autem Eucharistia est, vnde baptizati vnguntur, oleum in altari sanctificatum: sanctificare autem non potuit olei creaturam, »
qui nec altare habuit, nec Ecclesiam; vnde nec vnctio spiritalis apud hæ- »
reticos potest esse, quando constet oleum sanctificari, & Eucharistiam fie- »
ri apud illos omninò non posse. Basilius quidem magnus, verbis disertis »
in his ipsis cæremoniis atq; partibus baptismi, Apostolorum verbum ore prolatum, in libro de Spiritu sancto, contra sui temporis hæreticos situm esse demõstrat, hásq; veras Apostolicas Traditiones esse affirmat: Con- *Cap. 27.*
secramus, inquit, aquam baptismatis & oleum vnctionis, præterea ipsum, »
qui baptismum accipit: ex quibus scriptis? nónne à tacita secretáq; tradi- »
tione? Ipsam porrò olei inunctionem, quis sermo scripto proditus docu- »
it? iam ter immergi hominem, vnde est traditum? reliqua item quæ fiunt »
in baptismo, veluti renunciare satanæ & angelis eius; ex qua scriptura ha- »
bemus? nónne ex priuata hac & arcana traditione? nónne ex doctrina »
hac, quam patres nostri in silentio, quod curiosos & otiosos submouet, »
seruârunt? &c. Multa similia de iisdem baptismi cerimoniis scribit Clemens Romanus libr. 3. de Const. Apo. cap. 15. 16. 17. & lib. 7. cap. 23. 28. 41. 42. 44. & lib. 3. recog. & Epist. 3. Dionysius Areop. lib. de Eccle. Hierar. cap. 2. & 7. Author quæst. apud Iustinum martyrem quæst. 137. Theophilus Antiochenus lib. 1. ad Antolycum, & qui postea vixerunt in oriente. Origenes li. 5. in Epist. ad Rom: Chrysosto. Hom. 12. in 1. ad Corin. & Hom. 6. ad Colosse. Nazianzenus oratione in sanctum baptisma. Arnobius in commentariis in Psal. 4. 22. 82. 90. 132. & 134. Optatus Mileuitanus lib. 2. 3. & 7. contra Parmenianum. Ambrosius lib. 1. de sacramentis cap. 1.

& 7. Hieronymus contra Luciferia. Pontius Paulinus, Honorius Fortunatus, vt vel inde cognoſci poſsit, quanta aut impudentia, aut inſcitia ſint iſti, qui hæc noua & nuper inuenta, & non potiùs ab Apoſtolis Apoſtolicisque viris profecta contra eam teſtium nubem, affirmare non erubeſcunt, in quibus Rhaſpodi Magdeburgenſes familiam ducunt. Quas quidē ſanctiſsimas cæremonias ab ipſa Apoſtolica traditione profectas, poſteaquàm iſti impiè & temerario auſu primo violaſſent: illas etiam ipſas quæ ſcripto verbo continentur, impunè eadem temeritate alii contempſerunt; vt & aquam non eſſe ita neceſſariam aliqui ex illis doceāt, & ſacroſanctorum verborum, quę Chriſtus præſcripſit, vſum magicum eſſe blaſphement: neque ſanctiſsimæ Trinitatis, per quam Sacramentum hoc conficitur, inuocationem plerique illorum adhibeant, paulò pòſt Deum ipſum negaturi. Vltimò, totum baptiſmum multi ex illis, impiis ſuis diſputationibus abrogârunt; & tanquam rem Iudæis tantùm & gentilibus, & non Chriſtianis, idque memoriæ ſolummodo cauſa & diſcriminis, neceſſariam, nullius autem gratiæ efficacem, ſuſtulerunt. Iepidiſsima capita. Iſti tamen legitimum vſum ſacramentorum ſibi iurè & meritò vendicare audent.

Quid de ſacramento manuum impoſitionis dicemus, quod Græci τελείωσιν, vt ſacer Dionyſius σφράγιδα id eſt, obſignaculum; vt ſancta ſynodus Conſtantinopolitana, Latini, ſignaculum, operationem Spiritus ſancti, chriſma, chriſmatis ſacramentum, vt Cyprianus, atque Auguſtinus appellare ſolet? Confirmationem primus, quod ſciam, Ambroſius in libro de his qui myſteriis initiantur, cap. 6. vocauit: quem poſtea D. Leo, Gregorius, & cæteri poſteriores patres ſecuti ſunt. Quod Sacramentum non ex verbo tradito tantùm vt ſuperiora, ſed ex ipſa ſacra ſcriptura Apoſtolorum temporibus fuiſſe diſcimus: & ſine quo illi perfectos Chriſtianos fieri non poſſe iudicauerunt. Cùm, inquit LVCAS, audiſſent Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, quia recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Ioannem. Qui cùm veniſſent, orauerunt pro ipſis, vt acciperent Spiritum ſanctum. Nondum enim in quenquam illorum venerat, ſed baptizati tantùm erant, in nomine Domini Ieſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum. Et cap. 19. Factum eſt autem, cùm Apollo eſſet Corinthi, vt Paulus peragratis ſuperioribus partibus, veniret Epheſum, & inueniret quosdam diſcipulos, dixitque ad eos, ſi Spiritum ſanctum accepiſtis credentes? At illi dixerunt ad eum: ſed neque ſi Spiritus ſanctus eſt, audiuimus. Ille verò ait: In quo ergo baptizati eſtis? Qui dixerunt: In Ioannis baptiſmate. Dixit autem Paulus: Ioannes baptizauit baptiſmo pœnitentiæ populum, dicens: in eum qui venturus eſſet poſt ipſum, vt crederent, hoc eſt in Ieſum. His auditis baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu: & cùm impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant. Quibus in locis clarè docetur, ſine manuum impoſitione, neque perfectos Chriſtianos fieri, neque omninò Spiritum ſanctum, contra quam docet Caluinus, qui ſolius datæ fidei in baptiſmo profeſsionem eam eſſe cenſet, conferri poſſe.

In cap. de baptiſmo Canone 7.

Lib. 3. contra Donati. ca. 16

Act. 8.

Quod

Quod euidenter & hæc quæ dicta sunt, & illud quod sequitur, falsum esse demonstrant. Cùm vidisset autem Simon, quòd per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus; obtulit illis pecunias, dicens: Date,& mihi hanc potestatem,vt cuicunque imposuero manus,accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem: qua donum Dei, atque adeò Apostolatum ipsum,& Episcopatum exigua pecunia posse comparari iudicauit. Consentanea his apud Eusebium lib. 6. cap. 43. scribit Cornelius ad Fabianum, Nouatum, non esse perfectum Christianum, qui post baptismum non fuerit ab Episcopo confirmatus. Quod idem D. Cyprianus docet, tum demum scilicet plenè sanctificari fideles, & filios Dei effici, si vtroque Sacramento, Baptismo, inquam, & manuum impositione nascantur. Et ante hos Clemens Romanus Epist. 4. de confirmatione sic loquitur. Omnibus ergò festinandum » est sine mora renasci Deo, & demum consignâri ab Episcopo, id est, septi- » formem gratiam Spiritus sancti percipere,quia incertus est vniuscuiusque » terminus vitæ. Cùm autem regeneratus fuerit per aquam, & postmodùm » septiformi spiritus gratia,ab Episcopo (vti memoratum est) confirmatus, » quia aliter perfectus esse Christianus nequaquam poterit, nec sedem ha- » bere inter perfectos, si non necessitate,sed incuria aut voluntate remanse- » rit (vt à beato Petro accepimus,& cæteri sancti Apostoli præcipiente do- » mino docuerunt) & demum ex operibus bonis ostendat in se similitudi- » nem eius, qui eum genuit, patris. Túne igitur illos rectè & legitimè Sa- » cramentis vti dices, qui illud etiam Sacramentum, sine quo ipsa scriptura teste, perfecti Christiani non efficimur, sine quo spiritus sanctus non datur, & quod ipsum scriptum verbum tam luculenter commendat, abrogârunt penitùs? Quo sacramento cùm careant,mirum non est, quòd Spiritu sancto non agantur, quòd subitò ex opinionibus in opiniones commigrent,quòd nusquam firmi & stabiles consistant,quòd facilè Christum verum Deum & hominem abnegent, hoc autem est, christiani esse desinant. *Act. 8.*

Quid ego de pœnitentia dicam? quid de eius partibus? retinuerúntne celebrem illam,& decantatam in omni antiquitate Exomologesin,hoc est,plenam & synceram peccatorum omnium confessionem,rem Apostolis, Apostolicisque viris adeò laudatam, adeo vsitatam? cuius tot viri,qui vel cum ipsis Apostolis, vel paulò pòst vixeruut,luculentissimi testes sunt: de qua Tertullianus: Tantum, inquit, releuat confessio delictum; quantum dissimulatio exaggerat: Confessio enim satisfactionis consilium est dissimulatio contumaciæ, actus pœnitentiæ, qui magis Græco vocabulo » exprimitur & frequentatur: Exomologesis est,qua delictum Domino con- » fitemur, non quidem vt ignaro, sed quatenus satisfactio confessione di- » sponitur, ex confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur: » Itaque Exomologesis prosternendi & humilificandi hominis disciplina » est. &c. Idem beatissimus martyr Cyprianus,veréque Apostolicus vir te- *Lib. de lapsis* statur: Videt Deus corda & pectora singulorum, & iudicaturus non tantùm de factis, sed & de verbis & de cogitationibus nostris, omnium men- » *Lib.de pœnitentia.*

tes vo-

» tes voluntatésq. cõceptas, in ipsis adhuc clausi pectoris latebris intuetur.
» Denique quantò & fide maiore & timore meliore sunt, qui quamùis nullo
» sacrificii aut libelli facinore constricti; quoniam tamen de hoc vel cogita-
» uerunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter, & simpliciter confiten-
» tes, exomologesin conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salu-
» tarem medelam paruis licet & modicis vulneribus exquirunt, scientes scri-
In Asceticis cap. 26. ptum esse; Deus non deridetur. Idem D. Basilius: Necessariò his peccata aperire debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei: siqui-
» dem rationem hanc, in pœnitentia etiam, veteres illos cernimus sequutos
» fuisse, quando & in Euangelio scriptum est; quòd IOanni confitebantur
» peccata sua: Et in Actis Apostolicis ipsis, de quibus etiam baptizabantur
Lib. 50 homiliarum, homilia 49. cuncti. Idem Augustinus: Nemo sibi dicat, occultè ago, apud Deum ago, nouit Deus qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est: Quæ solueritis in terra, soluta erunt in cœlo? Ergo sine causa sunt cla-
» ues datæ Ecclesiæ Dei: Fruſtramus Euangelium Dei? Fruſtramus verba
Eadem docet D. Clemens epistola 1. ad Iacobum. Christi? Quid igitur est impudentem & sui oblitum esse, quàm aliquid cõtra tantorum virorum authoritatem & testimonia negare? Habéntne illas
Eadem Dionysius ad Demophilum. pro peccatis satisfactiones, quas Basilius, vniuersaque Græcia ἐπιτίμια vocat: quarum illas partes Tertullianus * numerat; ieiuniis preces alere, in-
Origenes in Psal. 32. gemiscere, lacrymari, & mugire dies noctésque ad Dominum Deum tuum, presbyteris aduolui, & aris Dei adgeniculari?

Euseb. lib. 5. histo: cap. 27 & li. 6. ca. 27 Quid de admirabili Sacramento Eucharistiæ dicam? quod cùm duplici ex causa institutum sit, primò, vt sit perennis quædam memoria, & annunciatio mortis & crucis Iesu Christi, illiúsque sacrificii, quo semel expiata & consecrata sunt omnia: deinde mensa & cibus aduersus omnes, qui tribulant nos. Ex quibus eius partibus, primam illam & præcipuam, annunciationis inquam mortis & crucis Domini, æternique eius sacrificii. partem penitùs sustulerunt: & quod maius est, summo sacrilegio, idololatriæ nomine contaminarunt. Cuius sacrificii modum, & ritum, ex ipsorum Apostolorum ore, tot omnium seculorum nobilissimi patres nobis tradiderunt: Dionysius, inquam, Clemens, Iustinus, Tertullianus, Basilius, Chrysostomus, Ambrosius, eorúmque successores, qui easdem ipsas eorum liturgias interpretati sunt: Pachymeres, Maximus, Germanus Cõstantinopolitanus, Ioannes Cabasilas, Rupertus, Innocentius, & reliqui innumerabiles amplissimi doctrinę Christianę duces atque magistri, quos non sequi, quos non imitari, quibus non parere; éstne legitimum sacramentorum vsum sequi, an potiùs graui contumaciæ scelere sese obligare? At vtraque specie vtuntur. at quantò potiùs fuerat rebus ipsis vti, quàm speciebus? Quid enim iuuat specie frui, si re ipsa sacramentaria labe infectus, careas? quis autem re huius sacramenti caret, nisi ille, qui nihil præter vmbram & figuram quandam mortuam corporis & sanguinis IESV Christi, in his speciebus contineri docet? quíque vero & legitimo illius conficiendi ministro caret?

** Lib. de Pœnitentia.*

Quid ordinis sacramentum, per quod cætera consecrantur & fiunt sacramenta?

cramenta? habéntne isti, an potiùs rident, rem tot sacris literarum testimoniis comprobatam,omnisq; vetustatis vsu conteſtatam? Insuflat Christus Dominus in discipulos, & dicit: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata,remittuntur eis: vbi & externam cæremoniam & promissionem remittendi peccata,& gratiæ Spiritus sancti manifestam collationem videmus. Monet Paulus Timotheum à se ordinatum: Moneo te, inquit, vt resuscites gratiam Dei,quæ est in te,per impositionem manuum mearum: vbi itidem & cæremonia externa,& promissio gratiæ,euidenter exprimitur. Et in alio loco: Noli negligere gratiam quæ est in te, quæ est tibi data per prophetiam, & per impositionem manuum presbyterii. Et item: Manus citò nemini imposueris. Et in Actis eodem modo Ananias Paulo eandem spiritus sancti gratiam, per impositionem manuum, vt fungeretur officio Episcopi, clarè confert. Quibus locis Caluinus permotus, ac planè coactus, ordinem sacrum sacramentum esse, quòd sæpè alias negauerat, confitetur. Ideo tamen in numero sacramentorum illum se non reposuisse, quòd non sit commune omnium christianorum Sacramentum.

Ioan. 20. *2. Tim. 1.* *1. Tim. 4.* *1. Tim. 5.*

Quid matrimonium?quid extrema vnctio? quorum alterum sacramẽtum magnum Paulus vocat, negant isti: alterius modum & formam, ita distinctis verbis, vt nihil clariùs, nihil planiùs, nihil illustriùs dici possit, explicat Iacobus: Infirmatur quis in vobis,inducat præsbyteros Ecclesię, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmũ,& alleuiabit eum Dominus; & si in peccatis sit,remittentur ei. Confitemini ergò alterutrum peccata vestra: & orate pro inuicem vt saluemini: multum enim valet deprecatio iusti assidua. Quam veteres Gnosticos more simiarum imitatos fuisse, duo vetustissimi Apostolorum successores tradunt, Irenæus cum Epiphanio: cuius stupendos mirabilésque effectus asserunt. Clemens Rom. Libr. 8. de Constit: Apo: cap: 35. Hiero: in vita Hilarionis: Augustinus lib. 2. de visit. infir. ca. 4. & ser.215. de tempore: Innocentius primus Epistola ad Decentium Eugubinum: & Bernard. in vita S. Malachiæ. Quæ tamen omnia isti non modò nõ sequuntur; sed etiam rident,prauísque suis interpretationibus peruertunt. Atqui dicũt, nusquam in scripturis aut confirmatio,aut ordo, aut extrema vnctio Sacramenta esse dicuntur. Demonstrent igitur itidem, vbi aut baptismus,aut Eucharistia,aut Pœnitẽtia,sacramenta appellentur. Quod si hæc Sacramẽta eam solam ob causam vocas, quod ita ab Ecclesia edoctus sis; cur non idem eius iudicium in aliis sequeris? Quid? num Matrimonium Sacramentum Paulus non vocat? idque magnum: tu tamen tui oblitus, negas. His igitur tu hominibus verum, purum,& legitimum Sacramentorum vsum attribues,& non potiùs eorum contaminatores,& abrogatores, eos appellabis? Ampliúsne in meridie lucernam accendere oportebit,illúdque docere, neque hæc vera signa Ecclesiæ Dei esse, quæ isti comminiscuntur, & si sint, istis tamen nulla ratione conuenire? Finge igitur animo, vnam ex illis ipsis, de quibus superiùs diximus, Regis Salomonis concubinis, dum se veram & vnicam Regis dilectam esse iactat, quæ-

Lib. 1. cap. 18 *Hæres. 36.*

dam insignia atque notas tanquam ipsi dilectæ proprias comminiſci, ac ſibi affingere: demonſtret autem quis ex aduerſo, neque illum verum veſtitum aut ornatum reginæ eſſe; & ſi ſit, per fraudem tamen, & inſidias, à regina ad illam ipſam concubinam tranſlatũ eſſe magísque illum colorem illa ornamenta, filię Regis, quàm illius ancillæ conuenire: an non ſatis hac ratione docebit, eam quidem, quæ tantum auſa eſt nefas, impudicam & procacem mulierem eſſe, extremóque ſupplicio dignam, vt quæ ſibi falſò Maieſtatem regiam adſcribat, aliam autem veram & germanam ſponſam magni Regis quærendam eſſe? Suis igitur armis, ſuis præſidiis victi, & confoſſi iacent: neque ampliùs aliis ſubſidiis ad illos conuincendos opus eſſet, ſi pietatis & non maliciæ, veritatis & non ſimulationis, charitatis & non odii, zeli domus Domini, & non ambitionis, vincendíque ſtudii certamen ſuſcepiſſent. Si enim his ſignis & notis veram IESV CHRISTI ſponſam cognoſci & definiri putant, quæ neque vera ſigna ſunt, & magis aliis, quàm illis ipſis conueniunt; an non vniuerſa cauſa decidunt? an aliquid pleniùs & illuſtriùs ad totam veritatem commonſtrandam, vel ipſis ducibus & magiſtris adferri poterit? Verùm nos alienis confutatis, noſtra confirmemus: ac eas, quæ veræ ſint notæ, & inſignia Eccleſiæ Dei, in medium adferamus.

DE VERÆ ET FALSÆ ECCLESIÆ DISCRIMINE:

LIBER SECVNDVS.

Verorum Ecclesię Dei signorum PARTITIO.

Caput I.



NTEquam signa & indicia Ecclesiæ Dei explicamus, operæpretium existimauimus, vt tota res debito modo & ordine procedat, ex doctissimorum virorum præceptis & doctrina, ipsorum signorum atque notarum distinctionem primò paucis repetere. Est autem hæc: alia quidem signa esse, quæ necessariò rem commonstrant, & quasi ex altera parte negotio respondent: τεκμήρια Græci, quasi finem causæ inponentia, vocant: τέκμας enim veteribus, Aristotele teste, finis atque conclusio dicebatur: alia verò non necessaria, quæ iidem Græci σημεῖα siue ἀνάγκα appellare solent, quę etsi singula rem non demonstrant; multa tamen simul veluti in vnum cuneum collecta & conferta vincunt, ac tanquam certa vestigia quædam, ad ipsam nos rem deducunt. Primum genus signorum atque notarum, quibus Ecclesia Dei designatur, ac circumscribitur, ipsum sacrum Symbolum continet atq; explicat. Secundum genus sparsim iam ex his, iam ex aliis sacræ scripturæ locis, sanctísque Patribus, reque adeò ipsa colligitur. Vtrumque summa breuitate, & facilitate Deo duce persequamur.

Aristo. lib. 1. ad Theodectum. cap. 2.

Ea signa, quę in sacro Symbolo CONTINENTVR, VERAS ECCLESIÆ DEI notas esse.

Caput II.

PRimum igitur genus signorum, in ipsis primis & summis religionis nostræ principiis, & fundamentis, duodecim inquam fidei nostræ articulis continetur: in vero inquam illo & incorrupto fidei Christianæ compendio: in diuina sanctissimáq; per orbem terrarum fusi populi CHristiani tessera: in

ra: in ipſo certiſsimo fidei chriſtianæ limite, totiúsque vetuſtatis ampliſſimo depoſito, ſacro inquam Symbolo, quod poſt vnius Trini Dei confeſsionem redemptionísque noſtræ œconomiam, Eccleſiam ſalutis noſtrę tutiſsimum portum, nobis itidem credendam proponit: notásque ipſius & inſignia, vt quæ, & qualis ſit cognoſci, à falſisq; & fucatis Eccleſiis diſtingui poſsit, diuinitùs explicat; vt non ſatis ſit, nos qualemcunque Eccleſiam credere, ſed eam ipſam, qualis ab ipſis Apoſtolis, Apoſtolicísque viris, illísque hominibus, qui à Spiritu ſancto acti & edocti ſunt, nobis credenda proponitur: neúe quisque ad arbitrium ſuum, regni Chriſti notas atque limites ſibi fingat; ſed intra eos fines ac metas, quas nobis maiores noſtri poſuerunt, ſe contineat. Quod quidem Symbolum, cùm maior iſtorum pars nobiſcum communiter profiteatur, in ſuísque congregationibus decantet; improba tamen cupiditate victi & obcœcati, ſeipſos exaudire, atque intelligere non poſſunt: aliam videlicet ſe Eccleſiam in ſumma fidei nobiſcum profiteri, & aliam quærere; vt vel ex ore ſuo rectè cũ illo nequam ſeruo in hac parte condemnentur; quòd vnam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam profeſsi, Lutherum, Philippum, vel Zwinglium, aut Caluinum quempiam potiùs ſequantur. Verùm, cùm eas notas, quæ in ſacro ſunt Symbolo, Eccleſiis ſuis, ita vt diximus, conuenire nullo pacto poſſe, priuata conſcientia iudicaſſent; iis repudiatis, alias neceſſariò ſibi quærendas eſſe exiſtimârunt. Cúmque ad omnia, modò ſtultos ſuos ſenſus ſanent & obtineant, neganda ſint parati, errorémque vnum altero ſemper deteriore tueantur; negant itidem hæc vt notas & inſignia Eccleſiæ, in ſacro Symbolo poſita eſſe: neque tamen cauſas, cur id negent, adferunt. Nam fruſtra & ſuperfluè, in eo præſertim compendio, quod breuiſsimum Eccleſia eſſe voluit, inſerta eſſe, ſtultum eſt vel ſuſpicari. Ornatus, inquiunt, cauſa. At quid ineptiùs eſt, quam in formula fidei rhetorum ornamenta quærere? Augendę orationis gratia. Et illud igitur: Deum verum de Deo vero, lumen de lumine, genitum non factum, conſubſtantialem Patri. &c. eodem modo augendæ orationis cauſa poſitum eſſe credendum erit. Declarandæ, dicent, & explicandę rei cauſa. Atque hoc eſt, quod quærimus. Signis enim & notis res declarantur, atque indicantur. Germanæ igitur notæ, germana inſignia, hæc ipſa veræ Eccleſiæ erunt: quibus qui detrahit, aliáque ſigna quærit; hic idem omnibus illis, quæ in ſymbolo priùs poſita ſunt, præiudicet oportet: quod quidem iam pridem faciunt: ideóque ruit alto de culmine Troia. Quæ igitur ſunt iſta ſigna, & qualia? aut quem ſenſum habent? Illa inquam, vt ea ſit vera Eccleſia, quę eſt vna, Sancta, CAtholica, & Apoſtolica. Hæc enim talia ſunt vt & notiſsima omnibus ſint, & re ipſa, quam commonſtrant, magis clara, & quæ ad aliam rem deſignandam transferri nullo modo poſsint: illámque neceſſariò commonſtrent: palàm item poſita & illuſtria, vt nulli, qui modò aliquid ſenſus & rationis habeat, obſcura eſſe poſsint. Quis enim vnitatem Eccleſiæ non cernat? quis conſtantem ſanctitatem non animaduertat? quis vniuerſalitatem, vt ita dicam, quis æternam & perpe-

tuam

tuam ſucceſsionem vel oculis ipſis non videat? Quæ omnia ex quibus fontibus ſint hauſta, & quam vim & ſenſum habeant, paucis explicemus.

Prima ex ſacro Symbolo nota EXPLICATVR: EAM ESSE VERAM Eccleſiam, quæ ſit vna.

Caput III.

PRIMA igitur in ſacro Symbolo nota veræ Eccleſiæ, illa eſt, vt ſit vna: ídque ex ipſo verbo Dei, ſacráque ſcriptura, primò deſumta: Vna eſt columba mea, inquit Scriptura, perfecta mea, vna eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ: viderunt eam filiæ, & beatiſsimam prædicauerunt, reginæ & concubinæ laudauerũt eam. In hoc cognoſcent vos, dicit ipſe Dominus, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem inter vos ſeruaueritis. Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut & nos. Cùm eſſem cum eis, ego ſeruabam eos in nomine tuo. Quos dediſti mihi, ego cuſtodiui: & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis: vt ſcriptura impleatur. Non pro eis autem rogo tantùm, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me: vt omnes vnum ſint, ſicut & tu pater in me, & ego in te: vt & ipſi in nobis vnum ſint: vt credat mundus, quia tu me miſiſti. Et ego claritatem quam tu dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus. Ego in eis, & tu in me: vt ſint conſumati in vnum, & cognoſcat mundus, quia tu me miſiſti, & dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti. Pater, quos dediſti mihi, volo vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum: vt videant claritatem meam, quam dediſti mihi, quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi. Pater iuſte, mundus te non cognouit. Ego autem te cognoui: & hi cognouerunt quia tu me miſiſti. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, vt dilectio qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis. Regnum Chriſti regnum omnium ſeculorum eſt. Omne autem regnum multiplex, & in ſe diuiſum, deſolandũ, idem Saluator docet: Monogamus, inquit Hieronymus, primus Adam, monogamus & Chriſtus. Hoc primùm limite ſuam Eccleſiam à Valentini, Marcionis, ac reliquorum ſui temporis hæreticorum ſectis, diſtinxit Apoſtolorum ſucceſſor Irenæus. Cùm, inquit, hanc prædicationem acceperit, & hanc fidem, quemadmodum prædiximus, Eccleſia, & quidem in vniuerſum mundum diſſeminata, diligenter cuſtodit, quaſi vnam domum inhabitans: & ſimiliter credit iis, videlicet, quaſi vnam animam habens, & vnum cor: & conſonanter hæc prædicat, & docet, & tradit, quaſi vnum poſsidens os. Nam etſi in mundo loquelæ diſsimiles ſunt, ſed tamen virtus

Ioan: 15.
Ioan: 17.
Pſal. 144.
Matth. 12.
Lib. 1. cap. 1.

» traditionis vna, & eadem est. Et neque hæ, quæ in Iberis sunt, neque hæ,
» quæ in Celtis, neque hę, quę in Oriente, neque hę, quę in Ægypto, neque
» hæ, quæ in Libia, neque hæ, quæ in medio mundi sunt constitutæ; sed si-
» cut sol creatura Dei in vniuerso mundo vnus & idem est; sic & lumen præ-
» dicatio veritatis vbique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad
» cognitionem veritatis venire. Et neque, qui valdè præualet in sermone, ex
» iis qui præsunt Ecclesiis, alia quàm hæc sunt, dicet. Nemo enim super ma-
» gistrum est: neque infirmus in dicendo deminorabit traditionem. Cùm
» enim vna & eadem fides sit; neque is qui multum de ea potest dicere am-
» pliat, neq; is, qui minus deminorat. Idem Diuus Cyprianus sentit. Ecclesia
De vnitate ec cleſiæ & li. 1. Epiſt. 8 & in aliis infinitis locis vna est, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur,
quomodo solis multi radii, sed lumen vnum; & rami arboris multi, sed ar-
bor vna tenaci radice fundata. Et cùm de fonte vno riui plurimi defluunt,
numerositas licet diffusa videatur, vnitas tamen seruatur in origine. Auel-
» le radiũ solis à corpore, diuisionem lucis vnitas non capit: ab arbore fran-
» ge ramum, fractus germinare non poterit: à fonte præcide riuum, præcisus
» aresçet. Sic & Ecclesia Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos
» porrigit; vnum tamen lumen est, quod vbique diffunditur, nec vnitas cor-
» poris separatur. &c. Vtitur hoc eodem signo Tertullianus. Itaque tot, in-
De præſcri- ptione aduer sus Hæretic. quit, & tantæ Ecclesiæ, vna est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic
omnes primę, & omnes Apostolicæ, dum vnam omnes probant vnitatem.
» Communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & contesseratio hospita-
» litatis, quæ iura, non alia ratio regit, quàm eiusdem sacramenti vna tradi-
tio: Nam Augustinum, Hieronymum, Ambrosium quid attinet proferre,
cùm Augustinus ipse integrum librum de vnitate Ecclesiæ conscripserit,
eodémque modo alii, plurima de vnitate ECClesiæ ediderint?

Verùm cùm isti multis & variis modis omnes Ecclesię Dei notas effu-
gere, ac eludere velint, tum vel hanc inprimis ídq; hoc modo; & omnẽ sci-
licet hæresim vnam esse, imò quicquid est, ea ratione demũ teste Aristotele
esse, quia vnum sit; ideo, quo sensu hoc loco vna accipiatur Ecclesia, paucis
exponamus. Cùm igitur dicimus illam veram Ecclesiã esse, quę vna sit, hoc
ita intelligi volumus. Primùm, quę semper vna & eadem sit: hoc autẽ est,
ne hoc quidem anno exoriatur, altero autem occidat; ne nũc quidẽ de his
rebus illud sentiat & iudicet, aliud postea, & iterũ aliud; sed ea erit vna Ec-
clesia, quę semper vna sit, vnumq́; & idem, de rebus iisdem semper senserit:
quę, quos sensus à principio accepit, quibus à primis ducibus & fundato-
ribus fidei suæ imbuta & instituta sit, eosdem constanter conseruet & tue-
atur: quæ non tanquam vestes, sic opiniones mutet: quæ non tanquam
ex hospitiis in hospitia, sic ex sententiis in sententias transeat ac transfera-
tur: quæ more paruulorum non fluctuet: quæ omni non circumferatur
vento doctrinæ: quæ etsi proficiat, & augmenta sua habeat; easdem ta-
men species rerum conseruet, vt quamùis in gramine, quamùis in herba,
quamùis in spica sit; vnum tamen & idem frumentum semper permaneat:
non quæ triticum quidem à principio polliceatur, mox in lolium infelix &

steriles

ſteriles auenas exeat. Proficit illa quidem, vt dixi; ſed ita tamen, vt verè profectus ſit ille fidei, non permutatio: vt quidem præclarè ante hos mille annos rem hanc totam explicat Vincentius Lirineñ. Ad profectum pertinet, vt in ſemetipſa vnaquæque res amplificetur: ad permutationem verò, vt aliquid ex alio in aliud tranſuertatur. Creſcat igitur oportet, & multum vehementérque proficiat, tàm ſingulorum, quàm omnium, tàm vnius hominis, quàm totius Eccleſię ætatum, ac ſeculorum gradibus, intelligentia, ſcientia, ſapientia; ſed in ſuo duntaxat genere, in eodem ſcilicet dogmate, eodem ſenſu, eadémque ſententia. Imitetur animarum religio rationem corporum, quę licèt annorum proceſſu, numeros ſuos euoluant & explicent; eadem tamen quæ erant, permanent. Multum intereſt inter pueritiæ florem, & ſenectutis maturitatem; ſed iidem tamẽ ipſi fiunt ſenes, qui fuerant adoleſcentes: vt quamùis vnus eiuſdémq; hominis ſtatus habitúsque mutetur, vna tamen nihilominus, eadémque natura, vna eademq; perſona ſit. Parua lactentium membra, magna iuuenum; eadem ipſa ſunt tamen: quot paruulorum artus, tot virorum: & ſi qua illa ſunt, quæ æui maturioris ætate pariuntur; iam in ſeminis ratione præſata, vt nihil nouum poſtea proferatur in ſenibus, quod non in pueris iam antea latitauerit. Vnde non dubium eſt, hanc eſſe legitimam & rectam proficiendi regulam, hunc ratum atque pulcherrimum creſcendi ordinem, ſi eas ſemper in grandioribus partes ac formas, numerus detexat ætatis, quas in paruulis creatoris ſapientia præformauerat. Quòd ſi humana ſpecies in aliquam deinceps non ſui generis vertatur effigiem, aut certè addatur quippiam membrorum numero, vel detrahatur; neceſſe eſt, vt totum corpus vel intercidat, vel prodigioſum fiat, vel certè debilitetur. Ita etiam Chriſtianę religionis dogma, ſequatur has decet profectuum leges; vt annis ſcilicet conſolidetur, dilatetur tempore, ſublimetur ætate: incorruptũ tamen illibatúmq; permaneat, & vniuerſis partium ſuarum menſuris, cunctisque quaſi membris ac ſenſibus propriis plenum, atque perfectum ſit: quod nihil præterea permutationis admittat, nulla proprietatis diſpendia, nullam ſuſtineat definitionis varietatem. Exempli gratia: ſeuerunt maiores noſtri antiquitus in hac Eccleſiaſtica ſegete triticeę fidei ſemina: iniquum valde & incongruum eſt, vt nos eorum poſteri pro germana veritate frumenti, ſubdititium zizanię eligamus errorem. Quin potiùs hoc rectum & conſequens eſt, vt primis atque extremis ſibimet non diſcrepantibus, de incrementis triticeę inſtitutionis, triticei quoque dogmatis frugem demetamus: vt cùm aliquid ex illis ſeminum primitiis acceſſu temporis euoluatur, & nunc lætetur & excolatur, nihil tamen de germinis proprietate mutẽtur: addatur licet forma, ſpecies, diſtinctio; eadem tamen cuiusque generis natura permaneat. Abſit etenim, vt roſea illa catholici ſenſus plantaria, in carduos ſpinásque vertantur: abſit, inquam, vt in iſto ſpiritali Paradiſo, de cynnamomi & balſami ſurculis, lolium repentè atque aconita proueniant. Quodcunque igitur in hac Eccleſia, Dei agricultura, fide patrum ſatum eſt; idem filiorum induſtria decet excolatur,

Cap. 28.

„ & obſeruetur: hoc idem floreat & matureſcat: hoc idẽ proficiat & perfi-
„ ciatur. Fas eſt etenim, vt priſca illa cœleſtis philoſophię dogmata proceſſu
„ temporis excurentur, limentur, poliantur: ſed nefas eſt vt commutentur,
„ nefas vt detruncentur, vt mutilentur. Accipiant licet euidentiam, lucem,
„ diſtinctionem; ſed retineant neceſſe eſt plenitudinem, integritatem, pro-
„ prietatem. Nam ſi ſemel admiſſa fuerit hæc impiæ fraudis licentia, horreo
„ dicere, quantum excidendę atque abolendę religionis periculum conſe-
„ quatur. Abdicata etenim qualibet parte catholici dogmatis, alia quoque
„ atque item alia, ac deinceps alia, & alia, iam quaſi ex more & licito abdi-
„ cabuntur. Porrò autem ſingulatim partibus repudiatis, quid aliud ad
„ extremum ſequetur, niſi vt totum pariter repudietur? Sed è contra, ſi no-
„ uitia veteribus, extranea domeſticis, & prophana ſacratis admiſceri cœ-
„ perint; proſerpat hic mos in vniuerſum neceſſe eſt, vt nihil poſthac apud
„ Eccleſiam relinquatur intactum, nihil illibatum, nihil integrum, nihil im-
„ maculatum; ſed ſit ibidem deinceps impiorum ac turpium errorum lupa-
„ nar, vbi erat antè, caſtæ & incorruptę ſacrarium veritatis. Sed auertat hoc
„ à ſuorum mentibus nefas diuina pietas, ſitque hic potiùs impiorum furor.
„ Chriſti verò Eccleſia, ſedula & cauta depoſitorum apud ſe dogmatum cu-
„ ſtos, nihil in iis vnquam permutat, nihil minuit, nihil addit: non amputat
„ neceſſaria, non apponit ſuperflua, non amittit ſua, non vſurpat aliena; ſed
„ omni induſtria hoc vnum ſtudet, vt vetera fideliter ſapienterque tractan-
„ do, ſi qua ſunt illa antiquitus informata & inchoata, accuret & poliat: ſi
„ qua iam expreſſa & enucleata, conſolidet, firmet: ſi qua iam confirmata
„ & definita, cuſtodiat. Denique quid vnquam aliud Conciliorum decretis
„ eniſa eſt, niſi, vt quod antea ſimpliciter credebatur, hoc idem poſtea dili-
„ gentiùs crederetur? quod antea lentiùs prædicabatur, hoc idem poſtea
„ inſtantiùs prædicaretur? quod antea ſecuriùs colebatur, hoc idem poſtea
„ ſolicitiùs excoleretur? Hoc, inquam, ſemper, neque quicquam præterea,
„ hæreticorum nouitatibus excitata, Conciliorum ſuorum decretis Catho-
„ lica perfecit Eccleſia, niſi, vt quod priùs à maioribus ſola traditione ſuſce-
„ perat, hoc deinde poſteris etiam, per ſcripturæ chirographum conſigna-
„ ret, magnam rerum ſummam paucis literis comprehendendo, & plerun-
„ que propter intelligentiæ lucem, non nouum fidei ſenſum, nouæ appella-
„ tionis proprietate ſignando. Hactenus Lirinenſis. Creſcat igitur & profi-
ciat Eccleſia oportet: non tamen in aliam deſinat, non ſeipſam deſtruat, & more viperarum conficiat: quæ nihil pugnans, nihil aduerſum illis rebus, quas in primis ſuis initiis docuit ac tradidit, tradat aut doceat: cuius teſtimoniis contra illam ipſam vti nemo poſsit: quę denique pro piſce ſerpentem, pro pane lapidem, pro ouo ſcorpionem non porrigat. Vna igitur erit, ſi ſemper vna & eadem non nomine tantùm, non natura, & numero hominum, ſed ſenſu etiam & dogmate, iisdemque rerum ſpeciebus omnibus exiſtet. Verùm cùm vnitas hæc atque concordia temporis nonnunquam & neceſsitatis cauſa, ex compoſito, & per ſyncretiſmum, vt verbo Demoſthenis vtar, hoc autem eſt, per conſpirationem, & qualemcunque cohæreti-

cohærentiam conſarciri poſsit. Sic enim, referente Staphilo, Melanchton dicere ſolebat: Vel, inquit, nunc inter nos temporis cauſa concordiam componamus, & conſenſum, qualem pacem quondam inter Caipham, Pilatum, Herodem, item ad interficiendum CHRiſtum, ad tempus compoſitam fuiſſe legimus: & qualem nunc quotannis inter ſe in ſuis Synodis dicis cauſa, volunt conſuere iſti, nec tamen vnquam rectè poſſunt. Ideò non ſufficit ad eam Eccleſiæ vnitatem conſtituendam, vt quomodocunque vna ſit; ſed etiam vt eius vnitatis in ſe cauſas & principia habeat, quas ipſa vnitas vi & natura ſua, etiam ſi hac de re nihil cogites, etiam ſi ſyncretiſmos nullos comminiſcaris, ipſa per ſe ſequatur.

Sed quæ tandem iſtæ ſunt huius vnitatis cauſæ, quę principia? In omni quidem animante duæ ſunt vnitatis præcipuę cauſę. Anima inquam & Spiritus, ſi facultates internas ſpectes; caput autẽ, ſi exteriora membra, omniúmque facultatum atque membrorum, ad hæc duo, debita ſubiectio & conſenſus; ſine quibus animal vnum, nequaquam conſiſtere poteſt: quibus ſaluis & integris manentibus, vnitas eius perpetuò durat. Hæc igitur eadẽ vnitatis Eccleſię erũt principia: vnitas, inquam, animę & ſpiritus, & vnitas capitis: quę ſi habet, vna ſemper eſt; ſi nõ habet, ſexcentos licet nectas ſyncretiſmos, ex arena funiculos nectes, vna tamen nunquam erit.

Sed quæ tandem eſt hæc animæ atque ſpiritus vnitas? non alia certè, quàm vniuerſalis atque catholicus ſacræ Scripturę ſenſus & interpretatio. Docet hoc Paulus: Litera, inquit, occidit, ſpiritus viuificat: quaſi diceret: Senſum & ſpiritũ ſcripturę, animam Eccleſię eſſe. Et alio loco: Vnum corpus, & vnus ſpiritus; ſicut & vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ. Docet idem D. Petrus: Hoc primùm intelligẽtes, quòd omnis prophetia ſcripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines. Capitis porrò vnitas quæ? non alia, quàm vnitas paſtoris. Quis hoc docet? Chriſtus Dominus: Et erit vnum ouile, & vnus paſtor. Quis paſtor? quis alius, niſi ſponte errare velis, quàm ille, cui munus paſcendi toties repetitis vicibus, paſce oues meas, paſce agnos meos, committitur; Petrus inquam, eiúsque ſucceſſores? Quæ coordinatio facultatum & membrorum? niſi obedientia & ſubiectio ad eum ſenſum communem ſcripturę & ad eum qui præeſt paſtorem. Obedite præpoſitis veſtris, inquit Paulus, & ſubiacete eis, ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri. Et: In captiuitatem redigẽtes omnem intellectum in obſequium Chriſti. Quæ igitur Eccleſia vnum Catholicum & vniuerſalem omnium temporum atque locorum ſcripturę ſequetur ſenſum, vnam interpretationem, quę vnum habebit paſtorem, quæ omnium facultatum atq; membrorum ad eum Spiritum, ad hocque ipſum caput conglutinationem & conſenſum; illa vera & propria vnitatis principia habebit, & ideo vna ſemper erit. Erit enim terra labii vnius, vnum erit multitudinis credentium cor, vna anima, vnum caput. In qua autem ſecta quot homines ſunt tot ſenſus, tot interpretationes ſcripturæ, quæ nullum communem,

2. *Cor.* 3. *Epheſ.* 4. 2. *Pet.* 1. *Hebr.* 13.

munem, nullum catholicum ſequetur ſcripturæ ſenſum, quæ item nullum habebit vnum paſtorem, nullam membrorum conglutinationem; hæc nũquam vna erit: hæc hæreſis potiùs quàm Eccleſia dicetur. Sic enim hæreſim vetuſtiſsimus Tertullia. definit: Hæreſes dictæ Græca voce ex interpretatione electionis, qua quis ſiue ad inſtituendas, ſiue ad ſuſcipiendas eas vtitur. Ideo & ſibi damnatum dixit hæreticum, quia & in quo damnatur, ſibi elegit. Nobis verò nihil ex noſtro arbitrio indulgere licet, ſed ne eligere quod aliquis de arbitrio ſuo induxerit. Apoſtolos Domini habemus autores, qui nec ipſi quicquam ex ſuo arbitrio, quod inducerent elegerunt; ſed acceptam à Chriſto diſciplinam fideliter nationibus adſignauerunt. Docet hoc res ipſa, docet natura rei, docet recta ratio, docent ea, quæ ſuperius dicta ſunt: docet hoc idem illud ſanctorum omnium, & Epiſcoporum, & Martyrum lumen Beatiſsimus Cyprianus, quo neque vetuſtior, neq; doctior, neq; ſanctior in hac cauſa quiſquam poteſt. Cuius illa eſt de hac tota re doctrina: Videns inimicus idola derelicta, & per nimiũ credentiũ populum ſedes ſuas ac templa deſerta, excogitauit nouam fraudem, vt ſub ipſo chriſtiani nominis titulo fallat incautos: hæreſes inuenit & ſchiſmata, quibus ſubuerteret fidem, veritatem corrumperet, ſcinderet vnitatem. Quos detinere non poteſt, in via veteris cæcitate circumſcribit & decipit noui itineris errore: rapit de ipſa Eccleſia homines; & dum ſibi appropinquaſſe iam lumini, atque euaſiſſe ſeculi noctem videntur, alias neſcientibus tenebras rurſus infundit. &c. Hoc eò fit, fratres dilectiſsimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec magiſtri cæleſtis doctrina ſeruatur. Quæ ſi quis conſideret & examinet, tractatu longo atque argumentis opus non eſt. Probatio eſt ad fidem facilis cõpẽdio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Tibi dabo claues regni cœlorum: & quæ ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis. Et eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit: Paſce oues meas. Super illum vnum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oues ſuas. Et quamùis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat & dicat. Sicut miſit me pater, & ego mitto vos: Accipite Spiritum ſanctum: Si cui remiſeritis peccata, remittentur illi: ſi cui tenueritis, tenebuntur; tamen vt vnitatem manifeſtaret, vnam cathedram conſtituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem ſua authoritate diſpoſuit. Hoc erant vtique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis, ſed exordium ab vnitate proficiſcitur: & primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia, & cathedra vna, monſtretur: & paſtores ſunt omnes, ſed grex vnus oſtenditur, qui ab Apoſtolis omnibus vnanimi conſenſione paſcatur, vt Eccleſia Chriſti vna monſtretur. Quam vnam Eccleſiam etiam in Cantico Canticorum Spiritus ſanctus ex perſona domini deſignat, & dicit: Vna eſt columba mea. Et in alio loco: Neque enim aliunde hæreſes obortæ

Cyprianus de vnitate Eccleſiæ.

ſunt,

sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde, quod Sacerdoti Dei non obtẽperatur: nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos & ad tẽpus iudex vice CHRisti cogitatur. cui si secundùm magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersum sacerdotũ collegium quicquam moueret: nemo post diuinum iudicium, post populi suffragiũ, post còépiscoporum consensum, iudicem se iam non Episcopi sed Dei faceret: nemo discidio vnitatis CHRisti Ecclesiam scinderet, nemo sibi placens ac tumens seorsum foris hæresim nouam conderet. Ibidem: CHRisti aduersarius & Ecclesiæ eius inimicus ad hoc Ecclesiæ præpositum sua infestatione persequitur; vt gubernatore sublato, atrociùs atque violentiùs circa Ecclesię naufragia grassetur. Et paulò pòst: Petrus tamen super quem ædificata ab eodem Domino fuerat Ecclesia, vnus pro omnibus loquens, & Ecclesię voce respondens, ait: Domine, ad quem ibimus? Verbum vitæ æternę habes: & nos credimus & cognouimus, quoniam tu es filius Dei viui: significans scilicet & ostendens eos, qui à CHRisto recesserint, culpa sua perire: Ecclesiam tamen quæ in CHRistum credat, & quæ semel id quod cognouerit teneat, nunquam omninò ab eo discedere, & eos esse Ecclesiam, qui in domo Dei permanent. Et multis interiectis: Post ista adhuc insuper pseudoepiscopo sibi ab hæreticis constituto, nauigare audent, & ad Petri cathedram atque ad Ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis & prophanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos (quorum fides Apostolo prædicante, laudata est) ad quos perfidia habere non possit accessum. Nec hæc iacto, sed dolens profero, cùm te iudicem Dei constituas & CHRisti, qui dicit ad Apostolos, ac per hoc ad omnes præpositos, qui Apostolis vicaria ordinatione, succedunt: Qui audit vos, me audit; & qui me audit, audit eum qui me misit. Et qui reiicit vos, me reiicit, & eum qui me misit. Inde enim schismata & hæreses oborte sunt & oriuntur, dum Episcopus qui vnus est, & Ecclesię præest, superba quorundam præsumptione contemnitur: & homo dignatione Dei honoratus, indignus hominibus iudicatur. Et paulò pòst: Dominus quoque in Euangelio, cùm eum loquentem discipuli derelinquerent, conuersus ad duodecim, dixit: nunquid & vos vultis ire? Respondit ei Petrus, dicens: Domine, ad quem imus? verbum vitæ æternę habes: & nos credimus & cognouimus, quoniam tu es filius Dei viui. Loquitur illic Petrus, super quem ædificata fuerat Ecclesia, Ecclesię nomine, docens & ostendens; quia etsi contumax ac superba obaudire nolentium multitudo discedat, Ecclesia tamen à CHRisto non recedit: & illi sunt Ecclesia, plebs sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens. Vnde scire debes Episcopũ in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo: & si qui cum Episcopo non sint: in Ecclesia non esse: & frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, & latenter apud quosdam communicare se credunt: quando Ecclesia quæ catholica vna est, sciissa non sit, neque diuisa, sed sit vtique connexa, & cohærentium sibi inuicem sacerdotum glutino copulata. Hæc Cyprianus.

Lib. 1. Epi. 3. ad Cornelium.

Lib. 4. Epi. 9 ad Florentium siue Pupianum.

Neque

Neque verò ſatis eſt, ad eam veram vnitatem Eccleſię conſtituendam, vt ſemper vna ſit, eiúsque vnitatis in ſe cauſas & principia contineat; ſed etiam oportet, vt vbique, & inter omnes, & in omnibus partibus mundi ſit vna: vt quocunque veneris, vnam, eandémque agnoſcas, neque neceſſe habeas quærere, cuius, & qualis ſint homines illi confeſsionis, ad quos pertineãt: vt non alio quidem modo vxor, alio maritus, de religione ſentiat: non diſsimilis ſit in vna domo quàm in alia deuotio: vt non alio modo in iisdem ædibus in ſuperiore cœnaculo, alio in inferiore credatur & doceatur. Vt enim hæreſes & ſchiſmata vnius linguæ homines, ne ſe ipſos eadem lingua loquentes intelligant efficiunt; ita Spiritus Eccleſię Dei, homines diuerſarum linguarum eundem habere ſenſum efficit: Audiuimus illos, inquit ſcriptura, vnusquisque lingua noſtra loquentes magnalia Dei: vt illud ſit, quòd ſancta ſanctè poſtulat Eccleſia: Veni, inquit, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende, qui per diuerſitatem linguarum cunctarum, gentes in vnitate fidei congregaſti.

Act. 2.

Verùm quoniam obiiciunt iſti, inter catholicos etiam non in omnibus ſemper conuenire. Habent enim Orientales Eccleſiæ ritus ſuos, habent & occidentales; ideò quibus in rebus eas ipſas Eccleſias ſibi conſentire, vt ſuam conſeruent vnitatem, ſatis ſit, in quibusque rebus vnitas iſta conſiſtat, explicandum eſt; vt ita os iſtorum obſtruatur impudens, quo Turcicam perfidiam, ſimiliter vnam ſemper eſſe dicere non erubeſcunt, eámque cum Catholica Eccleſia comparare non verentur. Explicat autem earum rerum capita, in quibus vna eſſe debet ipſe Doctor gentium Paulus. Vnum corpus, & vnus ſpiritus: ſicut & vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus & pater omnium, qui ſuper omnes & per omnia, & in omnibus nobis.

Epheſ. 4.

Primùm igitur caput eius vnitatis ponit Paulus, vt credatur vnus pater ſuper omnia, hoc eſt, vt ſit vna præcelſæ diuinitatis confeſsio: vnus de vero Deo ſenſus, vt non alii quidem vnum Deum, alii tres, alii nullum eſſe profiteantur.

Secundò, vt ſit vnus Dñus, hoc eſt, vna de filio eius vnigenito fides: vt nõ ab aliis quidem verus Deus, ab aliis minor Deus, ab aliis inſtrumentum tantùm & creatura, ab aliis purus quidã homo cenſeatur: & ab his quidem adorandus, ab aliis autẽ ne adorandus quidem prædicetur: hoc enim eſt Chriſtũ diuidere: qui autem diuidit Chriſtũ, dicit Ioannes, Antichriſtus eſt.

Tertiò vna item ſit fides, hoc eſt, vnum commune ſymbolum, vnáque eius communis expoſitio ac interpretatio, vt non alia ſit confeſsio Heydelbergeñ. alia Valdeñ. alia Saxonica, alia quatuor ciuitatum, alia Sandomirieñ. ne neceſſe ſit inquirere, quem quis fidei ducem ſequatur, vt non id quisque credat, quod vult, & quantum vult, & quomodo vult; ſed quod, & quantum, & quomodo illi vt credat primitùs à maioribus ſuis præſcri-
„ ptum eſt, vt ille Canon Concilii Epheſini ſanctè obſeruetur. Cõſtituit ſan-
„ ctum Concilium, vt nemini liceat aliam fidem vel proferre, vel conſcribere, vel

re, vel componere, quàm eam, quæ præſtituta ac præſcripta eſt à ſanctis „ Patribus, qui in Nicea vrbe, cum auxilio SPIRitus ſancti coacti fue- „ runt. Qui autem audeant aliam fidem, vel componere, vel producere, vel „ proferre, volentibus conuerti ad agnitionem veritatis; ſiue ex Gentilita- „ te, ſiue ex Iudaiſmo, ſiue alia quacunque ſecta; vt hi ſiquidem Epiſcopi aut „ Clerici ſint, iſti ab Epiſcopatu, hi à clero remoueantur, ac prohibeantur: „ ſin autem laici ſint, vt extrema deteſtatione & execratione percellantur. „ Hactenus ſancta ſynodus Epheſina. Quo quidē Canone docent ſancti Patres, poſt duo illa œcumenica Concilia, Nicenum, inquam, & Cōſtantinopolitanum, fidem chriſtianam, ab Epheſina ſynodo ita concluſam & obſignatam eſſe; vt nemini amplius mortaliū aliam fidem cōſcribere aut proferre liceat. Nam Confeſsionum iſtarum nomen in populo chriſtiano Eccleſiáque Catholica, non ita vſitatum eſt, vitióque iſtorum inuectum. De quibus nemo melius quàm ipſi Confeſsiones noſtræ, inquiunt, ſunt voces partium litigantium. Et paulò pòſt, ſed hæc mala vt vitentur, illum etiam horum fontem caueri eſt neceſſe, ne qua particularis confeſsio, pro fidei & veritatis regula habeatur, vel cenſurę chriſtianæ eximatur. Id enim ſi fiat, non iam vna in multis confeſsionibus fides & religio, ſed tot religiones & chriſtianiſmi exiſtent, quot confeſsionum formę, ex qua diſtractione nihil niſi conſcientiarum perturbatio Atheiſmi incrementum & eccleſiarum ruina poteſt conſequi.

Quartò, vt vnum ſit baptiſma, hoc eſt, eadem Sacramenta, idemque eorum numerus. Primum enim & maximè neceſſarium, & ſine quo alia eſſe non poſſunt, pro omnibus aliis poſitum eſt; vt non alii quidem duo, alii tria, quatuor alii ſacramenta eſſe profiteantur; ſed vnum & eundem numerum omnes: vt non hi quidem in prima infantia, alii in decem annis, alii triginta, demum alii nunquam baptiſentur: & iſti quidem in nomine Patris, & filii, & Spiritus ſancti, alii autem in patris nomine, per filium in ſpiritu ſancto; ſed vt omnes eodem modo, eodem ritu, eadem ſemper ratione expientur.

Vltimò, vt ſit eadem ſpes vocationis, hoc eſt, eadem fides immortalitatis animarū, eædem poſt exceſſum earum ſedes & commoratio; pœnarū item & præmii, cœli, & inferorum ſpes atq; metus idem. Eodemq. modo de mediis ſpei vocationis noſtrę, fide, inquam, iuſtificatione, meritis, legibus, cæremoniis, magiſtratibus vnus & idem ſenſus. Vt non hi quidem cantando & pſallendo tantùm cœlo ſe potituros credant, alii autem per multas tribulationes & anguſtias, eò properent atque contendant. In his igitur omnibus, ſi vna eſt Eccleſia, non valdè laborandum erit, ſi in quibusdam ritibus, vel cæremoniis eius ſit aliqua varietas; quæ ad ornatum potiùs & ſplendorem, quàm ad diuiſionem eius pertineat: vt aſsiſtat regina à dextris regis, circumamicta varietate. Pſal. 44.

Verùm, non ſatis eſt vbique vnam ſemper eſſe, eiúsque vnitatis cauſas & principia in ſe habere, aut in his partibus, de quibus dictum eſt, cōſentire; ſed vltra illud poſtremò addendum eſt, vt eo genere vnitatis ſit

vna: quo ſacrę præſcripſerunt & adumbrârunt literæ. Neque enim vnitate aquæ aut ligni vt de rebus publicis dicere ſolebat Ariſtoteles, vbi vnaquæque pars aquæ eſt aqua, vnaquæque pars ligni eſt lignum, debet eſſe vna; ſed vnitate domus. Eſt enim, inquit Paulus, Domus Dei omnipotentis, Vnitate ciuitatis, ſic enim vocatur: Vrbs fortitudinis Sion, Saluator in ea, murus & antemurale. Vnitate vineæ, de qua Dauid: Deus virtutum conuertere; reſpice de cœlo, & vide, & viſita vineam iſtam. Vnitate denique corporis, quam hoc modo explicat Paulus: Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra, habentes autem donationes, ſecundùm gratiam quę data eſt nobis, differentes: ſiue Prophetiam ſecundùm rationem fidei, ſiue miniſterium in miniſtrando, ſiue qui docet in doctrina. qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in ſimplicitate, qui præeſt in ſolicitudine, qui miſeretur in hilaritate, dilectio ſine ſimulatione, odientes malum, adhærentes bono, charitatem fraternitatis inuicem diligentes, honore inuicem præuenientes. Et idem alio loco: Sicut enim corpus vnum eſt, & mẽbra habet multa: omnia autem membra corporis, cùm ſint multa, vnum tamen corpus ſunt; ita & Chriſtus. Etenim in vno ſpiritu omnes nos in vnum corpus baptiſati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Gẽtiles, ſiue ſerui, ſiue liberi, & omnes in vno ſpiritu potati ſumus: Nam & corpus non eſt vnum membrũ, ſed multa: Si dixerit pes, quoniã non ſum manus, nõ ſum de corpore; num ideò non eſt de corpore? Et ſi dixerit auris, quoniam non ſum oculus, non ſum de corpore, num ideo non eſt de corpore? Si totũ corpus oculus, vbi auditus? ſi totum auditus, vbi odoratus? Nunc autem poſuit Deus membra vnumquodq. eorum in corpore ſicut voluit. Quod ſi eſſent omnia vnum membrum, vbi corpus? Nunc autem multa quidem membra, vnum autem corpus: Non poteſt autem dicere oculus manui, opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarii; ſed multò magis, quæ videntur mẽbra corporis infirmiora eſſe, neceſſariora ſunt. Et quę putamus ignobiliora membra eſſe corporis; iis honorem abundantiorem circumdamus. Et quæ inhoneſta ſunt noſtra, abundantiorem honeſtatem habent. Honeſta autem noſtra nullius egent. Sed Deus temperauit corpus, & cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem: vt non ſit ſchiſma in corpore, ſed in idipſum pro inuicem ſolicita ſint membra. Et ſi quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: ſiue gloriatur vnum membrum, cõgaudent omnia membra. Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro. Et quosdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum. Nunquid omnes Apoſtoli? Nunquid omnes Prophetæ? Nunquid omnes Doctores? Nunquid omnes virtútes? Nunquid omnes gratiam habent curationum? Nunquid omnes linguis loquuntur? Nunquid omnes interpretantur? Æmulamini autem chariſmata meliora:

1. Tim. 2.

Iſa. 26.

Pſalm. 79.

Rom. 12.

1. Corinti. 12.

Et adhuc

Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. Quę quidē D. Pauli verba illud docent, Ecclesiam quidem Dei vnam esse; ita tamen, vt neque ex vno membro, neque vno genere hominum constet: sed multiplicibus & variis dignitatibus, ordinibus, magistratibus, functionibus, familiis denique sit distincta: nam neque domus vno pariete, neque ciuitas vna domo, neque vinea vna vite constat, neque corpus humanum vno membro continetur; quæ tamen omnia non modò inter se non pugnant, non modò se non impediunt, sed potiùs mutuo præsidio, ornamento, & auxilio sibi esse solent: mutuamque sibi operam præstant, quod ipse hunc in modum explicat Paulus: Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo *Ephes. 4.* per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum & cōnexum, per omnem iuncturam subministrationis corporis secundùm operationem in mensuram vniuscuiusq; membri augmentum corporis facit, in ædificationem sui in charitate. Fallunt igitur isti & falluntur, qui aliquam diuisionem in Ecclesia esse dicunt, dum varios ordines, multásque religionum familias, & classes in ea numerant, quorum panni potiùs vestium, quàm ipsi inter se differunt. Hæc enim est illa vnitas corporis, vnitas domus, vnitas ciuitatis, vnitas vineæ, non vna sed variis partibus distincta & ordinata: de qua Cyprianus: Ecclesia vna est, quæ in multitudinem la- *De vnitate* tiùs incremento fœcunditatis extenditur, quomodo solis multi radii, sed *Ecclesiæ.* lumen vnum: & rami arboris multi, sed arbor vna, tenaci radice fundata: „ & cùm de fonte vno riui plurimi defluunt, numerositas licet diffusa vide- „ atur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen seruatur in origine. Auelle „ radium solis à corpore, diuisionem lucis vnitas non capit: ab arbore fran- „ ge ramum, fractus germinare non poterit: à fonte præcide riuum, præci- „ sus arescet. Sic & Ecclesia Domini luce perfusa, per totum orbem radios „ suos porrigit, vnum tamen lumen est, quod vbique diffunditur, nec vni- „ tas corporis separatur: ramos suos in vniuersam terram copia vbertatis „ extendit, profluentes largiter riuos latiùs pandit; vnum tamen caput est, & „ origo vna, & vna mater, fœcunditatis successibus copiosa. Illius fœtu na- „ scimur, illius lacte nutrimur, spiritu eius animamur. Adulterari non potest „ sponsa Christi, incorrupta est, & pudica: vnam domum nouit, vnius cu- „ biculi sanctitatem casto pudore custodit. Hæc nos Deo seruat: hæc filios „ regno quos generauit assignat. Quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ „ iungitur, à promissis Ecclesiæ separatur, nec perueniet ad Christi præmia: „ qui relinquit Ecclesiam Christi; alienus est, prophanus est, hostis est. Ha- „ bere iam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Si „ potuit euadere quisquis extra arcam Noe fuit; & qui extra Ecclesiam fo- „ ris fuerit, euadit. Hæc Cyprianus. „

Quæ igitur Ecclesia ita erit vna, vt & semper sit vna, & vbique, vt principia & causas vnitatis suæ in se habeat, vt in his capitibus coniungatur, quibus dictum est, & quæ eo genere vnitatis, quot dictum est, vna sit; illa vera erit sponsa Christi, germana filia Regis. Quę autem talis sit, nostráne hæc Catholica, an istorum sectæ; cuiusq. iudicio æstimandum relinquo.

Neq; enim aut in inuidiam quenquam vocare, aut cuiusquam iudicium labefactare, aut in alteram partem inclinare velim: hoc vnum affirmare possum, me aliquando horum sectas dissectas, ad certa genera reuocare voluisse, nec tamen in ea parte meam logicam tantùm mihi sufficere potuisse; vt rem natura infinitam ratione finitam facerem. Pulchreque illud dictum esse à Christiano & Catholico principe, Georgio quondam Saxoniæ Duce, commemoratur: Nam scire se quidem dicebat, quid hoc anno crederent vicini sui Witembergenses, quid verò proximè insequenti anno crediturí essent, se nescire, quòd subinde dogmata sua variarent. Neq; verò in singulos annos tantùm isti mutantur, sed & pro locorum varietate alia sentiunt. Quantum isti apud nos pro impunitate sectarum pugnent: quantum licentiam cuique vt velit credendi astruant: quot leges ac confœderationes iniustissimas contra maiorum suorum instituta, pro libidine errandi ferant; non ignoramus.

Leges in Anglia cõtra Catholicos.

Videamus obsecro, num in Anglia eandem libertatem benè de religione sentiendi nostris hominibus dederint? num iisdem præsidiis eos communierint? num easdem leges de impunitate credendi tulerint? Duplices latæ sunt in Anglia de religione leges: aliæ pecuniariæ, Capitales aliæ. Vtrasque videamus: ac cum istis nostris, num eædem sint, conferamus.

Leges pecuniariæ.

Pecuniariæ igitur illæ sunt: Quicunque ad Ecclesias protestantium venire recusauerint, officii diuini (vt loquuntur) præstandi, aut auscultandi causa, si ætatem annorum sedecim excesserint, soluent quoquo mense, suę absentiæ, libras Anglicas viginti: hoc est, aureos 66. qui autem soluendo nõ sunt, carceribus omninò detineantur, donec soluendi facultatem habeant. Leges reliquæ hoc ordine sequuntur.

Qui conuictus fuerit audiuisse missam, etiam si id secretò factum fuerit, patietur carceres per integrum annum, & tam diu postea, quovsque persoluat 211. aureos. Sacerdos verò, qui Sacrum fecerit, non exibit carcere, post expletum annum, nisi solutis aureis 422. atque hoc toties quoties fuerit in hoc genere ab eo peccatum.

Omnis vir Ecclesiasticus, qui non publicam fecerit religionis Romanæ detestationem, & autoritatem Pontificis Romani palàm non abiurauerit; amittet omnia beneficia, omnémque dignitatem quamcunque Ecclesiasticam.

Nullus scholaris, aut literarum studiosus habere poterit locũ in Collegiis, aut ad vllum gradum literarium ascendere; nisi in ingressu ad illud Collegium, & in susceptione cuiusque gradus, eiusdem Pontificis autoritatem in causis Ecclesiasticis abiuret.

Nemo magistratum publicum gerat, aut vllum officium in Republica retineat; nisi hanc ipsam summi Pontificis abiurationẽ, publicè præstiterit.

Pupillus ad perfectam ætatem perueniens, hæreditatem suam adire non poterit, nec eiusdem vllis commodis gaudere, nisi prius emiserit idẽ publicum iuramentum.

Quicunque infra dignitatem Baronis positi, vocati fuerint (vt non raro so-

ro ſolent) ad comitia publica, quæ parlamentũ appellantur (in quo ſumma libertas ſuffragiorum ſolebat eſſe) amittent omne ius ſuffragiorum: niſi velint publicè hanc abiurationem Pontificis præſtare. Si cuiquam infra cõditionem Baronis conſtituto, hæc abiuratio bis oblata fuerit, & ipſe hanc eandem ſecundò recuſauerit; amittet omnia bona, & poſſeſsiones ſuas, & corpore condemnabitur, ad perpetuos carceres.

Qui negauerit Reginam eſſe ſupremum caput Eccleſiæ Anglicanæ in cauſis Eccleſiaſticis; eadem pœna plectetur amiſsionis bonorum omnium, & incarcerationis perpetuæ

Quicunq. Agnos Dei, (vt vocant) roſaria, grana benedicta, medalias, crucifixos, aut aliam rem quamcunq. benedictam à ſummo Pontifice, & in Angliam adductam, receperit, aut retinuerit; eandem pœnam ſuſtinebit, amiſsionis bonorum omnium & incarcerationis perpetuæ.

Si quis pædagogum domi retinuerit, ad inſtruendos pueros, qui Eccleſias proteſtantium non frequentet, aut ab Epiſcopo Caluiniano approbatus nõ fuerit; perdet ob eam cauſam 33. aureos ſingulis menſibus, quouſq. illum eiecerit.

Si quis ſciat aliquem, qui alterum reconciliauerit vnitati & communioni Eccleſiæ Romanæ, & ſi hunc reconciliatorem, aut illum alterum reconciliatum quoùis modo iuuerit, aut celauerit, ita vt infra ſpatium 20. dierum proximè ſequentium, magiſtratui publico vtcunq; non prodiderit; amittet omnia bona ſua, tàm mobilia, quàm immobilia, omnésq. poſſeſsiones dum viuit, & de corpore ſuo ſtatuetur ad arbitrium Reginæ.

Qui nouerit aliquem procuraſſe alterius reconciliationem ad fidem Romanam, quamùis ipſe nec reconciliauerit, nec reconciliatus ſit, & ſi hunc procuratorem quoùis modo iuuerit, aut celauerit, aut nõ prodiderit magiſtratui, vt ſuprà; eiusdem pœnæ condemnabitur.

Qui nouerit aliquem, conſilium dediſſe alicui, vt reconcilietur Romanæ fidei, licèt ipſe hoc omninò non procurauerit; & ſi hunc conſultorem quoùis modo iuuerit, aut celauerit, aut non prodiderit; vt ſuprà, eidem pœnæ fiet obnoxius.

Si quis ſciat aliquem perſuaſiſſe, procuraſſe, aut conſuluiſſe alicui, vt obediat Romano Pontifici in cauſis Eccleſiaſticis, & ſi hunc tamen iuuerit, celauerit, aut non prodiderit; vt ſuprà, eadem pœna plectetur.

Qui cognouerit aliquem permiſiſſe ſibi perſuaderi, vt obediat in Eccleſiaſticis Romano Pontifici, vel promiſiſſe, pro futuro tempore, quamcunque ei obedientiam: & ſi hunc quoùis modo iuuerit, aut celauerit, aut infra viginti dies non prodiderit; vt ſuprà, eandem pœnam amiſsionis bonorum & poſſeſsionum omnium, & incarcerationis ſubibit.

Qui ſciat Sacerdotem aliquem abſolutionem alteri dediſſe, & hũc iuuerit aut celauerit, aut ſatis tempore non prodiderit; vt ſuprà, ad eandem pœnam condemnabitur.

Si quis nouerit Sacerdotem habere autoritatem abſoluendi, quamùis eam non exercuerit, aut aliquem abſoluerit: & ſi hunc iuuerit aut celauerit,

rit, aut non prodiderit; vt ſuprà, eidem pœnæ ſubiacebit.

Qui ſciuerit aliquem præſeferre autoritatem habere abſoluendi, etiã ſi reuera non habeat, & hunc iuuerit, aut celauerit, aut non prodiderit; vt ſuprà, eadem pœna inuoluetur.

Si quis ſciat aliquem eſſe ab altero abſolutum, ſiue volens petierit illã abſolutionem, ſiue ſciens ſolum permiſerit ſe abſolui non petentem, & hũc vllo modo adiuuerit, aut celauerit, aut non prodiderit; vt ſuprà, eiusdem pœnæ reus exiſtimabitur.

Qui nouerit aliquem diſſuaſiſſe alteri religionem, quæ nunc eſt publica in Anglia, (hoc eſt Caluiniſmum) ea intentione, vt eum trahat ad obediendum Pontifici, & Romanæ religioni: vel ſi ſciuerit aliquem procuraſſe, vel ſuaſiſſe, vt alteri ſic diſſuadeatur: & ſi hunc quoùis modo iuuerit, celauerit, vel non prodiderit magiſtratui infra ſpatium 20. dierum; vt ſuprà, eandem pœnam toties iam deſcriptam patietur, nimirum, vt amittat omnia quæ mortalibus hæc vita dare poſsit commoda.

Leges Capitales. Capitales autem illæ: Quicunque dixerit, ſcripſerit, affirmauerit, vel vllo modo etiam per cifras ſignificauerit, vel etiam rogatus, confeſſus fuerit, Pontificem Romanum eſſe caput Eccleſiæ Anglicanæ, vel vllam habere ibi in cauſis Eccleſiaſticis authoritatem; reus læſę maieſtatis exiſtimabitur, & eadem prorſus pœna plectetur, qua Reipublicæ proditores plecti ſolent.

Qui ad Pontificem Romanum vlla de cauſa appellauerit, & bullas, aut alia inſtrumenta ab illo obtinuerit, & in Angliam inuexerit, eidem læſæ maieſtatis pœnæ ſubiacebit.

Si quis Agnos Dei (vt vocant) roſaria, grana benedicta, medalias, crucifixos, aut quamcunque rem aliam à Pontifice Romano benedictam, in Angliam importauerit; criminis læſę maieſtatis reus erit.

Cuicumq; infra dignitatem Baronis conſtituto, ter oblatum fuerit iuramentum, ſeu abiuratio contra Pontificis Romani autoritatem, & pro ſuprema poteſtate Reginæ, in cauſis Eccleſiaſticis, & ſi ille tertiò iurare detrectet; eandem pœnam læſę maieſtatis ſuſtinebit.

Qui vllo modo dixerit, ſcripſerit, ſignificauerit, vel rogatus confeſſus fuerit, Reginam Angliæ hæreticam eſſe, aut ſchiſmaticam; eidem pœnæ læſę maieſtatis erit obnoxius.

Si quis aliquem Eccleſiæ Romanæ vnitati & communioni reconciliauerit; pœnam læſę maieſtatis patietur.

Quicunq; fuerit ab aliquo, ſciens & volens, ad eandem vnitatem & communionem reconciliatus; eandem pœnam ſuſtinebit.

Qui procurauit alicuius reconciliationem ad illam vnitatem & communionem; eiusdem pœnæ reus erit.

Qui tantùm conſuluerit alicui, vt ad illam vnitatem & communionẽ reconcilietur, etiam ſi non procuret; eadem nihilominus plectetur pœna.

Si quis alicui perſuaſerit, vt Pontifici Romano in cauſis Eccleſiaſticis obediat; eodem crimine læſę maieſtatis condemnabitur.

Si quis

Si quis permiſerit ſibi perſuaderi, vt ſic obediat; eiuſdem criminis reus cenſebitur.

Si quis procurauerit vel conſilium dederit, vt alicui ſic perſuadeatur; eandem pœnam læſæ maieſtatis ſubibit.

Si quis promiſerit, pro futuro tempore, ſe aliquam obedientiam Romano Pontifici in cauſis Eccleſiaſticis præſtiturum; eandem læſę maieſtatis pœnam ſuſtinebit.

Si Sacerdos aliquem ex Reginæ ſubditis abſoluerit; crimen læſę maieſtatis cenſebitur.

Si quis habeat auctoritatem abſoluendi in Anglia, licèt nullum actu abſoluerit; incurrit tamen læſę maieſtatis crimen.

Si quis præſeferat habere huiusmodi autoritatem abſoluendi, etiam ſi non habeat; læſę maieſtatis reus exiſtimabitur.

Si quis ſciens ab altero abſoluatur, ſiue ipſe petierit abſolutionem illam, ſiue abſolui ſe permiſerit non petentem; eandem pœnam læſę maieſtatis ſuſtinebit.

Si quis procurauerit, vt aliquis abſoluatur; eidem pœnæ fiet obnoxius.

Si quis conſilium dederit, vt quis abſoluatur, licèt non procurauerit; eandem pœnam ſuſtinebit.

Si quis vel procurauerit vel conſuluerit, vt quis abſoluat, licèt non vt aliquis in particulari abſoluatur; eidem pœnæ ſubiacebit.

Si quis diſſuaſerit alicui religionem illam, quæ nunc publicè in Anglia tenetur, vel procurauerit vt diſſuadeatur, ea intentione, vt ille cui diſſuadetur, ad obedientiam Romani Pontificis, & Romanæ fidei trahatur; reus erit etiam criminis læſæ maieſtatis, & eadem pœna plectetur, quæ illi crimini debetur. Quæ quidem pœna huiuſmodi eſt. Primùm vt condemnatus, terráque protractus ad locum ſupplicii, in maiorem cruciatum ſemiſtranguletur laqueo: deinde, vt redeunti ad ſe, amputentur virilia, & igne comburantur: tunc, vt cultro aperiatur venter, & erutis iliis, etiam cor, & viſcera ſpiranti adhuc, & reluctanti, manu carnificis euellantur, & in ignẽ iuxta poſitum proiiciantur: denique vt elixus, & in partes diſſectus, ad varias ciuitatis portas ſuſpendatur. Bona autem ſua & poſſeſsiones omnes ad fiſcum tranſeant, nec eorum quicquam ad vxorem, liberos, aut conſanguineos deſcendat; ſed vt ipſi præterea, huius vnius ob cauſam æterna notentur ignominia, & omnis mortui poſteritas degradetur ſanguine. Hactenus Anglicanæ leges, quàm diſsimiles ab his noſtris, pro quibus iſti aſsiduè dimicant, videtis. *Pœna atrox Catholicis in Anglia.*

Vbi eſt illa Chriſtiana libertas? vbi illæ voces, quas apud nos paſsim iactant? In conſcientias ius præter Deum habere neminem: Fidem donum Dei eſſe, ideo nulli eius nomine ſuccenſendum: Sinite zizania creſcere vſque ad meſſem, ne ſimul triticum cum zizania euellatur. O mentes vagas & inconſtantes! nihílq. præter cruces & ſupplicia declinantes! hæcque illa eſt extrema plaga. Diuiſa ſunt corda illorum, inquit ſcriptura, nunc interibunt. Concurrere, inquit, faciam Ægyptios aduerſus Aegy- *Matth. 13.* *Oſeæ 10.* *Iſaiæ 19.*

ptios. Sed & apud nos facilè ad Anglicanas leges mutata voluntate isti redirent, si tantum virium haberent: nam & sine legibus, quæ exempla in eos edant, in quos possunt, videmus. Verùm de prima nota satis superq.

Secundę notę explicatio: illam VERAM ECCLESIAM ESSE, quę sit sancta.

Caput IIII.



Secunda igitur illa est ciuitatis Dei nota, eam veram Ecclesiam esse, quæ Sancta sit. Vtitur hac nota primùm sacra scriptura: Quę est ista, inquit Salomon, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol; terribilis vt castrorum acies ordinata? Cantate, inquit Dauid: Domino canticum nouum, laus eius in Ecclesia sanctorum. Viri, inquit Paulus, diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mũdans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata. D. item Ioannes in sua Apocalypsi, eodem modo veram describit Ecclesiam. Et ego Ioannes vidi ciuitatem sanctam Hierusalem nouam descendentem de cœlo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Vsi sunt eodem signo vetustissimi patres: Iustinus, Tertullianus, Athenagoras, qui in Apologiticis suis hac nota cœtus suos, Deo dignas cõgregationes, veramque Ecclesiam esse docuerunt. Iuuat quasi ex ore omnium loquentem audire Tertullianum; At enim illud detrimentum reipub. tam grande, quàm verum, nemo circumspicit. Illam iniuriam

Cant. 6.

Psal. 140.

Ephes. 5.

Apoc. 21.

In Apologet. cap 45.

» ciuitatis nullus expendit, cùm tot iusti impedimur, cùm tot innocentes
» erogamur: vestros enim iam contestamur actus, qui quotidie iudicandis
» custodiis præsidetis, qui sententiis elogia dispungitis. Tot à vobis nocẽtes
» variis criminum elogiis recensentur: quis illic siccarius? quis manticulari-
» us? quis sacrilegus? aut corruptor? aut lauantium prædo? quis ex illis e-
» tiam talis christianus ascribitur? aut cùm christiani suo titulo offeruntur,
» quis ex illis etiam talis, quales tot nocentes? De vestris semper æstuat car-
» cer, de vestris semper metalla suspirant, de vestris semper bestiæ saginan-
» tur, de vestris semper munerarii noxiorũ greges pascunt. Nemo illic chri-
» stianus, nisi planè tantùm christianus: aut si & aliud, iam non christianus.
» Nos ergò soli innocentes. Quid mirum, si necesse est? Enimuerò necesse
» est. Innocentiam, à Deo edocti, & perfectè eam nouimus, vt à perfecto ma-
» gistro reuelatam: & fideliter custodimus, vt ab incontemptibili dispensa-

tore

tore mandatã. Vobis autem humana æſtimatio innocentiam tradidit, hu- „
mana itẽ dominatio imperauit. Inde nec plenę ſtet, nec adeò timẽdę eſtis „
diſciplinę ad innocẽtię veritatem. Tanta eſt prudentia hominis ad demõ- „
ſtrandum bonũ, quanta autoritas ad exigendum: tam illa falli facilis, quàm „
iſta contemni. Atq; adeò quid plenius, dicere, non occides; an docere ne „
iraſcaris quidem? quid perfectius prohibere adulteriũ; an etiam ab oculis „
ſolitariã arcere concupiſcentiã? quid eruditius? de maleficio; an de malelo- „
quio interdicere? quid inſtructius, iniuriam non permittere; an nec vicem „
iniurię ſinere? dum tamen ſciatis ipſas quoq; leges veſtras, quę videntur ad „
innocentiã pergere, de diuina lege, vt antiquioris formę mutuatas. Hacte- „
nus Tertullianus. Verùm cùm non deſint, qui vt ſuperiorem notam, ita &
hanc effugere volũt, ídq; hoc modo, vt dicant eam demum eſſe Eccleſiam
ſanctam, in qua omnes ſint ſancti, in qua nemo peccet: qualem cùm nul-
lam reperiant, omnes contemnunt, ab omniúmque Iurisditione ſe exclu-
dunt. Eſt enim quoddam genus hominum callidum, quod cùm nulli pare-
re velit, nullique cœtui ſe adiungere, ſub nullius leges aut iura abire; eam
ſibi configit Eccleſiam, quæ nusquam ſit, nec eſſe poſsit: vt ſuo arbitrio
viuat, nulloque religionis debito obligetur, nullum metuat, omnium iura
& iudicia effugiat, nulli ſubiectum atq; obnoxium ſit. Quare, quis ſit ſen-
ſus huius ipſius notæ, paucis explicemus.

Illam igitur Eccleſiam Sanctam intelligimus, quæ ſit Sancta in doctri-
na: Sancta in moribus: Sancta Maieſtate & firmitate ſua, inuictóque ro-
bore ac ſtabilitate: vt inuicta & inſuperabilis maneat ſemper.

Sancta in doctrina primò, quòd nulla ex antiquis & veteribus hære-
ſibus ſe contaminauerit vnquam, non Ebionis, non Manichæi, non Mar-
cionis, non Valentini non Eunomii, non Photini, non Arii, non Macedo-
nii, non Sabellii, non Heluidii, nõ Iouiniani, non Aetii, non Vigilantii, non
aliorum errorem ſecuta ſit. Hoc enim eſt quod Propheta prædixit: Vir *Ezech. 44.*
pollutus non trãſibit per illam. Romana quidem ſedes inquit D. Hierony- „
mus habet hoc diuinitùs ſibi conceſſum priuilegium, vt ab omni hæretica „
labe fieret ſemper alieniſsima, illíque mire reſtiterit ſemper. Nam & in „
Hieroſolymitano Patriarchatu, Eutychius, Ireneus, Hilarius, Ariani, & Io- „
annes Origeniſta, Patriarchæ ſederunt. In Antiocheno, Paulus Samoſa- „
tenus hæreſiarcha, Petrus Gnaphæus, & Eutychianus, Macharius, Mo- „
nothelita & alii. In Alexandrino, Georgius & Lucius, Ariani, Dioſcorus, „
Entychianus, Cirus Monotelita & alii. In Conſtantinopolitano, Mace- „
donius Neſtorius, Sergius, heræſiarchæ, & plerique alii. Romanæ au- „
tem Eccleſiæ perpetua fuit gloriatio, de qua ſcribit Agatho Pontifex Max: „
in Epiſtola ad Conſtantinũ Imperatorem, quæ in ſexta Synodo Conſtan- „
tinopolitana Act. 4. perlecta eſt, & poſtea octaua Act. ab omnibus ap- „
probata: Hæc eſt inquit, veræ fidei regula, quam & in proſperis & in ad- „
uerſis viuaciter tenuit & defendit hæc ſpiritualis mater, veſtri trãquilliſsi- „
mi Imperii Apoſtolica Chriſtus Eccleſia, quæ per Dei omnipotentis gra- „
tiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probabitur, nec „

hæreticis

» hæreticis nouitatibus deprauata ſuccubuit,ſed vt ab exordio fidei Chriſti-
» anæ percepit, ab autoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti principibus, illiba-
» ta finetenus permanſit,ſecundùm ipſius Domini Saluatoris diuinam polli-
» citationem, quam ſuorum diſcipulorum principi in ſacris Eccleſiæ fatus
» eſt: Petre Petre,inquiens, ecce ſatanas expetiuit vos,vt cribraret ſicut tri-
» ticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando
» conuerſus, confirma fratres tuos. Quod idem vniuerſi orientis patres illi
» tribuunt, Origenes, Cyrillus, præcipue autem Theodoretus, cuius hæc
» verba ſunt: Tenet,inquit, ſancta iſta ſedes gubernacula regendarum cun-
» cti orbis Eccleſiarum, cum propter alia, tum quia ſemper hæretici fœtoris
» expers permanſit. Atque ea cauſa fuit, cur orientalis Epiſcopi ſanctiores
» in rebus fidei atq; in perſecutionibus,quas ab Impp:& à Græcis patiuntur
» ad Rom: Pontifices confugerunt, S. Athanaſius ad Iuliũ, S. Ioannes Chri-
» ſoſtomus ad Innocentium primum, Ignatius tertius ad Nicolaum, Theo-
» doretus ad Leonem, Maximus ad Martinum & cæteri: quamobrem literis
» à Rom. Pontificibus acceptis ſuas ſedes recepêre, & quanta eſſet à Chri-
» ſto ſucceſſoribus Petri collata poteſtas,reipſa monſtratum eſt. Verùm hæc
» hactenus. Indeque etſi coniunx ſit, virgo tamen caſta dicitur, quod ab o-
» mni videlicet hæretica fornicatione & immundicia ſit alieniſsima.

Secundò,quòd non ſolùm nulla ſe hæreſi contaminauerit vnquam,ſed ne principia quidem atque fundamenta ſuæ doctrinę talia habeat vlla, ex quibus aliqua hæreſis exoriri aut pullulare poſsit. Quanquã enim Lutherana, aut Auguſtana ſecta, Ebionis, Arii, Macedonii, Appollinaris hæreſim non ſit ſequuta; ea tamen habet doctrinæ ſuæ principia,ea fundamenta, quibus ſtantibus, non modò Arii, aut Macedonii hæreſim renaſci ac denuo germinare neceſſe ſit; ſed omnes alias quæcunque aliquando orbem vexârunt chriſtianum: qualia ſunt: Nihil recipiendum eſſe præter ea, quæ clarè & expreſsè in ſacris reperiuntur ſcripturis: Priuatum ſenſum cuiuſque in ſcripturę interpretatione ſequendum eſſe: Veterum Conciliorum atque Synodorum paruam vel nullam habendam rationem: Sanctos patres nullo præcipuo Spiritus ſancti dono illuſtratos fuiſſe: libertatem de fide decernẽdi penes omnes æquam permanere: magiſtratus ſpirituales, in fide atque moribus nullam coërcendi vim habere: omnes paſsim Sacerdotes,Doctores,paſtores eſſe, aliáq; eius generis. Hæc enim talia ſunt principia, tales radices,& baſes & fundamenta, in quibus tanquã in ſemine atque radicibus omnes hæreſes continentur: nec prius renaſci deſinẽt, donec illa funditus extirpentur. Quas quidem in dies magis ac magis, & his ſeminibus, oriri ac repululaſcere, non tam oculis videmus, quàm manibus ipſis contrectamus.

Poſtremò ſancta eſt in doctrina: quòd omnem ſanctitatem, vitæque innocentiam complexa ſit: quòd virtutem,bonáque opera, omni ex parte commendet ac inſtillet: quòd ad Spiritus & mentis puritatem omnia reuocet:quòd carni & ſanguini non acquieſcat,licentiæ & libidini feneſtras non aperiat: in qua nihil crudele, nihil inhumanum, nihil enorme, nihil

populare

populare, nihil cum licentia coniunctum, doceatur: quæ nihil fœdum & flagitiosum tradat: cuius lex est immaculata, conuertens animas, sapientiam præstans paruulis: quæ virtuti debitam mercedem non aufert: quæ iustum in omni opere bono peccare non docet: quæ ipsa stertẽs & ociosa, sola aliena iustitia tanquam cornicula alienis plumis non superbit: quæ claustra pudoris & virginitatis non soluit: quæ ex desertis Eremitas non euocat: quæ irritam primam fidem facere non suadet: quæ venire ancillam, si nolet vxor, non iubet: quæ illud, Crescite & multiplicamini, tam importunè non inculcat, vxores non multiplicat; sed castitatem suadet potiùs: quæ necessitate nos malos esse non docet: Deum authorem omnis mali esse non tradit, quæ liberum arbitrium, quo homines sumus, & Dei imaginem repræsentamus, non interimit: quo sublato omnis virtutis, honestatis, atque sanctitatis ratio extinguitur.

His ergò modis sancta in fide, sancta in doctrina, & est & dicitur. Sed vltra hæc, sancta etiam est in moribus, primùm studio & conatu, quo omnes suos sanctos & perfectos sponso suo Iesu Christo exhibere contendit; ídque multis & variis modis, rationibúsque: legibus inquam, & institutis sanctissimis, cæremoniis castissimis, disciplina seueriſsima, doctrina integerrima, examine arctissimo, confessionibus sacris, satisfactionibus, excommunicationibus, amplissimis præmiis, seueriſsimis pœnis, Sanctorum exemplis, ieiuniis, paupertate, humicubationibus, omníque carnis mortificatione, & aliis infinitis virtutis, honestíque exercitiis. In quo conatu suo, cur non proficiat semper, cur non in omnibus finem suum consequatur, pulcherrimas ipsamet causas apud Salomonem reddit: Fusca sum, inquit, sed formosa. Quæ causa mutati coloris? In via, inquit, sum, non in patria. Decolorauit me sol, puluere conspersi sunt pedes mei. Quæ alia causa? Filii matris meæ pugnauerunt contra me. Qui filii matris tuæ? falsi & ficti fratres, tepentes & ignaui Christiani, truces hæretici, qui, quã disciplinam ego intendero, illi soluunt, ac omni licentiæ, ac libidini asylum apud se proponunt. *Cant. 1.*

Verùm non conatu tantùm & studio, sed & re ipsa est sancta. Habet enim ex omni tribu & gente, & lingua, ordine & cõditione sanctos & perfectos: de quibus D. Ioannes: Ecce ego Ioannes vidi alterum Angelũ ascẽdentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui. Et clamauit voce magna quatuor Angelis, quibus datũ est nocere terrę & mari, dicens: Nolite nocere terræ & mari, neq; arboribus: quoadusq; signemus seruos Dei nostri in frõtibus eorũ. Et audiui numerũ signatorum, centũ quadraginta quatuor millia signati, ex omni tribu filiorũ Israël. Ex tribu Iuda, duodecim millia signati. Ex tribu Ruben, duodecim millia signati. Ex tribu Gad, duodecim millia signati. Ex tribu Aser, duodecim millia signati. Ex tribu Nephtalim, duodecim millia signati. Ex tribu Manasse, duodecĩ millia signati. Ex tribu Simeõ, duodecim millia signati. Ex tribu Leui, duodecim millia signati. Ex tribu Isachar, duodecim millia signati. Ex tribu Zabulon, duodecim millia signati. Ex tribu Ioseph, duodecĩ millia signati. Ex tribu Beniamin, duodecim

cim millia ſignati. Poſthæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus,& populis,& linguis, ſtantes ante thronum,& in conſpectu agni,amicti ſtolis albis,& palmæ in manibus eorũ & clamabant voce magna,dicentes: Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & agno. De quibus item illud magnificè ipſamet canit: Te glorioſus Apoſtolorum chorus. Te Prophetarum laudabilis numerus. Te martyrum candidatus laudat exercitus. Te per orbem terrarum Sancta confitetur Eccleſia. Qui ſanctitatis ſuæ, non ipſi ſoli, aut eorum aſſeclæ; ſed orbis vniuerſus, ſed vniuerſa tempora teſtes fuerunt: qui non vulgi fallax iudicium, ſed Deum ipſum, qui eorum virtutem & ſanctitatem variis ſignis & portentis in vita & in morte confirmauit,& teſtatam eſſe voluit, ampliſsimum teſtem & iudicem habuerunt. Non enim qui ſe
2. Cor. 1. ipſum cõmendat,ille probatus eſt; ſed quem Deus commendat,dicit Paulus. Quorum probitatẽ & vitæ integritatem ipſe latere noluit: quorum innocentię vindex & exornator extitit ſemper: quorum oſſa & cineres,ita vt vnum ex illis non pereat cuſtodit & dinumerauit. Neq. verò hic meus eſt
Hebr.12. de hoc genere hominum ſenſus; ſed Pauli ipſius,Eccleſiam in hunc modũ deſcribentis: Acceſsiſtis, inquit,ad Sion montem,ad ciuitatem Dei viuentis cœleſtem Hieruſalem, Eccleſiam primitiuorum, qui conſcripti ſunt in cœlis,& Spiritus iuſtorum perfectorum. Qui ſunt autem iſti iuſti perfecti, quàm illi,de quibus diximus, Sancti inquam Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Doctores, Monachi,Virgines,Viduæ,quos dinumerare nemo poſſit ex omnibus populis, tribubus, & linguis,& quorum ſanctitatem,ac vitæ innocentiam nulla vnquam mortalis hominis oratio rectè explicare poſſet.

Sancta igitur eſt vita & moribus, ſed ſancta etiam maieſtate, dignitate, ac inuicta quadam ſtabilitate & robore ſuo: cuius virtuti vniuerſa mũdi ſapientia ceſsit: ad quam eloquentia orbis obmutuit:contra quam portæ ipſæ inferi, tot inquam hæreſeon, & ſchiſmatum agmina prævalere nõ potuerunt: quam nemo violare,nemo extingere,nemo ſuperare,ad extremũ nemo ſine eius profectu lædere potuit vnquam: ſub cuius iugũ mundi
Pſal. 47. poteſtas tota abiit. Talẽ depingunt Prophetę:Dauid imprimis: Deus fun-
Pſal. 86. dauit eam, in æternum non commouebitur. Fundamenta eius in mõtibus ſanctis: diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob. Et:
Pſal. 103. Fundaſti eam ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſeculum ſe-
Pſal. 128. culi. Quemadmodum ipſa apud eundem Dauidem gloriatur: Sæpè expu-
Iſaiæ 26. gnauerunt me à iuuẽtute mea, etenim nõ potuerunt mihi. Et Iſaias: Vrbs
Matth. 7. fortitudinis tuæ filia Sion,ſaluator in ea murus & antemurale. Talem ipſe fundator eius futuram prædixit Chriſtus Dominus: Domum inquam ſupra petram poſitam, ſuper quam deſcenderunt pluuiæ, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & non cecidit: fundamenta enim eius ſupra firmã
Lucæ 21. petram. Cuius principibus & fundatoribus illud promittitur: Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes
Lucæ 22. aduerſarii veſtri. Ego oraui pro te Petre, vt non deficiat fides tua. Hanc aciem

aciem perrumpere conati ſunt pagani, omne ſuppliciorum genus de piis ſumẽdo: conati ſunt tyranni, libertatem eius eripiẽdo: conati ſunt falſi fratres, charitatẽ extinguendo: conati ſunt Iudæi, fidẽ illius impugnando: conati ſunt ſchiſmatici, obedientiã tollendo, eiúsq; vnitatem ſcindendo: conati ſunt hæretici, ſcripturas adulterando, veritatémq; illarum obſcurãdo, ac prauè eas interpretãdo. Vicit, fugauítq; hæc omnia: vicit paganos, pro Chriſti fide vitã cum ſanguine profundendo: vicit tyrannos in deo ſuo ſpẽ ac fiduciã omnem collocando, ac pro perſecutoribus ſuis exorando: vicit falſos fratres tolerando: vicit ſchiſmaticos ordinẽ retinẽdo, & vnius ductũ ſequendo; vt de illa rectè dici poſsit: Egreſsi ſunt omnes filii Iſraël, & pugnauerunt pariter cõgregati quaſi vir vnus: vicit Iudæos & hæreticos, verum ſcripturarũ ſenſum ab illis non intellectum, ab his autem peruersè detortum aperiendo, nihílq; illis vnquam concedendo. Omnibus autem his, à quibus oppugnabatur, vſa eſt potiùs ad profectus ſuos, & ad correctionem ſuam, quàm ad labefactationem vllam. Gentibus quidem, inquit Auguſtinus; vtitur ad materiam operationis ſuæ: hæreticis ad probationem doctrinæ ſuæ; ſchiſmaticis ad documentum ſtabilitatis ſuę; Iudæis ad » comparationem pulchritudinis ſuæ. Quod in figura quondam filiis Iſraël » contigiſſe legimus, quos quantò magis opprimebant Ægyptii, tantò magis multiplicabantur & creſcebant. Vt verè dictum ſit ab Auguſtino, eam oppugnari poſſe, expugnari non poſſe. Non enim emoritur, vt doctrina humana, neque flacceſcit, vt donum imbecillum; manet autem eiuſmodi, vt prohiberi à nullo poſsit, inquit Clemens Alexandrinus: Eſt aurum bonum, quod cùm vritur, detrimentum non ſentit; ſed magis fulgor eius augetur: eſt vinea, quæ dum putatur, erigitur, & reciſa non minuitur, ſed augetur: eſt palma, quæ pondere eleuatur; dicebat Ambroſius: eam perſecutionibus inflãmari & ardere, ſicut olim rubum Moyſi; verùm loquente in illa Domino non conſumari, ſcribit Hieronymus: eſt palma contra pondus ſe erigens, eſt adamas nulli malleo cedens. Quæ igitur Eccleſia hunc in modum, & in doctrina, & in moribus, & maieſtate, & firmitate ſua erit ſancta; illa vera Eccleſia proculdubiò, illa vera Regis Salomonis ſponſa iudicanda erit. Quæ autem talis ſit, quisque iudicet, quisque pro ſua ſtatuat conſcientia: vbi enim res ipſa loquitur, verbis nihil opus eſt. De iſtis hoc ſolùm addam, eos primùm per hos totos annos aſſeruiſſe nihil, quod antea ab aliquo damnato hæretico, aſſertum non fuerit. Bona opera mercedem iuſtitiæ & ſalutis non habere docuerunt iſti: docuit hoc idem Cerintus, atque Simon Magus, quem duabus epiſtolis refutat D. Ioannes; vna item ſanctus Iacobus. Sanctos inuocandos eſſe, eorúmque reliquias venerandas negauerunt: negauit hoc idem Vigilantius, quem refutat D. Hieronymus. Suſtulerunt purgatorium: hoc idem fecerunt Aetiani, quos refellit Epiphanius. Chriſtum in Sacramento Euchariſtiæ non poſſe contineri dicunt: idem fecit Manichæus. Adorationem Sacramenti Euchariſtię idololatriam eſſe dixerunt: hoc idem docuit Neſtorius. Filium minorẽ eſſe patre tradere audent: tradidit hoc

De vera religione cap. 6.

Sermo: 181.

Lib. 6. Strom:

In Pſalm. 118. Serm. 3.

ante illos Arius. Hominem purum esse Christum blasphemant: hoc idem fecit Ebion. Spiritum sanctum Deum esse negant: negauit Macedonius. Perpetuam virginitatem matris Dei impugnârunt: impugnauit Heluidius. Imagines sustulerunt: fecerunt hoc idem Iconomachi. Matrimonium virginitati antetulerunt: æquauit Iouinianus. Cæremonias accusarunt: accusauit idem Iouinianus, quem refutat D. Hieronymus. Deinde morũ disciplina, quæ istorum esse potest? cuius illa summa est: Non orare, non ieiunare, non sese macerare, non confiteri, non satisfactionibus peccata expiare, edere, bibere, dormire, ex clerico vxoratum esse, ex monacho coniugem. Ex qua disciplina, qui mores & studia sint profecta, audiant popularem suum, non valdè ab illis auersum, & qui bonam vitæ suæ partem apud illos traduxit, virum alioqui magnum Erasmum Roterodamum, qui inquit: Circumspicite mihi sodalitatem istam Euangelicam; quot habet adulteros, quot temulentos, quot aleatores, quot decoctores, quot aliis vitiis infames? Et hos habent etiam in deliciis, tantùm abest, vt vitent. Apostoli quò magis vacarent Euangelio, aut abstinebant ab vxoribus, quas ducere licebat, aut legitimè ductas vertebant in sorores. Nunc floret Euangelium, quòd sacerdotes & monachi, contra certè leges humanas, contra professionem suam, ducunt vxores? Condonetur hoc: Circũspice, num castiora sint eorum coniugia, quàm aliorum, quos ducunt pro Ethnicis? agnoscis, opinor, quas fabellas tibi possim referre, si liberet. Iam an inter Euangelicos minus indulgeatur libidini, an minus sit adulteriorum? Quid Argentorati fiat nescio: quid alibi cõpertum sit, mecum nouit populus. Iam vt donemus istis Euangelii præconibus esse fas vxores ducere; quis non admiretur, ouiculas mactationi destinatas, nihil in hoc mundo quærentes, præter Christi gloriam, tot curis districtos, tot afflictionibus obnoxios (quibus accedit & paupertas, onus cùm miserum, tùm graue) non posse viuere sine vxoribus? quas tamen multi ob leuiores causas, aut non ducunt, aut ductas nollent. At istis omnis tragœdia exit in cathastrophen comicam: vbi contigit vxor, occinitur, Valete & plaudite. Quæ malum est ista tanta salacitas, quam tot mala non possunt excutere? vnde tanta carnis rebellio in iis, qui se iactant agi spiritu Christi? Dices: nihil tam fuit vnquam felix in rebus humanis, quin malorum admixtu vitiaretur: ad bonos verte oculos. Fieri potest, vt mea sit hæc infelicitas: mihi adhuc neminem contigit nosse, qui non videatur seipso factus deterior: Vos, inquit, strenuè clamatis in luxum sacerdotum, in ambitionem Episcoporum, in tyrannidem Romani Pontificis, in garrulitatem Sophistarum, in preces, ieiunia, & missas; nec ista purgari vultis, sed tolli: nec omninò quicquam in receptis placet; sed zizaniam euellitis cum tritico; aut vt meliùs dicam, triticum euellitis pro zizania. At quid interim nobis profertis meliùs, & Euangelio digniùs, vt ab assuetis recedamus? Circumspice populum istum Euangelicum, & obserua, num minùs illic indulgeatur luxui, libidini, & pecuniæ; quàm faciunt hi, quos detestamini? Profer mihi, quem istud Euangelium ex comessatore sobrium, ex feroci mansuetum,

Eras. in Epi. contra pseud. Euangelicos.

Lutheri doctrina sunt homines deteriores.

tum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum? Ego tibi multos oſtendam, qui facti ſunt ſeipſis deteriores. Et paulò pòſt: Nunquam eorum Eccleſias ſum ingreſſus: ſed aliquando vidi redeuntes à concione, veluti malo ſpiritu afflatos, vultibus omnium iracundiam ac ferociam miram præſeferentibus. Sic opinor, diſcedunt milites à concione ducis ad prælium exhortati. Quis vnquam vidit in eorum concionibus quenquam fundentem lacrymas, tundentem pectus, aut ingemiſcentem? Et alio loco: At iſte, inquit, populus tam Euangelicus, etiam Turcarum principi dicitur deteſtabilis, quem ait ſeditioni natum: quos ſubinde tumultus excitat? quoties quàm leuibus de cauſis procurrit ad arma? ne ſuis quidem Eccleſiaſtis ſatis obtemperans, niſi dicant blanda auribus: profligandi etiam, ſi liberiùs in vitam eorum inuehantur, aut ab opinione diſſentiant. Initio tantùm non Deus erat illis Lutherus, nũc iisdem prorſus delirat, quòd nouum de Euchariſtia dogma non recipiat. Nouam verò libertatem Euangelicam, impunè facere, ſentire quod cuique libitum eſt. Quod ne ipſe quidem primus dux & magiſter eius diſciplinæ Lutherus diſſimulauit: Res in medio eſt, nunc maiorem auaritiam, crudelitatem, libidinis audaciam, improbitatẽ eſſe, quàm ante ſub Papatu hæc fuerunt. Et alibi: * Germaniam ſuam, poſt nouum Euangelium, tantùm non obſeſſam videri à Diabolo ait. Quid enim ab illo homine ſanctum, quid honeſtum, quid caſtum proficiſci potuit; qui & * ipſe primam fidem irritam fecit, damnationem ſibi acquirens, & aliis eius licentiæ vexillum ſuſtulit? Ita vt ſi cætera ſua tueri poſſet; hoc tamen nunquam obtinebit, vt ſe periurum non eſſe probare poſsit. Quàm autem nõ diſsimiles habuerint veteres hæretici mores, quàm non diſsimilia ſtudia, vt putes eoſdem eſſe, vel ex iisdem natos, iuuat ex libro Tertulliani cognoſcere. Non omittã ipſius etiam conuerſationis hæreticę deſcriptionẽ, quàm futilis, quàm terrena, quàm humana ſit, ſine grauitate, ſine autoritate, ſine diſciplina, vt fidei ſuæ cõgruens. In primis quis catechumenus, quis fidelis, incertum eſt: pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant: etiam ethnici ſi ſuperuenerint, ſanctũ canibus, & porcis margaritas, licèt non veras, iactabũt. Simplicitatẽ volunt eſſe proſtrationẽ diſciplinę, cuius penes nos curam, lenociniũ vocant. Pacem quoq; paſsim cũ omnibus miſcent. Nihil enim intereſt illis, licèt diuerſa tractantibus, dũ ad vnius veritatis expugnationem conſpirent. Omnes tument, omnes ſcientiam pollicentur. Ante ſunt perfecti catechumeni, quàm edocti. Ipſę mulieres hæreticæ quàm procaces, quæ audeant docere, contendere, exorciſmos agere, curationes repromittere, forſitan & tingere! Ordinationes eorum temerariæ, leues, inconſtantes: nunc neophytos collocant, nunc ſeculo obſtrictos, nunc apoſtatas noſtros, vt gloria eos obligent, quia veritate nõ poſſunt. Nuſquam faciliùs proficitur, quàm in caſtris rebellium, vbi ipſum eſſe illic, promereri eſt. Itáque alius hodie Epiſcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras Lector: hodie Presbyter, qui cras laicus. Nam & laicis ſacerdotalia munera iniungunt. Cæterùm, nec ſuis præſidibus reueren-

In poſtilla minori ſuper D. 1. Aduen. pagina 1. & in c. 6. ad Galat.

** In cap. 23. Gen. pag. 327*

» tiam exhibere nouerunt. Et hoc est, quòd schismata apud hæreticos ferè
» non sunt: quia cùm sint, non parent schismata. Est enim vnitas ipsa. Men-
» tior, si non etiam à regulis suis variant inter se, dum vnusquisque pro-
» inde suo arbitrio modulatur, quę accepit: quemadmodum de suo arbitrio
» ea composuit ille, qui tradidit. Agnoscit naturam suam, & originis suæ
» morem, profectus rei. Idem licuit Valentinianis, quod Valentino: idem
» Marcionitis, quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innouare. Deniq; pe-
» nitùs inspectæ hæreses omnes in multis cum autoribus suis dissentientes
» deprehendũtur. Plerique nec Ecclesias habent, sine matre, sine sede, or-
» ba fide, extorres quasi sibilatè vagantur. Notata sunt etiam commercia hæ-
» reticorum cum Magis quàmpluribus, cum circulatoribus, cum Astrolo-
» gis, cum Philosophis, curiositati scilicet deditis. Quærite & inuenietis, v-
» bique meminerunt. Adeò & de genere conuersationis qualitas fidei æsti-
» mari potest: doctrina index disciplinæ est. Negant Deum timendum. Ita-
» que libera sunt illis omnia & soluta. Vbi autem Deus non timetur, nisi vbi
» non est? vbi Deus non est, nec veritas vlla est. Vbi veritas nulla est, meri-
» tò & talis disciplina est. At vbi Deus, ibi metus in Deum, qui est initium
» sapientiæ. Vbi metus in Deum, ibi grauitas honesta, & diligentia attonita,
» & cura sollicita, & adlectio explorata, & cõmunicatio deliberata, & ꝓmis-
» sio emerita, & subiectio religiosa, & apparitio deuota, & processio mo-
» desta, & Ecclesia vnita, & Dei omnia. Proinde hæc presiora apud nos te-
» stimonia disciplinæ ad probationem veritatis accedunt: à qua diuertere
» nemini expedit, qui meminerit futuri iudicii: quo omnes nos necesse est
» apud Christi tribunal astare, reddentes rationem, in primis ipsius fidei.
» Atqui laudant, & sæpe virtutem, bonáque opera commendant Augustani.
Quid ad rem, si præmium cœli, mercedẽ æternam ab illis auferunt? Quod idem Epicuro euenisse aliquando legimus. Laudabat hic virtutem, negabat iucundè posse viui, nisi cum virtute viuatur: negat vllam in sapiente vim esse fortunæ: tenuem victum antefert copioso. Negat vllum esse tẽpus, quo sapiens beatus non sit. Omnia Philosopho digna: sed cum voluptate pugnantia. At idem summum bonum à virtute separat. Idem dicit se non habere, quod intelligat bonum illud, detrahens eas voluptates, quę sapore percipiuntur, detrahens eas etiam, quæ auditu & cantibus, detrahens eas etiam, quæ ex formis percipiuntur, oculis suaues motiones, siue quę alię voluptates in toto hoñe gignũtur quolibet è sensu. Atq; Augustani nõ sunt genus hominum pessimum. Hoc idem scribit de Epicureis Tullius. Sed non quod quisq; dicat, sed quàm sibi consentanea dicat, videndũ est: & quid cuiusque consequatur orationem. Quid verba audiam, cum facta video? Atqui his capiuntur imperiti, & propter huiusmodi sententias istorum hæresium est multitudo. Picardi, atque Anabaptistæ, dices, honesti sunt: si sunt, & non videntur esse, laudo: at cætera desunt. Nam & Encratitæ, Cathari, Angelici, continentes fuisse leguntur: verùm cùm rectam fidem non habent, quam vitæ integritas sequitur, fœdi extiterunt hæretici. Virum autem sanctum, qui integritatis suæ cœlitùs testimonium aliquod acceperit, vel vnum demonstrent, qui vel muscam sua deuotione

& pietate

& pietate à mortuis excitauerit, & cauſam obtinebunt. Anne id quidem curant, vt aliquos tales habeant ? Nam de robore & duratione quid dicam ? cùm nudius tertius exorti, eodem die more auicularum, quas Græci ephemeras vocant, occidant, & oriantur. Lutherus certè primus huius tragœdiæ excitator dogmati ſuo ſuperuixit, idq. nullo ferè ſeriò repugnante, nullo perſequente, plurimis autem fauentibus & applaudentibus, ac ad vexilum licentiæ quod erexerat effuſo gradu concurrentibus. Res clara verbis non indiget.

Tertię notę explicatio: eam eſse VERAM ECCLESIAM, QVÆ SIT Catholica.

Caput V.

VErùm nos orationem ad tertiam notam referamus, quæ eſt eiusmodi: Illam verè Eccleſiam eſſe, quæ Catholica ſit, hoc autem eſt, per totum orbem terrarum, ac per omnia tempora fuſa. Quam quidem notam maximè ex omnibus vniuerſa ſacra commẽdat atq. celebrat Scriptura: hac vniuerſa antiquitas limites veræ Eccleſiæ ampliſsimè contra omnes hæreticos ſemper tutata eſt. Talis enim reuera Eccleſia quærenda eſt, qualis primis Patriarchis promiſſa eſt: qualem Sancti Prophetæ adumbrarunt: qualem Chriſtus ipſe eius fundator futuram eſſe prædixit. Primò igitur Abrahæ talis Eccleſiæ ſtatus promittitur: Benedicam, inquit, tibi, & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cœli, & veluti arenam quæ eſt in littore maris: poſsidebit ſemen tuum portas inimicorum tuorum: benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obediuiſti voci meæ. Idem Iſaaco pollicetur Deus: Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, eò quòd obediuit Abraham voci meæ. Eodem modo Iacobo: Dilataberis ad orientem, & occidentem, & ſeptentrionẽ, & meridiem: & benedicentur in te, & ſemine tuo, omnes tribus terræ. Talem futuram prædixerũt Prophetę omnes. Et dominabitur à mari vſq; ad mare, inquit Dauid, & à flumine vſq. ad terminos orbis terrarũ, & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſeruient ei. Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum, & replebitur maieſtate eius omnis terra. Et in alio Pſalmo: Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ. Et in alio: Conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ, & vniuerſæ familiæ gentium. Et: In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Non ſunt loquelæ neque ſermones quorum non

Gene. 22.

Geneſ. 26.

Gen. 28.

Pſal. 71.

Pſal. 2.

Pſalm. 21.

Pſal. 18.

Psal. 74. audiantur voces eorum. Et item: Vineam de Ægypto trãstuliſti: eieciſti gentes & plantaſti eam. Dux itineris fuiſti in conſpectu eius: & plantaſti radices eius, & impleuit terram. Operuit montes vmbra eius, & arbuſta eius cedros Dei. Extendit palmites ſuos vſque ad mare: & vſque ad flumẽ propagines eius. Iſaias non tàm adumbrat, quàm viuis quibusdam coloIſaiæ 60. ribus tam amplos & dilatatos eius fines depingit: Tunc videbis & affluës,& mirabitur,& dilatabitur cor tuum,quando cõuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian, & Epha: omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes. Omne pecus Cedar congregabitur tibi,arietes Nabaioth miniſtrabunt tibi. Offerentur ſuper placabili altari meo,& domum maieſtatis meæ glorificabo. Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas? Me enim inſulæ expectant, & naues maris in principio, vt adducam filios tuos de longè. Argentum eorum, & aurum eorum cum eis, nomini Domini Dei tui, & ſancto Iſraël, quia glorificauit te. Et ædificabunt filii peregrinorum muros tuos,& reges eorum miniſtrabunt tibi.In indignatione enim mea percuſsi te, & in reconciliatione mea miſertus ſum tui. Et aperientur portæ tuæ iugiter,die ac nocte non claudentur,vt afferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur. Gens enim & regnum quod non ſeruierit tibi, peribit: & gentes ſolitudine vaſtabuntur. Gloria Libani ad te veniet, abies, & buxus, & pinus, ſimul ad adorandum locum ſanctificationis meæ: & locum pedum meorum glorificabo. Et venient ad te curui filii eorum qui humiliauerunt te,& adorabuntveſtigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi, & vocabunt te ciuitatem Domini Sion ſancti Iſraël. Pro eo quòd fuiſti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te trãſiret, ponam te in ſuperbiam ſeculorum, gaudium in generationem, & generationem. Et ſuges lac gentium, & mamilla regum lactaberis. Et ſcies quia ego Dominus ſaluans te,& redemtor tuus fortis Iacob. Pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum, & pro lignis æs,& pro lapidibus ferrum. Et ponam viſitationem tuam pacem, & præpoſitos tuos Iſa. 54. iuſtitiam. Et alio loco: Lauda ſterilis quæ non paris, quoniam multi filii deſertę magis;quàm eius quę habebat virum. Dilata locum tentorii tui,& pelles tabernaculorum tuorum extende, ſemen enim tuũ gentes hæreditDan. 2. tabit. Lapis apud Danielem exciſus abſq. manibus excreſcit, fit in montem magnum & replet vniuerſam terram. Tumultuabuntur à multitudiMich. 2. ne hominum, inquit Micheas. Poteſtas eius à mari vſq. ad mare, & à fluZach. 9. minibus vſque ad fines terræ, inquit Zacharias. Ab ortu ſolis vſq. ad occaſum,magnũ eſt nomen meum in gentibus: & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio mũda: quia magnũ eſt nomen meũ in gẽMalach.1. tibus dicit Dnũs exercituũ,dicit Malachias.In illa die erit Dũs vnus,& erit nomen eius vnũ, & reuertetur omnis terra vſq. ad deſertũ, inqt Zacharias. Zach. Et omnes qui reliqui fuerũt de vniuerſis gẽtibus quę venerunt contra Hieruſalem aſcendent ab anno in annum, vt adorẽt regem Dominum exerci-

tuum

tuum. Et hæc quidem Prophetæ prædixerunt. Idem autem & Christus Dominus docuit: Euntes, inquit, in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ, &c. illi autem profecti prædicauerunt vbique, &c. *Marci 16.* Item: Et eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa & Samaria, & vsque ad vltimum terræ, *Act. 1.* Et alio loco: Oportuit Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma. *Lucæ 24.* Et iterum: Amen amen dico vobis: oportet prædicari hoc Euangelium in vniuerso mundo. Et omnem particularitatem excludens alio loco addit: Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hîc est Christus, aut illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis: Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab oriente, & paret vsque in occidentem, ita erit & aduentus filii hominis. Vbicunq. fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. *Matth. 24.* Et item: Et mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cœlorum vsq. ad terminos eorum. Et in Actis: Erant autem in Hierusalem habitantes Iudæi viri religiosi ex omni natione quæ sub cœlo est. Facta autem hac voce, conuenit multitudo, & mente confusa est, quoniam audiebat vnusquisque lingua sua illos loquentes. Stupebant autem omnes, & mirabantur dicentes. Nónne ecce omnes isti qui loquuntur Galilæi sunt? & quomodo nos audiuimus vnusquisque linguam nostram in qua nati sumus? Parthi & Medi, & Elamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Iudæam & Cappadociam, Pontum & Asiam, Phrygiam, & Pamphiliam, Ægyptum, & partes Libiæ, quæ est circa Cyrenen, & aduenæ Romani, Iudæi quoque & Proselyti, Cretes & Arabes, audiuimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. Stupebant autem omnes & mirabantur ad inuicem dicentes: Quidnam hoc est? *Actо. 2.*

Cur ipsi Doctores omnium gentium linguis loquuntur, quàm quod ad omnes gentes fidem prædicare debebant? Quod signum, cùm euidẽtissimum ac certissimum sit, & quo nullum ferè clariùs & illustriùs in sacris Scripturis explicetur, & quod vel solum ad faciendam fidem abundè sufficiat; nemo fuit inter veteres illos sanctos Patres, qui veram sponsam Iesu Christi hoc ipso signo & nota à falsis Ecclesiis non distinxerit, nemo qui huc non prouocauerit. Iuuat aliquos ex vetustioribus in medium proferre: nam omnium testimonia adscribere, infinitæ prolixitatis negotium esset. Primus ferè omnium post Apostolorum tempora, qui cum hæresibus congressus est, Irenæus fuit. Qui eo signo hunc in modum vtitur: Ecclesia, inquit, per vniuersum orbẽ vsq; ad fines terrę seminata, & ab Apostolis & à discipulis eorũ accepit eam fidem, quę est in vnum Deũ Patrem omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt: Et in vnum Iesum Christum filium Dei, incarnatũ pro nostra salute: Et in Spiritum sanctum, qui per Prophetas prædicauit dispositiones & Dei aduentum, *Lib. 1. aduersus hæreses cap. 2.*

„ tum, & eam,quæ est ex virgine generationem,& passionem, & resurrecti-
„ onem à mortuis, & in carne in cœlos ascensionem dilecti Iesu Christi Do-
„ mini nostri, & de cœlis in gloria patris aduentum eius ad recapitulanda
„ vniuersa, & resuscitandam omnem carnem humani generis: vt Christo Ie
„ su Domino nostro, & Deo, & Saluatori,& Regi,secundum placitum patris
„ inuisibilis, omne genu curuetur, cœlestium, terrestrium, & infernorum,&
„ omnis lingua confiteatur ei, & iudicium iustum in omnibus faciat. Spiri-
„ talia quidem nequitiæ, & angelos transgressos, atque Apostatas factos,&
„ impios, & iniustos,& iniquos, & blasphemos homines in æternum ignem
„ mittat: iustis autem & æquis, & præcepta eius seruantibus, & in dilectio-
„ ne eius perseuerantibus quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem
„ ex pœnitentia, vitam donans,incorruptelam loco muneris conferat & cla
„ ritatem æternam circumdet. Et de Ecclesiæ quidem vniuersalitate hæc
„ Irenæus.

De istorum autem disidiis,ac inconcinna paucitate illud: Videamus, inquit, nunc & eorum inconstantem sententiam, cùm sint duo vel tres, quemadmodum de eisdem non eadem dicunt, sed & nominibus, & rebus contraria respondent. Irenæum sequutus est Tertullianus,qui eandem texit contra Iudæos Geographiam in hunc modum. Cui enim & aliæ gentes crediderunt, Parthi,Medi,Elamitæ, & qui inhabitant Mesopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam, & incolentes Pontum & Asiam,

In Lib. contra Iudæos.

„ Pamphyliam,immorantes Ægyptum,& regionem Aphricæ,quæ est trans
„ Cyrenen inhabitantes, Romani,& incolæ,tunc & in Hierusalem Iudæi,&
„ cæteræ gẽtes,vt iam Getulorum varietates,& Maurorum multi fines,His-
„ paniarum omnes termini, & Galliarum diuersæ nationes, & Britannorum
„ inaccessa Romanis loca, Christo verò subdita, & Sarmatarum, & Daco-
„ rum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium,&
„ prouinciarum, & insularum multarum nobis ignotarum, & quæ enume-
„ rare minus possumus. In quibus omnibus locis Christi nomen,qui iam ve-
„ nit, regnat: vtpotè ante quem omnium ciuitatum portæ sunt apertæ, &
„ cui nullæ sunt clausę, ante quem seræ ferreæ sunt comminutæ, & valuę æ-
„ reę sunt apertæ. Quanquam & ista spiritaliter sint intelligenda, quo prę-
„ cordia singulorum variis modis à diabolo obsessa fide Christi sint reserata,
„ attamen perspicuè sunt adimpleta,vtpotè in quibus omnibus locis popu-
„ lus nominis Christiani habitet. Quis enim omnibus regnare potuisset,nisi
„ Christus Dei filius? qui omnibus in æternum regnaturus nunciabatur. Et
„ de vniuersalitate quidem verę Ecclesiæ hæc. De istorum autem orbitate & pugnis illud quod paulò ante diximus. Mentior (ait Tertullianus) si non etiam à regulis suis variant inter se,dum vnusquisque proinde suo ar-

Lib. de præscriptione hæreticorum.

„ bitrio modulatur, quæ accepit: quemadmodum de suo arbitrio ea com-
„ posuit ille, qui tradidit. Agnoscit naturam suam, & originis suæ mo-
„ rem, profectus rei. Idem licuit Valentinianis, quod Valentino, idem
„ Marcionitis,quod Marcioni,de arbitrio suo fidem innouare. Et paulò su-
„ periùs: Vnde extranei & inimici Apostolis hæretici,nisi ex diuersitate do-

ctrinæ

ctrinę, quam vnusquisque de suo arbitrio aduersus Apostolos, aut protulit, aut recepit? Illic igitur & scripturarum & expositionum adulteratio deputanda est, vbi diuersitas inuenitur doctrinæ. Quid illud quàm magnificum Augustini testimoniũ? Vt omittam syncerissimam sapientiam, multa sunt alia, quæ in Catholicæ Ecclesię gremio me iustissimè teneant. Tenet consensio populorum atq. gentium: tenet autoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata. Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad prę sentem Episcopatum succesio sacerdotum. Tenet postremò ipsum Catholicę nomen, quod non sine causa inter tam multas hęreses sic ista Ecclesia sola obtinuit; vt cùm omnes hęretici se Catholicos dici velint, quęrenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hęreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostẽdere. Tenenda est nobis christiana religio, & eius Ecclesię communicatio, quæ catholica est, & catholica nominatur, non solùm à suis, verumetiam ab omnibus inimicis. Velint enim nolint vel ipsi quoque hæretici, & schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud, quàm catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab vniuerso orbe nũcupatur. Quid Hieronymus? Stultum est, inquit, eum paruo loco vel abscondito quærere, qui totius mũdi lumen est. Ecclesia porrò catholica ibi est, vbi est fides catholica. Fides autem catholica ea est, quæ per orbem vniuersum, iuxta Christi præceptum, eadem semper annunciatur: nec vel tempore, vel locis vnquam variatur: à qua si quis dissentiat, is Catholicus non est, quòd singularem quandam opinionem, non vnam communem omnium fidem amplecti videtur. Quid Pacianus? Christianus mihi nomen est, Catholicus verò cognomen: illud me nuncupat, istud ostendit: hoc probor, inde significor. Et si reddenda postremi catholici vocabuli ratio est, & exprimenda de Græco interpretatione Romana: Catholicus vbique vnum, vel vt doctiores putent, obedientia omnium nuncupatur mandatorum scilicet Dei. Ergo qui Catholicus, idem obediens: qui obediens, idem est CHristianus, atque ita Catholicus christianus est. Quare ab hæretico nomine noster populus hac appellatione diuiditur, cùm Catholicus nuncupatur. Hactenus Patres.

Contra epist. fundamenti.

Ad Damasũ Papam.

Epistola 1. ad Symphronianum Nouatianum.

Verùm quoniam hoc signum, quod illos tantopere vrget, variis interpretationibus, similiter, vt & superiora, declinare solent: ideò paucis, quid sit Catholicum esse, explicemus. Cùm igitur Catholicam siue vniuersalem Ecclesiam dicimus, non illud intelligimus, quòd omnes homines, qui vbique sunt, contineat, hoc enim nunquam futurum fuisse, figura designabat Regni Saul. Quem etsi vniuersus Dei populus sequutus fuit, non defuerunt tamen filii Belial, qui recesserunt ab eo: de quibus illud scriptum est. Et abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda. Filii verò Belial dixerunt: Num saluare nos poterit iste? Et despexerunt eum, & nõ attulerunt ei munera. Neque in eo sensu, Catholicam accipimus, quòd nulli

Catholicũesse quid?

1. Reg. 10.

nulli Iudæi, nulli gentiles, qui eam ipſam, ita vti dictum eſt, exerceant, eiúsque ſtabilitatem ac firmitatem ſuis impreſsionibus demonſtrent, extare debuerint. Virtus enim in aduerſis probatur, & vbi deſunt certamina, deſunt & coronæ. Itaq; & Iudæi ad veſperam vſque, quando venerit plenitudo gentium conuertentur: & gentium vocatio ad extremum vſq; iudicii diem continuari debet. Quod in filiis Iſraël ſimiliter adumbratum fuit, qui, etſi terra promiſsionis potiti erant; reliquerat tamen dominus Philiſtæos, Cananæos, & alios multos, qui populum illum erudirent atque exercerẽt, rebusque ſecundis, aliquando inſolentem, & elatum deprimerent: de quibus gentibus ſcriptura inquit: Hæ ſunt gentes quas dominus dereliquit; vt erudiret in eis Iſraëlem, & omnes, qui non nouerant bella Cananæorum: & poſtea diſcerent filii eorum certare cum hoſtibus, & habere conſuetudinem præliandi. Ne igitur Chriſtiani aduerſariis carentes (quod in ſententia ſua de delenda Cartagine ſuaſit aliquando apud Romanos Scipio Naſica) otio torperent, vel in eadem fide tepeſcerent; pientiſsimus Deus, quò cautiùs viueretur, hoſtes in medio eorum dereliquit. Et Iſraëlitis Ægypto egreſsis obſtitit hoſtis in faciem, permanſit in medio eorum ſemper. Similiter idem prudens paterfamilias, permiſit lupos circuire gregem Euangelicum, vineam vulpes ſuffodere, apros euertere: vtque fides ex ipſa contentione haberet meritum, voluit ne vnquam poſt prædicatum Euangelium, & fidem ſuſceptam in Eccleſia ſua deeſſet aduerſarius, qui illam vexaret. Neque denique ita Catholicam intelligimus, quòd nullæ hæreſes, nulla ſchiſmata in ea ipſa futura eſſent; prædixit enim Paulus, Oportere hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt manifeſti fiant. Nam alias, vel hac ipſa nota nihil opus eſſet, niſi inuenirentur alii, à quibus per eam ita, vt & per alias diſtingueretur, particulares cœtus. Idque ipſum multis verbis Tertullianus docet: Conditio præſentium temporum (fratres) etiam hanc admonitionẽ prouocat noſtram, nõ oportere nos mirari ſuper hæreſes iſtas, ſiue quia ſunt; futuræ enim prænunciabantur: ſiue quia fidem quorundã ſubuertunt; adhoc enim ſunt, vt fides habẽdo tentationem, haberet etiam probationẽ. Vanè ergò & inconſideratè pleriq; hoc ipſo ſcandalizantur, quòd tantũ hæreſes valeant, quantum non valerent, ſi non fuiſſent: cùm quod ſortitũ eſt, vt omnimodo ſit, ſicut cauſam accepit, ob quam ſit; ſic vim conſequitur per quam ſit, nec eſſe non poſsit. Febrem deniq; inter cæteros mortiferos & cruciarios exitus erogando homini deputatam, neque quia eſt miramur; eſt enim: neq; quia erogat hominem; ad hoc enim eſt. Proinde hęreſes ad languorem & interitum fidei productas, ſi expaueſcimus hoc eas poſſe, prius eſt vt expaueſcamus hoc eas eſſe, quæ dũ ſunt, habent poſſe: & dum poſſunt, habent eſſe. Sed enim febrẽ vt malũ, & de cauſa, & de potentia ſua, vt notum eſt, abominamur potiùs quàm miramur, & quantum in nobis eſt præcauemus, non habentes abolitionem eius in noſtra poteſtate. Hæreſes verò mortem æternam, & maioris ignis ardorem inferentes, malunt quidem mirari, quòd hoc poſsint, quàm deuitare, ne poſsint: cùm habeant deuitandi poteſtatem. Cæterùm nihil valebunt,

Iudic. 3.

1. Cor. 11.

lebunt, si illas tantùm valere non mirentur. Aut enim dum mirantur, in scandalum subministrantur: aut quia scandalizantur, ideo mirantur, quòd tantùm valeant, quasi ex aliqua veritate veniant. Mirum scilicet vt malum vires suas habeat: nisi quòd hæreses apud eos multum valent, qui in fide non valent. Hæc Tertullianus. Quam eandem totam causam pulcherrimè explicat D. Augustinus, qui vnus, pro omnibus istis, qui ecclesiam conturbant, in orbe christiano valuit semper, & meritò valere debet. In quibus ergò gentibus nondum est Ecclesia, oportet vt sit, non vt omnes qui ibi fuerint credant: omnes enim gentes promissæ sunt, non omnes homines omnium gentium. Non enim omnium est fides. Credit itaque » omnis gens in omnibus qui electi sunt ante constitutionem mundi, in » cæteris non credit, & credentes odit. Quomodo enim & illud impleb- » bitur: Eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum: nisi in omnibus gẽtibus sint, & qui oderint, & quos oderint? Quo pacto igitur ab Apostolis est prædicatio ista cõpleta, quando adhuc vsq; sunt gentes, quod certissimũ est nobis, in quibus modo cœpit, & in quibus nondũ cœpit, impleri? Non itaq; sic dictũ est Apostolis: Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsq; ad vltimum terræ, tanquam ipsi soli quibus tũc loquebatur, tantum munus fuerint impleturi: sed sicut eis solis videtur dixisse, quod dixit: Ecce ego vobiscum sum vsque ad consumationem seculi: quod tamen eum vniuersæ Ecclesiæ promisisse, quæ aliis morientibus, aliis nascentibus, hîc vsque in seculi consumationem futura est, quis intelligat?

De supremo mũdi die epi: 18. Tom: 2.

Matth. 24.

Act. 1.

Matth. 28.

Cùm igitur Catholicum dicimus, illud cum Vincentio Lyrinense intelligimus, quod vbique est, quod semper fuit, quod inter omnes reperitur. In quorum primo est vniuersitas, in secundo antiquitas, in tertio consensus. Ecclesia ergò Catholica erit, quæ vbique est, quæ semper, & inter omnes. Quæ vbique; hoc est, quę non aut Geneuę, aut Witembergæ, aut Romæ tantùm colatur; sed quæ vbique terrarum ita inueniatur, vt nulla pars mundi existat, nulla prouincia, nulla natio, in qua eius aliquam portionem non reperias: ita vt in aliis quidem partibus plura eius membra sint, in aliis pauciora, vbique tamen semen hoc benedictum sparsum crescat ac floreat. Tale enim illud est: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. Et, Omnes gentes quascunque fecisti, venient & adorabunt coram te Domine. Et in Apocalypsi: Redemisti nos Deus in sanguine tuo, ex omni tribu, lingua, populis, & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum.

Psalm. 18.

Psal. 85.

Vt igitur illa erit Catholica Ecclesia, quę vbique in omni mundi parte, in omni prouincia, in omni gente & natione colitur; ita illud Catholicum dogma; quod vbique laudatur, prædicatur, docetur. Ille Catholicus, qui eum orbis terræ consensum sequitur: qui huic sensui, non hominis cuiuspiam autoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non doctrinam anteponit; sed hæc cuncta despiciens, orbis terrarum consen-

Apoc. 5.

sum

ſum vbiq. in omnibus ſequitur. Cõſenſus enim & conſpiratio omniũ gentium, dicebat Tullius, vox naturę eſt exiſtimanda. Conſenſus omniũ membrorum Chriſti, vox Chriſti & Spiritus ſancti eſt: qui õnes ſequitur, errare non poteſt. Neq. enim cuiq̃ vni mortalium dictum eſt: Mittã tibi ſpiritum paracletum; ſed, mittam vobis, qui vos docebit omnem veritatem. Neq. priuatim aut ſeparatim ipſis Apoſtolis Spiritus ſanctus datus eſt; ſed omnibus ſimul in vnum locum congregatis: Erant, inquit ſcriptura, omnes pariter in eodem loco, & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto &c.

Ioan: 16.

Act. 2.

Catholica igitur eſt, quæ vbiq. eſt; ſed & quæ ſemper. Vt illa ſit vera Eccleſia, non quæ nũc primùm occidentibus ſeculis exorta fuerit; ſed quæ à principio fuit, per omnésque decurſus temporum progreſſa, ad noſtram vſque peruenerit ætatem. Ita enim dictum eſt: Ego vobiſcum ſum vſq. ad conſumationem ſeculi. Et alio loco: Amen dico vobis, non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Et Paulus populum chriſtianum, mortẽ Domini annunciaturum prædixit, donec ipſe veniat.

Mat. vltimo.

Lucæ 21.

1. Cor: 11.

Vt autem illa eſt Catholica Eccleſia, quæ ſemper eſt: ita illud Catholicum, quod ſemper, vel vbique, conſtanti doctrina traditur. Ille Catholicus, qui id credit, id ſequitur quod ſemper creditum eſt, & quod ſemper fideles ſunt ſequuti. At dices fortaſſe: Quomodo igitur illud tanquam Catholicum, quod ſemper in Eccleſia creditum eſt, ſequar; cùm vt ipſi homines ita & ſenſus eorum iam demortui ſunt? Ita quidem eſt, homines illi qui ſecula noſtra anteceſſerunt, vtpotè mortales nati, mortui ſunt, aut potiùs ad vitam longè magis hac noſtra vitalem tranſlati; fides tamen & ſenſus illorum viuit & viget. Vbi nam dices? in locis communibus Philippi fortaſſe, aut Caluini inſtitutionibus? Nequaquam: nam iſti heri & nudius tertius exorti, nobiſcum ſimul vixerunt. Vbi igitur? In ampliſsimo illo totius vetuſtatis & antiquitatis theſauro atque depoſito, Conciliorum, inquam, atque Decretorum libris, in quibus tanquam depoſitis quibusdam vltimam voluntatem ſuam, fidem, & ſenſus ſuos, tanquam teſtamento & vltima conſignatione primitiua reliquit Eccleſia. In ſcriptis item, ac commentariis Patrum, qui illud, quod de ſingulis rebus ſuo tempore Eccleſia ſenſit, quæ iudicia, & qui ſenſus eius de rebus omnibus fuerint, quid item aut docuerint, aut crediderint, ipſi nobis tradiderunt. In vſu denique ipſo, & more, ritibus, & cæremoniis, quas à maioribus noſtris, tanquam hæreditate quadam, relictas atque traditas, ad hanc vſque diem ſanctè & intemeratè conſeruamus. In ipſis ad extremum iuribus, legibus, priuilegiis, publicis tabulis, templis denique, ſtatutis, publicísq. ædificiis. Hæc enim vniuerſa ſunt veluti veſtigia quædam, & monimenta eorum, qui nos anteceſſerunt hominum, doctrinæ ac fidei. Quæ qui vel ipſe non legit, vel ab his, qui hæc legerint, non diſcit; quomodo Catholicus dici poſsit, non inuenio. Quid ſi amplius extincta eſſe velit? quid ſi noua & recens conficta pro veteribus obtrudat? quid ſi vetera abrogari cupiat? quid ſi earum rerum inimicus ſit? quid ſi eas de manibus ſuorum excutiat? quid ſi omnem autoritatem illis detrahat? eritne hic Catholicus, aut aliquo modo dici poterit? aut habebítne Catholicam fidem? Nequaquam profectò. Eant igitur iſti

igitur isti, & à cerdonibus, atque sutoribus, mulierculis etiam, si placet, fidem catholicam, quæ tanta eruditionis & antiquitatis supellectili opus habet, discant. Et tamen putant se solos videre, in clarissimáque luce versari, cùm cœci sint, ac in densissimis tenebris versentur. Illa igitur est catholica, quæ vbique est, & quæ semper fuit. Sed & quæ inter omnes & ex omnibus, non quidem omnibus, quod iam dictum est, numero, sed gente, lingua, natione, tribu, ordine, & conditione. Non enim, inquit Paulus, est distinctio Iudæi, neque Græci, non barbari, nec Scythæ, non seruus & liber, non masculus & fœmina; sed omnia in omnibus eadem fides, idem consensus omnium, vt sit illud, quod superiùs diximus: Fgressi sunt filii Israël, & pariter pugnârunt vt vir vnus. Et illud: Erat, inquit, omnibus cor vnum, & voluntas vna.

Concludamus igitur illam verã Ecclesiã esse, quę catholica sit. Catholica autem erit, quę vbiq; quę semper, quę inter omnes, ita vti dictũ, viget, eodémq; modo catholica doctrina, & catholicus homo. Vtq; nomẽ ipsum catholicum, quod vniuersale significat, ex aduerso hæresi, quæ à parte designat opponitur, quomodo illud à parte Nouati esse, à parte Donati, à parte Lutheri dicitur; ita res ipsa, catholicum, inquam, esse, & hæreticum, maximè pugnant atque disident, plurimumque à se distinguuntur. Catholica enim Ecclesia, veluti vitis quædam abundans in lateribus domus Dei crescit: filii eius tanquã nouellę oliuarũ in circuitu mensę eius virent, vitis tota, vitis plena, vitis abundans & frugifera: hæreses autẽ veluti sarmenta quædam inutilia, à vite amputata, arida & mortua, vndique vitem temerè circumiacentia, ac sua ariditate, nisi amputentur & expurgentur, eam siccãtia ac corrodentia. Itaq; cætera quidem nomina, ferè omnia, vti dictum est, impudica præsumptione hæretici sibi vsurpant, ita vt se Angelicos, Apostolicos, Euãgelicos dicãt; Catholicos certè nunquã se nominare ausi sunt. Itáq; dicit Augustinus: Quærẽti peregrino alicui, vbi ad Catho- „
licã cõueniatur; nullus hæreticorũ, aut Basilicam suam, aut domum audet „
ostendere. Quæ causa? non enim vbique sunt, neq; semper sunt, neq; om- „
nes sunt; sed heri & nudius tertius exorti, vno die occidunt. Quare non ni- „
si sub certo nomine, inquit Vincentius Lyrineñ, certo loco, certo tempore describuntur. Ecclesiæ autem tantùm ea nota conuenit, vt ab ea sola cognominetur. Illam igitur Ecclesiam quæramus, quæ vbique est, quæ semper est, quæ inter omnes; eamque sequamur, illi adhæreamus, ab ea nos nulla ratione dimoueri patiamur. Quicquid verò, vti præclarè monet idem Lyrineñ, quàmuis ille Sanctus, & doctus, quamùis Episcopus quamuis Confessor & Martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes senserit; id inter proprias, & occultas, & priuatas opiniunculas, à communis publicæ ac generalis sententiæ authoritate secretum sit: nec cum summo æternę salutis periculo, iuxta sacrilegam hæreticorum & schismaticorum consuetudinem, vniuersalis dogmatis veritate dimissa, vnius hominis nouitium sectemur errorem. Velint enim nolint, inquit Augustinus, nos Ca- „
tholicos appellent, se verò quiduis potiùs: qua causa? num nouitate vo- „

cis offensi? nequaquam; antiquissimum enim est: num significato? at augustissimum: num vsu? atqui omnibus bonis frequentissimum. quæ igitur causa? nulla profectò alia, nisi quòd Catholici non sint. Quos nō modò à Catholicorum nomine, sed à Christiano etiam lege sua D. Imperatores excluserunt.

Decretū Imperatoris. De hæreticis Manichæis Lege 6.

VALENTINVS LEONTIO. Damnato portentosæ superstitionis auctore Nestorio: nota congrui nominis eius inuratur gregalibus; ne Christianorum appellatione abutantur. Sed quemadmodum Ariani ab Ario, lege diuæ memoriæ Constantini, ob similitudinem impietatis, Porphyriani à Porphyrio nuncupantur; sic vbique participes nefariæ sectæ » Nestorii, Nestoriani vocentur: vt cuius scelus sunt in deserendo Deum i- » mitati; eius vocabulum iure videantur esse sortiti. Necnon impios libros » nefandi & sacrilegi Nestorii aduersus venerabilem orthodoxorum sectā, » decretaque Sanctissimi cœtus antistitum Ephesi habiti, scriptos habere, » aut legere, aut describere audeat quisquam: quos diligenti requiri studio, » aut publicè comburi decernimus. Ita vt nemo in religionis disputatione » aliquam supradicti nominis faciat mentionem: aut quibusdam eorum ha- » bendi consilii gratia in ædibus, aut villa, aut suburbano suo, aut solo quo- » libet, aut alio loco conuenticulum clam aut apertè præbeat. Quos omnes » cœtus celebrandi licentia priuari statuimus, scientibus vniuersis viola- » torem huiusmodi legis publicatione bonorum esse coërcendum.

Quartę notę explicatio: eam veRAM ECCLESIAM ESSE, QVÆ sit Apostolica.

Caput VI.

Matth. 16.

VErùm nos ad quartam, eámq; vltimam notam explicandam transeamus. Ea autem est, nos eam veram Ecclesiam credere, quæ sit Apostolica. Indicat & explicat hanc notam ipse Dominus: Et ego tibi dico Petre, quia tu es Petrus: & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus illam. Non ad Petrum dices hæc verba referri. Ergo ne ad Christū quidem illa referentur: Tu es Christus filius Dei viui. Alter enim locus alterum sequitur. Vtitur item hac eadem nota Diuus Paulus: Superædificati super fundamentū Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Quod fundamentum Apostolorum, ipse interpretatur: Vt sapiens, inquit, artifex fundamentum ieci, alius superædificauit. Vtitur eodem modo D. Ioannes: Veni, & ostendam tibi sponsam,

Ephes. 4.

1. Cor. 3.

Apoc. 21.

vxorem

vxorem agni, & murus ciuitatis fuit, habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum & agni. Ad hanc eandem tanquam sacram anchoram, veteres confugerunt: huic soli promissum Spiritum veritatis in æternum sibi persuaserunt: hanc denique vt murum aheneũ vniuersis infidelium machinis & arietibus opposuerunt: hoc telo omnes priorum Gnosticorum copias confodit Tertullianus: huiusmodi argumento Nouatianos coarguit Cyprianus lib. 1. Epist. 6. In hoc asylum se recepit Hieronymus aduersus tot Orientis sectas dissectas, vt indicat ipse Epist. ad Damasum, & Dial. contra Luciferianos, Parmenianũ, & Donatistas: hoc laqueo præfocat Optatus Mileuitanus, lib. 2. Istius successionis consideratione, quasi arctissimo vinculo retentum, & fortissimis repagulis conseruatum se in gremio Catholicæ Ecclesię affirmat frequenter Augustinus lib. contra Epist. Manich. cap. 4. Psalmo cõtra partem Donati: Epist. 163. & 165. lib. de vtilitate credendi, cap. 17. & 49. lib. quæstionum veteris & noui testamenti, quæst. 110. lib. 2. contra literas Petiliani cap 51. Hac nota sanctissimi Imperatores populis sibi à Deo creditis eam commonstrant.

Decretum Imperatorum: Cunctos populos quos clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus religione versari, quam diuinum Petrum Apostolũ tradidisse Romanis, religio vsq. adhuc ab ipso insinuata declarat: quámq; Põtificem Damasum sequi claret. Et Petrum Alexandrię Episcopum virum Apostolicę sanctitatis, hoc est, secundùm Apostolicam disciplinam, Euangelicámque doctrinam Patris, & Filii, & Spiritus sancti, vnam deitatem sub pari maiestate, & sub pia trinitate credamus. Hanc legem sequentes christianorum Catholicorum nomen iubemus amplecti: reliquos verò dementes; vesanósque iudicantes, hæretici dogmatis infamiam sustinere diuina primùm vindicta, pòst etiam motus animi nostri, quem ex cœlesti arbitrio sumpserimus, vltione plectendos. *Gratia: & Valenti: & Theodo.*

Verùm, ne in verbo aliquid difficultatis insit, illam Apostolicam Ecclesiam dicimus: Primùm, quam ipsi fundârunt Apostoli: Vti bonus artifex, inquit Paulus, fundamenta ieci, alius autem superædificauit. Quomodo Romanam quidem Petrus: Asianam Ioannes: Persicam Simon & Iudas: Indicam Thomas & Bartholomæus: Æthiopicam Matthæus: Achaicam Andreas: D. Paulus Syriacam, Antiochenam, Thessalonicam, Philippensem, & cæteras Græcas.

Deinde, quę non partem aliquam tantùm Apostolicæ doctrinæ, sed vniuersam doctrinam Apostolorum sequitur, ab eáque ne latum quidem vnguem discedit. Quam quidem Apostolicam doctrinam in duas partes distinctam esse superiori libro ex Paulo docuimus: In eam quæ oretenus prolata est, ac in moribus hominum constituta: & eam quam Epistola atque atramento cõtineri docet Ioannes. Quod idem clarè Dionysius Areopagita tradit: Eloquia diuina, duplicis, inquit, generis sunt, nimirum quædam in sanctis & Theologicis libris nobis commendata: alia prætera, quæ ex animo in animum medio intercurrente verbo, sine literis trãs- *Dioni: cap: 1. de cœlesti Hierarchia.*

» fusa sunt. Siquidem primi illi nostri Sacerdotes, duces, Apostoli, summa
» illa & supersubstantialia, partim scriptis, partim nõ scriptis institutionibus
Irenæus lib. 3. Cap. 4. nobis tradiderunt. Idem Irenæus. Quid autem si neque Apostoli Scripturas reliquissent nobis, nónne oportet sequi ordinem traditionis, quam
» tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? pp

Vltimò illa Apostolica dicitur Ecclesia, in cuius cathedra aliquando Apostoli ipsi consederunt: & quæ ab ipsis Apostolis pastorum & doctorũ continuam & perpetuam successionem vsq. ad hodiernam diem conser-
De præscrip. hæretic. c. 20. uauit. Prolixè hæc docet omnia Tertullianus: Statim igitur Apostoli (quos hæc appellatio missos interpretatur) assumpto per sortẽ duodecimo Ma-
» thia in locum Iudæ, ex autoritate Prophetiæ, quæ est in Psalmo Dauid,
» consequuti promissam vim Spiritus sancti ad virtutes & eloquium, primò
» per Iudæam contestata fide in Iesum Christum, & Ecclesiis institutis, de-
» hinc in orbem profecti, eandem doctrinam eiusdem fidei nationibus pro-
» mulgauerunt: & proinde Ecclesias apud vnamquamque ciuitatem con-
» diderunt, à quibus traducem fidei & semina doctrinæ, cæteræ exinde Ec-
» clesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur, vt Ecclesiæ fiant. Ac per hoc
» & ipse Apostolicæ deputantur, vt soboles apostolicarũ ecclesiarum. Om-
» ne genus ad originem suam censeatur, necesse est. Itáque tot ac tantę Ec-
» clesiæ, vna est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ,
» & omnes Apostolicæ, dum vnam omnes probant vnitatem. Communi-
» catio pacis & appellatio fraternitatis, & contesseratio hospitalitatis: quę
» iura non alia ratio regit, quàm eiusdẽ sacramenti vna traditio. Hanc igitur
» dirigimus præscriptionem: si dñus Iesus Christus Apostolos misit ad præ-
» dicandũ; alios non esse recipiendos prædicatores, quam quos Christus in-
» stituit: quia nec alius patrẽ nouit nisi filius, & cui filius reuelauit: & nec
» aliis videtur reuelasse filius, quàm Apostolis, quos misit ad prædicandũ, v-
» tiq; quòd illis reuelauit. Quid autẽ prędicauerint, id est, quid illis Christus
» reuelauerit, & hîc præscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem
» Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tàm viua
» quod aiunt voce, quàm per Epistolas postea. Si hæc ita sunt: Constat
» proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis matrici-
» bus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam: id sine dubio te-
» nentem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo
» susceperit: reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præiudicandam,
» quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, &
Dei. Quanquam autem omnes illæ Ecclesiæ Apostolicæ dicuntur, quæ hoc modo, vel ab Apostolis ipsis sunt fundatæ, vel eorum doctrinam in omnibus sequuntur, vel quibus ipsi præfuerunt Apostoli, præcipuè tamen & peculiariter, ac quasi per excellentiam quandam illa Apostolica dicta est semper Ecclesia, quàm ipsi principes Apostolorum, D. inquam Petrus & Paulus, fundârunt, ipsique præfuerunt, vel propter Apostolorum dignitatem, vel propter præcipuum Christi promissum: Ego pro te oraui Petre, vt non deficiat fides tua. Et: Elegi eum mihi, vt sit vas electionis, vt

portet

portet nomen meum coram Gentibus. Vel propterea,quòd aliis,ob varias hæreſes atque ſchiſmata aliosque errores, ceſſantibus, ac planè extinctis hæc ſola perpetuò durare debuit; itáque ſola peculiari quodam modo ab omnibus veteribus, ſedes Apoſtolica dicta eſt ſemper: ad ſolámq; omnes ferè alię prouocarunt: ſoliúsque ſucceſsionem demonſtrant,quod vetuſtiſsimorum Patrum exemplis atque teſtimoniis demonſtratur: in quibus primus eſt Irenæus. Traditionem itáq; Apoſtolorum in toto mundo manifeſtatam, in omni Eccleſia adeſt perſpicere omnibus,qui vera velint audire,& habemus annumerare eos,qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis,& ſucceſſores eorũ vſq. ad nos,qui nihil tale docuerunt, neq. cognouerũt,quale ab his deliratur. Etenim ſi recõdita myſteria ſciſſent Apoſtoli, quæ ſeorſim & latenter ab reliqs perfectos docebant;his vel maximè traderent ea,quibus etiam ipſas Eccleſias committebant. Valde enim perfectos,& irreprehenſibiles in omnibus eos volebant eſſe,quos & ſucceſſores relinquebant,ſuum ipſorum locum magiſterii tradentes; quibus emendatè agentibus fieret magna vtilitas, lapſis autem ſumma calamitas. Sed quoniam valde longùm eſt, in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſsiones, maximæ, & antiquiſsimæ, & omnibus cognitæ,à glorioſiſsimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo, Romę fundatę & conſtitutę Eccleſiæ; eam quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per ſucceſsiones Epiſcoporum peruenientem vſque ad nos, indicantes; confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam,vel per cœcitatem, & malam ſententiam,præter quàm oportet colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam,propter potentiorem principalitatem,neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt, eos, qui ſunt vndique fideles, in qua ſemper conſeruata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis, traditio. Fundantes igitur & inſtruentes beati Apoſtoli Eccleſiam, Lino Epiſcopatum adminiſtrandæ Eccleſię tradiderunt. Huius Lini Paulus, in his quæ ſunt ad Timotheum Epiſtolis,meminit: ſuccedit autem ei Anacletus: poſt eum tertio loco ab Apoſtolis Epiſcopatũ ſortitur Clemens,qui & vidit ipſos Apoſtolos, & contulit cum eis, cùm adhuc inſonantem prædicationem Apoſtolorum & traditionẽ ante oculos haberet. Non ſolus enim, adhuc multi ſupererant tũc Apoſtolis docti. Et paulò inferius. Huic autem Clementi ſuccedit Euariſtus, & Euariſto Alexander, ac deinceps ſextus ab Apoſtolis conſtitutus eſt Sixtus, & ab hoc Teleſphorus, qui etiam glorioſiſsimè martyrium fecit, ac deinceps Hyginus, pòſt Pius, poſt quem Aniceſtus. Cùm autem ſucceſsiſset Aniceto Soter, nunc duodecimo loco Epiſcopatum ab Apoſtolis habet Eleutherius. Hac ordinatione & ſucceſſione, ea quæ eſt ab Apoſtolis in Eccleſia traditio, & veritatis præconiatio, peruenit vſq. ad nos. Et eſt pleniſsima hæc oſtenſio,vnam & eandem viuificatricem fidem eſſe, quæ in Eccleſia ab Apoſtolis vſque nunc ſit conſeruata, & tradita in veritate. Item docet D. Cyprianus. Nouatianum baptizari & ſanctificari aliquem poſſe; prius oſtendat & doceat, Nouatianũ in Ec-

Irenæus lib.3. cap. 3.

Cypria. lib.1. Epiſtolarum. epiſt. 6.

„ in Eccleſia eſſe, aut Eccleſię præſidere: Eccleſia enim vna eſt, quæ vnà,&
„ intus eſſe, & foris, non poteſt. Si enim apud Nouatianum eſt, apud Corne-
„ lium non fuit: ſi verò apud Cornelium fuit, qui Fabiano Epiſcopo legiti-
„ ma ordinatione ſucceſsit, & quem præter Sacerdotii honorem martyrio
„ quoque dominus glorificauit, Nouatianus in Eccleſia non eſt, nec Epiſco-
„ pus computari poteſt, qui Euangelica & Apoſtolica traditione contem-
„ ta, nemini ſuccedens, à ſeipſo ortus eſt: habere namq; aut tenere Eccle-
„ ſiam nullo modo poteſt, qui ordinatus in Eccleſia non eſt. Foris enim non
„ eſſe Eccleſiam, nec ſcindi aduerſum ſe, aut diuidi poſſe, ſed inſeparabilis
„ atq; indiuiduæ domus vnitatem tenere, manifeſtat ſcripturæ diuinæ fides,
Exod. 1. cùm de Sacramento Paſchæ & agni, qui agnus Chriſtum deſignabat, ſcri-
„ ptum ſit: In domo vna comedetur, non eiicietis de domo carnem foras.
„ Quod item circa Raab, quæ ipſa quoq. typũ portabat Eccleſiæ expreſſum
Ioſ. 2. videmus, cui mandatur & dicitur: Patrem tuũ, & matrem tuam, & fratres
tuos, & totã domum patris tui colliges ad te ipſam in domũ tuam, & om-
„ nis qui exierit oſtiũ domus tuæ foras, reus ſibi erit. Quo ſacramento decla
„ ratur in vnam domũ ſolam, id eſt in Eccleſiam victuros, & ab interitu mũ-
„ di euaſuros colligi oportere. Quiſq; aũt de collectis foras exierit, id eſt, ſi
„ q; quamùis in Eccleſia gratiã cõſequutus receſſerit, & ab Eccleſia exierit,
„ reum ſibi futurũ, id eſt ipſum ſibi quòd pereat imputaturum. Quod Apo-
Tit. 3. ſtol⁹ Paulus explanat docens, & prę cipiẽs, hæreticum vitandũ eſſe, vt puer
„ ſum & peccatorẽ, & à ſemetipſo dãnatum. Hic eſt enim, qui reus ſibi erit,
„ non ab Epiſcopo eiectus, ſed ſponte de Eccleſia pfugus, & hæretica præ-
„ ſumtione à ſemetipſo dãnatus. Et idcirco Dominus inſinuãs nobis vnitatẽ
Ioan. 10. de diuina autoritate venientem, ponit & dicit: Ego & Pater vnũ ſumus: ad
Ibidem. quam vnitatẽ redigens Eccleſiã ſuam denuò dicit: Et erit vnũ ouile & vn⁹
paſtor. Si aũt grex vnus eſt, quomodo poteſt gregi annumerari, qui in nu-
„ mero gregis nõ eſt? aut paſtor haberi quomodo poteſt; qui (manẽte vero
„ paſtore, & in Eccleſia Dei ordinatione ſuccedanea præſidente) nemini ſuc
„ cedens, & à ſeipſo incipiens, alienus fit & prophanus, dominicæ pacis ac
„ diuinæ vnitatis inimicus, non habitãs in domo Dei, id eſt, in Eccleſia Dei,
„ in qua non niſi concordes atque vnanimes habitant? loquente in Pſalmis
„ Spiritu ſancto & dicente: Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo.
„ Non diſsimilia his tradit Tertullianus: Ita ex ipſo ordine manifeſtatur,
Pſal. 17. id eſſe dominicum & verum, quod ſit prius traditum: id autem extrane-
De præſcri-
ptionibus hæ-
reticorum. um & falſum, quod ſit poſterius immiſſum. Ea ſententia manebit aduer-
ſus poſteriores quaſq. hæreſes, quibus nulla conſtantia de conſcientia cõ-
„ petit ad defendendã ſibi veritatem. Cæterùm, ſi quę audent interſerere ſe
„ ætati Apoſtolicæ, vt ideo videantur ab Apoſtolis traditæ, quia ſub Apoſto
„ lis fuerunt: poſſumus dicere: Ædant ergo origines Eccleſiarum ſuarum:
„ euoluant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſsiones ab initio de-
„ currentem, vt primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis vel Apoſtolicis
„ viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeuerauerint, habuerit autorem & an-
„ teceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt,

ſicut

ſicut Smyrnęorum Eccleſia, habens Polycarpum ab Ioanne conlocatum „
refert, ſicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum, proinde vti- „
que & cæteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitu- „
tos Apoſtolici ſeminis traduces habeant. Et paulò inferius: Si autem Ita- „
liæ adiaces, habes Romam, vnde nobis quoq. autoritas præſtò eſt. Statu „
felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profude- „
runt: vbi Petrus paſsioni Dominicæ adæquatur: vbi Paulus Ioannis exitu „
coronatur: vbi Apoſtolus Ioannes poſteaquàm in oleum igneum demer- „
ſus, nihil paſſus eſt, in inſulam relegatur. Videamus quid dixerit, quid do- „
cuerit? Idem facit Epiphanius: Peruenit equidem iam ad nos fama, quo- „ *Epiph. lib. 1.*
modo Marcellina quædam ab ipſis decepta, multos corrupit, temporibus *Tom. 2. cap.*
Aniceti Epiſcopi Romæ, qui Pio & ſuperioribus ſucceſsit. Etenim in Ro- *27.*
ma fuerunt primi, Petrus & Paulus Apoſtoli iidem ac Epiſcopi, deinde Li „
nus, deinde Cletus, deinde Clemens, qui contemporaneus fuit Petri & „
Pauli: huius mentionem facit Paulus in Epiſtola ad Romanos. Et nemo „
miretur quod ante ipſum alii Epiſcopatum aſſumpſerunt, cùm ſub Apoſto „
lis hic fuerit contemporaneus Petri ac Pauli, nam & illi contemporanei „
Apoſtolorum fuerunt. Siue igitur adhuc ipſis ſuperſtitibus à Petro acce- „
pit impoſitionem manuum Epiſcopatus, & eo recuſato remoratus eſt (di- „
cit enim in vna Epiſtola ſua: Secedo, abeo, erigatur populus Dei: hoc e- „
nim in quibusdam commentariis reperimus) ſiue poſt Apoſtolorum ſuc- “
ceſsionem à Cleto Epiſcopo hic conſtituitur, non ita clarè ſcimus. Verùn- „
tamen etiam hic potuit ſuperſtitibus adhuc Apoſtolis, Petro videlicet ac „
Paulo, alios Epiſcopos conſtituere: propterea quòd Apoſtoli ſæpè ad ali- „
as terras ablegabantur, propter Chriſti prædicationem: non potuit autẽ „
vrbs Roma ſine Epiſcopo eſſe: Paulus enim in Hiſpaniam profectus eſt, „
Petrus verò ſæpè Pontũ & Bithyniam viſitauit. Poſsibile eſt autem, poſt- „
quàm diſceſsit ac recuſauit Clemens (ſi modò ſic factum eſt; rationem e- „
nim ſic ineo, non decerno) poſtea poſt obitum Lini & Cleti, quorũ vter- „
que ad duodecim annos Epiſcopatum tenuit, poſt Sancti Petri ac Pauli o- „
bitum, qui contigit duodecimo anno Neronis, hunc rurſus coactum eſſe „
ad ſuſcipiendum Epiſcopatum. Attamen Epiſcoporum in Roma ſucceſ- „
ſio hanc conſequentiam habuit: Petrus & Paulus, Linus, Cletus, Clemẽs, „
Euariſtus, Alexander, Xyſtus, Telesphorus, Euariſtus, Hyginus, Pius, Ani- „
cetus, qui ſuprà in catalogo indicatus eſt. Et ne quis miretur, quòd ſin- „
gula ita exactè recenſemus: per hæc enim ſemper claritas oſtenditur. „
Idem docet Optatus Mileuitanus: Probamus eam eſſe Eccleſiam Catho- *Lib. 2. cõtra*
licam, quæ ſit in toto terrarum orbe diffuſa. Eius iam commemoranda *Donatiſtas.*
ſunt ornamenta: & videndum vbi ſint quinque dotes, quas tu ſex eſſe di- „
cis, inter quas Cathedra eſt prima: vbi niſi ſederit Epiſcopus, coniungi „
altera dos non poterit, qui eſt annulus. Videndum eſt, qui, & vbi prior „
Cathedra ſederit. Si ignoras, diſce: ſi noſti, erubeſce. Ignorantia tibi ad- „
ſcribi non poteſt. Reſtat ergò, vt noueris: ſcientem errare, peccatum eſt: „
nam ignorantibus nonnunquam ſolet ignoſci. Igitur negare non potes, „

„ scire te in vrbe Roma Petro primò Cathedrã Episcopalem esse collatam:
„ in qua sederit omnium Apostolorũ caput Petrus: vnde & Cephas appel-
„ latus est: in qua vna Cathedra, vnitas ab omnibus seruaretur, ne cæteri
„ Apostoli singulas sibi quisq. defenderent: vt iam schismaticus & peccator
„ esset, qui contra singularem cathedram, alteram collocaret. Ergo cathe-
„ dra vnica, quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus; cui succesit Li-
„ nus, Lino succesit Clemens, Clementi Anacletus. &c. Iulio Liberius,
„ Liberio Damasus, Damaso Siricius hodie, qui noster est socius, cum quo
„ nobis totus orbis commercio Formatarum, in vna communionis societa-
„ te concordat. Vestræ Cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis
Epist. 165. ad Generosum. „ Sanctam Ecclesiam vindicare. Eundem ordinem succesionis texit D. Au-
„ gustinus: Si enim ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus
„ est, quantò certiùs & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius
„ Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait: Super hanc Petram ædificabo Ec
„ clesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Petro enim succes-
„ sit Linus: Lino, Clemens: Clementi, Anacletus: Anacleto, Euaristus:
„ Euaristo, Alexander: Alexandro, Sixtus: Sixto, Thelesphorus: Thelesf-
„ phoro, Hyginus: Hygino, Anicetus: Aniceto, Pius: Pio, Soter: Soteri, Eleu-
„ therius: Eleutherio, Victor: Victori, Zepherinus: Zepherino, Callistus:
„ Callisto, Vrbanus: Vrbano, Pontianus: Pontiano, Antherus: Anthero,
„ Fabianus: Fabiano, Cornelius: Cornelio, Lucius: Lucio, Stephanus:
„ Stephano, Xystus: Xysto, Dionysius: Dionysio, Felix: Felici, Eutychia-
„ nus: Eutychiano, Gaius: Gaio, Marcellinus: Marcellino, Marcellus:
„ Marcello, Eusebius: Eusebio, Miltiades: Miltiadi, Sylvester: Sylvestro,
„ Marcus: Marco, Iulius: Iulio, Liberius: Liberio, Damasus: Damaso, Si-
„ ricius: Siricio, Anastasius. In hoc ordine succesionis nullus Donatista
„ Episcopus inuenitur. Sed ex transuerso ex Aphrica ordinatum miserunt,
„ qui paucis præsidens Aphris, in vrbe Roma Montensium, vel Cuzupita-
„ rum vocabulum propagauit. In illum autẽ ordinem Episcoporum, qui
„ ducitur ab ipso Petro vsque ad Anastasium, qui nunc eandem Cathedram
„ sedet, etiamsi quisquam traditor per illa tempora subrepisset, nihil præiu-
„ dicaret Ecclesiæ, & innocentibus Christianis: quibus Dominus prouidẽs,
„ ait de prępositis malis: Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere
„ nolite: dicunt enim, & non faciunt. Vt certa sit spes fidelibus, quæ non
„ in homine, sed in Domino collocata, nunquam tempestate sacrilegi schis
„ matis disipetur, sicut isti disipati sunt, qui legunt in codicibus sanctis Ec-
„ clesias, quibus Apostoli scripserunt, & nullum in eis habent Episcopum. Et
Augustin. contra Petilianũ lib. 2. cap. 51. in alio loco: Verùmtamen si omnes per totum orbem tales essent, quales
vanissimè criminaris: Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua
Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet? vel Ecclesiæ Hierosolymi-
„ tanæ, in qua Iacobus sedit, & in qua hodie Ioannes sedet, qbus nos in Ca-
„ tholica vnitate connectimur, & à quibus vos nefario furore separastis?
„ Quare appellas Cathedram pestilentiæ Cathedram Apostolicam? Et itẽ.
„ Puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum

Dominus

Dominus voluit glorioſiſsimo martyrio coronari. Cui Eccleſię præſidentem beatum Innocentium, ſi audire voluiſſes; iam nunc periculoſam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis excuſsiſſes. Quid enim potuit vir ita ſanctus Africanis reſpondere conſiliis, niſi quod antiquitùs Apoſtolica ſedes & Romana cum cæteris tenet perſeueranter Eccleſia? Idem facit in aliis infinitis locis. Eòdem prouocat D. Hieronymus: Quoniam vetuſto oriens inter ſe populorum furore colliſus, indiſciſſam Domini tunicam, & deſuper textam, minutatim per fruſta diſcerpit: & Chriſti vineam exterminant vulpes; vt inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficile, vbi fons ſignatus, & hortus ille concluſus ſit, poſsit intelligi: ideo mihi Cathedram Petri, & fidem Apoſtolico ore laudatam, cenſui conſulendam: inde nunc meæ animæ poſtulans cibum, vnde olim Chriſti veſtimenta ſuſcepi. Neque verò tanta vaſtitas elementi liquentis, & interiacens longitudo terrarum, me à pretioſæ margaritæ potuit inquiſitione prohibere. Vbicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. Profligato à ſobole mala patrimonio, apud vos ſolos incorrupta Patrum ſeruatur hæreditas. Ibi ceſpite terra fœcundo dominici ſeminis puritatem centeno fructu refert; hic obruta ſulcis frumenta in lolium auenáſque degenerant. Nunc in occidente ſol iuſtitiæ oritur: in oriente autem Lucifer ille, qui ceciderat, ſupra ſydera poſuit thronum ſuum. Vos eſtis lux mundi, vos ſal terræ, vos aurea vaſa & argentea: hic teſtacea vaſa, vel lignea, virgam ferream, & æternum operiuntur incendium. Quanquam igitur tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas. A ſacerdote victimam ſalutis, à paſtore præſidium ouis flagito. Faceſſat inuidia: Romani culminis recedat ambitio: cum ſucceſſore piſcatoris, & diſcipulo crucis loquor. Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri, communione conſocior: ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio. Et quia pro meis facinoribus ad eam ſolitudinem commigraui, quæ Syriam iuncto Barbarię fine diſterminat; nec poſſum ſanctum Domini tot interiacentibus ſpatiis, à ſanctimonia tua ſemper expetere: ideo hic collegas tuos Ægyptios confeſſores ſequor, & ſub onerariis nauibus parua nauicula deliteſco. Non noui Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, ſpargit: hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. Et paulò pòſt: Ego interim clamito. Si quis cathedræ Petri iungitur, meus eſt. Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere ſe dicunt: poſſem credere; ſi hoc vnus aſſereret: nunc aut duo mentiuntur, aut omnes. Ideirco obteſtor beatitudinem tuam per crucem Domini, per neceſſarium fidei noſtræ decus, per paſsionem Chriſti; vt qui Apoſtolos honore ſequeris, ſequaris & merito: ita in ſolio cum duodecim iudicaturus ſedeas: ita te alius ſenem cum Petro cingat: ita municipatũ cœli cum Paulo cõſequaris; vt mihi literis tuis, apud quem in Syria debeam communicare, ſignifices: noli deſpicere animam, pro qua Chriſtus mortuus eſt. Hactenus veteres.

Hiero. Epiſt. 57.

Iſaiæ 14.

Matth 5.

Exodi. 12.

Hieronimus epiſt. 54.

Quid

Quid ad tot tantáque Sanctorum virorũ teſtimonia, Pontificum, Doctorum, Martyrum dicent iſti? negabúntne dicta, an ridebunt? non puto certè, niſi impudentiſsimi eſſe velint. Neq. eſt, quod hîc obiiciant hos tantos autores Latinos fuiſſe; cùm omnes ferè, aut Afri, aut Græci fuerint. Quòd ſi ſucceſsione triginta vel quadraginta Pontificum, tantopere ſui temporis hæreticos vrgebant veteres Patres; quãtò magis & efficaciùs nunc ducentorum triginta, & ampliùs idem facimus? verùm ideo tãtum tributum fuiſſe ſucceſsioni à veteribus muſsitat Caluinus, quòd nondum illi, qui in ſucceſsione numerabantur, amiſerant rectam fidem. Ridiculum verò diſputatorem: quaſi itidem illius temporis hæretici, vt & nunc, Romanæ ſedi rectam concederent fidem: quam ſi conceſsiſſent, ſequuti certè fuiſſent, nec pro hæreticis haberi poſſent. Iudaicum quid eſſe ſucceſsionem numerare calumniantur iſti: eodémque modo, longéq. efficaciùs veterem ſynagogam Chriſto & eius Apoſtolis eandem ſeriem ſucceſsionis obiicere potuiſſe, quomodo nunc illis obiicitur. Vtrumque hoc falſum eſt: nam etſi in veteri lege ſucceſsio fuit; omnia tamen ea, quę maioris alicuius fuerunt momenti, in figura nouæ eueniſſe legis docet Paulus: ita vt illa veteris legis ſucceſsio nihil aliud fuerit, quàm vmbra quædam & typus eius ſucceſsionis, quæ in noua lege futura erat: vt quemadmodum in veteri lege veritas doctrinæ ſucceſsione manente ad Chriſtum vſque Dominum eiúſque tempora deducta eſt, nullóq; modo, quamtumùis vita eorum, qui continuabant ſucceſsionem, fuerit flagitioſiſsima, deprauari potuit; ipſo teſtante Domino: Super Cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ & phariſæi. Omnia ergo quæcunq; dixerint vobis ſeruate, & facite: ſecundùm opera verò eorum nolite facere: Dicunt enim & non faciunt. Ita & nunc manente eadem ſucceſsione, veritas de ore Cathedræ Chriſti, donec ipſe venerit, nunquam auferri poterit, vti præclarè prædixit Iſaias: Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, dicit Dominus, amodo & vſq. in ſempiternum. Deinde illud falſum eſt, eandem eſſe rationem Chriſti, & iſtorum, qui ſe eius maieſtati effreni quadam audacia conferre ac comparare non erubeſcunt. Primò enim Chriſto Domino eiúsq. Apoſtolis, omnes Patriarchæ, Prophetæ, ac vniuerſa lex teſtimonium perhibuerunt: de iſtis autem illud ſolùm prædictum legimus: In nouiſsimis temporibus venient pſeudoprophetæ, pſeudochriſti, & ſeducent multos. Et: In nouiſsimis temporibus venient homines ſui amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, cœci, & voluptatum amatores, magis quam Dei, habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Deinde ſuper Chriſtum Dominum, eiúsque Apoſtolos viſibiliter deſcendit Spiritus ſanctus: paterna vox à magnifica gloria delapſa audita eſt: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite: hócque eſt, quod ipſe dicit, ſe teſtimonium ab homine non accipere, ſed

Math. 23.

Iſa. 59.

1. Tim. 3.

maius

maius teſtimonium habere omnibus, teſtimonium inquam Dei. De iſtis verò quam vnquam vocem de cœlo allatam audiuimus? niſi illã fortaſſe: Attendite vobis à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtitu ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Deniq. Chriſtus Dñus, & eius Apoſtoli, ea ſigna fecerunt, quæ nemo vnquam fecit; vltimóque vi ac diuina virtute ſua deuicta morte, rediuiuus mundo comparuit. Faciat idem Lutherus vel Caluinus, aut quiſpiam alius ex iſtis, & tum demum cauſam ſuam cum Chriſto & Apoſtolis eius comparabit. Vltimò Iudaicam ſucceſsionem aliquando deſituram fuiſse legimus; at iſtius ſeriem æternam futurã, prædixit Dauid: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii, conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Et Chriſtus dominus: Ego orauí pro te, vt non deficiat fides tua. Et Paulus vſq. ad cõſumationem Sanctorum duraturam, ad Epheſios ſcribit.

Pſal. 109.

Pſalm. 44.

Epheſ. 4.

Extincta eſt, inquiunt, iſta ſucceſsio veſtra in Ioanne Papa fœmina. Falſum eſt hoc: Nam neque fœmina Summus Pontifex eſſe potuit vnquã, etiam ſi millies creata ſit, cùm id natura rei non patiatur, vt fœmina vir ſit, tantò minus Pontifex, tantiſpérque ſedes vacaret, ſi fortè per errorem electa fuiſſet, dum illa viueret; niſi fortè Anglicanum vellent habere Papatum, vel talem, quale quid de Caligulę Imperatoris equo narrat Dion: Velociſsimum hunc appellabat, quem tantoperè diligebat, vt eum crebro ad cœnam inuitaret, ei hordeum ex auro apponeret, funderétque vinum in poculis aureis, ac per ſalutem eius ac fortunam iuraret: Neque iis contẽtus, eum ad honores & dignitates Reipub. prouehere ſtatuit, ſéq; eum conſulem facturum pollicebatur. Et feciſſet, inquit Dion, ſi vixiſſet diutiùs. Vel ſaltem huic reſpondeant rationi: vel enim fœmina ſummus Pontifex eſſe poteſt, vel non: ſi rectè poteſt eſſe, quid accuſant? quid quæruntur? ſi non poteſt eſſe, cur dicunt fuiſſe? Sed iſti homines ſui planè obliti ſeipſos non intelligunt. Quod idem de omnibus illis pontificibus intelligendum eſt, qui vel aliquo vitio creati, vel in ſchiſmate Pontifices renunciati ſunt, eos ſcilicet veros, donec res melius examinata eſſet, pontifices non fuiſſe. Et hoc ipſum fœminam Papam fuiſſe, ex triuio cõmentum arreptum, falſum eſt. Quod hac ratione, cùm prætertim nullis certis authoribus nitatur, facilimè doceri poteſt. Græcos poſt ſchiſma factum, fuiſſe Latinis ſemper infenſiſsimos, nemo eſt qui ignoret, maximè autem ſedi Romanæ, contra quam omne virus acerbitatis ſuæ ſemper euomere conati ſunt: neque vnquam prætermiſerunt quidquam, quod ad eorum infamiam augendam, fidémque diminuendam pertineret; nuſquam tamen illi id Romanis obieciſſe leguntur: non prætermiſſuri, ſi vel minimũ aliquod argumentum tanti conuicii habuiſſent; cùm preſertim ſimile quid illis ipſis à Latinis aliquando obiectum fuiſſe, eos inquam fœminam Patriarcham habuiſſe, ex libro Leonis Noni, aduerſus Michaelem Patriarchã Conſtantinopolitanum diſcamus, cuius illa ſunt verba: Abſit autem, vt velimus credere, quod publica fama non dubitat aſſerere, Conſtantinopo-

De Ioanne papa fœmina cõmentum hæreticorũ refellitur.

Leo ix. Papa cap. 21.

» litanæ »

» litanæ Eccleſię contigiſſe,vt eunuchos cõtra primum ſancti Niceni Con-
» cilii capitulum, paſsim promouendo, fœminam in ſede Pontificum ſuorũ
» ſublimaſſet aliquando. Hoc tam abominabile ſcelus, deteſtabiléque faci-
» nus, etſi enormitas ipſius, vel horror, fraternáque beneuolentia non per-
» mittit nos credere; conſiderata tamen incuria veſtra,erga ſanctorum cen-
» ſuram Canonum, quia eunuchos, & aliqua parte corporis imminutos, nõ
» ſolùm ad Clericatum, ſed ad Pontificatum etiam indifferenter ac ſolenni-
» ter adhuc promouetis, fieri potuiſſe penſamus. An igitur tantum conui-
tium illi æquo animo tuliſſent? an non regeſsiſſent, ſi qua ratione veriſi-
mili potuiſſent? Sed iſti nugatores nugas perſequuntur.

Malicia Alexandri Papæ & reliquorum Põtificum vita flagitioſa eam ſucceſsionem ſuſtulit. Atqui ſucceſsionem generationis Chriſti, neque meretrices,neq; idololatrę,Reges auferre, aut perrumpere potuerunt vnquam. Quid impuriùs Iuda Iſcariote? quid fœdiùs? quid flagitioſiùs? de quo dictum eſt, melius erat ſi homo ille natus non fuiſſet: & tamen malicia eius ſucceſsionem non ſuſtulit. Audi enim quid Scriptura dicat: In diebus illis, Exurgens Petrus in medio fratrum dixit: Erat autem turba hominum ſimul ferè centum viginti: Viri fratres, oportet impleri ſcripturã, quam prædixit Spiritus ſanctus per os Dauid de Iuda qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Ieſum: qui connumeratus erat in nobis, & ſortitus eſt ſortem miniſterii huius. Et hic quidem poſſedit agrũ de mercede iniquitatis, & ſuſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera eius. Et notum factum eſt omnibus habitantibus Hieruſalem, ita vt appellaretur ager ille lingua eorum, Acheldema, hoc eſt, ager ſanguinis. Scriptum eſt enim in libro Pſalmorum: Fiat commoratio eorum deſerta,& nõ ſit qui inhabitet in ea: & Epiſcopatum eius accipiat alter. Oportet ergò ex iis viris, qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Ieſus, incipiens à baptiſmate Ioannis, vſque in diem,qua aſſumptus eſt à nobis,teſtem reſurrectionis eius nobiſcum fieri vnum ex iſtis. Si igitur improbitas Iudæ ſortem miniſterii eius non ſuſtulit, quantò magis illius Apoſtoli, pro quo Chriſtus ſpecialiter orauit, nulla humana malicia auferre poterit vnquam?

Acto. 1.

Sed quæ tandem huius ſucceſsionis, tanta cauſa eſt? quæ neceſſitas? quis vſus? maximus per omnia. Primùm quòd nulla poteſtas eſt, niſi quæ à Deo ſit profecta, idque vel ſine medio vllo, vel mediante eorum, qui à Deo miſsi ſunt,ordinatione: ſiquidem neminem ſibi debere ſumere honorem,niſi vocatum à Deo tanquam Aaron,docet Paulus. Cùm autem Epiſcopatus, Paſtoratus, & Presbyteratus, atque adeò Sacerdotium omne, poteſtas in Eccleſia ſumma ſit, ſine qua Eccleſia Dei omninò eſſe non poteſt, poteſtas non erit, niſi à Deo ſit profecta, idque vel ſine medio vllo, vt in illis ipſis fuit, quibus dictum eſt: Sicut miſit me pater, ita & ego mitto vos: aut mediatè, vt in illis omnibus, qui eam ab his acceperunt, quibus dicitur: Sicut miſit me pater, ita mitto vos. Quorum verborum ſenſus eſt: Cum qua poteſtate miſit me pater, cum eadem mitto vos: miſ-

Hebr. 6.

Ioan. 20.

ſus ſum

sus sum à patre, cum potestate alios mittendi, cum eadem item potestate alios mittẽdi mitto vos. Qui igitur vel à Christo, vel ab his, quibus hoc dictũ fuit, missus non est: fur est & latro, quia non intrat per ostium. Christus est enim ostium ouiũ, cui soli mittendi à patre potestas data est, vel per illũ ipsum, vel per hos, quibus dixit: Sicut misit me pater, ita & ego mitto vos. Ideo igitur Matthias, ideo Paulus Apostoli, quia ab Apostolis missi & ordinati sunt; ideo Titus & Timotheus, quia à Paulo; ideo alii Cretę ac reliquarũ vrbium Presbyteri, quia à Tito & Timotheo, p manus impositionẽ ordinati sunt, & sic eodem modo alii. Nouatus contrà, & si quis alius, nihil horum esse potest, quia seipsum ordinauit, quia à se missus est: quia potestas non est, nisi à Deo sit. Nam plebi, vel Regibus, à quibus isti ordinari volunt, nusquam dictũ est: Sicut misit me pater, ita ego mitto vos. Ideo ad hanc vocem, quæ sola pastores facit, sicut misit me pater, ita mitto vos, nullo modo suam vocationem & ordinationem referre possunt: ideo neque pastores, neque Apostoli erunt. Et hoc est, quod dicit Cyprianus: Nouatus, inquit, in Ecclesia non est, quia seipsum ordinauit, à seipso incepit. De Cornelio verò magnificè. Et factus est Episcopus à plurimis Collegis nostris, qui tunc in vrbe Roma aderant, qui ad nos literas honorificas & laudabiles, & testimonio suæ prædicationis illustres de eius ordinatione miserunt. Factus est autem Cornelius Episcopus de Dei & Christi eius iudicio, de Clericorum penè omnium testimonio, de plebis quę tunc affuit suffragio, & de Sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio, cùm nemo ante se factus esset, cùm Fabiani locus, id est, cùm locus Petri & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret, quo occupato de Dei voluntate, atque omnium nostrum consensione firmato, quisquis iam Episcopus fieri voluerit, foris fiat necesse est, nec habeat Ecclesiasticam ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet vnitatem, quisquis ille fuerit, multum de se licèt iactans, & sibi plurimum vindicans, profanus est, alienus est, foris est. Et cùm post primũ secundus esse non possit, quisquis post vnũ, qui solus esse debeat, factus est, non iam secundus ille, sed nullus est. Cùm igitur isti neque ab illo primo sint qui dicit: Sicut misit me pater, ita & ego mitto vos: hoc enim solis duodecim cõtigit: neque ab his, ad quos hoc ipsum dictum sit; foris sint oportet, nulli sint necesse est: à Deo missi esse nõ possunt: potestatem nullam habent. quod præclarè explicat Tertullianus: Probent se nouos Apostolos esse: dicant Christum iterum descendisse, iterum ipsum docuisse, iterum crucifixum, iterum mortuum, iterum resuscitatum; sic enim Apostolos solet facere, dare illis præterea virtutem eadem signa edendi, quæ & ipse. Volo igitur virtutes eorum proferre, nisi quòd agnosco maximam virtutem eorum, qua Apostolos in peruersum æmulantur. Illi enim de mortuis suscitabant, isti de viuis mortuos faciunt.

Ioan. 10.

Ad Antonianum lib. 4.

De eodem vide supra fol. 267.

Secundò, fides diuina esse non potest, nisi quam os domini primum locutum sit. Deinde quæ multis signis similiter & portentis, ac miraculis, & variis virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus confirmata, &

quasi obsignata & contestata fuerit. Postremò, quæ in Deum ipsum auctorem referatur, ac desinat. Sed quoniam neque Deum ipsum cum singulis hominibus loqui semper conuenit, neque miraculis vbiq; locus est; sufficit, vt ad primos duces atque principes fidei, os Domini locutum sit, eósque instruxerit, vt denique multis signis & portentis ac prodigiis eorum doctrinam & ordinem Deus confirmârit: isti autem, his qui eos sequuntur, eandem doctrinam per successionem quandam tradant, aliósq; in locum & functiones suas sufficiant. Sic factum est in Moyse: os Domini cum illo locutum est: signa & portenta plurima in monte Sinai apparuerunt. Satis erat aliis ad fidem faciendam in eandem doctrinam atque ordinem successisse. Sic factum est & in Aarone: Deus cum ipso locutus est: palma eius refloruit; cæteris porrò propter eadem signa & prodigia, ob continuam ordinationem & successionem creditum est. Cùm enim propter schisma, vindictámque schismaticorum, Core & Abiron, orta fuisset seditio contra Moysen & Aaron, quòd non ipsi soli deberent offerre incensum Domino, neque item ex ipsorum tantùm ore lex petenda esset, eoque nomine in tabernaculum fœderis concessissent, locutus est Dominus ad Moysen dicens: Loquere ad filios Israël, & accipe ab eis virgas singulas, per cognationes suas, à cunctis principibus tribuum virgas duodecim, & vniuscuiusque nomen superscribes virgæ suæ. Nomen autem Aaron erit in tribu Leui: & vna virga cunctas eorum familias continebit: ponésque eas in tabernaculo fœderis coram testimonio, vbi loquor ad te. Quẽ ex iis elegero, germinabit virga eius, & cohibebo à me querimonias filiorum Israël, quibus contra vos murmurant. Locutúsque est Moyses ad filios Israël: & dederũt ei omnes principes virgas per singulas tribus. Fuerúntque virgæ duodecim, absq; virga Aaron. Quas cùm posuisset Moyses coram Domino in tabernaculo testimonii, sequenti die regressus inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt. Protulit ergo Moyses omnes virgas de conspectu domini ad cunctos filios Israël, viderúntque & receperunt singuli virgas suas. Dixítque dominus ad Moysen: Refer virgam Aaron in Tabernaculum testimonii, vt seruetur ibi in signum rebellium filiorum Israël, & quiescant querelę eorum à me, ne moriantur. Fecítque Moyses sicut præceperat Dominus. Dixerunt autem filii Israël ad Moysen: Ecce consumti sumus, omnes peribimus. Quicunq; accedit ad tabernaculum domini, moritur. Num vsque ad internecionem cuncti delendi sumus? Dixítque dominus ad Aaron: Tu & filii tui, & domus patris tui tecum, portabitis iniquitatem sanctuarii; & tu & filii tui simul sustinebitis peccata sacerdotii vestri. Sed & fratres tuos de tribu Leui, & sceptrũ patris tui, sume tecum, prestóque sint, & ministrent tibi. Tu autem & filii tui ministrabitis in tabernaculo testimonii. Legitimũ sempiternum erit in generationibus vestris. Nihil aliud possidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in vsus eorum & necessaria separaui. Simile quid in noua lege, sed longè perfectiùs, longè euidentiùs factum esse le-

Numeri 17.

gimus

gimus: eliguntur ad opus miniſterii duodecim præſtantiſsimi viri: ex oreque ipſo Dei inſtruuntur: cum illáque ampliſsima in totum dimittuntur orbem legatione: Euntes in vniuerſum orbem, annunciate verbum vniuerſæ creaturæ: at illi profecti, prædicauerunt Euangelium, domino cooperante, ſequentibus ſignis. Neque ſolùm dicto paruerunt, ſed vt ipſi miſsi ſunt, ita & alios miſerunt. Ideo conſtitui te, ſcribit Paulus Timotheo, Cretę, vt conſtituas presbyteros & Epiſcopos: vt ille quidem fundamentum iecerit, alii autem ædificium extruxerint: vt illud Prophetæ implerétur: Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, àmodo vſque in ſempiternum. Quod idem Paulus longè clariùs illis verbis explicat: Propterea abundãtiùs oportet obſeruare nos ea, quæ audiuimus, ne fortè pereffluamus. Si enim qui per Angelos dictus eſt ſermo factus eſt firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia accepit iuſtam mercedis retributionem; quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem? quę cùm initium accepiſſet enarrandi per dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata eſt, conteſtante Deo ſignis, & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus ſancti diſtributionibus, ſecundùm ſuam voluntatem. Habet quoque non mediocre momentum ea ipſa ſucceſsio, ad conſeruationem puritatis & ſinceritatis dogmatum, vbi à patribus, tanquam hæreditatem quandã manu de manu accipiant filii: quomodo vniuerſam legem naturę, quomodo artes & ſcientias omnes, quomodo eam ipſam facultatem, quam Hebræi Cabalam vocant, aucta, & conſeruata, atque perfecta eſſe legimus. Nam literarum monumenta, plerúmque vel perire poſſunt, vel ſitu & diuturnitate conſumi, vel periculis & calamitatibus aboleri: hominum autem generales ſucceſsiones nunquam extinguuntur. Hinc veteris teſtamenti libri deſiderantur non pauci, vtpotè Henoch, de quo Iudas in epiſtola, geſta Dauid in libro Nathan prophetæ, atque in volumine Gad videntis, de quibus 1. Para. vltimo: opera Salomonis in libris Ahię Siloni-tis, in viſione quoq. Addo videntis, quorum mentio fit 2. paral. 9. Philoſophia item vniuerſa Salomonis, de qua 3. Reg: 4. liber epodarum & exorciſmorum, de quibus Ioſephus libro Antiquitatum 8. cap. 2. Origenes & alii. Bonam quoque partem legis, quę diu in domo Dei deliteſcebat, in diebus Regis Ioſię repertam legimus, 4. Reg. 22. Chaldæi deinde omnia primo impetu conſumentes, abſumſerant etiam libros ſacros Hieroſolymis inuentos, qui erant correctiſsimi, & in ſacra bibliotheca aſſeruabantur qui poſt captiuitatem demum Babilonicam, lex per ſucceſsionem ſacerdotalem; vel ab Eſdra, vel potiùs à Synodo magna, cuius ſcriba fuit Eſdras, correcti & reſtituti ſunt. 2. Mac. 2. Ex teſtamento nouo certum eſt periiſſe epiſtolam Pauli ad Laodiceñ: cuius ipſe meminit ad Coloſſen: vlt. Verùm hæc materia alterius & vberioris eſt tractationis. Nunc illud concludamus, inter catholicum & hæreticum, hac in parte, illud intereſſe: etſi cum neutro præſens os Domini nunc loquatur, vtérque ſigna & miracula nulla edat; catholicum tamen eorum doctrinam *Hebr. 2.*

tueri, ad eos se referre, hos ordinatores suos demonstrare, ad quos os domini locutum est, quorum doctrina multis portentis & miraculis, multorũ item seculorum testimoniis & probationibus est confirmata: quam cùm eandem tueatur atque doceat, ad eadem se signa & miracula refert, diuinámque non humanam esse certò sibi & aliis persuadet, non trepidat, non tergiuersatur, non dubitat; sed illud potiùs Tertulliani rectè vsurpat:

„ Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab
„ ipsis authoribus quorum fuit res: ego sum hæres Apostolorum; sicut
„ cauerunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adiurauerunt,
„ ita teneo: vos alios certè exhæreditauerunt semper atque abdicauerunt
„ vt extraneos & inimicos. Hæreticus neutrum habet: nam neque ad ipsum os domini locutum est, neque signa & miracula edit ipse, & nunc primùm exortus est, sed neque eorum doctrinam tuetur, ad quos os Domini aliquando locutum esse sciat, vel qui miracula aliqua ediderint, sed quos ipse præsens videt, cum quibusque simul viuit, & ideo doctrinam planè humanam nouam, ac quibusdam sophismatibus tantùm subnixam tuetur.

„ Ante Valentinum, inquit Irenæus, non fuerunt, qui sunt à Valentino: ne-
„ que ante Marcionem erant, qui sunt à Marcione: neque omninò erant a-
„ liqui sensus maligni, quos supra enumerauimus, antequam initiatores &
„ inuentores peruersitatis eorum fierent. Vel saltim demonstrent, num cum auctoribus ipsorum doctrinæ Deus aliquando locutus fuerit, vel aliqua miracula per eos ediderit: num Apostolorum temporibus aliquis ex illis vixerit. Verùm cùm nihil horum docere possint, nullo certè modo seipsos ad illam primam & infallibilem veritatem, Deum inquam ipsum, referre

„ potuerunt: Ad quos meritò dicendum esse, docet Tertullianus: Qui estis?
„ quando, & vnde veniſtis? quid in meo agitis non mei? quo deniq; Marciõ
„ iure syluam meam cædis? qua licentia Valentine fontes meos transuertis?
„ qua potestate Apelles limites meos cõmoues? Mea est possessio: quid hîc
„ cæteri ad voluntatem vestram seminatis & pascitis? Sed hæc hactenus.

Si ergò istorum Ecclesias Apostoli ipsi fundarunt, si plenam eorum doctrinam tuentur, si ab illis successionem suam demonstrant; Apostolicas habent Ecclesias. Si autem nulla earum conditionum illis conuenit; nam & Ecclesias eorum nuper Lutherus fundauit: vel si vetera repetere malunt, Simon Magus, quem primum principem & ducem hæreticorum fuisse testatur Irenæus atq; Tertullianus, qui eodẽ modo cum illis fide sola homines iustificari docuit. Si item doctrinam Apostolorũ, ita vti monstratũ est, non sequuntur: si successionẽ non modò non monstrant sed etiam impugnant; Apostolicas Ecclesias non habent: hæreses igitur sequuntur.

Illa igitur vera erit Ecclesia, quę Vna, quæ Sancta, quę Catholica, quę Apostolica. Verùm de primo genere signorum hactenus dictum sit. De qbus qui plura & meliora cognoscere velit, legat eũ, qui primus hanc ante alios viam præclarè triuit, doctissimum simul ac Sanctissimũ Cardinalem Hosiũ popularem & fautorem quondam nostrũ planè singularem. Legat item Cromerum virum eruditũ, ac in hoc genere scribendi excellentem.

STANISLAI

DE VERÆ ET FALSÆ ECCLESIÆ DISCRIMINE:

LIBER TERTIVS.

Primum insigne verae Ecclesię, PRÆSENTIA SPIRITVS SANCTI.

Caput I.

NVNC ad secundum genus signorum transeamus, σημεῖα hæc Aristoteles vocat, quę etsi, vt superiùs diximus, singula rē necessariò non demonstrant; turba tamen conferta, tanquã præstantissimorum tyronum cuneus, magnam vim faciunt: quæ etsi cum re ipsa non conuertuntur; vbi tamen non sunt, rem ipsam inueniri planè impossibile videtur: quæ, etsi non ad omnes veteres hæreses vndiquaque fortasse referri possent; nostri tamen seculi sectas planè confodiunt. Quorũ primum hoc sit: Illam veram Ecclesiam esse, quę certa signa & indicia præsentię Spiritus sancti habet. Hic enim Ecclesię semper præsens adesse, eam regere, eam gubernare, eam viuificare, consolari, docere denique debebat. Pollicetur hoc illi Isaias: Et dabit tibi Dominus panem arctum, & *Isaiæ 30.* aquam breuem, & non faciet auolare à te vltrà doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum post tergum monentis. Hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dextram neque ad sinistram. Et contaminabis laminas sculptilium argenti tui, & vestimentum conflatilis auri tui, & disperges ea sicut immunditiam menstruatæ. Pollicetur ipse sponsus Christus Dominus: Et ego *Ioan. 14.* rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscitis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Præsentię autem Spiritus sancti, nulla clariora, nulla illustriora ac euidentiora argumenta esse possunt, quàm ipsi eiusdem Spiritus sancti fructus: Ex fructibus enim, cuiusque rei naturam cognosci debere, ipse Saluator docet: qui vbi præsentes sint, ibi rem ipsam esse necessariò; fructibus sublatis, rem quoq; ipsam auferri oportere. Fructus autem spiritus sunt, inquit Paulus, Charitas, gaudium, pax, patientia, be- *Gallat. 5.*

nignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Charitatis autem, quæ eſt primus Spiritus ſancti fructus, il-
1. Corinti. 13. le ſunt partes: Patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non agit perperã, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati: omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Si igitur hæreſes hos fructus habent, veram Eccleſiam apud eos eſſe oportebit: ſi autem eos fructus non modò non habent, ſed etiam impugnant, rident ac contemnunt; quomodo verę Eccleſiæ nomen ſibi vſurpare poſſunt? Quæ enim apud illos eſt charitas? qui fructus eius? quod gaudium? quæ pax? quæ patientia? quæ benignitas? quæ bonitas? quæ longanimitas? quæ & qualis manſuetudo, modeſtia, continentia, caſtitas? à quibus quantũ abſint, ſuperiùs docuimus abundè: eadem enim repetere, hominis eſt & tempore, & otio abutentis. In Eccleſia verò Catholica hi fructus ſemper Deo ipſo teſte extiterunt & extant adhuc. Spiritum ſanctum igitur nunquam ab illa abeſſe fateamur oportet. Vbi autẽ Spiritus ſancti adeſt præſentia, ibi veram Eccleſiam eſſe diximus, cuius ille dux, præceptor, conſolator, perpetuus eſſe debuit.

Secundum inſigne: ad formas & SPECIES EIVS, IN SCRIPTVRA adumbratas, conuenientia & conſenſus.

Caput II.

CIVS illa ſit ſecunda nota, eam veram Eccleſiam eſſe, quæ maximè cum illis imaginibus, & formis, ac quaſi exemplis conuenit, quibus ipſa per Spiritum ſanctũ in ſacra ſcriptura ornari, ac veluti pingi ſolet. Cùm enim rex ipſe Salomon dilectam ſuam, vnicam ſuam, multis dotibus, multis ornamentis, inſignibus & coloribus multis, vario item veſtitu & ornatu decoraſſet, omnémque plenitudinem gratiæ, ſecundum ſeipſum in illa incluſam & obſignatam eſſe voluiſſet, hæ vniuerſæ dotes, cùm vna oratione explicari non poſſent, multis & variis coloribus, & imaginibus, eas ſcriptura circumloqui neceſſe habuit: per quæ illa cognoſci, ac veluti digito demonſtrari poſsit. Primi generis ſunt, quæ eius cum ſponſo inſeparabilem cognationem, amorem, & dilectionem repræſentant: dum illam ipſam ſororem, dum filiam regis, dum matrem pulchræ dilectionis & magnæ ſpei, dum columbam

bam, amicam appellare ſolet: ſponſam, atque adeò dominam domus, quę in partem omnium bonorum vocata eſt: regnat enim ille, regnat & illa: docet ille, docet & illa: paſcit ille, paſcit & illa: curat ille, curat & illa: aperit in cœlum ille, aperit & illa: ſoluit ille, ſoluit & illa: orat & deprecatur ille, deprecatur & illa: iudicat ille, iudicat & illa: plectit ſontes, coronat bene merentes ille, facit hoc idē & illa: corpus deniq; eius eſt, os de oſsibus, & membrum de membro corporis eius. Cuius caput, inquit Bernardus, aurum eſt optimum, ipſe Ieſus Chriſtus, in quo ſunt reconditi omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ Dei: cuius facies decora, illa inquam, de qua dictum eſt: Sic luceat lux veſtra, vt homines videntes bona opera veſtra glorificent Deum qui in cœlis eſt. Cuius genę turturis, hoc autem eſt caſti, & continentes homines: cuius oculi, oculi columbarum, magiſtratus, inquam, tàm ſpiritales quàm ſeculares: cuius labia fauus diſtillans, Doctores ſcilicet, & prædicatores eximii: cuius vbera, hoc eſt Sacramentorum miniſtri & diſpenſatores, paſtores inquam ipſi, pulchriora vino: cuius manus diſtillant myrrham, homines virtutis exercitio dediti: cuius pedes ſpecioſi, pedes inquam euangelizantium bona, euāgelizantium pacem.

Bern: in can: Coloſ. 2. Cant. 2 Matth 5. D. Bernar. in Cantic. Cant. 1.

Vt autem hæc adiuncta arctiſsimam eius ad ſponſum coniunctionem deſignant; ita illa, quę ſecundi ſunt generis, ſummam eius pulchritudinem ſplendorem, lucem, ſanctitatem, & integritatem demonſtrant: dum templum, in quo Deus inhabitat, extra quod ſacrificium non eſt, ſacerdos nō eſt, doctor non eſt, cultus veri Dei non eſt, vocatur. In monte Sancto meo, inquit Ezechiel, in monte excelſo Iſraël, ait Dominus Deus, ibi ſeruiet mihi omnis Iſraël, omnes inquam in terra in qua placebunt mihi, & ibi quæram primitias veſtras & initium decimarum veſtrarum, in omnibus ſanctificationibus veſtris. Dum item tabernaculum militiæ noſtræ vt habitet in nobis ac veluti in nube, & columna ardente nos ſemper & vbique præcedat: regale ſacerdotium, ciuitas iuſti & ſancti, gens electa, gens ſancta, ciues ſanctorum, domeſtici Dei, hæreditas Domini, appellatur: mons Domini, neque obſcurus aliquis, aut latens mons, ſed mons in vertice montium, ciuitas in monte poſita, quæ abſcondi non poteſt: ad quā confluent omnes gentes: tota formoſa, ſpecioſa, tota pulchra, ſine ruga, ſine macula, aurora, luna, ſol ipſe eſſe cenſetur: thronus eius, inquit, ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum, & teſtis in cœlo fidelis: &, In ſole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tāquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. Quæ annexa plane conuincunt eorum inſanam opinionem, qui Eccleſiam Dei, aut obſcuram, aut planè inuiſibilem eſſe docent, qualia Caluinus, Brentius, atque ipſe Lutherus aliquando ſomniare ſolent. Si enim obſcura, quomodo in monte poſita? quomodo aurora, ſol luna, lux ipſa eſſe dicitur? ſi inuiſibilis, quomodo, qui eam non audit, tanquam ethnicus atque publicanus, eſſe cenſetur? quomodo frater rebellis illi denunciari poteſt? quomodo vox docentis audiri, manus Sacramenta diſpenſantis videri poteſt? quomodo oues in eius ouilia in-

Ezech. 20. 1. Pet. 2. Matth. 5. Cant. 4.

gredi? quomodo paſtoribus ſuis ſubiici poterunt? Quid tu (inquit Au-
» guſtinus) hæretice fugis in tenebras, quid latitare conaris; omnis enim
» qui malè agit, odit lumen, & non venit ad lumen, vt non arguantur ope-
» ra eius: qui autem facit veritatem, venit ad lumen, vt manifeſtentur ope-
» ra eius, quia in Deo ſunt facta.

Tertiũ genus attributorum, celebrat eius imperiũ, regalem maieſtatem, ordinem; vt cùm regnum cœlorum, regnum omnium ſeculorum, imperatrix & regina, ciuitas regis magni dicitur, quæ diues eſt: Gloria & diuitiæ in domo eius, & iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi: diues gratiis, diues ſacramentis, diues virtutibus, diues opibus: extra hanc omnis habitat paupertas: Quæ ordinata eſt, vt caſtrorum acies: quæ pulchra & ſpecioſa: portæ Hieruſalem ex Saphiro, & Smaragdo ædificabuntur: & ex lapide pretioſo, omnis circuitus murorum eius: ex lapide candido & mundo, omnes plateę eius ſternentur: & per vias eius Alleluia cantabitur: Quę frequens & populoſa eſt: Et aperientur portæ eius iugiter: die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur: gens & regnum quod non ſeruiet tibi, peribit, & gentes ſolitudine vaſtabuntur: Quæ abundans, ac rebus omnibus neceſſariis referta eſt: Eſt enim in medio plateæ eius fluuiũs; & ex vtraq; parte fluminis, lignum vitæ afferens fructus duodecim: per menſes ſingulos reddens fructum ſuum: & folia ligni ad ſanitatem gentium: Quæ fortis & munita eſt: Fundamenta enim eius in montibus ſanctis: diligit Dominus portas Sion, ſuper omnia tabernacula Iacob: ipſe Dominus murus eius & antemurale: Quæ clara & illuſtris eſt: Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei: Quæ concors eſt: Hieruſalem quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipſum: Illuc enim aſcenderunt tribus, tribus domini, teſtimonium Iſraël, ad confitendum nomini Domini. Huic ciuitati opponitur illa, de qua Dauid: Vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate, die ac nocte circumdabit eam ſuper muros eius iniquitas, & labor in medio eius, & iniuſtitia, & non defecit de plateis eius vſura & dolus. Quæ eadẽ porta cœli, domus Dei, regina deniq; & princeps dicitur.

Pſal. 47. *Pſal. 111.* *Cantic. 6.* *Tob. 13.* *Iſa. 60.* *Apocali. 22.* *Pſalm. 86.* *Iſa. 26.* *Pſal. 86.* *Pſal. 121.* *Pſal. 54.*

Quartum genus inſignium, robur & inuictam vim illius demonſtrat, dum cœlum & terra dicitur, vrbs fortitudinis Sion, acies caſtrorum ordinata, ciuitas in monte poſita, columna & firmamentum veritatis, exercitus, agmen, caſtra Dei viuentis.

Quintum, fœcunditatem eius repræſentat, dum vitis abundans in lateribus domus Domini, quæ extendit palmites ſuos ad mare, & propagines ſuas, vſque ad terminos terræ, dicitur: dum vinea florens appellatur. Vinea eſt, docet Bernardus, propter vitem, quæ eſt Chriſtus: propter agricolã, qui eſt æternus pater: propter fulcra, quibus per clauiculos palmites hærent, ſacerdotes inquam & magiſtratus: Vinea propter ſepem ſucceſsionis continuæ: vinea, propter vinum optimum, qui ſunt ſancti Dei. Habet clauiculos charitatis & veritatis: habet pampinos ceræmoniarum: habet flores ſacramentorum: habet fructus præſtantiſsimarum virtutum:

Pſal. 127. *Pſal. 79.*

tutum: plantatur in fide: mittit radices in charitate: defoditur in ſarculo diſciplinæ: pœnitentium lacrymis ſtercoratur: prædicantium doctrina irrigatur. Eadem, hortus concluſus appellatur, in quo adeſt flos lilii candidus, in virginibus: flos violæ, in innocentibus: flos roſæ, in martyribus: flos malogranati, in Apoſtolis: flos oliuæ pinguis, in ſanctis Confeſſoribus, atque Doctoribus: flos balſami, in virgine ſancta. denique, fons ſignatus, ager fœcundus, ſagena plena bonis & malis piſcibus, area expurgata, cathedra magni Doctoris vocatur.

Sextũ ornamentorũ genus deſignat eius pericula, certamina, pugnas: vt cùm caſtra Dei viuentis, acies ordinata, nauis, quę ex vno ligno non cõſtat, quę omnem inſcenſorem admittit, præter latronẽ, inſula quę fluctibus cæditur, ſpecula cuius cuſtodes die ac nocte nõ dormiunt, ablactata à lacte, vidua, ſterilis & deſerta, mulier quę parit, contra quam ſtat Draco, appellari ſolet. Habent ea caſtra hoſtes varios. Gentes pugnant contra illã turbando pacem: Iudæi Chriſti incarnationem negando: Hæretici fidei ſynceritatem inficiendo: Schiſmatici obedientiam, & Eccleſiæ vnitatem rumpendo: Tyranni & principes Eccleſiæ libertatem opprimendo, falſi fratres charitatem perturbando. Varios habet hoſtes; ſed & propugnatores non pauciores: gentibus opponit reges ac principes ſuos, Iudæis & hæreticis Pontifices, & Doctores: Schiſmaticis Sanctorum communionem, regimen Præpoſitorum, obedientiam ſubditorum Tyrannis: Martyrum agmen: vtitur contrã falſos fratres, excommunicatione, contra hæreticos ſcripturis, & antiquitate atque oratione. Et vt hæ ipſæ imagines deſignant eius pugnas, & pericula; ita illa adiuncta, eius celebrant triumphos & victorias, cùm dicitur: Hieruſalem, ciuitas ſancta, mons Sion, qui in æternum non commouebitur, populus fortitudinis, ciuitas gẽtium robuſtarum, vrbs fortitudinis, virgo intemerata, viſio pacis. *Geneſ. 23.*

Si igitur hunc tam varium & magnificum ornatum habent noſtri ſeculi concubinæ; reginæ ſunt. At ſi nihil ex iſto ſplendore & apparatu in his inuenitur, ſi inimicæ Chriſti ſunt, ſi ſordidæ, & obſcœnæ, ſi pauperes & mendicæ, ſi infirmæ & debiles, ſi ſtertunt & dormiunt, ſi ſponte ſua ruunt, ſi infæcundæ & vbera habentes arentia; non ſponſæ, ſed pellices ſunt. At cui omnes iſti colores, omnes gemmæ, omnis veſtitus, & apparatus, vnionésque conueniunt; illa vera coniunx regis Salomonis erit, talis autem eſt, Vna Sancta, Catholica, & Apoſtolica Eccleſia.

Tertium inſigne, filiae regis obe-
DIENTIA AD LEGEM PRIMAM, hoc eſt, ad legem naturæ.

Caput III.

Non

NON mediocre est & illud veræ Ecclesiæ Dei ornamentum atque decus: quòd non Euangelium tantùm, non sola veteris testamenti instituta sequitur, sed etiam ad primam illam & summam legem, naturæ inquam & rationis, respicit, atq; se totam cõponit: Cui legi nec obrogari fas est, neq; derogari ex hac aliquid licet, neq; tota abrogari potest. Est enim ipsius Dei omnipotẽtis, illius qui spiraculũ vitę homini inspirauit, digito in ipsa mẽte impressa & inscripta: de qua Paulus magnificè: Cùm enim gentes, quę legẽ non habent, naturaliter ea quę legis sunt faciunt; eiusmodi legẽ non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis cõscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium, in die cùm iudicabit Dominus occulta hominum secundùm Euangelium meum per Iesum Christum. Et in alio loco: Condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Itáque hæc ipsa prudentissima mulier non omnia in Euangelio quærit: non omnia ex legẽ scripta probari sibi postulat: non communes notiones sacri & profani, priuati & publici, æqui & iniqui, casti & incesti: non primas differentias magistri & discipuli, præfecti & subditi inde repetit. Nouit naturæ ipsius vi & lumine, sacerdotem ab eo, qui non est sacerdos, distingui: nouit sacrificium, aras, templum, cultum & ceræmonias Deo, decimas verò, victũ & alimenta iis, qui tabernaculo seruiunt, deberi. Nõ illa ciuiles leges, non rerumpub. formas & species, non magistratuum officia & functiones, non gubernationis modum, non belli & pacis iura, ex sacra scriptura omninò quærit; sed ex ipsius naturę principiis hæc talia iam antè hausit. Deum enim semel loqui, nec iterum frustra repetere, sacris literis edocta est. Quam quidem legem primam & summam constantissimus ille legislator Deus abrogat nunq̃, cùm nõ sit illius, tanquã hominis mortalis cuiusdam, sua rescindere decreta, aut aliquam palinodiã cantare, aut pœnitentia vlla duci; sed deuiantibus ab ea hominibus, & non naturalia pro naturalibus amplectentibus, perficit atque interpretatur. Itaque ne veterum quidem doctissimorum virorum, etiam illorum, qui fidem non receperint, inuenta de virtute, de vitio, de honesto & iusto, de decoro, ac eo, quod non conuenit aspernatur; sed tanquam ab illis, quibus hæc Deus reuelauit, teste Paulo, atq; adeò tanquam ab iniustis earum rerum possessoribus, vt inquit Augustinus, accipit ac veneratur. Et proinde nihil vnq̃ ineptè, nihil inconcinnè ac insolenter, nihil enormiter, atq; inhumanè, nihil effusè, atq; flagitiosè, nihil naturæ & rationi repugnans agit, aut præcipit, quæ omnia, cùm hæreses non sequantur, sed potius spernãt atque rideant, ab hisque sint alienissimæ, mirum non est, si ad nullam item veræ Ecclesiæ Dei partem pertineant, ac instar belluarum ab omni recta rationis &

Rom: 2.

Rom: 7.

iudicii

iudicii regula remoti viuant, multaque fœdè, immaniter, flagitiosè, crudeliter perpetrent: si ordinem nullum habeant, si aliena rapiant καὶ πάντα σφετερίζωσιν hoc est, omnia sua faciunt, nihilque cuiusquam, feraru m more, proprium esse volũt.

Quartum insigne, vbertas donorum Spiritus Sancti.

Caput IIII.



VArtum est, Regis Salomonis sponsæ decus ac ornamentum, vbertas, inquam, donorum Spiritus sancti: quę sicut vnguentum pretiosum, primò descendit in caput ipsius summi Aaron Iesu CHristi, deinde in barbam & vultum illius, ac demum vniuersis membris eius perfusis, descendit in vltimam oram vestimenti eius. Hunc enim vnxit æternus pater oleo lætitię præ consortibus suis: sed tamen non sine consortibus eius. Illéque est, in quo primum inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & de plenitudine eius accipimus omnes. Vtitur hoc signo Irenæus libr. 2. cap. 51. vtitur Iustinus in Dialogo contra Tryphonem, quorum verba, paulò pòst, magis opportuno adferemus loco. Dona autem Spiritus sancti enumerat Isaias: Et requiescet super illum Spiritus Domini, Spiritus sapientię, & intellectus, consilii, & fortitudinis, Spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini. Quæ dona, qui non habet, inquit Paulus, non est eius. Qui igitur cœtus tantam vbertatem eorum donorum ostendere poterit, quam ostendit Vna, Sancta, Catholica & Apostolica Ecclesia; ille meritò sibi eius nomen vendicare poterit: hoc est, in quo tanta sapientia, & intellectu tot homines præditi reperiantur, tanto consilio & fortitudine, tanta scientia & pietate, tanto demum timore Domini: qui æquè veloci mente omnium supernarum mentium ordines superauerint: qui tam profundè in ipsius diuinitatis abyssos sese insinuârint: qui causas, principia, atque elementa rerum perfectiùs intellexerint, atque aliis explicauerint: qui maiore consilio, prudentia, dexteritate in rebus gerendis vsi fuerint: qui fortiùs & animosiùs omnia tela ignita inimici intrepidè exceperint: qui maiorem diuinarum & humanarum rerum scientiam habuerint: qui res obscurissimas & inperuestigabiles acutiùs comprehenderint: qui rerum difficillimarum modos & rationes inuenerint: qui omnes difficultates, quæ humano animo concipi possunt vberiùs explicârint: qui omniũ inimicorum, siue Gentilium, siue Iudæorum, siue hæreticorum magnificentiùs ora obstruxerint: qui pari doctrina, linguarum cognitione, eloquentia,

tia, differendi ſubtilitate, ingenii acumine prædíti fuerint: qui maiore pietate, & religione, Deum coluerint: qui illum ex toto corde & anima omnibusque viribus magis amauerint & timuerint: qui denique omnem mundi ſapientiam, omnium temporum & ſeculorum, omnium item ſectarum ac philoſophorum cognouerint, ſapientiáque & ingenio ſuo, longè ſuperauerint. Quæ igitur congregatio, qui cœtus, tantam vbertatem donorum in ſe complexa fuerit; illa meritò ſibi nomen veræ Eccleſiæ vſurpabit. Si igitur iſti veræ Eccleſiæ dignitatem ſibi vſurpant; proferant nobis inprimis Dionyſios, Clementes, Iuſtinos, Origenes, Epiphanios, Tertullianos, Cyprianos, Athanaſios, quos ipſi mundi ſapientes imprimis admirati, illisq; magiſtris vſi ſunt. Notum eſt Porphyrii teſtimonium, de Origene: notum Plotini, in cuius ſcholam cùm aliquando Origenes veniſſet, ſtatim genas rubore ſuffuſus aſſurgere voluit, ſermonem verò ab Origene continuare rogatus, reſpondit: ſtudium loquendi ceſſare, quando qui loquitur animaduertit, ſe ad illos, qui ipſi idem longè melius norint, verba facturum: atque ita, cùm pauca quædam diſſeruiſſet, inde ſurrexit. Quos omnes vaſa ſapientiæ, & intellectus Spiritus domini rectè appelles. Oſtendant Conſtantinos, Theodoſios, Iouinianos, Mauricios, Carolos, Boleslaos Pudicos, Wladiſlaos, Iagellones, Sigiſmundos: qui viri conſiliorum in Scriptura vocantur. Oſtendant Stephanos, Laurentios, Vincentios, Sebaſtianos, Albertos, Staniſlaos: Teuclas item, & Catharinas, Cæcilias, Lucias, qui ſua fortitudine omnem tormentorum vim cõtra pietatem debilem eſſe docuerunt. Demonſtrent Gregorios, Baſilios, Apollinares, Chryſoſtomos, Cyrillos, Auguſtinos, Ambroſios, Hieronymos, Thomas, Bonauenturas, Hoſios, quibus vniuerſa veterum doctrinę ſubtilitas, atque eloquentia ceſſit. Ad quos ſeculi ſapientes, doctrinæ & eruditionis cauſa, de vltimis finibus venerunt; quorum eloquentiam admirati ſunt, quos nihil diuinum aut humanum, quantum iſta vita fert, latuit. Baſilii quidem iam planè ſacris literis immerſi Epiſtola, cùm quondam Athenas in ſcholam principis illius ſeculi Oratorum ac Sophiſtarum Libanii perlata fuiſſet, cumque eam Libanius legiſſet, tacitè inſpectis omnibus, ſubridensq; & gaudens, Victi ſumus, ait. Et quanam victoria, rogabant illi, victus es? & quamobrem, ſi victus es, non doles? In eleganti-
Epiſtol. 144. um, inquam, Epiſtolarum certamine victus quidem ſum, & Baſilius eſt, qui vicit: is autem amicus noſter eſt; & eam ob rationem gaudeo. Cùmque hæc diceret, ex ipſis volebant literis iudicare de victoria: legítque Alypius princeps diſcipulorum, audientibus reliquis qui aderant: lata verò ſententia eſt, illum nihil eſſe mentitum: & qui literas habebat ac legerat, ſecum illas auferebat, oſtenſurus puto & aliis, ægréque ablatas reſtituit. Scribe ergò ſimilia, & vince, alloquitur Baſilium Libanius: hoc enim eſt me vincere. Et de ſtudio quidem ſacro, loquitur more ſuo impiè, de
Epiſtola 146. perſona Baſilii autem magnificè: Libros, inquit, quorum peiorem dictionem, meliorem verò mentem ac ſententiam eſſe dicis, habeto, nemo prohibet: eorum verò, qui noſtri ſunt ſemper, tui iam olim, radices adhuc

in te

in te manent,ac manebunt,donec in hac vita fueris, nec vllo tempore excidentur, etiamsi illas quàm minimè rigaueris. Quem deinceps hominẽ admirandum, vocem melle conditam, linguam auream, os, in quo insint eloquentiæ fontes, virum Acheloi filiabus elegantiorem, quatenus demulceret quidem, quemadmodum & illæ,non autem noceret, vt illæ: prę quo Platonis sapientiam, & Demosthenis in dicendo vehementiam,frustra iactatas esse docet; præ illóque sermonem suum, atq; si culicem elephanto conferas, dicit. Homerus, inquit, hic vir est; imò Plato, imò Aristoteles, quin Susario magis,qui nihil ignorabat. Ab hoc deinde petebat vt per eius illustrem sapientiam liceret pertingere,ad Homericę sapientię altitudinem, hoc est, quosdam locos Homeri illo enarrante ac interpretante, intelligere. Similia multa de Gregorio Nazianzeno,ac de aliis reperies scripta. Et quanquam hæc magna ac planè diuina sint, tamen illa multò maiora, maioréque admiratione digna, & quæ ipsius Spiritus Sancti planè vim demonstrant, in tanta, tam admirabili virorum excellentia, tantus amor, tanta concordia, tantus in tradendis dogmatibus,interpretandáque scriptura consensus; vt planè dicas vno corde, vno ore, omnes locutos esse, eadem omnes manu scripsisse: idque tam disiunctis locis,regionibus, ac temporibus; vt de illis hoc verisimè dictum esse videretur: Qui habitare facit vnius moris in domo. Veteres philosophi, ne duo quidem inter se conuenire poterant vnquam,inter hos autem,duos qui dissideant,non inuenies: apud Nouatores verò,quis discipulus à præceptore non defecit? quis illum non impugnauit? quis non accusauit? quis se illi non præferri voluit? Demonstrent denique Paulos, Antonios, Hilariones, Macarios,Onuphryos, Benedictos, Bernardos, Dominicos, Franciscos, Hyacinthos: proferant item Nicolaos, Martinos, ac reliquos iustos & timoratos viros, quorum omnia pectora pietatis ac veræ charitatis tẽpla fuisse,orbis terrarum consensus fatetur. Qualium hominum; dum non modò rem non habent, sed ne vmbram quidem ac imitationem vllam: quos dum exæquare non possunt, conuitiis & maledictis lacerant atque proscindunt. Faceſsant igitur cum hac sua, suorúmque cœlestium donorum paupertate: atque sibi ornatum, pretioságque monilia veræ sponsę regis Salomonis falsò vsurpare, maiestatémque Dei Ecclesiæ cœtibus suis tribuere desinant.

Ibidem in Epistolis.

Psal. 67.

Hæreticorũ dissensio.

Quintum insigne, incorrupta per OMNE ÆVVM FVNDAMENTORVM religionis christianę, ac documentorum conseruatio.

Caput V.

SIT igitur quintum insigne Regis Salomonis sponsæ: Eam esse veram sponsam, quæ summa capita & fundamenta religionis nostræ, integra, intemerata, ac sacrosancta, in omni decursu seculorum conseruauit: nec ipsa fundamenta tantùm; sed etiam eorum fundamentorum & capitum documenta, & demonstrationes.

Capita Christianæ religionis.

Summa autem & prima capita religionis nostræ illa sunt: Sanctissimæ trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti confessio: Iesu Christi incarnatio: duarúmque naturarum, in nulla parte diminutarum, in vna persona plena, inconfusa, intemerata vnio: redemptionis item & reconciliationis nostrę modus & ratio: iustitię nostræ primę partes: Sacramentorum res & nomina: populi christiani ordines & functiones: vitæ, immortalitatis, resurrectionisque futuræ certissima spes: pœnarum item, ac præmiorum certa ratio. Quæ quidem sunt prima & summa fidei christianę capita. Eorum autem capitum & primorum quasi fidei nostræ principiorum, quibus hæc firmantur, ex quibus pendent, sunt documenta, ac præsidia illa; libri noui & veteris testamenti, sacrum Symbolum, Canones, Constitutiones Apostolicæ, sacrarum item Synodorum, quæ per omne hoc tempus peractæ sunt, decreta & instituta, sanctissimorum Pontificum edicta, atque responsa, Sacræ scripturæ sanctorũ patrum interpretatio, fidei christianæ confirmatio, hæresum refutationes, difficilimarum quæstionum explicationes, historiæ, vetustatísque fides & monimenta.

Quæ igitur Ecclesia hęc omnia integra vsq; ad hãc diem conseruauit; illam sponsam Christi veram, matrem familias verã, veram promam condam esse, quis non confitebitur? Neque enim possibile est, sine præcipua Spiritus sancti ope & præsidio hæc sartatecta conseruari, in hísq; non errari. Atqui hæc omnia Vna, Sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesia, cuius caput & magistra Romana semper meritò habita est, integra & incõtaminata conseruauit, & conseruat adhuc. Cuius suæ fidei, fidelísque dispensationis, vtraque hac in parte, omnium seculorum amplissima refert testimonia. Pauli inprimis: ad Romanos scribentis. Gratias ago Deo meo, quòd fides vestra annunciatur in vniuerso mundo. Deinde vniuersi orientis, cuius patres tam magnificè eam compellant sedem. Reuera,

Roma. 1.

In epi: Basil.

„ inquit Basilius, summa prædicatione felicitatis vestræ dignum est illud,
„ quod sanctitati vestræ tributum est à domino, mancum & adulterinum à
„ probato & puro posse discernere: patrum autem fidem, sine omni impe-
„ dimẽto prædicare, quam & nos susceperamus & cognoueramus ex Apo-
„ stolorum traditionibus delineatam, & in cuius consensum vobiscum ve-
„ nimus. Nam nostrorum temporum res ipsa testari potest, omnia sana, omnia integra & incorrupta, hæc ita vti à principio à maioribus sunt tradita, conseruari. Vt autem fidei ipsius fundamenta incorrupta conseruauit; sic & documenta ipsorum atque præsidia omnia: testis est nobi-

lissima

lissima illa orbis terrarum in Vaticana Bibliotheca, cui nunc amplissimus Scirletus, magna laude & diligentia præest; in qua vniuersam nouam & veterem legem, Sanctorum Patrum sententiis, in modum catenarum cõtextis expositam, manu in membranis conscriptam videmus: in qua vniuersa orientis & occidentis orbis doctrina conseruatur: canones item & decreta: in qua omnium ferè conciliorum, omnium Patrum volumina, pleráque ipsorummet manu conscripta, sancta fide asseruantur? Quò cùm Græci atque alii orientales homines veniunt, mirantur, ac ingemiscunt; dùm opes & thesauros suos olim temerè amissos recognoscunt. Me quidem magis ille locus permouebat, quàm ipsum Remi atque Romuli Capitolium, omnesque omnium seculorum statuæ ac marmora. Cuius diligentiæ, vel isti ipsi, nolint velint testes esse coguntur. Vnde enim legem, vnde Euangelia, vnde Pauli Epistolas, vnde Concilia, vnde veteres patres acceperunt, vti superiùs demonstratum est, quam à nobis? quæ tamen ipsi modico hoc tempore, ex quo in earum rerum dispensationem se ingesserunt, vel amiserunt, vel prauis interpretationibus adulterârunt, vel ineptissimis suis scriptis atque commentariis defœdârunt, potiùs quàm illustrârunt. De qua eadem, in antiquorum monumentis syncerè conseruandis, orientalium ecclesiarum negligentia, conqueruntur Patres, Athanasius, Basilius, Theophanes, Isauricus, Anastasius Bibliothecarius. Itaque Sanctus Leo, Epist. 83. ad Palæstinos queritur, à Græcis epistolam ad Flauianum suam, se adhuc superstite, fuisse corruptam. Et S. Gregorius Papa lib. 5. Epist. 15. ad Narsen, asserit Constantinopolitanos corrupisse synodum Chalcedonensem. Idemq; ait se suspicari de Ephesina: codices autem Romanorum longè veraciores esse, quàm Græcorum. Quoniam, inquit, Romani, sicut nõ acumina, ita nec impostura habent. Deniq; Nicolaus primus in Epistola ad Michaëlem Imperatorẽ, cùm eum ad epistolã Adriani primi remitteret: si tamen, inquit, non falsa more Græcorum, sed sicut à sede Apostolica missa est, penes Ecclesiam Constantinopolitanam hactenus perseuerat. Non magni, dicent, hoc laboris fuit, summa religionis capita, eorúmque documenta conseruare. At magnæ virtutis & fidei, magnæque diligentiæ. Cur igitur ipsi non conseruârunt? cur nõ tutati sunt? quinquagesimus vix est annus, vt in earum rerum possessionem inuaserunt, & iam vix reliquias fidei Christianæ, quam tot hæresibus, tot schismatibus turpissimis defœdârunt, retinent. Quid ipsa documenta, quæ non nisi Spiritus sancti ope conseruari? testis est Græcia, quæ apud se nata, adeò non retinuit, vt nunc necesse omninò habeat, ea vel ex his nostris Septemtrionalibus regionibus, iuxta vetus prouerbium ἄνω ποταμοὶ accersere, ac quasi postliminio repetere. Sed hæc hactenus.

Bibliotheca Vaticana.

Sextum insigne, veri cultus DIVINI PERPETVA CONseruatio.

Caput VI.

SExtum illud erit Ecclesiæ Dei documentum, vt illa sit vera sponsa Christi, in qua sit verus & syncerus cultus diuinus, omnésque partes illius. Confitebor tibi Domine, inquit Dauid, in Ecclesia magna, in populo graui laudabo te. Et: Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te. Et: Laus eius in Ecclesia sanctorum. Et de cultu quidē interno, nihil est quod dicamus: hic enim cùm intus sit, Deóque soli cognitus, signum & indicium Ecclesiæ Dei esse nullo modo potest. Externus cultus, rebus, personis, & circumstantiis atque instrumentis continetur. Res cultus diuini consistunt in sacrificiis, de quibus Malachias: Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio mūda; quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. In cæremoniis, de quibus Genesis 26. Dabóque posteris tuis vniuersas regiones has, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, eò quod obedierit Abraham voci meæ, & custodierit præcepta mea, & mandata mea, & cæremonias, legésque seruauerit. In votis: Vouete & reddite Domino Deo vestro munera. In obsecrationibus denique, orationibus, postulationibus, gratiarum actionibus, pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt. In hymnis, psalmis, canticis spiritualibus: In labore, & ærumna, in vigiliis multis, in fame, in siti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate, in suiipsius castigatione, humíque cubationibus, omníque carnis mortificatione, referente & enumerante hæc omnia Paulo. Personæ cultui diuino destinatæ illæ in scripturis leguntur: Pontifices, Presbyteri, Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi, Acolithi, Lectores, Ostiarii, Exorcistæ, Monachi, Eremitæ, Virgines item, Deóque deuotæ viduæ. Circūstantię & instrumēta cultus diuini illa sunt: Templa, altaria, vasa & vestitus sacer, dies item festi, supplicationū, ieiuniorum, pœnitētię. & aliorum, stata tempora, quæ cùm ipsa sacra scriptura docet, tùm ipsa natura insita, quadam voce commendat. Quæ omnia, cùm Ecclesia Catholica, tàm occidentalis, quàm orientalis arctissimè tueatur, ac ita, vt à primis suis fundatoribus accepit, retineat, huius autem seculi hæreses, nō modo

Psal. 34.

Psalm. 83.
Psal. 149.

Cultus externus.

Malach. 1.

Psal. 75.
1. Tim. 2.

Ephes. 5.
2. Corinti. 11.

modo hæc ipſa non habeant, ſed rideant etiam; ſed ſuperſtitiones atque inuentiones humanas, Euangelicam libertatem extinguentes, legis autem ſeruitutem inducentes, appellent: illa quidem vera ſponſa; hæ autem impuræ pellices erunt. Sacrificium viſibile habent nullum, vota nulla, cæremonias nullas, ſacrorum & cæremoniarum antiſtites nullos: templa ſunt ab his deſtructa, altaria euerſa, ſacra vaſa conflata, virginitas irriſa, pro Dauidicis Pſalmis, quæ de ore Eccleſiæ, Iudæis ipſis teſtibus, nunquã recedere debebant, cantica quædam aulicorũ hominum introducta ſunt. Et poteſt quiſpiam dubitare, eum quidem cœtum, qui hæc omnia integra retinet, Catholicum & ſacroſanctum eſſe, verámque & legitimam ſponſam Regis Salomonis: horum autem conuenticula, quæ nihil horum integrum retinuerunt, vagas quasdam & procaces concubinas eſſe. Addamus in honorem beatiſsimæ virginis Mariæ matris Dei corollarium illud: In vera Eccleſia debet eſſe perennis veneratio matris Dei: hoc enim ipſa in ſpiritu Dei prædixit: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes: quia fecit mihi magna, qui potẽs eſt, & ſanctum nomen eius. Cùm igitur in iſtorum Synagogis mater Dei, non modò non prædicetur, ſed blaſphemetur, proſcindatur ac traducatur nonnunquam, grauéque nefas putetur, ſi Angelica ſalutatione honoretur; profectò non erunt de illis generationibus, quas illa prædixit, beatam ſe prædicaturas in perpetuum; ſed ex illius principis cohorte potiùs, de quo dictum eſt: Inimicitias ponam inter te & inter mulierem, & illa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius: procúlque ab illa domo erunt, in qua beati habitantes omnes, quia in æternum laudabunt Dominum: remotiſsimi ab Eccleſia Sanctorum: remotiſſimi à populo graui, in quo benedicitur Deus. Neque Eccleſiam ſolùm veram tales homines non habent; ſed ne chriſtiani quidem ſunt, ac ne Deum quidem norunt, nec vllum religionis ac pietatis ſenſum, vel Iudæo quopiam aut Ethnico teſte, meritò habere poſſunt. Quomodo enim ille religione aliqua imbutus eſſe putandus eſt, qui nullum certum modum ſacrorum, nullam certam rationem diuini numinis colendi habet? nullos ritus, nullas cæremonias certas amplexus eſt? Itáque præclarè profectò illi ipſi, ad quos iſti non ita pridem prouocarunt, orientales Patres, contra illos eam tulerunt ſententiam: Niſi ſacras preces inquiunt, liturgiásque, dies feſtos, & his ſimilia, non cauponantes, ſed Deum piè timentes peragimus, quæ quidem omnia fidei ſunt conſequentia, præclaráque opera; gens quædã abſq; Deo eſſe putabimur, quę Deũ non timeat; & quę à fide viua, quæ in omnibus principẽ locum tenet, ac quaſi familiã ducit, ſit alieniſsima. Sublatis enim rebus illis, quę rem aliq̃ neceſſariò natura ſua cõſequuntur, fructusq; eius quodãmodo ſunt, illud ipsũ, quod principale eſt, auferri oportet: vereq; ad illam ciuitatem pertinent, de qua ſecundo Paralipomenon ſcribitur: Tranſibunt autẽ multi dies in Iſraël absq; Deo vero, & absq; ſacerdote, doctore, & absq; lege. Cúmque reuerſi fuerint in anguſtia ſua ad Dñum Deum Iſraël; & quæſierint eum, reperient eũ. Sed hæc hactenus.

Lucæ 2.

Gene. 2.

In Cenſura orientalis Eccleſiæ.

2. Paralip. 15.

Septimum insigne, ordo a Christo DOMINO ET EIVS APOSTOLIS DESIgnatus & inchoatus, vsq; ad hanc ætatem integer conseruatus.

Caput VII.



Septimum est filiæ Regis monile. Ordinata est: ipse enim altissimus, qui ordinẽ ante omnia alia amat, & qui sub põdere, mensura, & numero omnia fecit, eam fundauit, ad formámque illius cœlestis Hierusalem, in qua summus rerum omnium ordo est, eam conformauit: Pulchra est, inquit Scriptura, vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata. Et, quæ à Deo sunt, ordinata esse docet Paulus. Neque simpliciter ea ciuitas ordinata est, sed eo genere ordinis ordinata, quem ipse sponsus, Sanctique eius Apostoli præscripserunt, quem delineârunt, cuius fundamenta ipsi iecerunt. Ordinata autem ita esse debuit, vt primò in ea sit pastor, ipso sponso ita ordinante, deinde ouile: Et erit inquit vnus pastor & vnum ouile. In ouili autem quidam debebant esse spirituales, quidam seculares, laici quidam, quidam Clerici. Vtramque complexus est Diuus Petrus: Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro consenior, & testis Christi passionum: qui & eius quæ in futuro reuelanda est glorię communicator: Pascite qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè, secundùm Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntariè, neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo; & cùm apparuerit princeps pastorum, percipietis immarescibilem gloriæ coronam. Spiritualium demum eos ponit ordines Paulus. Et ipse, inquit, dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores & Doctores ad consumationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi. In Secularibus, eiusdem Apostoli designatione, numerantur præpositi primùm: in his autem Reges, Duces, & alii in sublimitate positi, quibus obedire oporteret, non tantùm propter metum, sed etiam propter cõscientiam: deinde subditi: De qua ordinum diuisione Petrus: Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi, quasi præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: quia sic est voluntas Dei, vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. In his autem omnibus alii coniuges censentur, alii à lege matrimonii soluti, alii virgines, & qui cum mulieribus coinquinati non sunt. Quorum omnium non

Cant. 6.

Rom: 13.

Ioan. 10.

1. Pet. 5.

Ephes. 4.

1. Petri 2.

non ſolum mentionem facit Paulus, ſed etiam eorum leges & officia explicat. CONIVGATORVM quidem. Mulieres viris ſint ſubditæ, ſicut domino; quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ. Ipſe, Saluator corporis eius: Sed ſicut Eccleſia ſubiecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus. Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret mundans eam lauacro aquæ in verbo. VIDVARVM. Quæ autem verè vidua eſt & deſolata, ſperet in Deum, & inſtet obſecrationibus nocte & die: Nam quæ in deliciis eſt, viuens mortua eſt. & hoc præcipio, vt irreprehenſibiles ſint. VIRGINVM item. Mulier innupta & virgo, cogitat quæ domini ſunt, vt ſit ſancta & corpore & ſpiritu. *Epheſ. 5.* *1. Tim. 5.* *1. Cor. 7.*

Illa igitur erit vera Eccleſia, quæ ordinata eſt: & hoc modo, quo dictum eſt, ordinata: alioqui falſa erit Scriptura, quæ dicit eum ordinem vſque ad conſumationem Sanctorum permanſurum. Cùm igitur in Eccleſia Romana, aliiſque Eccleſiis Apoſtolicis omnibus, hæc eadem ratio ordinis permaneat; ac integra co ruetur: apud noſtri autem temporis hæreticos nihil horum ſit: nam neque vnum paſtorem agnoſcunt, neque diſtinctos Apoſtolorum, Euangeliſtarum, paſtorum, Doctorum gradus habent: Reges & duces vix ſufferunt, virginitatem & viduitatem rident: initiationes nullas, ordinationes nullas adhibent: quòd ſi quid ordinis retinent, in hoc nihil ſanctum, nihil Deo dicatum, Hierarchicum nihil agnoſcunt: ſed omne illud quicquid eſt, ad ſolum ciuile miniſterium referunt, diſpenſatoréſque myſteriorum Dei in numerum agaſonum & aurigarum coniiciunt. Eccleſiam Dei profectò, quę ordinata eſt, apud eos, non eſſe certum erit. Quæ enim à Deo ſunt, ordinata ſunt: apud eos cùm nullus ſit ordo; nihil item diuinum ſit oportet: ad illámque potiùs ciuitatem referentur, quam Iob, ac reliqua ſcriptura terram miſeriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat, appellare ſolet. *Epheſ. 4.* *Fuſiùs de ea nota tractat in fine operis Panarii Epiphanius, vbi omnem ſui tẽporis rationẽ ordinis Eccleſiaſtici pulchrè explicat Iob. 10.*

Octauum inſigne: communis SANCTORVM SENSVS ET conſenſus.

Caput VIII.

DICIMVS igitur octauò, veram Eccleſiam Communionem ſanctorum profiteri, firmitérque tueri ac defendere. Eius enim illa vox eſt: Credo cõmunionem ſanctorum. De qua communione D. IOannes: vt & vos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum patre & filio eius, Ieſu CHriſto. Ex quo cœtu hominum fuit ille, qui inquit: Deus in cuius conſpe- *Ioan. 1.* *Gen. 48.*

ſpectu ambulauerunt patres mei, Abraam & Iſaac: Deus qui paſcit me ab adoleſcentia mea vſque in præſentem diem: angelus qui eruit me de cūctis malis, benedicat pueris iſtis, & inuocetur ſuper eos nomen meum: nomina quoque patrum meorum, Abraam & Iſaac, & creſcant in multi-
Exodi. 32. tudinem ſuper terram. Et ille: Quieſcat ira tua, & eſto placabilis ſuper nequitia populi tui. Recordare Abraam, Iſaac, & Iſraël ſeruorum tuorū,
Pſal. 118. quibus iuraſti per temetipſum. Et alius: Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua. Et illi ipſi tres pueri in cami-
Dan. 3. no ignis ardentis: Ne, quæſumus, tradas nos in perpetuum, propter nomen tuum, & ne diſſipes teſtamentum tuum, neque auferas miſericordiam tuam à nobis, propter Abraam dilectum tuum & Iſaac ſeruum tuum, & Iſraël ſanctum tuum, quibus locutus es pollicens. Fortiſsimus item ille
2. Macha. 12. Machabæorum dux Iudas, facta collatione, duodecim millia drachmas argenti, miſit Hieroſolymā, offerri p peccatis mortuorū ſacrificium benè & religiosè de reſurrectione cogitans (niſi enim eos qui ceciderāt reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur, & vanum orare pro mortuis) & quia conſiderabat quòd cum hi, qui pietate dormitionē acceperant, optimā haberent repoſitam gratiā. Sancta ergò & ſalubris eſt cogitatio pro
Rom. 15. defunctis exorare; vt à peccatis ſoluantur. Ex eodem genere hominū fuit Paulus: Obſecro ergò vos, inquit, fratres, per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & per charitatē ſancti Spiritus; vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Deum, vt liberer ab infidelibus qui ſunt in Iudæa, & obſequii mei oblatio accepta fiat in Hieruſalem ſanctis, vt veniam ad vos in gau-
2. Cor. 1. dio per voluntatem Dei, vt refrigerer vobiſcum. Et: Adiuuantibus & vobis in oratione pro nobis, vt ex multarum perſonis facierum, eius quæ in
Epheſ. 6. nobis eſt donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis. Et: In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſsimi ignea extinguere: & galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt verbū Dei: per omnem orationem & obſecrationem, orantes omni tempore in ſpiritu, & in ipſo vigilantes in omni inſtantia, & obſecratione, pro omni-
Coloſ. 4. bus ſanctis, & pro me, vt detur mihi ſermo in apertione oris mei. Et: Orationi inſtate, vigilantes in ea, in gratiarum actione, orantes ſimul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis oſtium ſermonis ad loquendum myſterium Chriſti, propter quod etiam vinctus ſum, vt manifeſtem illud, ita vt
2. Theſſ. 3. oportet me loqui. De cæterò, fratres orate pro nobis, vt ſermo Dei currat & clarificetur, ſicut & apud vos, & vt liberemur ab importunis & malis hominibus. Quæ quidem communio ſanctorum, nihil aliud eſt, quàm militantis Eccleſiæ cum ea, quæ cum Chriſto triumphat cœleſti Eccleſia, atque illa, quæ poſt mortem, ſuorum reliquias purgat peccatorum, earumque inter ſe omnium partium coniunctio quædam, ſocietas ac indiuidua vnitas. Quæ ſocietas omnium operum ac meritorum, ſiue illa ſint ſacrificia, ſiue orationes, ſiue eleemoſinæ atque ieiunia, ſiue martyria, ſiue carnis mortificationes, ac reliquæ virtutes omnes, habet communem vſum & vtilitatem; vt quod vnum membrum ex hoc corpore facit, hoc proſit

omnibus,

omnibus, iuxta illud promissum Christi: Qui accipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem accipiet prophetæ. *Matth 10.* Et si compatitur vnum membrum, inquit Paulus, compatiuntur & reliqua. *Ephes. 5.* Est enim Ecclesia, fidelium congregatio: est corpus vnum, ex multis membris compactum, cuius caput est Christus: ipsum enim Deus dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius. *Epses: 1.* Et sicut in vno corpore, multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. *Rom: 12.* Qualis itaque membrorum inter se societas est, vbi operatio cuiusque membri cedit in commodum totius corporis; talis est inter Ecclesiæ membra, qui sunt fideles, bonorum operum quædam communio, non solùm eorum, quæ fecit Christus caput huius corporis, ex quo manat in reliquum corpus omne, & in singula eius membra quicquid est boni, quicquid est meriti; verùm & piorum hominum omnium, qui sunt, quíque fuerunt ab initio mundi: nobis vt eorum benefacta subueniant, nos iuuent, nos ædificent, vt bonorum omnium spiritualium, quæ fiunt, & quæ facta sunt olim in Ecclesia, quòad illius esse membra non desierimus, participes efficiamur. Hoc est, quod Christus nos orare docens, iubet, non sibi quemque peculiariter petere; sed velut vnius corporis membra, eodem animata spiritu, quod in commune cunctis expediat, à communi omnium patre postulare, dicendo: Da nobis: dimitte nobis: libera nos: ita vt alter alterius onera portemus, & sic legem Christi adimpleamus. *Matth. 6.* *Gallat. 6.* Hoc est, quod apud Ieremiam dicit quoque Dominus: Circuite vias Hierusalem, & aspicite, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum, qui faciat iudicium, & quærat fidem, & propitius ero ei. *Ierem. 5.* Propitiũ se fore promittit Hierusalem, dum modò vel vnus aliquis vir iustus reperiatur in ea. Similiter & in libro Iob legimus, quod ad Elipham Themanitẽ dixerit Dñus: Iratus est furor meus inte, & in duos amicos tuos, quoniã non estis loquuti coram me rectũ, sicut seruus meus Iob. *Iob. 42.* Sumite ergo vobis septem tauros, & septẽ arietes. & ite ad seruum meũ Iob, & offerte holocaustũ pro vobis, Iob autem seruus meus orabit ꝓ vobis, faciẽ eius suspiciam, & non vobis reputabitur stultitia. Hoc est, quod in Genesi quoq; scribitur: si decem iusti Sodomis reperti fuissent, quod ꝓpter eos non fuisset deus ciuitatẽ deleturus. *Genes. 18.* Quem locum explicãs Ambrosius: Vnde discimus, inquit, quantus murus patrię sit vir iustus: quemadmodum non debeamus inuidere sanctis, nec temerè derogare: illorum enim fides seruat, illorum iustitia ab excidio defendit. Sodoma quoque, si habuisset viros iustos decem, potuit non perire. Sic apud Ezechielem dicit Dominus: Quæsiui de eis virum qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inueni. *Ezech. 22.* In qua quidem communione, non modò sancti Ecclesiæ militantis in terra peregrinantes, verùmetiam beati omnes, Ecclesię cum Christo in cœlis felicissimè triumphantis, ac insuper piorum animæ, quæ ex hac vita egressæ, nondum tamen illam beatorum felicitatem sunt consecutæ, simul comprehenduntur. Extra hanc Sanctorum communionem

(sicut

ſicut extra Noë arcam, certum quidem exitium, nulla verò ſalus mortalibus: non Iudæis aut Ethnicis, qui fidem Eccleſię nunquam receperũt: non hæreticis qui receptam deſeruerunt vel corrupuerunt: non ſchiſmaticis, qui pacem & vnitatem Eccleſię reliquerunt: poſtremò neque excõmunicati, qui qualibet alia graui de cauſa id meruerunt, vt ab Eccleſiæ corpore, ceu pernicioſa quædam membra, præciderentur ac ſeparentur. Atque iſtius modi omnes, quoniam ad Eccleſiam eiúsque ſanctam communionem non pertinent, diuinæ gratiæ & ſalutis æternæ non poſſunt eſſe participes; niſi Eccleſiæ, à qua illi ſuo vitio ſunt ſemel auulſi, primùm reconcilientur atq; reſtituantur. Certa eſt enim Cypriani & Auguſtini regula: Non habebit Deum patrem, qui Eccleſiam noluerit habere matrem. Cuius communionis eandem rationem deſcribit vetuſtiſsimus & ſanctiſsimus Doctor Ambroſius: Eccleſia autem, quædam forma iuſtitiæ eſt, commune ius omnium. In commune orat, in commune operatur, in commune tentatur. Denique qui ſeipſum ſibi abnegat, ipſe iuſtus, ipſe dignus Chriſto eſt. Ideo & Paulus fundamentum poſuit CHriſtum, vt ſupra eum opera iuſtitię loçaremus, quia fides fundamentum eſt. In operibus autem aut malis iniquitas, aut bonis iuſtitia eſt. Ab ea igitur tali communione Sanctorum, cùm huius ſeculi hæretici remotiſſimi ſint, eamque impugnent, rideant etiam; illud quaſi tacitè indicantes, ſe & fidem & mores alios eſſe ſecutos, quam ſancti Dei ſint ſecuti; & ideo nihil ſe commune cum cœleſti illa Hieruſalem, nihil cum ſanctis Dei habere, ex aliáque ciuitate, & alio ouili, ex alio cœtu eſſe; remotiſsimos item à vera Eccleſia, eiusque membris, ſpiritu item, & capite eius Chriſto IESV eſſe oportebit.

Lib. 1. officiorum cap. 29.

1. Corin. 3.

Nonum insigne, virtus miRACVLORVM.

Caput IX.

SIT igitur nonum reginę ornamentum; Gloria miraculorum; quæ eam ob cauſam ſuperiùs neceſſaria eſſe diximus, ne doctrina eius humanum potiùs inuentũ, quàm diuina reuelatio eſſe videatur: néue fraudi & fallaciæ locus aliquis relinquatur. Polliceturque eam dotem illi ipſe ſponſus: Qui crediderit, inquit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui verò nõ crediderit, cõdemnabitur. Signa autẽ eos qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eiicient: linguis loquentur nouis: ſerpentes tollent: & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt. Quod idem docet

Marci 16.

Hebr. 2.

docet Paulus: Quomodo nos effugiemus, tantam si neglexerimus salutem? quæ cùm initium accepisset enarrari per dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis & portentis,& variis virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus, secundùm suam voluntatẽ. Vtitur hoc eodem signo Irenæus: Quapropter & in illius nomine, qui verè illius sunt discipuli ab ipso accipientes gratiam, perficiunt ad beneficia reliquorum hominum, quemadmodum vnusquisque accepit donum ab eo. Alii autem laborantes aliqua infirmitate,per manus impositionem curant & sanos restituunt. Iam etiam, quemadmodum diximus, & mortui resurrexerunt, & perseuerauerunt nobiscum annis multis: & quid autem? Non est numerum dicere gratiarum, quas per vniuersum mundum Ecclesia à Deo accipiens in nomine Christi Iesu,crucifixi sub Pontio Pilato, per singulos dies in opitulationem gentium perficit, neque seducens aliquem, nec pecuniam ei auferens: quemadmodum enim gratis accepit à Deo,gratis & ministrat: nec inuocationibus angelicis faciat aliquid,nec incantationibus, nec aliqua praua curiositate, sed munde, & purè, & manifestè, orationes dirigentes ad dominum, qui omnia fecit, & nomen Domini nostri Iesu Christi inuocans, virtutes secundùm vtilitates hominum, sed non ad seductionem perfecit. Hoc eodem signo vsus est Tertullianus: Probent se, ait,nouos Apostolos: eadem signa edant. Volo igitur & virtutes eorum proferre,nisi quòd agnoscam & maximam virtutem illorum,qua in peruersum Apostolos æmulantur. Illi enim de mortuis viuos faciebant; isti de viuis mortuos faciunt. Quo eodem insigni se in eius sinu retineri testatur D. Augustinus: Me, inquit, tenet in Ecclesia autoritas miraculis inchoata, spe nutrita,charitate aucta,vetustate firmata. Et alio loco: Si nec scripturarum autoritatis antiquitas, nec miraculorum potestas, nec morum sanitas, nec rationis veritas, vos asserit: abite confusi, & redite confessi. Quæ quidem signa & miracula, quæ, & quanta in Ecclesia exstiterint semper, testis est omnis vetustas. Neque vllus est aut Ecclesiasticus, aut profanus scriptor, qui eius rei aliq̃ mentionem non faciat: testantur hoc idem omnes omnium seculorum historię & annales: testantur tot templa, atque monumenta, tot sanctorum martyrum fana atque sepulchra, tot anathematibus, atque donariis, eo nomine per totũ orbem exornata atq; decorata: quibus omnibus fidem derogare, est parum pudentis & ingenui hominis. Sed & nunc, & si non tam frequentia propter iam fundatam fidem, (signa enim infidelibus dantur,non credẽtibus) in hoc nostro orbe conspiciuntur; in aliis tamen,vbi nunc primùm fides Catholica fundatur, partibus mundi, eadem ferè, quæ Apostolorũ temporibus fuerunt, fieri itidem conspiciuntur: in America, inquam, Indiis, Iapone, cæterísque noui orbis partibus. Præclarè enim à Gregorio dictum est, vt ad fidem crescat multitudo credentium, miraculis nutriendam à principio: quia & nos, cùm arbusta plantamus, tam diu eis aquam infundimus, quousque ea in terra iam coaluisse videamus: & si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit. Quod, si isti negant, reddant causam, quid

Aduersus hæ reſ. lib.2.c.57

quid illud sit, quod tam feras, tam inhumanas, tam ab omni pietate remotas gentes, sub iugum Christi denuo venire coëgit atque compulit, si non hæc ipsa de quibus disputamus signa & miracula?

Sed & apud nos Exorcistę sunt, qui ab obsessis hominibus palam videntibus, atque spectantibus omnibus, passim dæmonia eiiciunt. Quo signo ad confirmãdam veram Ecclesiam vsus est itidem vt supra comemorauimus, Irenæus: In illius, inquit, nomine, qui verè illius sunt discipuli, ab ipso accipientes gratiã, perficiunt ad beneficia reliquorũ hominũ, quemadmodum vnusquisq; accepit donum ab eo. Alii enim dæmones excludunt, firmissimè & verè, vt etiã sæpissimè credant ipsi, qui emundati sunt à nequissimis spiritibus, & sint in Ecclesia. Vtitur & Iustinus: Vim Christi nominis timent dæmonia trementia, & hodie adiurata per nomen crucifixi Iesu Christi sub Pontio Pilato, Iudeæ præside, imperata faciunt. Idẽ rursus in alio loco, Multos arreptitios per totum orbem, & in hac ipsa ciuitate Romana, multi ex nostris Christianis, adiuratos per nomen IESV Christi sub Pontio Pilato crucifixi, sanârunt: quos nec adiuratores alii, nec incãtatores, expiatoréue sanare potuerant. Sed & ille, qui omnia reprehendere solebat, Caluinus, hoc signum cœtus Dei esse, nolens pronunciat. Scimus, inquit, Deum, vt in fœderis sui fide puróque cultu illos retineret, suam inter eos præsentiam variis miraculis subinde testatum esse, Ita fieri potuit vt inuocato Dei nomine, dęmones fugarent. Et paulò pòst hæc in eundem Matthæi locum: Quod si quis interim malit secus accipere, nempe exprobrari Dei gratiam, quæ se interdum per Exorcistas profe-rebat, non valde repugno. Multa, inquis, ementitè fiunt. Non nego: quid tum? At multa etiam verè & sincerè; neque enim ementitis locus esset, nisi vera aliquando fierent. Fictio enim veritatem imitatur, totáque se ad illam componit: & vbi veritas non est, neq; fictioni locus esse potest. Reges Galliæ solo contactu sine omni alio remedio certos curant morbos: multorum sanctorũ sepulchra & ossa pretiosum vnguentum sudant: quotidie multos inuenias, qui vel ad sacrosanctam Eucharistiæ arcam, vel ad martyrum delubra vota referentes sua, optatis potiuntur bonis, votiúque sui compotes fiunt. Ostendant igitur isti ab eo tẽpore, ex quo exorti sunt, quid tale apud eos contigerit? ostendant Exorcistarum ordinem: ostendant curationum gratiam, qua vel vnum dæmonium, & si mutum, & si surdum eiecerint: qua vel vnum ægrum curauerint; quanquam tanta fide vti iactant abundent. Conati sunt quidem multi, vt Lutherus, & alii; sed quid profecerunt, quid ipsi retulerunt, vos legistis. Iocatur iucundè Erasmus: Apostoli, ait, quondam excutiebant viperas, sanabant ægrotos, excitabant mortuos, imposita manu dabant dona linguarum; ita demùm creditum est, & vix creditũ est illis paradoxa docentibus. Nunc cùm iuxta communem opinionem adferant penè paradoxotera, nullus illorum adhuc extitit, qui vel equum claudum sanare potuerit. Confinguntur, inquiunt, à vobis miracula, aut arte magica fiunt: Hoc idem Christo Domino, atque eius Apostolis Iudæi, atque Gentiles falsò obiecerunt. Ioannes,

Prima Apologia.

In Harm. Euangelica.

nes, inquiunt, Baptista, nulla signa, nulla miracula edidit. Falsum est, nã vniuersa vita eius miraculum quoddam fuit: non sine miraculo conceptus: non sine miraculo in vtero portatus, ibi ad sui Domini aduentum exultauit: non sine miraculo totam traduxit vitam: & quod caput est, illud testimonium à Christo audiuit: Hic est plus quàm propheta: & illud: Non surrexit maior Ioanne baptista. Doceant isti aliquid tale: proferant aliquod simile priuilegium, & tunc miracula ab his non repetemus. Antichristus signa faciet: At falsa & ementita. Neque tamen hoc dicimus, vbicunque sint qualiacunque miracula, ibi Ecclesiam Dei esse; sed illud potiùs, vbi non sint vel non fuerint vnquam, ibi Ecclesiam Dei omninò esse non posse. Signa, inquiunt, dantur infidelibus non credentibus. Atqui nos iam pridem fidem perdidisse toties iactant: nostra igitur causa aliquid tale faciant, vel saltem Iudæorum atque Gentilium gratia. Verùm nihil tale facient vnquam. Ecclesia igitur, quæ signis & miraculis confirmata non est, Ecclesia vera dici non potest.

Decimum insigne, lumen & veritas Prophetiae.

Caput X.

PVlcherrima & illa est Ecclesię Dei dos, & quasi pretiosissimnm monile, lumen & veritas Prophetiæ. Prædixit hanc dotem Ioël: Et erit posthæc: Effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ. Senes vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbunt. Prædixit ipse sponsus: Ecce ego mitto ad vos Prophetas, Sapientes, & Scribas. Quod idem illi in Euangelio docent, qui dicunt: Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus? Idem Paulus futurum prædicit: Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem: alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundùm eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alii gratia sanitatum in vno spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus. Et alio loco: Spiritũ nolite extinguere, Prophetias nolite spernere. Omnia autem probate, quod bonum est tenete. Vtitur eodem signo Irenæus: alii autem & præscientiam habent futurorum, & visiones, & dictiones propheticas. Itáq; nulla vnquam fuit in Ecclesia Dei ætas, in qua nõ exstitissent aliqui, qui dono fuerint prophetiæ prædíti, qui clades, pestes, hostium aduentus & inuasiones, multò ante non prædixerint, pacem itẽ,

Ioël. 2. *Math. 23.* *Matth. 7.* *1. Cor. 12.* *1. Tessa. 5.*

& tranquillitatem. Quod donum prophetiæ maximum illum Quadratum Athenienſem ſimul cum Philippi fidelibus illuſtratum fuiſſe, teſtis eſt Euſebius libro tertio hiſtoriæ capite trigeſimo primo Reuelationes & viſiones de futuris rebus, frequenter factas Polycarpo & Cypriano, ipſi ſibi idonei teſtes ſunt. Sed & Beatus Carpo, viſionem planè mirabilem contigiſſe ſcribit Dionyſius Areopagita. Quomodo & iſtorum infauſtum ortum & progreſſum pulcherrima & veriſsima imagine effinxit longè antè ſancta BRIGITTA: Nunc etiam oſtendam tibi (reuelatio CHriſti ſanctæ viduæ Brigittæ) quid iſta ſignificent. Caſtrum illud quod ſupra dixi. eſt ipſa ſancta Eccleſia: quam de ſanguine meo & ſanctorum meorum ædificaui, & cæmento charitatis meę coniunxi, & poſui in ea electos meos & amicos. Fundamentum huius eſt fides, ſcilicet, credere me iuſtum iudicem & miſericordem. Sed nunc ſuffoſsum eſt fundamentum, quia omnes credunt me & prædicant miſericordem, ſed quaſi nullus prædicat nec credit me eſſe iuſtè iudicantem. Ipſi habent me quaſi iniquum iudicem. Iniquus enim eſſet iudex, qui ex miſericordia iniquos dimitteret impunitos, vt iniqui iuſtos eò magis opprimerēt. Sed ego ſum iuſtus iudex & miſericors, ita quod nec minimum peccatum relinquam impunitum, nec minimum bonum irremuneratum. Per huius muri ſuffoſsionem intrauerunt illi in ſanctam Eccleſiam, qui abſque timore peccāt, qui iuſtum me eſſe negant, & amicos meos ſic conturbant, quemadmodum illos qui ſunt in cyppo. Non enim eſt eisdem amicis meis gaudium nec conſolatio, ſed omne opprobrium, & omnis dolor eis imponitur quam dæmoniacis. Si veritatem de me dixerint, confutantur, & mendacii arguuntur. Vehementer ſitiunt audire vel loqui recta, ſed non eſt qui eos audiat, vel eis recta loquatur: Ego quoque Dominus & creator, blaſphemor. Dicunt enim: Neſcimus ſi eſt Deus: & ſi eſt, non curamus. Vexillum meum proſternunt & conculcant, dicentes: Quare paſſus eſt? Quid prodeſt nobis? Si velit dare nobis voluntatem noſtram, ſufficit nobis; & habeat ipſe regnum ſuum & cœlum. Ego quoque ad eos ingredi volo; ſed ipſi dicunt; antè moriemur, quàm voluntatem noſtram relinquamus. Ecce ſponſa mea quales ipſi ſunt. Ego feci eos, & vno verbo poſſem delere. Quomodo ſuperbiunt cōtra me? Nunc autem propter preces matris meę, & omnium ſanctorum, adhuc ita miſericors ſum & patiens, quòd mittere eis volo verba mea, quæ de ore meo proceſſerunt, & offerre eis miſericordiam meam. Si recipere voluerint, placabor; ſin autem, ſentient meam iuſtitiam. Pleni ſunt earum rerum annales, plenæ hiſtoriæ. Hoc enim eſt, quòd vim ipſam diuinam denotat, eámque Eccleſiæ Dei adeſſe demonſtrat. Iuxta illud Iſaiæ: Hæc dicit Dominus Rex Iſraël, & redēptor eius, Dominus exercituum: Ego primus & ego nouiſsimus, & abſq; me non eſt Deus. Quis ſimilis mei? vocet & annunciet, & ordinem exponat mihi, ex quo conſtitui mihi populum antiquum: ventura & quæ futura ſunt, annunciet eis.

Ad Deomophilum monachum.

Iſaiæ 44.

Neq; ſolum hoc donū in vera Eccleſia ſemper eſſe; ſed etiam ſignum veræ do-

veræ doctrinæ iuxta legis præscriptionem extare debuit: Propheta, inquit lex, qui arrogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi vt diceret, aut ex nomine alienorum deorum; interficietur. Quod si tacita cogitatione responderis, quomodo intelligere possum verbum quòd Dominus non est locutus, hoc habebis signum: Quod in nomine domini Propheta ille prædixerit & non euenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit, & idcirco non timebis eum. Qua gratia, quantum Ecclesia abundauit semper, & abundet adhuc, iam diximus: nunc quantum isti noui prophetæ eius habeant, quantum ea excellant, paucis videamus. Prædixerunt istorum duces, eorum prædicatione, religionem, fidémque totam à nobis neglectam, mirifica incrementa sumpturam: Sacrosanctę diuinę Trinitatis nomen, & maiestatem, illustrem per orbem vbique futuram: Iesu CHristi gloriam & laudem, quam pontificii obscurârunt, ad omnes gentes promanaturam: Sacramentorum verum vsum restituendũ: Euangelium ppagãdum: virtutem, ac omnem honestatem maxima incrementa acceptura: Romanam sedem intra duorum vel trium annorum spatium ruituram: fidem Catholicam extinguendam: doctrinam illorum vniuersum orbem peragraturam: victorias præstantissimas secundùm illos stare debuisse: mundi finem paulò pòst futurum. Euenítne quid horum? Nihil profectò. Nam & fidei articulos vix non omnes, iam aliqui, eorum prędicatione amiserunt: & venerandum Trinitatis nomen fœdè blasphematur: & Christi gloria conculcata iacet: Euangelio non creditur: Romana sedes viuit, vigétque: Sanctissimos Episcopos & Pastores habet: Ecclesia Catholica in vltimos fines terræ profertur: Orthodoxa doctrina illustratur: istorum sectę desinũt: mundus illis mortuis superuiuit: victorię quas prędixerunt, in clades ipsorummet & ruinam, conuersæ sunt: multi mortales vndique decepti perierunt: tot hominum millia, tot animarum simplicium pleni greges, funestè cæsi sunt. Istíne gratiam aut lumen prophetiæ habent? istíne veri sunt prophetæ? aut istæ veræ Ecclesiæ quæ tales principes magistros & duces sequuntur? Ite, & accendite lucernã in meridie. *Deutero. 18.*

Vndecimum insigne, praesens VBIQVE ET PERENNE DEI adiutorium.

Caput XI.

VNdecimum sit illud veræ sponsæ insigne, præsens semper, & opportunum in omni tempore eius necessariò, diuinũ præsidium & adiutorium.

Prima quasi aggressione post sponsi discessum inuasit eam Iudæorum perfidia, qui signa, vt inquit Paulus, quæ-

1. Cor. 1. runt. Contra quos dedit illi dominus eam vim & virtutem ſignorum; vt vel ſoli panni Apoſtolorum ad ægros delati, vmbra denique eorum ſola, curaret infirmos.

Secundò, impugnata eſt vehementer per Tyrannorũ & Monarcharum ſæuitiam & crudelitatem, quæ maximam patientiam animíque robur requirebat, & hauſit cœlitus eam in perferendis tormentis fortitudinem & conſtantiam, quę omnem ignem extinxit, omne ferrum emolliuit, dentes denique ipſos leonum confregit.

Tertius impetus fuit Græcorum per Philoſophiam, eamque maximè, quæ ex Platonis fuit Academia, ex quo genere fuit Porphyrius, Celſus, Ammonius, & alii multi: deditque illi Dominus ſapientiam eam, cui illi reſiſtere nullo modo poterant: eduxítq; ex eadem Platonis ſchola viros, quibus magiſtris illi vterentur, potiùs quàm illis nocerent quidquam; Dionyſium, inquam, Iuſtinum, Origenem, Clementem, Irenæum, Tertullianum: quorũ, quæ, & qualis fuerit ſapientia, paulò antè abundè diximus.

Quartò vexata eſt per eloquentiam, dicendíque vim, ac omnem cultiorem doctrinam: ex quo genere fuit Arius, Eunomius, Macedonius, Appolinaris, Sabellius, homines eloquentes ac diſerti, acumine ſummo, maxima concludendi vi; qui tanquam nefarii latrones vnicam Dei ſobolem, diuinitate ſpoliabant ſua, & velut Aloidæ petulantiſsimi cœlum cõſcendere nitebantur; vt omnium rerum architecti diminuerent maieſtatem, vtque ſummum opificem temporum ac ſeculorum in ordinem redigerent eorum, quæ aliquando non fuiſſent. Arma illis erant compta, inquit Muſurus, vermiculatáque verba, diſſertationes atticiſmorum elegantiis concinnæ, quas veluti catapultas in cœlum contorquebant. Nec verò principis apoſtatæ Iuliani eodem tempore ſæuitia clementior exſtitit, qui furibundus omni falcatorum enſium & ancipitum bipennium genere, rediuiua Chriſti germina ſuccidere properabat. Nam cùm è ſtudiis eloquentiæ gloriam ſibi perambitiosè quæreret, imò verò locutionem fuco pigmentisque circumlitam, almæ loco deæ veneraretur; indignè ferebat aridam & ieiunam (vt ipſe exprobrabat) Paleſtinæ ſuperſtitionis diſciplinam, contagione per incautum ſtolidumque vulgus longè latéq; ſerpente, priſcis autoribus, qui laudatarum artium decus luminibus orationis illuſtraſſent, ſitum & ſqualorem obducere, tenebras offundere, ineuitabilem demum perniciem intentare. Sit enim fas nobis acerba retuliſſe conuitia, quæ tyrannus quidem ille ſtomachabundus euomebat, noſtræ verò deteſtantur aures, noſtráq; cogitatio reformidat. At Deus, cui ſæpè rebelles animos eodem armorum genere profligare mos eſt, exſuſcitauit Athanaſium, Baſilium, Cyrillum, Euſebium, Chryſoſtomum, Gregorium Nazianzenum, Hieronymum, Ambroſium, Auguſtinum: qui grauitate ſententiarum, pondere verborum, omnibusque eloquentiæ inſtrumentis ex pari poterant cum vetuſtis gentilibus certare, atque ob id cum aduerſarium præſidiis, quibus ipſe potiſsimum confidebat, facilè deturbauiſſent, à calumniis impiæ verboſitatis, ingenuum cœleſtium myſtarum

ſtarum ſermonem, ornatè, copioſéque tutati ſunt. Semel igitur atque iterum contra diſparem hoſtem par pari relatum eſt, & ars arti ſuccubuit, atque vt prouerbio dicitur, Cornicum oculi confoſsi ſunt. Nam vt enucleata recentium Theologorum ſubtilitas, cum naturæ ſecretariis & conſciis, quos Philoſophos appellant, cominus pedem conferens, vanas opiniones de ſempiterna cœli conuerſione vel vnitate intellectus humani labefactauit, pectoribúſque hominum eiecit; ſic antiquorum patrum, quos modo nominabam, oratio perelegans, hoſtem emblemata dictionum, pictæque tectoria linguæ iactantem compeſcuit.

Quinta impugnatio fuit per Peripateticam doctrinã, diſſerendi ſubtilitatem, illiúsque ſentuoſas tricas atque ſpinas. Quot captioſis argutiolis, quot fallacibus cauillis, Alexander, Auerroes, Auicenna, Auenpacẽ, aduerſus pios irruerunt? Quàm ingenti cachinno credulitatem eorum deriſerunt, quos ex ignoratione naturalium diſputationum ſcriptis fidem habuiſſe putabant, nullo ſyllogiſmo communitis? Sed non impunè tulerunt: nam ſuo ipſorum gladio iugulati ſunt: eveſtigiò namque Deo duce & auſpice nati ſunt, Thomas, Bonauentura, Scotus, Albertus, Ægidius, cæterique ſubtilis ſcholæ proceres, qui ſacrilegas, inceſtóque ore voces, in ſummũ liberum, omnipotẽtem cœli regem impiè euibratas, acriter vindicarent: nam validis, acutis, atq; è penitiſsimo philoſophiæ receſſu deprõptis rationibus, arcana ſcita conſultáque defensârunt: quæ Deus ipſe vatibus ac legatis electis à ſe nuda veritatis ſimplicitate dictauerat. Neque enim ſeueriſsimum, ac tanta iudicem autoritate ſubtiliter argumentari, ſed breuiter ac grauiter ſententiam pronunciare decebat. Horum igitur firmis quaſi pedamentis & adminiculis CHriſti vitiarium ita corroboratũ eſt; vt Arabicarum Græcarumque impetus procellarum, ne pampinorum quidem nobis inuexerit iacturam.

Sextum & vltimum his nouiſsimis temporibus eius bellum & certamen exſtitit, per allegationem ſcripturæ, per prouocationem ad omnem antiquitatem, veteráque tempora. Qua impulſione, cùm omnia de ſedibus & fundamentis ſuis commota & concuſſa ruere cœpiſſent, ſubitò exſtiterunt viri, qui totam ſcripturam, qui vniuerſam vetuſtatem, monumenta, conſilia, patres exhauſerunt, ac veluti digitos proprios nouerunt; Sadoleti inquam, Poli, Roffenſes, Mori, Hoſii, Lindani, Tapperi, Soti, Cani, Medinæ, Oſorii, Caniſii, Sanderi, aliique innumerabiles: qui veluti ſplendidiſsima ſydera, omnes iſtorum tenebras illuſtrarunt, iſtósque fumantes ignes, ſuo ſplendore ſuſtulerunt ac planè exſtinxerunt. Nunquam igitur caret ſponſa magni regis neceſſaria ope, nunquam neceſſariis præſidiis: Neque enim vnquam dormit aut dormitabit, qui cuſtodit Iſraël. *Pſal. 120.*

*

Duodecimum insigne, opportuna ET SALVTARIS CORRECTIO ac depreſsio.

Caput XII.



Eque verò hic ſponſus ſponſam ſuam tuetur, ornat & auget tantùm, illíque perpetuò adeſt; ſed eam caſtigat etiam nonnunquam ac deprimit: iuxta illud Dauidi factum promiſſum: Si autem dereliquerint filii tui legem meã, & in iudiciis meis non ambulauerint: ſi iuſtitias meas profanauerint, & mandata mea non cuſtodierint; viſitabo in virga iniquitates eorum, in verberibus peccata eorum. Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo, neque nocebo in veritate mea. Neque profanabo teſtamentum meum: & quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita. Quos enim Deus diligit, caſtigat: non caſtigari autem à ſponſo, repudiari eſt. Non viſitabo dicit Dominus, ſuper filias veſtras, cùm fuerint fornicatæ, & ſuper nurus veſtras, cùm adulterauerint. Ita, vt hæc ipſa ſponſa neceſſe habeat ſæpius vrgente procella inclamare: Domine ſalua nos, perimus, & fac tranquillitatem. Vt enim primam eius infantiam; quæ varia ſorte iactata eſt, prætermittamus. Exultabat rerum felicium ſucceſſu vinea hæc Conſtantini Magni, primi ſui alumni temporibus: ſubitóque exortus eſt Arius, Eunomius, atque adeò ille ipſe vrſus violentiſsimus Iulianus, qui illius noualia pulcherrimè viren tia iam & florentia impio pede calcauit, ac fero dente ſuccidit. Erecta deinde eſt Iouiniani, Valentiniani, Theodoſiorum item pietate: exorti ſunt iterum Neſtorius, Eutyches, Apollinaris, qui lætitiam illius conuerterunt in luctum, eámq; denuò ad cinerem & cilicium reuocârunt. Reuixit de nouo, maximáq; quiete & fœcunditate hircire cœpit. Ecce tibi adeſt Atila, Totila, Genſericus, aliáq; infinita barbarorum manus, quæ eam multis cladibus & calamitatibus excitatam, atq; exercitatã reliquit. Tandem pacatum eſt mare: res cõpoſitæ: extendit palmites ſuos vſq; ad mare, & ppagines vſq; ad terminos terræ. En aliud incõparabile malũ, Saracenicus ferus immiſſus in eã Mahometes, qui depaſtus eſt, & exterminauit eam: in eiúſq; ceruice poſitus. Neq; tamẽ hæc ſuccubuit; ſed eò magis operuit mõtes vmbra eius, & arbuſta eius cedros Dei. Iterum tamen in ſomnum reſoluta, oſcitantiùs omnia agere viſa eſt; excitatur ſubitò primùm per Berengarium: dum tardius euigilat; excitatur denuò per Wiclefum, Huſſum: dum ampliùs ſtertit, nec penitùs duces eius euigilare volunt; diruta eſt maceries eius, & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viã, tot in-

Pſal. 88.

Hebr. 12.

Oſee 4.

Iſai. 8.

Pſal. 79.

tot inquam funeſtarum ſectarum atque hæresûm greges; donec iterum Deus virtutum conuertatur & reſpiciat de cœlo, & videat, & viſitet vineam ſuam, & perficiat eam, quam plantauit dextera eius: quod iam præ foribus eſſe videmus. Putationibus enim & inciſionibus hæc vinea creſcit: falce hæretica expurgatur, fœcundatur, & pingueſcit: ſtercora hæc maioris vbertatis cauſa ſunt. Nec vnq̃ perfectiùs tractatum eſt de fidei præ- „
cipuis articulis, inquit Auguſtinus, donec obſiſterent hæretici: nec vn- „
quam perfectiùs tractatum eſt de Trinitate, donec oblatrarent Ariani: „
nec de pœnitentia, donec obſiſterent Nouatiani: nec de Baptiſmo, donec Donatiſtæ contradicerent. Et iſti quidem peribunt, qui quærebant animam eius. Væ enim illis, quia flagellum ſunt ac more virgæ, qua pater corrigit filios, frangentur, ac in ignem mittentur æternum, & vt peniculus quo ſupellex domus purgatur abiicientur. Hoc retulerunt Arius, Eunomius, Iulianus, Neſtorius, Eutyches, & cæteræ eius generis labes. Fi- *Pſal. 136.*
lia Babylonis miſera: beatus eſt qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis: beatus, qui tenebit & allidet paruulos ſuos ad petram. Illius autem iuuentus renouabitur vt aquilæ. Vt illud occinat: Ca- *Pſalm. 102.*
ſtigans caſtigauit me Dominus, & morti non tradidit me. Eius enim per- *Pſal: 116.*
petua illa vox eſt: Virga tua & baculus tuus; ipſa me conſolata ſunt. De- *Pſal: 22.*
us noſter refugium & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt *Pſal: 45.*
nos nimis. Propterea non timebimus dum turbabitur terra: & transferentur montes in cor maris. Corrigitur igitur, deprimitur, excitatur; ſed deſeritur nunquam. At concubinę effrenes & licentioſæ ſine iugo vagantur, donec laſciua feritate ſua percitę in certum exitiũ agantur & pereant.

Tertiumdecimum insigne,

PERPETVVS IN MELIVS profectus.

Caput XIII.

TErtiadecima dos eſt illa, filiæ principis, profectus in melius. Proficit illa in fide, proficit in moribus, proficit in numero hominum: habétq; inſtar creſcentis & adoleſcentis hominis ætates ſuas. Habet *Hebr. 5.*
infantiam, quæ lacte, vt inquit Paulus, indiget: habet adoleſcentiam, de qua Salomon: Soror no- *Cantic. 8.*
ſtra paruula eſt, & vbera non habet. Habet maturam ætatem, in qua illud cantat: Ego mater pul- *Eccleſiaſt. 24*
chræ dilectionis, & magnæ ſpei. Habet & ſenectutem ſuam, de qua illud: *Pſal: 91.*
Senectus mea in miſericordia vberi. In qua tam diu, dum tradet filius pa- *1. Cor. 15.*
tri ſuo regnum, & erit Deus omnia in omnibus, perdurabit. Neque verò

mirum est, quòd semper crescat & proficiat, nec deficiat vnquam. Habet
Isa. 46. enim rectorem atq; custodem illum, qui inquit: Qui portamini à meo vtero, qui gestamini à meo sinu, vsq; ad senectã ego ipse, & vsq; ad canos ego portabo. Ego feci, & ego ferã, & ego portabo, & saluabo. Vt autẽ illa crescit ac ꝓficit in melius semper; ita hæreses è contrario deficiunt, & si proficiũt, in peius proficiunt: ita vtetsi principia earũ speciosa & magnifica prima fronte appareant; exitus tamen & profectus fœdissimi ac miserabiles
1. Tim. 3. semper fieri soleant. Docet hoc Paulus: Mali autem, inquit, homines & seductores proficiunt in peius: errantes & in errorem mittentes. Quem vtraque ex parte profectum atque defectum pulcherrima parabola tritici & zizaniæ adumbrat ipse sponsus, quorum alterum ex simili culmo siue calamo in optimum granum, alterum in infelix lolium ac steriles desinit
Matth. 13. auenas. Simile, inquit, factum est regnum cœlorum homini, qui seminauit semen bonum in agro suo. Cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abiit. Cúm autem creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem serui patrisfamiliâs, dixerunt ei: Domine, nónne bonum semen seminasti in agro tuo? Vnde ergo habet zizannia? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei: Vis, imus & colligimus ea? Et ait: Non. Neforte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum. Sinite vtraque crescere vsque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primùm zizania & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum. Quantum Ecclesia Catholica in dies doctrina, moribus, numero item gentium & hominum proficiat, videmus: quantum item hæreses deficiant, obscurum nõ est: vnde cœptum sit, quantum ꝓfectum, vbi desitum, facilè cernimus. Sanctos non esse honorandos à principio docuerũt; nunc an Christus sit adorandus, disputant alii, negant alii penitùs. Animas in purgatorio expiari negauerunt, nũc nullas esse dicunt. Sanctos de cœlo detraxerunt, nunc ipsum Deum, trinum, & vnũ inde exturbare conantur. Qui igitur cœtus proficit; Christi est: qui deficit; diaboli & antichristi. Oportet enim Christo crescente, antichristum minui, & decrescere, donec totus spiritu oris eius percussus dispereat.

Quartumdecimum insigne, nouitatem omnem fvgere, ac svspectam habere, venerandæ autem vetustati in omnibus adhærere.

Caput XIIII.

Quartum-



VArtumdecimum illud sit ciuitatis Dei insigne: Ecclesiam Catholicam ἀρχαίζειν semper, hoc autem est antiquitatem, & vetustatem sequi; vt id maximè laudet, quod vetustissimum, & antiquissimum est; id peculiariter sequatur, quod cum maiorum instituto ac doctrina coniunctum est: recipiat nihil, nisi illud, quod εὐαγγελικῶς καὶ πατρικῶς simul, vt post M. Basilium Damascenus loquitur, dicatur. Vt cõtra, Hæreticorum proprium fuit semper νεοτερίζειν hoc autem est, nouitati in omnibus adhærere. Neque enim illos appellare volunt, quos certò sciunt contra se sententiam laturos, neque ad illos prouocare, quorum sententiam ptimescunt. Qua ipsa re, vel inuiti, plurimùm antiquitati addunt auctoritatis: suum autem produnt errorem, pdunt malè conscium animũ. Fur enim odit lucem, & nemo illũ appellat iudicem, apud quem se causa casurum certò nouit: erronésque errorum depulsores fugiunt: quorum doctrina stante, suam nullo modo consistere posse iudicant. Vtrumque autem hunc morem, vtraque ex parte solennem & perpetuum quasi fuisse, tàm Ecclesiæ, quàm hæreticis ipsis, testatur inprimis Ephesina Synodus. Namque cùm lecta esset sancti Capreoli Episcopi Carthaginensis epistola, qui nihil aliud intendebat, & precabatur, nisi vt expugnata nouitate antiquitas defenderetur; ita Episcopus Cyrillus proloquutus est, & definiuit, quod hîc quoque interponere non ab re videtur: ait enim in fine gestorum: Et hæc inquit, quæ lecta est epistola venerandi & multum religiosi Episcopi Carthaginensis Capreoli, fidei gestorum inseretur, cuius » aperta sententia est: vult enim antiquæ fidei dogmata confirmari: nouitia verò & superfluè adinuenta, & impiè promulgata, reprobari atq; damnari. Omnes Episcopi adclamauerunt: Hæ omnium voces sunt, hæc omnes dicimus, hoc omnium votum est. Quæ tandem omnium voces, atque omnium vota, nisi vt quod erat antiquitùs traditum, teneretur: quod adinuentum nuper exploderetur? Vnde testatur Damasus pontifex: Patrum nostrorum sententiæ nobis sunt retinendæ. Testatur magnum illud » orbis Christiani lumen Magnus Basilius: Fidem, inquit, nos, neque per » alios nobis nouiter præscriptam amplectimur, neque nos ipsi mentis no- » stræ incerta nobis proponere audemus, ne humana putentur esse potiùs » verba; sed quæ à sanctis patribus didicimus, hæc interrogantibus tradi- » mus. Vnde illa eiusdem querela: Contemnuntur, inquit, Patrum dogmata, Apostolicæ Traditiones adnihilantur, nouorum hominum inuenta introducuntur. Episcopum autem illum esse dicit, qui sit custos doctrinæ » Patrum, omnis autem nouitatis hostis. D. item Ambrosius: Seruemus, » inquit, præcepta maiorum, ne hæreditaria signacula ausu rudis temerita- » tis violemus. Librum signatum illum Propheticum, non seniores, non po » testates, non angeli, non archangeli aperire ausi sunt: soli Christo expla- » nandi prærogatiua seruata est. Librum Sacerdotalem, quis nostrum resi- » gnare audeat, signatum à Confessoribus, & multorum iam martyrio con- »

Lirinen: c. 42

„ ſecratum? Quem qui reſignare coacti ſunt, poſtea tamen damnata frau-
„ de ſignarunt: qui violare non auſi ſunt, Confeſſores & martyres extite-
„ runt. Quomodo fidem eorũ poſſumus denegare, quorum victoriam prę-
Cap. 7. „ dicamus? Subiungit Vincentius Lirineñ: Prædicamus, inquam, ô ve-
„ nerande Ambroſi, prædicamus planè, laudantéſq; miramur. Nam quis
„ ille tam demens eſt, qui eos & ſi adſequi non valeat, non exoptet ſequi,
„ quos à defenſione fidei maiorum nulla vis depulit? non minæ, non blan-
„ dimenta, non vita, non mors, non palatium, non ſatellites, non impera-
„ tor, non imperium, non homines, non dæmones. Quos inquam pro re-
„ ligioſæ vetuſtatis tenacitate tanto munere dominus dignos iudicauit, vt
„ per eos proſtratas repararet Eccleſias: extinctos ſpirituales populos viui-
„ ficaret: deiectas Sacerdotum coronas reponeret: nefarias illas nouellæ
„ impietatis non literas, ſed lituras, infuſas cœlitùs Epiſcopis fidelium lacry
„ matum fonte deleret: vniuerſum poſtremò iam penè mundum, ſæua re-
„ pentina hæreſeos tẽpeſtate perculſum, ad antiquam fidem à nouella per-
„ fidia; ad antiquam ſanitatem, à nouitatis veſania; ad antiquam lucem, à
Idem. 33. „ nouitatis cœcitate reuocaret. Quod poſtea idem Lirinenſis verba Pau-
2. Tim. 1. li explicans, latiùs docet. Sed, inquit, ad Apoſtolum redeamus: O Ti-
mothee, inquit, depoſitum cuſtodi, deuitans profanas vocum nouitates.
„ Deuita, inquit, quaſi viperã, quaſi ſcorpionem, quaſi baſiliſcum, ne te non
1. Cor. 5. „ ſolùm tactu, ſed etiam viſu, afflatúq; percutiant. Quid eſt deuitare? Cùm
2. Ioan. 1. huiuſmodi, nec cibum ſumere. Quid eſt deuita? Si quis, inquit, venit ad
vos, & hanc doctrinam non adfert. Quam doctrinam? niſi Catholicam,
„ & Vniuerſalem, & Vnam, eandémque per ſingulas ætatum ſucceſsiones
„ incorrupta veritatis traditione manentem, & vſq; in ſecula, ſine fine man-
„ ſuram. Quid tum? Nolite, inquit, eum recipere in domum, nec aue ei di-
„ xeritis: qui enim illi dicit Aue, communicat, operibus eius malignis. Pro-
„ fanas, inquit, vocum nouitates. Quid eſt profanas? Quæ nihil habent
„ ſacri, nihil religioſi: ab Eccleſiæ penetralibus, quæ eſt templum Dei, pe-
„ nitus extraneas. Profanas, inquit, vocum nouitates: Vocum, id eſt, do-
„ gmatum, rerum, ſententiarum nouitates, quæ ſunt vetuſtati, quæ antiqui-
„ tati contrariæ. Quæ ſi recipiantur, neceſſe eſt, vt fides beatorum Patrum,
„ aut tota, aut certè magna ex parte violetur: neceſſe eſt, vt omnes omni-
„ um ætatum fideles, omnes ſancti, omnes caſti, continentes, virgines, om-
„ nes clerici, leuitæ, & ſacerdotes, tanta confeſsorum millia, tanti marty-
„ rum exercitus, tanta vrbium, tanta populorum celebritas & multitudo,
„ tot inſulæ, prouinciæ, reges, gentes, regna, nationes, totus poſtremò iam
„ penè terrarum orbis, per Catholicam fidem Chriſto capiti incorporatus,
„ tanto ſeculorum tractu ignoraſſe, erraſſe, blaſphemaſſe, neſciſſe quid cre-
„ deret, pronuncietur. Profanas, inquit, vocum nouitates deuita, quas re-
Idem cap. 34. cipere atque ſectari nunquam Catholicorum, ſemper verò hæreticorum
„ fuit. Et reuera, quæ vnquam hæreſis, niſi ſub certo nomine, certo loco,
„ certo tempore ebulliuit? Quis vnquam hæreſes inſtituit, niſi qui ſe prius
„ ab Eccleſiæ Catholicæ vniuerſitatis & antiquitatis conſenſione diſcreue-

rit?

rit? Quod ita esse, luce clariùs exẽpla demonstrant. Quis enim vnquam ante profanum illum Pelagium, tantam virtutem liberi præsumpsit arbitrii, vt ab hoc in bonis rebus per actus singulos adiuuandum, necessariam Dei gratiam non putaret? Quis ante prodigiosum discipulum eius Cœlestium, reatu præuaricationis Adæ, omne genus humanum negauit astrictum? Quis ante sacrilegum Arium, Trinitatis vnitatem discindere, quis ante sceleratum Sabellium, vnitatis Trinitatem confundere ausus est? Quis ante crudelissimum Nouatum, crudelem Deum dixit, eò quòd mallet mortem morientis, quàm vt reuertatur & viuat? Quis ante magum Simonem, Apostolica districtione percussum, à quo vetus ille turpitudinum gurges vsque in nouissimum Priscillianum continua & occulta successione manauit, autorem malorum, id est, scelerum, impietatum, flagitiorúmque nostrorum, ausus est dicere creatorem Deum? Quippe quem adserit talem hominum, manibus ipsum suis, creare naturam, quæ proprio quodam motu, & necessariæ cuiusdam voluntatis impulsu, nihil aliud possit, nihil aliud velit, nisi peccare; eò quòd furiis omnium vitiorum exagitata, & inflammata, in omnia turpitudinum baratra, inexhausta cupiditate rapiatur? Innumera sunt talia, quæ breuitatis studio prætermittimus: quibus tamen cunctis satis euidenter perspicuéque monstratur, hoc apud omnes ferè hæreses, quasi solenne esse ac legitimum, vt semper profanis nouitatibus gaudeant antiquitatis scita fastidiant, & per oppositiones falsi nominis scientiæ, à fide naufragent. Contra verò, Catholicorum hoc ferè proprium, deposita sanctorum Patrum, & commissa seruare: damnare profanas nouitates: & sicut dixit, & iterum dixit Apostolus: Si quis annunciauerit, præterquam quod acceptum est anathematisare. Hæc Lirinensis. Itáque dum Ariana impietas tẽporibus Theodosii Magni denuo repullulascere ac renasci cœpisset, résque in disputationẽ deducta fuisset, propositum est à Nectario Constantinopolitano Archiepiscopo Arianis Sisinii suasu, num veterum doctrinam admitterent: num antiquis Patribus fidem habeant. Quod cùm ita esse dixissent, quæsitum est ab illis, num eadem eorũ doctrina fuisset cum hac quam ipsi profitebantur. Quod cùm illi probare non possent, statim victi & reiecti sunt. Apud istos verò, quę sit antiqtatis ratio, quæ auctoritas, discamus ex primo istorum duce Luthero. Hieronymꝰ fidei, inqt, & veræ religionis, ne semel quidẽ in suis scriptis meminit. Origenẽ iam olim excommunicaui: Chrysostomũ nullo loco habeo: nihil est enim nisi loquaculus. Basiliꝰ planè nihil valet, totus est monachus, ego ne pili illum facio. Apologia Philippi superat omnes Doctores Ecclesiæ, & ipsum Augustinum. Et rursum in Genesim scribens. Econtra Pontificii Sancti, in leuibus causis impatientissimi sunt, quam impatiens est ipse Hieronymus? Et in alio loco: Quin te Hieronyme conculcamus cum tua Bethleem, cucullo, & deserto. Et alibi: Impia hæc & diabolica vox est Hieronymi. Et iterum: Gregorius fons & auctor est fabularum de purgatorio, & missarum pro defunctis. Et deinde: Gregorius admodum tenuiter cognouit Christum, & verbũ Euangelii: Benedictus Franciscus

Fusius hæc narrat Sozo: lib. 7. cap. 12. Nicepho. lib. 12. cap. 15.

Lib. de colloquijs mensalibus apud Aurifabrum.

In caput. 20. pag. 272. cap. 22. pag. 318. cap. 31. pagi. 466. Cap. 42. pag. 631. Cap. 49. pag 716.

Franciſcus, & alii Monachorum Patres cum Ahraham comparati; mera ſtercora ſunt. Et Franciſcus ſtultus fuit, & ſtigmata ex inani gloria ſibi impreſsit. Si ergo veræ Eccleſiæ eſt antiquitatem in omnibus ſequi, hęreſum autem nouitates conſectari; quæ vera ſit Eccleſia, quæ falſa, quiſque ſuo ſtatuat iudicio.

Cap. 13. p. 164

Quintumdecimum verę Ecclesię insigne, EXTREMA NON SEQVITVR, medio tutiſsima incedit.

Caput XV.

Magna & illa ſponſæ regis laus eſt, Spiritúſq; ſancti gubernationis ſingulare argumentum; quòd media ſemper via incedat, extrema ſequatur nũquam: Non declinabis, inquit ſcriptura, neq; ad dextram, neq; ad ſiniſtram. Ebion cum Cherinto legem cum Euangelio ſimul ſeruandã eſſe docuerunt: Manicheus malam & à malo Deo latam eſſe docuit: medium ſecuta eſt Eccleſia; vt legem quidem ſanctam diceret, iugum tamen legis Euangelica libertate temperaret, figuráſq; rebus ſuccedentibus excluderet. Negabat Chriſti veram humanitatem Manicheus, Arius diuinitatem: Eccleſia Chriſtum verum Deum & hominem confitetur. Confundebat in diuinis Sabellius & naturas & perſonas, nudáq; relinquebat nomina: diſtrahebat hæc omnia Arius, Eunomius, Macedonius: medium ſequuta eſt Eccleſia; naturas coniungit, perſonas & nomina diſtinguit. Multiplicabat & naturas, & perſonas Neſtorius in Chriſto: confundebat hæc omnia Eutiches: vera Eccleſia naturas diſtinguit, vnitatem perſonæ tuetur. Nouatus lapſos pœnitentes non ſuſcipiebat: ſuſcipit Lutherus etiam ſine pœnitentia. Eccleſia excludit præſumptuoſos, ſolos ſuſcipit pœnitentes. Deſperat Nouatus, præſumit Lutherus, ſperat Eccleſia. Pelagius omnem partem iuſtitiæ viribus humanis tribuit: Lutherus, & Caluinus, omnia ad gratiam libero hominis excluſo arbitrio referunt: iungit & ſociat Eccleſia vtrũque. Donatus meritis & operibus omnia tribuit: Lutherus fidem ſolam laudat: vtrumq; complexa eſt Eccleſia. Rudem & mortuam carnem Chriſti comedit Capharnaita: Neſtorius, & Lutherus mortuam: Zuinglius, Oecolampadius, Caluinus, nullam: viuam & veram Eccleſia Dei. Ieiunabant omni tempore Encratitæ: Lutherus ſemper epulatur: ieiunat ſuis temporibus Eccleſia. Damnabant matrimonium Gnoſtici: Lutherus ipſum ſolum excluſa virginitate & viduitate laudat: commendat & ſequitur omnia hæc Eccleſia. Hic igitur verè Catholicus erit, qui extrema fugiẽs, medius tutiſsimus incedit.

Deut. 5.

1563

Caput XVI.

Sextumdecimum Ecclesię insigne, PERPETVVM CONTRA ILLAM OMNIVM hæreticorum & schismaticorum bellum, ac impugnationes.

Caput XVI.

DIcimus igitur sextodecimo illam veram sponsam Christi esse, quæ ab omnibus hæresibus quantumùis inter se contrariis atque pugnantibus, quantumùis diuersis, semper impugnata sit, atque etiam nunc impugnetur. Docet hoc scriptura: Sicut, inquit, lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Et. Filii matris meæ pugnauerunt contra me. Et: Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi. Vt enim sponsus eius Christus Iesus signũ est illud, cui semper contradicitur, & aduersus quem reges terræ, & principes populorum conspirasse legimus, illud occinentes: Dirumpamus vincula, eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipsorum: ita & sponsa eius idem illud signum est, in quod omnes omnium seculorum hæreses direxerunt iacula sua: & cuius calcaneo insidiantur omnes, vinculáq; eius dirumpere, & iugum excutere volunt. Quemadmodum igitur, si inter octoginta Regis Salomonis concubinas, eundem habitum, vultum, gestum, & incessum simulantes, vnam illam, solam dilectam & vnicam eius dignoscere velis; id hac potissimùm ratione consequi posses; vt quam illæ omnes maximè oderint, cum qua nihil commune habere vellent, quam omninò ex suo consortio excluſam esse cuperent; eam reginam pudicam, cęteras corruptas & impudicas esse iudices: ita veram Ecclesiam à falsis synagogis non alio signo facilius aut certius discernes. Quam enim omnes persequuntur, quam accusant, quam perferre non possunt: eò quòd suo pudore illorum impudicitiam conuincat & coarguat; quòd omnes illarum fraudes & insidias aperiat; quòd ea salua & incolume se stare non posse existiment: ea vnica Iesu Christi sponsa & dilecta est. Cùm autem Romana Ecclesia talis sit, quam omnes hæreses semper impugnârunt, atque etiam nunc impugnent, adeò, vt quàmuis in omnibus inter se dissideant, ac secum planè pugnent, mutuóq; sibi oculos confodiant; in hoc tamen solo cõueniant, vt Ecclesiam Romanam cum suo pastore exturbent, ac planè extinctam esse velint, planéq; idem faciant, quod gentiles quondam in vniuersa religione facere solitos Tertullianus scribit: vt omnes deos vanos colerent, solum verum illum, qui cœlum & terram cõdiderit, & qui solus & vnicus Deus sit, non solùm non reciperent, sed etiam grauiter persequerentur ac oppugnarent. Vera igitur Ecclesia, vera sponsa Chri-

Cant. 2 *Cantic. 1.* *Psal. 128.* *Lucæ 2.* *Psal. 2.*

sa Christi hæc, vel ex eo indicio sit oportet, illæ autem concubinæ impudicæ ac adulteræ meritò censeri debebunt.

Decimumseptimum insigne, quod SIT CANON ET REGVLA OMNIS VERItatis; & quòd vltimò omnes hæretici ad eam prouocent ac redeant.

Caput XVII.

NEque illud obscurum est veræ Ecclesiæ decus atq; symbolum: eam videlicet veram Ecclesiam esse, quam cæteræ omnes, etsi eius inimicæ sint, etsi ab ea dissideant, etsi extinctam esse cupiant; pro norma tamen & regula fidei suæ habere solent: & quę tanquam cynosura nautis; sic illa errantibus & fluctuantibus omnibus pro insigni veritatis proposita sit. Si enim quando inter hos ipsos dissensio religionis exoritur, Augustanos, dico, Sacramentarios, Anabaptistas, Arianos, Ebionitas, Samosatenses, & alios, si inter se (quod quidem illis perpetuum est) digladientur, illi melius sentire, ad veritatémq; propiùs accedere putantur, minúsque errare, qui ab Ecclesia Catholica minus discesserint. Itáque vbi vel ab ipsa conscientia & veritate conuicti, in extremos absurdósque errores se prolabi vident, dicere solent: Multum iam aberramus: iam, inquit, multum absumus. Vnde obsecro? dic verè, dic ingenuè, dic palâm, ne erubescas verum fateri. Ab ea, inquit, fide, in qua nati sumus, quam à maioribus nostris accepimus. Quæ est ista? Non alia certè, quàm Romana. Ac vbi quid veritate & necessitate victi sanare volunt, tum vno & altero passu ad eam Ecclesiam accedunt, ac Catholicum quid restituunt. Quod in Transyluania eos nuper fecisse audimus: vbi quo suos in officio retinerent, post reuocatam Magni Stephani Regis pietate in illis regionibus Catholicam fidem, aliquot Sacramenta, atque aliquot cæremonias Catholicas restituisse dicuntur, ac veluti postliminio quodam, vt rem obsoletam, in medium protulisse. Ita, vt si fortè in hac impietatis licentia, in hac vniuersæ religionis perturbatione, in hac omnium hæreseon, quæ modò aliquando fuerunt, resuscitatione, Ecclesia Romana, aliæque Apostolicæ sedes sublatæ essent; certè neque fides christiana qualis fuerit, neque quò sibi regrediendum, aut progrediendum esset, recte scirent: neq; in tantis erroribus, in quos impudentes & temerarii per inobedientiam deferuntur, quid agerent, aut quò se referrent, habere possent. Itáque, quantumùis eam Ecclesiam oderint, quantumùis interiisse expetant, quantumùis omnia ornamenta & fortunas illius sublatas esse velint,

Hæreticorum Trãsyluaniæ factum.

velint, quantumùis vitam cum sanguine illius exposcant; in hac tamen parte eam laudant, ad illam tanquam tutissimum portum confugiunt, ad illam prouocant, eam solam fundamenta & principia Catholicæ religionis conseruasse victi veritate docent. Et, si sani sunt, colere certè, venerari, gratias etiam illi agere debent, si non vniuersam religionem christianam extinctam esse, si salutem animarum suarum conseruare volunt. Fecit hoc vi veritatis coactus primus istorum dux ac vexillifer Lutherus, cuius illud fuit Romanæ Ecclesiæ elogium: Audio, inquit, & video rebaptizationem à quibusdã vsurpari ex eo fundamento, vt in despectum Papæ faciant, tanquam hi, qui nihil ab antichristo habere velint. Quemadmodum & Sacramentarii propterea merum panem & vinum habere volunt in despectum Papæ: arbitrantes se hoc pacto rectè subuertere posse Papatum. Profectò friuolum est hoc fundamentum, supra quod nihil boni ædificaturi sunt. Hoc enim pacto negare eos oporteret totam quoque scripturam sacram & prædicandi officium: hoc enim totum à Papa nimirum habemus. Et nouam quoq; scripturam sacram nos facere oporteret. Sic & vetus testamentum nos dimittere oporteret, ne quid ab infidelibus haberemus Iudæis. Stultitia est hoc totum. Nam & Christus in gente Iudaica inuenit Pharisæorum & Scribarum abusus, non tamen propterea totum reiecit, quod illi habuerunt & docuerunt: nos autem fatemur sub Papatu plurimùm esse boni christiani, imò omne bonum christianum, atque etiam illinc ad nos deueniisse. Quippe fatemur, in papatu veram esse scripturam sacram, verum baptismum, verum Sacramentum altaris, veras claues ad remissionem peccatorum, verũ prædicandi officium, verum catechismum, vt sunt, Oratio Dominica, Decem præcepta, & Articuli fidei: dico insuper, sub papatu veram christianitatem, imò verum nucleum christianitatis esse. Et alio loco: Quod Romana Ecclesia à Deo sit præ aliis omnibus honorata, non est dubium: Ibi enim sancti Petrus & Paulus, quadraginta sex Romani Pontifices, ac tot centena millia martyrum sanguinem suum fuderunt, infernum & mortem vicerunt, vt vel palpari queat, quam singularem habeat ad eam Ecclesiam respectum Deus. Quòd si nunc, proh dolor, ita res habet Romæ, vt expediret habere melius: attamen neque hæc, neque alia causa vlla tam grandis est, nec esse potest, vt ab Ecclesia illa separatio, aut discessio vlla fieri debeat: Imò quò peius res ibi habet, tantò magis accurrendum & adhærendum est. Per separationem enim & contemptum non fit melius: Nec dimittendus est Deus propter diabolum, nec vitãdi reliqui boni, propter turbam prauam; imò propter nullum peccatum aut malum, quodcunq; excogitari aut nominari potest, debet rescindi charitas, nec spiritualis vnitas diuidi: Charitas enim omnia potest. Hæc Lutherus. Itáque cum antea Summum Pontificem Antichristum dicerent, Romanam autem sedem Babilonem magnam, quæ à vino iræ fornicationis suæ potet omnes gentes, meretricem magnam, quæ sedeat super aquas multas, cum qua fornicati sunt reges terræ, impudenter appellarent; vbi Anabaptistæ germana istorum

Luth. in epist ad duos plebanos de Anabaptis.

Luthe. in declarati. quorundam articulorum.

foboles ac viperarum genimina, contra hos ipsos magistros suos illud intulissent: Si Papatus pro eo, atque apud vos Augustanos, atque Caluinistas didicimus, Antichristi sedes est, à quo nihil syncerum & integrum in doctrinæ veritate, promanare possit, & quem omnia iura diuina subuertisse confidenter clamitatis: nec dogma quoq; de diuinitate Christi, summáque Trinitate, quod altas in papatu egit radices, & quod à nullis aliis acriùs defenditur, verum esse potest, pro quo hic ipse, quem vos dicitis Antichristum, tantopere depugnat. Hac eorum oratione permoti, coacti sunt retrocedere, illámque glorioſam ad omnes gentes & omnia secula sedi Petri palinodiam occinere. Eos quidem qui Christi gloriam & diuinitatem tuentur Antichristos esse non posse, sed illos potiùs qui eam oppugnant hoc nomẽ (in prolem suam conuicium referentes) iure mereri. Quòd si inimici homines tantùm vel inuiti Ecclesiæ Catholicæ tribuunt, quantò magis reges atq; principes christianos, portum hunc veritatis & synceritatis tueri oportet; si & seipsos & populos sibi subiectos seruare, certissimósque exitii scopulos declinare volunt; in quos inciderunt illi omnes quibus hæc cynosura veritatis occiderit, ac de medio conspectu sublata fuerit. Verùm nos nomen Ecclesiæ vsurpamus tantùm, omnia autem in detrimentum & dedecus ac deformationem eius facimus, obsequiúmq; nos facere Deo arbitramur, si res nostras ex illius infelicitate & miseria augeamus, ideo in quo loco res christiana constiterit ipsi videmus, & paulò pòst etiam atque etiam vehementiùs experiemur.

Decimumoctauum insigne: quod DEVS ORDINAVIT EX EIVS ORE AVdire gentes Euangelium & credere.

Caput XVIII.

SEquitur decimumoctauum ciuitatis Dei non vulgare documentum: quod qua ratione isti effugere possint, non video. Eam esse veram Ecclesiam Dei, ex cuius ore voluit Deus gentes Euangelium audire & credere, fidémq; christianam accipere. Psal. 47. Deus in domibus eius, inquit scriptura, cognoscetur; cùm susciperet eam. Quoniam ecce reges terræ congregati sunt, conuenerunt in vnum: ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos. Ibi dolores vt parturientis, in spiritu vehementi conteres naues Tharsis. Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei nostri; Deus fundauit eam in æternum. Neq; enim diuina & cœlestis prouidentia noualia sua reçẽs consita in primis fidei initiis, noxiis spinis, sentibus,

bus, atque tribulis inquinari, ac occupari pateretur. Atqui ex cathedra Petri voluisse Deum omnes ferè gentes fidem & Euangelium suum discere & credere: docet imprimis ipse D. Petrus: Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verba Euangelii & credere. *Act. 15.* Et qui nouit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum, sicut & nobis, & nihil discreuit inter nos, & illos, fide purificans corda eorum. Docet idem vsq; ad diem hanc res ipsa. Vt enim hos nostros populos Europeos mittam, qui ab antiquis diebus omnes ferè fidem christianam à sede Petri acceperunt, ac edocti sunt, Italos, inquam, Hispanos, Gallos, Dalmatas, Pannones, Sauromatas, Scythas pleroſq; vel eas ipsas Ecclesias, quas isti nunc labe sua infecerunt, quis fidem christianam primus docuit? quis primus in eas intulit? an non in Brittanniam quidem Eleuterius per Fugacium & Damianum, in Scotiam Celestius per Paladium, in Tolossatibus per Exuperium, in Daniam Agapetus, in Boëmiam Stephanus, in Noruegiam Adrianus, in Bulgariam Nicolaus I. in Germaniam Gregorius II. Pannoniam quidem, Morauiam item atq; Poloniam, an non D. Albertus, aliáſq; septentrionis regiones, Episcopi alii, qui in Romanæ Ecclesiæ vnitate vixerunt, Christo adiunxêre? Testantur historiæ veteres: testantur annales earum gentium: quo tempore, quo anno, quo Summo Pontifice, per quos, & à quibus aliqua prouincia religionem christianam susceperit. Nostro tempore noui orbis gentes in omnibus ferè partibus mũdi, & in oriente quidem Malaca, Góá, Comorino, in occidente verò America, in Septentrione Iaponia, in Meridie Brasilia, Maronitæ, Ætiopes nonnulli, cæteræque ferè innumerabiles insulares nationes, vnde quæso fidem & religionem in ore oculísque nostris indies accipiunt? vnde prædicationem verbi, vnde sacras cæremonias, ritúsq; vniuersos accersiuerunt; nisi ab hac eadem Romana sede? Hæc clarissima sunt, hæc notissima, hæc negari aut impugnari non possunt. De hæreticis autem illud perpulchrè Tertullianus: » De verbi autem administratione quid dicam, cùm hoc sit negotium illis, non » ethnicos cõuertendi, sed nostros euertendi? hanc magis gloriam captant; » si stantibus ruinam, non si iacentibus eleuationem operentur: quoniam » & ipsum opus eorum, non de suo proprio ædificio venit, sed de veritatis » destructione: nostra suffodiunt, vt sua ædificent. Adime illis legem Moysi, & Prophetas, & creatorem Deum, accusationem, & loqui non habent. » Ita fit vt ruinas faciliùs operentur stantium ædificiorum, quàm exstructiones iacentium ruinarum. Ad hæc, solummodo opera humiles, & blandi, & summissi agunt. Itáque cùm quidam ex istis nostro tempore Galli, ad eas gentes conuertendarum earum causa se contulissent, eóq; hæreticum virus ferentes peruenissent, statim ab illis hominibus deprehensi, ac ad vnum trucidati sunt. *Hæreticorũ in conuertendis gentibus irriti conatus* Neque enim Deus passus est simplicitatem ac teneritatẽ nouæ plãtationis suæ istorum venenosis doctrinis infici ac inquinari: quo loco, non signis & argumentis, sed sensu ipso vt videmus res demonstratur. p

Decimumnonum insigne : omnium ECCLESIARVM PRAESENTIS ET PRAE teriti temporis verissimum testimonium.

Caput XIX.

DEcimonono illam veram sponsam Christi esse dicimus, cui cæteræ omnes pudoris, & honestatis, eminentiæ item, & dignitatis, honorificentissimum testimoniũ reddunt atq; reddiderunt semper. Vna est columba mea, perfecta mea: vna est matris suę, inquit scriptura, electa genitricis suæ. Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt: reginæ, & concubinæ, & laudauerunt eam. Atq; vt eas Ecclesias prætermittamus, quarum reges atq; principes publicè spectante orbe terrarum, ex eo tempore, ex quo fidem receperunt christianam, ad sedis Apostolicæ pedes obedientiam atque subiectionem suam, iuxta Prophetarum prædictiones, deferunt ac detulerunt semper. Et venient ad te, inquit Isaias, curui filii eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi, & vocabunt te ciuitatem Domini, Sion sancti Israël. Et: Erunt reges nutricii tui, & reginæ nutrices tuæ, vultu in terra demisso laudabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent. Et scies quia ego Dominus, super quo non confundentur, qui expectant eum. Ecce dabo, inquit Ioannes, de synagoga satanæ, qui dicunt se Iudæos esse & non sunt, sed mentiuntur. Ecce faciam illos vt veniant, & adorent ante pedes tuos; & scient quia ego dilexi te, quoniam seruasti verbum patientiæ meæ, & ego seruabo te ab hora tentationis quę ventura est in orbem vniuersum, tentare habitantes in terra. Ad Austrũ igitur primùm nos referamus, quantíque Australes Ecclesiæ fecerint Romanam Ecclesiam, paucis videamus. Vbi inprimis inter præcipuas Aphricæ Ecclesias occurrit celebris illa Carthaginensis, quę Numidicis, & Mauritanicis inuigilabat; & qui huic tanta cum laude præfuit fortissimus, Martyr Cyprianus: Hic profitetur cathedram Petri, super quem à Domino ædificata fuit Ecclesia, principalem esse, vnde vnitas sacerdotalis exorta est; cuius fides Apostolo prædicante laudata est, & ad quam perfidia non possit habere accessum. Et alibi: Deus vnus est, inquit, & Christus vnus, & vna Ecclesia, & Cathedra vna super petram Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut Sacerdotium nouum fieri, præter vnum altare, & vnum Sacerdotium non potest: quisqs alibi collegerit, spargit. Idem ex Concilio plurimorum Sacerdotum, Martiano Arelatensi, & legatis, quos in Aphricam vsq; miserat, optantibus ad communionem eius admitti, communionis beneficium denegat: eò quod Cornelio Papa, in Catho-

Cant. 6.

Isa. 60.

Isa. 49.

Apoc. 3.

Roma. 1.

Catholica Ecclesia, de Dei iudicio & Cleri ac plebis suffragio ordinato, profanum altare erigere, & adulteram Cathedram collocare, & contra verum sacerdotem sacrilega sacrificia offerre tentâsent: Idem rursus singulos ex Aphrica Romam nauigantes, ne cum scandalo vllo nauigarent, hortabatur, vt Ecclesiæ Catholicæ matricem & radicem agnoscerent & tenerent, curabátque vniuersos collegas suos, hoc est, Numidiæ & vtriusque Mauritaniæ Episcopos, Cornelii Papæ communicationem, id est, Catholicæ Ecclesiæ vnitatem pariter & charitatem probare firmiter ac retinere. Ne verò Cyprianum duntaxat nomine priuato ita docuisse quisquam putet, ex vniuersa Lybia, Numidia, & Mauritaniis in Synodum Carthagineñ. coeuntium Episcoporum nomine & sententia, ille ad Stephanum Papam maximè scribendum, & cum eius grauitate & sapientia conferendum censuit, quod hoc, & ad Sacerdotalem autoritatem pertineret, & ad Ecclesiæ Catholicæ vnitatem. Diuo Cypriano, Tertullianus magister eius (sic enim eundem appellasse, dum eius exemplaria nocturna versaret manu & diurna, testis est Hieronymus) suffragatur. *Si Italiæ adiaces, inquit, habes Romanam Ecclesiam, vnde nobis autoritas præsto est statuta. Felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt: vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur: vbi Paulus Ioannis exitu coronatur: vbi Apostolus Ioannes postquam in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam relegatur. Carthagine, Hypponem, vbi Episcopum egit Augustinus, proficiscamur, qui maximam suam erga B. Petri sedem, id est, Romanam Ecclesiam, reuerentiã & obedientiã nos docebit. Libros quatuor, quos contra duas Epist. Pelagianorum ediderat, ad Bonifacii Papæ sanctitatẽ potissimum dirigit examinandos, & emendandos, Apostol. sedis correctioni se, suáq; cõmittens, Melchiadem Papam christianæ pacis filium, & patrem christianæ plebis vocat: Innocentium obnixè rogat, vt Apostolicæ sedis autoritatem Concilii Carthagineñ. & mediocritatis suæ decretis, contra Pelagium & Celestium adhibeat. Venerabilis Papæ Zozimi iussu coactum, & Ecclesiastica necessitate ad Cæsaream in Mauritania se euocatum scribit. Cœcilianum Carthagineñ ait contemnere potuisse conspirantem multitudinẽ inimicorum Donatistarum, cùm se Romanæ Ecclesiæ, in qua semper viguit Apostolicæ Cathedræ principatus, per communicatorias literas videret esse coniunctum. Stephanum Papam contra Anabaptismum ætate Cypriani in Aphrica vsurpatum, scripsisse & præcepisse confirmat. Sanctum Innocentium Papam de synodi Palęstinæ gestis, quibus se Pelagius absolutum falsò gloriabatur, indicasse, refert & probat. Apostolatus Petri principatum, cuilibet Episcopatui præferendum iudicat. Solius Ecclesiæ Romanæ successiones à B. Petro ad suam ætatem vsque, vt ingentis virtutis molem, schismati Donatistarum opponit. Totius Numidiæ ad Mileuitanum Concilium coacti Episcopi, Innocentium summum Pontificem submissè precantur; vt magnis periculis membrorum Christi, pastoralem diligentiam adhibere dignetur, & hæreticos, Celestium in Asia,*

„ „ „ „ „ „

Epistola 162.

Epistol. 157.

Epist. 162.

Lib. 5. *de baptis. cap.* 23.

Lib. de peccato Originali cap. 8.

Lib. 2. *de Baptismo cap.* 1.

Epist. 165.

Pelagium verò Hierosolymis constitutos, autoritate sanctitatis suæ, de sanctarum scripturarum autoritate deprompta, cohibeat: aliisque instanter & celeriter prouideat, autore eodem Augustino. Huius, & paulò superiùs nominati Concilii Carthaginensis relationes, ad Apostolicæ sedis antistitem missas, simúlque ab eodem responsiones ad Aphros directas, agnoscit probátque idem Augustinus, Epist. 106. & lib. 1. contra Iulianum Pela. & lib 2. contra Palagium & Celestium cap. 7. Aphricanas Ecclesias sequitur Ægyptus, eiúsque Ecclesiæ, in quibus princeps Alexandrina, in qua Origenes ille admirandus eius Catechista, Petro summam rerum de pascendis ouibus traditam, & super ipsum velut super terram, fundatam esse Ecclesiam docuerat, ipsúmq; meruisse Ecclesiæ fieri fundamentum. Et ad Zepherinum Romanum præsulem scribit, ideò se Romam iter suscepisse, quòd sibi admodum in optatis esset Ecclesiam Romanam planè antiquissimam videre. Magnus Athanasius, vnáq; cum eo totius Ægypti Episcopi, Marcum, sanctæ Romanæ Apostolicæ sedis, atq; vniuersalis Ecclesię Papã nominant: sanctámq; eius sedem, matrem & caput omnium Ecclesiarum agnoscunt: cui, cum omnibus sibi commissis, perpetuò se fore obedientes pollicentur. Alibi Athanasius idem Vrsatii, & Valentis Arianorum antistitum sycophantiis grauiter succensèt, quòd ne Liberio quidem Romano Episcopo pepercerint, nulla reuerentia ducti, cuius sedes Apostolica erat, in qua nullius, nisi Dei metus resideret. Epist. 92.

Ab austro in orientem progressis adest Basilius Cappadociæ & Phrygiæ Archiepiscopus, qui optat petítque à Romano Pontifice, vt res orientis consideraret, iudicii sui decretum interponeret, & sua autoritate vsus, orientem visitaret, diligenti illius examini semetipsum sistere paratus. In tres diuersas sententias de Spiritus sancti diuinitate distractæ Ecclesiæ Orientales, acceptis Episcopi Romani literis, quibus vnà cum Episcopis occidentis Trinitatem & consubstantialẽ esse, & gloria æqualem, suadebat, in vnitatem redierunt: singulæ rebus ab Ecclesia Romana semel iudicatis acquiescentes: autore Sozomeno lib. 2. cap. 22. hist. Paulum Constantinopoleos, Aschlepam Gazæ, Lucium Adrianopolis, Marcellum Ancyræ Galatiæ minoris Episcopos, ab improbis & hæreticis, sedibus eiectos restituit Iulius Episcopus Romanus, literis ad orientales liberiùs scriptis, eos à quibus temerè abdicati fuerant grauiter arguens, quoniam Ecclesia Romana (ait Socrates) priuilegium præter cæteras obtinet: atque (adiicit Sozomenus) propter sedis dignitatem, cura omnium ad ipsum Iulium spectabat. Illi licèt decreta sua infringi grauiter ferrent; literis tamen suis ad eundem Iulium datis, Ecclesiam Romanam primas apud omnes ferè, vtpotè quæ Apostolorum schola, & pietatis metropolis iam ab initio fuisset, tenere agnouerunt. Chrysostomus, Theophili, Epiphanii, & multorum orientis Episcoporum factionibus sede pulsus & relegatus, per Epistolam Innocentium Papam obsecrat, vt autoritate sua, acta illorum robur nullum habere decernat; & eos, qui iniquè egerunt, pœnarum Ecclesiasticarum legibus subiiciat. Innocentius autem

tem Atticum in Chryſoſtomi locum ſuffectum ſuperſedere iubet: & Proclum Cyzici Epiſcopum, Conſtantinopolitanam Eccleſiam tantiſper paſcere, donec cauſa perpenderetur. Idémque Arcadium orientis Imperatorem, Eudoxiámque Imperatricem, quos relegationis tanti Doctoris reos comperit, à communione Eccleſiæ, & ſacrorum ſubmouit: ac pœnitentes poſtmodum abſoluit. Interea Anyſius Theſſalonicenſis ſe Romanæ Eccleſiæ iudicium ſequi fatebatur: Antiochenæ ſedis presbyteri eiuſdem diſciplinam ſe agnoſcere ſcribebant, Syriacus Apamæenſis Bithiniæ, Palladius Helenopoleos, Demetrius Piſinuntis, totius Cariæ Epiſcopi, & Meſopotamiæ monaſteria, nefariam Chryſoſtomi depoſitionem & relegationem execrantes, Romanæ ſedis iudicio adhærebant.

In oriente adeſt Antiochena Eccleſia, quam totius orientis Metropolim fuiſſe, docent ex Latinis Hieronymus, ex Græcis Theodoretus libro 5. capite 2. Et ex Hebræis Hegeſippus lib. 3. cap. 5. Socrates, Theodoretus, Sozomenus vno conſenſu memoriæ pdiderunt, Flauianum eiuſdem ſedis Antiſtitem, per legationem precibus Chryſoſtomi & Theophili, Eccleſiæ Romanæ Epiſcopo, à quo ob violatum iusiurandum communione priuatus fuerat, reconciliatum fuiſſe, & communioni reſtitutum. Eadem Paulinum Patriarcham lubens amplexa eſt, quòd per Pontificis Romani legatum Luciferum nomine, ſibi datus & ordinatus eſſet: qui poſtea & ipſe vnà cum Epiphanio & Hieronymo, de rebus Eccleſiaſticis conſulturus ad Romanum Pontificem profectus eſt. Adeſt Eccleſia Chalcedoneñ. in qua à ſexcentis Epiſcopis Leo vniuerſalis Archiepiſcopus, vniuerſalis Eccleſiæ Papa, vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopus omnium conſenſu appellatur, actione tertia: quæ poſtea omnem primatum & honorem præcipuum ſecundùm Canones, antiquæ Romæ Archiepiſcopo conſeruari voluit. *Actione. 16.* Adeſt Nicena. Hæc communi omnium Epiſcoporum nomine, Epiſtolam ad Sylueſtrum ſcribit ac precatur; quicquid in tanto cœtu & conſenſu viſum eſſet, oris illius conſortio confirmaretur. Adeſt ad orientẽ demum Conſtantinopolitana perpetua quaſi huius ſedis æmula: in hac tamen à duabus Oecumenicis Synodis hæc definiuntur. In prima quidem illud: Conſtantinopolitanæ ciuitatis Epiſcopum habere oportet primatus honorem poſt Romanum Epiſcopum, propterea quòd ſit noua Roma. In octaua verò illud: Omnes quidem honorandos Patriarchas eſſe, præcipuè tamen Sanctiſsimum Papam ſenioris Romæ; nec oportere etiam ſententiam dicere in vniuerſali Synodo, contra ſummos ſenioris Romæ Pontifices. In eadem pulcherrimum illud pii Imperatoris Baſilii exauditur de Sedis Apoſtolicæ autoritate teſtimonium. Neque enim, vt ſacratiſsimus Patriarcha ad proprium regrederetur thronum, imperii mei opus, vel excogitatio facta eſt; ſed multum » antè Sanctiſsimus & B. Papa Nicolaus, quæ circa illum erant certiſsimè » diſcens, Synodicè decreuit; reddi ei ius proprii throni, & anathema, » cum tota ſancta Romanorum Eccleſia pronunciauit, contra reſiſtentes » huiuſmodi conſilio ac ſententiæ. Hoc autem nos olim ſcientes, & pa- »

uentes

uentes anathematis iudicium promulgari; obsecundare synodico iudicio, Romanæ Ecclesiæ necessarium duximus: & huius rei gratia, reddidimus ei proprium thronum. Et tale quidem omnium Ecclesiarum fuit de Romana Ecclesia iudicium.

Plura de hoc ipso argumento scripserũt viri huius seculi doctissimi Feuardẽtius in ca. 3. li. 3. Cõtra hæreses Irenæi Alb: Pighius li. 4. ca 8. & Alphons. script. in dict. papa. 11. & Stapletonius in cõ. ca. 17. li. 6. Idẽ Pigh. con. Ratisponensiũ cõ. 16 Melchior Cano li. 6. Locorũ Cõmuniũ ca. 7. Æneas Syl. li. gestorũ Cõciliũ Basilieñ. Cypr. in exp. symb. hæresim nullã Ro. obortam verbis significatib. affirmat. Beatus Rhenanus in li. Tertu. de pscriptionib. hæreticorum.

Vigesimum & vltimum insigne: apostasiae, hoc autem est ab ea defectionis præsentissima, tam publicè quam priuatim Dei vindicta.

Caput XX.

POstremum igitur illud erit regni Iesu Christi insigne, quod magnificè explicat Isaias: Gens, inquit, & regnum quod non seruierit tibi, peribit, & gentes solitudo vastabit. Hoc autẽ est, quod regnum, quæ gens, ab hoc ipso omnium seculorum regno defecerit atque apostatauerit, illíque rebelle factũ fuerit, illud necesse erit, aut in manus gentium tradi, aut inter se mutuis disidiis ac bellis ciuilibus confici, aut fœdo & impotenti muliebri imperio subiici, aut omni cultu, elegantia, splendore amisso, ad extremum in improbum Iudaismum vel Gentilismum suprema cœcitate & dementia percussum deferri. Quod quàm verum sit, res ipsa docet. Circumspiciamus obsecro circumquaque, omnésque partes orbis christiani diligenter consideremus. Quid passa sit vniuersa Asia, quid Ægyptus, quid tota Græcia, videmus.

Græcia.

Ferunt, vbi postrema legatione à Sede Apostolica legatus Constantinopolim pacis & concordiæ causa venisset, adeò se insolenter homines illos gessisse, vt ne literas quidem Summi Pontificis aspicere voluerint. Legatum Summi Pontificis tanta iniuria permotum, in princeps templum Diuę Sophiæ venisse, ibíque in summo altari legationis suæ literis depositis, Deum obtestatum esse, nihil principem suũ prætermisisse, quod ad pacem & concordiam aliquo modo pertineret: excusso deinde pedum puluere, de templo exiuisse: eodémque tempore summum laquear templi illius ruptum atque discissum fuisse, noctúq; columnam igneam ex ea vrbe egredi, ac sursum deferri visam: ac modico post interiecto tempore Mahometem Turcarum Imperatorem cum omni vi sua aduenisse; vrbémque illam Sedem quondam Imperii vltima expugnatione vnà cum Patriarcha Imperatoréq; cepisse. Ita nunc Constantinopolitanus Patriarcha, vbi vetere more à prouinciæ Episcopis in Patriarcham electus est, ad ianuam Imperatoris præsens sistitur: nec priùs in conspectum eius admittitur, quàm ab Imperatore, quis fortè exierit, qui illius aduentum denuncieti, li-

et, licentiámque abeundi accipiat: eo admissus, ad pedes prouolutus, vestem eius exosculatur: datáque fide, acceptis legibus, & conditionibus, iustè & legitimè Ecclesiam administrandi, dimittitur. Grauis & miseranda sors & conditio! sed quæ insolentiam ac legitimæ potestatis contemptum semper quasi consequi solet. Quid nuper pertulerit Vngaria, & quid adhuc perferat, videmus. Quibus motibus, quibus bellis ciuilibus concussa iacet Gallia: quantum sanguinis in ea effusum: quot homines cœsi: inter multa hominum millia vix hominem senem inuenias; tamen profectum est nihil, nec proficietur vnquam. Quid Germania? Num quid præclarè ab eo tempore, ex quo ab Ecclesia Catholica defecit, gessit? num aliquos successus secundos per hos annos habuit? num aliquid optatum vidit? Quid Flandria? quæ & qualia nunc patitur mala? an non ipsismet suis manibus quasi succenditur? misero ministerio, ac turpi obsequio, quod de Iudæis dixit Hegesippus, se suis tradit direptoribus, cuiùis potiùs, quàm Catholico regi obtemperare parata. Quid Anglia? quid reliquæ orbis christiani partes passæ sunt? Quam ob causam? Illam certè quam explicat Dominus: Seruient Sesac regi Ægyptiorum, vt sciant distantiam seruitutis meæ, & seruitutis regni terrarum. *2. Paralip. 15.*

Sed ne nostra quidem hæc Polonia priuilegium impietatis à Deo accepit: vereórque, ne quantò seriùs in eam animaduertitur, tantò acerbiùs plectatur: néue istis successibus secundis ideò altiùs efferatur, vt postea magis deprimatur. Eleuans allisisti me, inquit Psaltes: & ne item suæ impietatis, ac illorum insidiosorum & fraudulentorum nominum, ac in exitium regni Christi comparatorum, Confœderationum, inquam, Compositionum, dignas aliquando rependat pœnas: quod tamen omen Deus benignus & misericors procul auertat. Mitto nunc altera ex parte felicitatem, pacem, & omnem Dei benedictionem illarum prouinciarum, quæ Catholicæ Ecclesiæ matri suæ aliquando plenè adhæserunt, aut nunc adhærent, de quibus illud præclarè cecinit Spiritus Sanctus: Adducentur regi virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi: afferentur in lætitia & exultatione, adducentur in templum regis. Mitto felicissimos successus, gloriam, victoriam illorum regum, atque Imperatorum, qui huius cultores ac eius propagatores, & vt Isaiæ vnico verbo vtar nutrtii fuerunt, Constantini, Honorii, vtriusq; Theodosii, Iustiniani, Heraclii, Caroli: hæc inquam mitto, ne aliquid humanum astruere videar. Domini est enim regnum, & cui voluerit dabit illud. Et: In manu eius cuncti fines terræ, dátque victorias confugientibus ad se. Si enim omnibus illis, vt post Platonem, aut potiùs ex Platone scripsit Tullius, qui patriam conseruauerint, adiuuerint, auxerint, certus est in cœlo ac definitus locus paratus, vbi beati æuo sempiterno fruantur: nihil est enim illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat acceptiùs quàm concilia, cœtúsque hominum iure sociati, quæ ciuitates appellantur: quorum rectores, & conseruatores cœlitùs profecti illuc reuertantur: quantò magis, qui vnicam eius sponsam, vnicam hære- *Psalm. 101. Psal. 44. Isa. 49. Psal. 21. Psal. 94. 2. Macha. 15.*

hæreditatem eius amauerit, ornauerit, tutatus fuerit, amabitur, ornabitur, omníque genere bonorum affatim cumulabitur; scit enim Deus magnificè mutuum reddere, ac diligentes se suáque, vicissim diligere. Verùm hæc hactenus.

PERORATIO OPERIS.

Psal. 44.

Epiph. lib. 3. Tom. 2.

ET hic quidem est filiæ regis ornatus, hæc magnifica insignia, hæc illa varietas, de qua Dauid: Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Hic est character ille Ecclesiæ, ex lege & Prophetis, Apostolísq; ac Euangelistis collectus, velut ex multis odoriferis virgultis, ac medicamentis antidotus bona, vt inquit Epiphanius, ad salutem vtentiũ præparata ex voluntate Patris, & Filii, & Spiritus S. Neq; tamẽ hæc sola eius insignia, atq; ornamenta esse, putandum est, multò enim sunt plura, quæ vel nostrum tenuem sensum effugerunt, vel ipsi ea, dũ breuitati consulimus, prætermisimus; qualia sunt illa: humilitas non ficta, constans disciplina, vitæ & crucis Christi imitatio, carnis mortificatio, mundi & diuitiarum contemptus, perfecta sui ipsius abnegatio, ad maiores obedientia: vera item in perferendis martyriis, non pertinax & maledica, non furiosa sed læta, amœna, & pro persecutoribus Deum exorans patientia: perseuerantia imperfracta: rerum secundarum & aduersarum contemptus, atq; tolerantia: inuictum animi robur: & alia eius generis planè infinita, quæ nemo rectè enarrare, nemo sufficienter explicare possit, nos pauca hæc ex multis clariora & insigniora, Dei ope & præsidio in medium pro hac affecta valetudine nostra protulimus. De obedientia quidem illa scribit magnificè Cyprianus. An est se sibi cum Christo videtur, qui aduersus Sacerdotes Christi facit? qui se à cleri eius & plebis societate secernit? Arma ille contra Ecclesiam portat,

Cyprianus de vnitate Eccle siæ.

» contra Dei dispositionem repugnat: hostis altaris aduersus sacrificiũ Chri
» sti rebellis, pro fide perfidus, pro religione sacrilegus, inobsequens ser-
» uus, filius impius, frater inimicus, cõtemptis Episcopis & Dei sacerdotib.
» derelictis, constituere audet aliud altare, precem alteram illicitis vocibus
» facere, dominicæ hostiæ veritatem per falsa sacrificia profanare, nec di-
» gnatur scire, quoniam qui contra ordinationem Dei nititur, ob temerita-
» tis audaciam diuina animaduersione punitur. Sic Chore, & Dathan, & A-
» biron, qui sibi contra Moysen & Aaron sacerdotem sacrificandi licenti-
» am vindicare conati sunt, pœnas statim pro suis conatibus pependerunt.
» Terra, compagibus ruptis, in profundum sinum patuit, stantes atq; viuen-
» tes recedentis soli hiatus absorbuit. Nec tantùm eos qui auctores fue-
» rant, Dei indignantis ira percussit; sed & cæteros ducentos quinquagin-
» ta participes eiusdem furoris & comites, qui coagulati cum iisdem simul

ad au-

ad audaciam fuerant, exiens à Domino ignis properata vltione consum- „
psit, admonens scilicet & ostendens contra Deum fieri, quidquid impro- „
bi fuerint ad destruendam ordinationem Dei humana voluntate conati. „
Sic & Ozias rex, cùm thuribulum ferens, & contra legem Dei sacrificium „
sibi violenter assumens, resistente sibi Azaria sacerdote, obtemperare nol „
let & credere, diuina indignatione confusus, & lepræ varietate in fronte „
maculatus est: ea parte corporis notatus offenso Domino, vbi signantur, „
qui Dominum promerentur: peius hoc crimen est, quàm quod admisisse „
lapsi videntur; qui tamen in pœnitentia criminis constituti, Deum plenis „
satisfactionibus deprecantur. Hic Ecclesia quæritur & rogatur; illic Ec- „
clesiæ repugnatur: hic potest necessitas fuisse; illic voluntas tenetur in „
scelere: hic qui lapsus est, sibi tantùm nocuit; illic qui hæresim vel schis- „
ma facere conatus est, multos secum trahendo decepit: hic animæ vnius „
est damnum; illic periculum plurimorum. Certè peccasse se hic & intel- „
ligit, & lamentatur & plangit; ille tumens in peccato suo, & in ipsis sibi „
delictis placens, à matre filios segregat, oues à pastore sollicitat, Dei sa- „
cramenta disturbat. Et cùm lapsus semel peccauerit, ille quotidie peccat. „
Postremò lapsus martyrium postmodum consequutus potest regni pro- „
missa percipere; ille si extra Ecclesiam fuerit occisus, ad Ecclesiæ non po- „
test præmia peruenire. Erectum est igitur vexillum veritatis dispersis, „
portus naufragantibus demonstratus, vrbs fortitudinis Sion, castráq; Dei
viuentis, hostem fugientibus, ouile errantibus ouibus, stella maris propi-
tia, per mare & vndas disiectis proposita. Proinde ciuitatem videntes, *Lib. 3. Tom. 2*
inquit Epiphanius, ad ipsam festinemus sanctam Hierusalem, & virginem »
Christi ac sponsam, securúmq; fundamentum ac Petram, & reuerendam »
matrem nostrã, tempestiuissimè & ipsi dicentes: Venite ascendam⁹ in mon »
tem Dñi, & in domum Dei Iacob, & annunciabit nobis viam suam. Hic est *Paulò superi*
portus ille pacis serenus ac tranquillus, lætitia spirans, cyprum vineæ, & *ùs.*
botrum ferens nobis benedictionis, & poculum dolorem nobis exsoluens »
quotidie largiens sanguinem Christi, meracum veritatis. Extra hanc v- »
nicam salutis arcam diluuium est, aquæ sunt, naufragia sunt.: extra hanc
Christi corpus esse nemo potest, os de ossibus, membrum de membris e-
ius. Qui cum hac non est, ille extra connubium Christi adulteratur: hic
ab eius consortio ac coniugio excluſus errat. Et proinde neque ad coniu-
galem dilectionem, de qua Paulus scribit, Christus dilexit Ecclesiam, & *Ephes. 5.*
seipsum tradidit pro ea, pertinet quicquam: neq; ad illam mutuam con-
iugalem fidem, de qua Propheta, Sponsabo te mihi in fide: neque ad e- *Oseæ 5.*
am sanctificationem, de qua idem Paulus, Vt eam sanctificaret mundans
lauacro aquæ in verbo vitæ: neq; ad curam & custodiam, Vt sit sancta
& immaculata, non habens maculam aut rugam, aut quid huiuscemodi:
neque ad illam omnium diuinarum & humanarum rerum commmunio-
nem, Vt sit caro de carne eius, & os de ossibus eius: neque vltimùm ad
dotem pretiosam illam, Vt sit hæres quidem Dei & cohæres Christi, ius ali- *Rom. 8.*
quod habet. Quo damno nullum maiùs, nullum nocentiùs, aut esse,

„ aut cogitari poteſt. Auelle, inquit Cyprianus, radium à ſolis corpore,
„ diuiſionem lucis vnitas non capit: frange ramum ab arbore, fractus ger-
„ minare non poterit: à fonte præcide riuum, præciſus areſcit. Extra hanc
Apoſtolus nemo, Martyr nemo, nemo Confeſſor, non virgo, non deniq;
Chriſtianus eſſe poteſt. Chriſti confeſſor, inquit Cyprianus, nec dici nec
Epheſ. 4. eſſe iam poteſt, qui Eccleſiam Chriſti negauit. Nam cùm Paulus Apoſto-
lus dicat: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & erunt duo
in carne vna: Sacramentum iſtud magnum eſt, ego autem dico in Chri-
ſto & in Eccleſia. Cùm hoc beatus Apoſtolus dicat, inquit Cypria-
nus, & Chriſti pariter atque Eccleſiæ vnitatem indiuiduis nexibus cohæ-
rentem, ſancta ſua voce teſtatur: Quomodo poteſt eſſe cum Chriſto, qui
cum ſponſa Chriſti atque in eius Eccleſia non eſt? aut quomodo aſſumit
ſibi regendæ aut gubernandæ Eccleſiæ curam, qui ſpoliauit aut fraudauit
Eccleſiam Chriſti? Hanc, quoniam infideles non agnoſcunt, iam iudicati
ſunt: in hac, quoniam Iudæi non ſunt, cœci & perditi ſunt: hanc, quia hæ-
retici oppugnant, ideò in tot ſectas diſſectas inter ſe diuiſi ſunt: ſeipſos nō
intelligunt: palpant tanquam cœci in meridie: ideò quotidie ex errore in
errorem transferuntur: ideò ex arena funiculos nectunt, qui nunquam co-
hærere poſſunt: ideò omnia humana & diuina fruſtra perturbant: ideò
ſanguine & cœdibus complent omnia. Quam, niſi cognoſcunt, in cuius
ſinum niſi ſe conferunt, non ſi hominum & Angelorum linguis loquantur,
non ſi habuerint prophetiam omnem, & nouerint myſteria omnia & om-
nem ſcientiam, non ſi vniuerſam veterem & nouam legem exhauſerint, ac
deuorârint, proficient quicquam. Habuerunt hæc veteres hæretici ferè
omnia, nihil tamen profecerunt, nihil promouerunt; caruerunt enim du-
ce & magiſtra omnis veritatis, caruerunt norma & regula fidei, caruerunt
omnis doctrinæ domina & diſpenſatrice. Cui qui non credit, ille ſimul ſa-
cræ ſcripturæ non credit, ille ipſe Chriſto ſponſo eius fidem non habet:
hic enim Eccleſiam columnam & firmamentum veritatis eſſe docet: hic
ſub graui anathematis pœna eam audire eíque parere iubet, per quam ip-
Epheſ. 3. ſos Angelos myſteria fidei noſtræ cognoſcere, docet Paulus: Vt innote-
ſcat, inquit, principibus & poteſtatibus, in cœleſtibus, per Eccleſiam, mul-
tiformis ſapientia Dei, ſecundùm præfinitionem ſeculorum, quam fecit
in Chriſto Ieſu Domino noſtro. In cuius theſauris omnem doctrinam &
Irenæ. lib. 3. cap. 4. veritatem contineri Irenæus docet: Tantæ, inquit, oſtenſiones cùm
ſint hæc, non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facilè
„ eſt ab Eccleſia ſumere, cùm Apoſtoli, quaſi in depoſitorium diues, pleniſ-
„ simè in ea contulerint omnia, quæ ſunt veritatis, vti omnis quicunque ve-
„ lit, ſumat ex ea potum vitæ: hæc eſt enim vitæ introitus: omnes autem
„ reliqui, fures ſunt & latrones. propter quod oportet deuitare quidem il-
„ los: quæ autem ſunt Eccleſiæ, cum magna diligentia diligere, & appre-
„ hendere veritatis traditionem. Idem ſentit Tertullianus: Quærite &
„ inuenietis: ſine diſciplina rationis interpretentur. Ratio autem dicti hu-
„ ius in tribus articulis conſtitit, in re, in tempore, in modo. In re, vt quid
ſit quæren-

sit quærendum consideres. In tẽpore,vt quando.In modo,vt quousq; vbi „
statio credendi?vbi expunctio inueniendi?apud Marcionẽ?sed & Valenti- „
nꝰ ꝓponit:Quærite & inuenietis.Apud Valentinum?sed & Apelles hac me „
pronunciatione pulsabit,& Ebion & Simon,& oẽs ex ordine non habent „
aliud,quo se mihi insinuantes me sibi adducant.Ero itáq; nusq̃,dum vbiq; „
conuenior. Vbi tamen quæri oportet? Apud hæreticos?vbi omnia extra- „
nea aduersaria nostræ veritati,ad quos vetamur accedere.Quis seruꝰ ciba „
ria ab extraneo, ne dicam ab inimico Dñi sui sperat? Quis miles ab infœ- „
deratis,ne dicam ab hostibus regibus donatiuum & stipendiũ captat? ni- „
si planè desertor & transfuga,& rebellis? Etiam anus illa intra tectũ suum „
drachmam reꝙrebat:etiam pulsator ille vicini ianuam tundebat:etiam vi- „
duailla non inimicum licèt durum iudicem interpellabat.Nemo inde frui „
potest, vnde destruitur. Nemo ab eo illuminatur, à quo contenebratur. „
Quæramus ergò in nostro, & à nostris, & de nostro. Quos homines,quæ
pœna, qui exitus,quæ supplicia sequantur,discant non ex me tantùm,sed
multò magis ex vetustissimo Irenæo: Et hæretici quidem,inquit,alienũ *Irenæ. lib. 4.*
ignem afferentes ad altare Dei, id est, alienas doctrinas, à cœlesti igne *cap. 43.*
comburentur,quemadmodum Nadab & Abiu. Qui verò exsurgunt con- "
tra veritatem, & alteros adhortantur aduersus Ecclesiam Dei, remanent "
apud inferos, voragine terræ absorpti, quemadmodum qui circa Chore, "
Dathan, & Abiron. Qui autem scindunt & separant vnitatem Ecclesiæ; "
eandem quam Hieroboam pœnam percipiunt à Deo. Eadem Tertulli- "
anus his comminatur: Qui meminerit futuri iudicii, quo omnes nos ne- "
cesse est apud Christi tribunal astare, reddentes rationem, inprimis ipsi- "
us fidei. Quid ergo dicent,qui illam stuprauerint adulterio hæretico,vir- "
ginem traditam à Christo? credo allegabunt,nihil vnquam sibi ab illo vel "
ab Apostolis eius, de sæuis & peruersis doctrinis futuris pronunciatum, "
& de cauendis, & de abominandis quid præceptum. Agnoscent suam po "
tiùs culpam,quàm suorum,qui nos non antè præstruxerunt. Cuius tan- " *Homel. 11, in*
tæ damnationis,adfert causam D. Chrysostomus: Nihil ita Deum irritat *Epist. ad Eph*
sicut Ecclesiæ diuisio: etsi innumera bona operati fuerimus,non minores „
tamen pœnas dabimus, quàm qui corpus ipsius prosciderunt, si plenitu- „
dinem & integritatem Ecclesiasticam discerpserimus. Illud enim lucro „
quidem factum est totius orbis, tametsi non eo animo, si reprobos illos „
respexeris: istud verò nihil vspiam commodi habet, sed plurimum nocu- „
menti.Ista mihi non ad Ecclesiæ primores duntaxat dicũtur,sed & ad sub- „
ditos. Vir quidam sanctus quippiam dixit, quòd audaciam sapere vide- „
tur, attamen dixit: Quid autem est illud? Peccatum videlicet istud, ne „
martyrii quidem sanguine deleri. Dic enim,quæso,quam ob causam mar- „
tyrium subis? An non propter Christi gloriam? Quo itáque pacto, qui a- „
nimam pro Christo exponis, Ecclesiam oppugnas, pro qua animam suam „
tradidit Christus? Audi Paulum ipsum: Non sum inquit, dignus, vt vo- „
cer Apostolus, quoniam Ecclesiam Dei persecutus sum, ac vastaui illam. „
Et interiectis quibusdam: Dico & obtestor, Ecclesiam scindere non mi- „

„ nus esse peccatum, quàm in hæresim incidere. Hanc qui non audit, de-
„ terior est Ethnico & publicano, ipso Christo teste. Hactenus ille. Quã
quidem pulcherrimam mulierum compellat in hunc modum Epiphani-
Li. 3. Tom. 2. us.: Veni de libano sponsa, quoniam tota pulchra es, & macula non est
„ in te: paradisus magni opificis, ciuitas magni regis, sponsa immaculati
„ Christi, virgo Casta, soli vni viro in fide desponsa: illustris & promicans
„ velut matutinus aër ac aurora, pulchra vt luna, electa vt sol: pauor qualis
„ est ab ordinato exercitu: quæ beata prædicaris à reginis, & laudibus ce-
„ lebraris à pellicibus: quæ à filiabus laudaris, vt inalbata, & in dilectum tu-
„ um inniteris: quæ vnguenta spiras, quæ à deserto ascendis, velut virgula
„ fumi, qui prodit à suffitu mirrhæ & thuris, & de omnibus pulueribus vn-
„ guentarii, qui dedit sibiipsi boni odoris fragrantiam, quem conspicata di-
„ xit, Vnguentum euacuatum est nomen tuum, propterea iuuenculæ dile-
„ xerunt te, quæ stas à dextris regis, induta fimbriis deauratis, variegata,
„ quę nihil tenebrosum habes, alquando q̃dem denigrata, nunc aũt pulchra
„ & inalbata: quo in te constituti, à negotiis hæreseon, quæ nos præcesse-
„ runt odiosissimis, quiescamus: & à tempestuosissimis earundem motibus
„ quiescamus: & in te sancta mater nostra Ecclesia, & in sancta tua doctri-
„ na, & sancta ac sola Dei fide in veritate refrigeremur. Hæc ille.

Sed si tam clara, tam euidentia, tam illustria, huius ipsius nobilissimę fœminæ signa & indicia sunt: si hæc ipsa ciuitas in tam alto monte posita est: si hæc luna, hæc stella, hæc aurora, hic sol, lux denique ipsa tantùm lucet: cur à tot millibus hominum videri non potest? cur inhumani fratres in gloria positum iustum Ioseph non agnoscunt? cur vbera illa, quibus alti & educati sunt refugiunt? cur innocentem Susannam tot probitatis suæ insignia referentem cum perditis senibus calumniantur? Cur matrem pulchræ dilectionis, & magnæ spei non amplectuntur? An quod & istorum oculi extrema præsumptione, inuidia, maleuolentia, tuendarum partium & factionum studio, vincendi cupiditate, & libidine, ambitione, nulli parere consueto animo, errandi praua cupiditate cœci sunt, & hic sol grauem nonnunquam ecclypsim, id est, obscurationem & defectionem patitur? Vnde quæso? Peruersi christiani populi mores: nostra incredibilis ambitio: nostra inexplebilis habendi cupido: nostræ fœdæ libidines: nostræ prostitutæ simoniæ & vsuræ: aliáq; innumera flagitia hanc ipsam ciuitatem Dei obscurant: huius ipsius solis & lunæ, suis tenebris opacissimáque vmbra, lucem ex oculis nostris auferunt. Nam cùm hæc ipsa ciuitas, sancta, tanq̃ sponsa ornata viro suo immaculata, sine ruga, sine
Isa. 62. macula esse dicatur, de qua illud Prophetæ impleatur: Et scient in gentib⁹ nomen eorum, & germen eorum in medio populorum: omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus: talem homines cùm non vident velatam ac decoloratam pastorum quidem negligentia, prælatorum supinitate, monachorum perdita ambitione, regum & principum conniuentia & cupiditate, populorum malitia; agnoscere non possunt. Non obscurum est, quid accusent, quid in nobis desi-

derent,

siderent, quid tertio quoque verbo appellent, mores, inquam, & vitam corruptissimam nostram. Auferatur modò velamen malitiæ à facie eius decora,& exorietur tanquam luna aut sol in meridie:ne conspuamus modò vultum eius, ita,vt cognosci possit: ne velemus faciem eius,ita,vt non sit illi aspectus: ornemus eam, pugnemus pro ea, vel saltem non prodamus eam Iudæorum quidem & Gentilium irrisioni,hæreticorum prauitati, ac subuersioni: clericorum & monachorum cupiditati & ambitioni; qui pro eo, quòd nudi nudum Christum sequi debebant, lanis eius operti insolescunt,ditiores monachi quàm seculares: possident opes sub Christo paupere,quasi sub locuplete & fallaci diabolo nō habuerunt,vt suspiret eos Ecclesia diuites, quos mundus ante tenuit mēdicos, inquit Magnus Hieronymus: quos quidem homines pulcherrima, & verisima similitudine cōparat senibus illis, qui pudore innocentissimæ Susannæ quondam impiè,& insolenter abuti voluerunt,vetustissimus Irenæus: cuius illa sunt verba: Qui verò crediti sunt quidem à multis esse presbyteri, seruiunt autem suis voluptatibus, & non præponunt timorem Dei in cordibus suis, sed contumeliis agunt reliquos,& principalis consessionis tumore elati sunt, & in absconsis agunt mala, & dicunt: Nemo nos videt: redarguentur à verbo,qui non secundùm gloriam iudicat,neque faciem attendit, sed in cor: & audient eas, quæ sunt à Daniele Propheta voces: Semen Chanaan & non Iuda, species seduxit te, & concupiscentia euertit cor tuum. Inueterate dierum malorum, nunc aduenerunt peccata tua quæ faciebas antea,iudicans iudicia iniusta: & innocentes quidem damnabas, dimittebas verò nocentes dicente Domino: Innocentem & iustum non occides. Hactenus ille. Nulla verò periculosiora, nulla magis lethalia vulnera existimemus,quàm ea,quæ nos ipsi intulerimus:ita vt sanguis & vulnera matris nostræ de terra clamēt ad Deum ipsum contra nos. Nemo illi magis nocet, quàm malus ciuis,quàm improbus in ea pastor. Viscerum morbus iste est, domesticus hostis,nemo exitiosior proditor,quàm ciuitatis custos,aut perfidus castrorum dux: nam de reliquis eius præsuris illud Hilarii verisimum est. Tum vincit cùm læditur: tùm intelligit cùm arguitur: tùm obtinet cùm deseritur: dum persequitur floret, dum opprimitur crescit, dum contemnitur proficit: tunc stat,cùm superari videtur: pficit afflictionibus, sanguine martyrum irrigatur,tristitia erigitur,angustia lætatur,ieiuniis reficitur. Inde crescit, vnde eiº numerus deficit, scribit Cass. Ita igitur in ea viuamus omnes,vt illud de amore & fide sua ergasponsū liberè dicere possit:Ille mihi benignus & misericors est ego illi non ingrata: ille meæ liberationi,ego illius honori:ille saluti meę, ego illiº voluntati:ille mihi & non alii, & ego illi & nō alteri:ille meā semper audit orationē,ego illius & non alterius vocem audio. Verùm nos aliquando receptui canamus. Nox adest, tempestas ingruit, pyrata vrget, antichristus in foribus est, anchoræ soluuntur, mare tumet,procellæ sæuiunt: qui procul igitur à littore absunt,ad nauem festinent:qui in proximo, quamprimùm transtra conscendant: qui item in naui sunt, in ordinem

Irenæus li. 4. cap. 44.

Daniel. 13.

Hilarius.

se componant. Ad remos nautæ, ad clauum gubernatores properent. Ac quemadmodum quondam Vlysses Syrenum scopulos præteruecturus, ne cantu illarum, vel detineretur, vel in somnum resolutus in mare prolaberetur, aures quidem cera obstruxisse, seipsum autem malo nauis alligasse dicitur; sic & nos veterum doctrina, maiorúmque institutis & exemplis, aures nostras ad hæreticorum molles & insidiosas voces obstruamus: funibus autem obedientiæ ad malum nauis huius, quæ est crux Christi, nos firmiter alligemus; vt sic aliquando tuti, Deóque dilecti, sine periculo & discrimine, ad portum æternæ salutis & incolumitatis, salui & incolumes appellere valeamus.

AMEN.

IOANNES COCHANOVIVS.

CORPORE NON MAGNO EST SOCOLOVIVS:
AT LOQVITVR SIC
VT LAERTIADEM NESTORAQ ÆQVIPARET.
FELIX QVI PRÆSENTEM AVDIT, FELIX QVOQ.
ET ILLE EST,
QVI LEGIT EXIMII SCRIPTA DISERTA VIRI.

ORATIONES ECCLESIASTICÆ SEPTEM.

I. Pro religione Catholica.
II. Pro cognoscendis & fugiendis falsis Prophetis, & eorum doctrina.
III. De causis vltimi excidij Hierosolymitani.
IIII. Epithalamion siue de consecratione Episcopi.
V. Pro cultu & adoratione IEsu CHristi in Eucharistiæ Sacramento.
VI. Pro dote Ecclesiastica & hæreditate Christi.
VII. Pro vera & Catholica libertate.

PETRO MISCOVIO, AMPLISSIMO

Cracouien. Episcopo, Seuerienſiq; Duci fautori suo. S S.

REbus potiùs quàm verbis, PETRE MISCOVI, gratias referendas esse præcipiunt docti. Nam & agri fertiles, non flores tantùm & folia; sed multò magis nucleos, fructúsq; ipsos suis reddunt agricolis. Idem mihi hoc tempore faciendum putaui: qui cùm multum antea tuo erga me amori & voluntati debebam; nunc etiam nouo beneficio, Dei immortalis munere, à te amantissimè prouocatus sum. Quod etsi quidem per se pulcherrimum, ad vitæque meæ rationes maximè accommodatum sit; tamen pulchriùs augustiúsque fuit, quod à te Pontifice amplissimo, principe autem in hac Repub. doctrinæ & iudicii viro, profectũ fuerit. Itáq; statim de referenda gratia, quod primũ officium boni viri esse puto, cogitare cœpi: septémque has siue actiones, siue conciones nostras, in quibus aliquando ortus, causas, progressus, atque adeò exitus ipsos eorum malorum, quæ nunc orbem diuexant christianum, Ecclesiámque Dei turbant, non quidem ex nostro sensu (erubescimus enim aliquid in rebus diuinis sine testibus loqui) sed ex sacræ scripturæ sanctorúmque Patrum, tam orientis, quàm occidentis orbis autoritate explicamus, tibi dicandas duxi. Quarũ quidem concionum prima, in quę extrema religio christiana deducta sit, & qbus modis & rationibus, quásq; ob causas, docet. Secunda, fructº & notas hæreseon explicat. Tertia exemplo vltimi occasus, & vrbis & gentis hebrææ, hoc idẽ adumbrat. Quarta, pastorũ officia tradit. Quinta omnem suspicionem idololatriæ, à vera spon-

ſa Ieſu Chriſti Eccleſia Dei remouet. Sexta, pro dote eiusdē ſponſæ ac pro hęreditate Chriſti inſtituta eſt. Septima, veræ & falſæ libertatis diſcrimen quærit. In quibus quidem, cùm propter valetudinem affectam, tum alia multa, nimis diſerti eſſe non potuimus; & ſi potuiſſemus, non valdè fortaſſe in ea re laboraſſemus: orationis certè quandam ſinceritatem & veritatem ſecuti ſumus. Has, inquam, Conciones noſtras ad te Pontificem, fautorem & Dominum meum beneuolentiſsimum teſtes meæ perpetuæ in te obſeruantiæ, & gratitudinis, fero; tibíque apud omnes bonos, pro tua ſingulari erga me voluntate immortales gratias ago & habeo. Quibus equidem hoc loco ſuſceptis monitis noſtris, an potiùs eorum, quos autores in his concionibus noſtris ſequuti ſumus, ſi aliquando obtemperatum fuiſſet, aut etiam nunc obtemperaretur; religionem & pietatem, ſed & mores ipſos, aliáque Reipub. ornamenta, quæ nulla ferè habemus, ſaltem aliqua haberemus. Sed nobis idem contingebat ſemper, quod Caſſandræ illi Priami filiæ contigiſſe aliquando legimus, vt omnia quidem, quæ prędiceret, euenirent; nemo tamen illi (funeſto & vltimo Troiæ exitu) fidem haberet: & commendabantur qdem conatus Caſſandrę, ſed fortaſſe proficiebant parum, & apud paucos. Nos certè earum rerum nihil prætermiſimus, quæ ad communem ſalutem reſtituendam, auitámque religionem confirmandam aliquo modo pertinere videbantur; ſed more perennium fluminum, ex quibus ſiue quis hauriat, ſiue non, illa tamen defluunt, aqs veritatis arentes irrigabamus hortos Domini. Quam quidem veritatem, etſi minus grata eius oratio eſſe ſoleat, diſsimulauimus nunquā, ſine cuiusquam iniuria aut infamia tamen: & ideò, quemadmodum tunc offendebatur oratione noſtra, vel ferè nemo, vel valdè pauci; ita ne nunc offendi debent, quia vel profuimus, vel ſaltem prodeſſe voluimus ſemper. Verùm hęc viderit Deus Opt. Max. cuius nos vas fragile, ac indignum inſtrumentum fuimus tantùm. Quod quidem exiguum donum noſtrum, vt illuc vnde egreſſus ſum reuertar, eò gratius accipere, iucundiúsque recognoſcere debes, quod eorum, qualeſcunq; ſint laborum noſtrorum, aliquando tu ipſe inſpector, fautor, laudatórque fuiſti. Habet autem vt noſtrarum præteritarum, ita & alienarum contentionum, ſecura recordatio delectationem, quibus ipſi interfuimus, quarum ſpectatores eramus, & ad quas autoribus ipſarum ſtimulos & calcaria addidimus. Vt autem hęc pro illa tua humanitate, qua cæteros omnes vincis, grato animo accipies, maturiſsimóque iudicio tuo conatus noſtros confirmabis, credo; ita pro ſumma autoritate & dignitate, optimáque in Rempub. Eccleſiámq; Dei voluntate, dabis, quantum in te erit, omnem operam, vt hæc mala, quæ hîc explicamus, & quæ tantam ſecum trahunt ruinam, amoueantur, bona aût in eorum locum quamprimùm ſuccedant, & ſubſtituantur. Sic te Deus omnipotens háncq; tuam vigentem & virentem ſenectam longùm foueat, & tueatur: ſic conatus tuos in omnibus ſecùndet: ſic cœlo ſempiterno potiri faciat. Vale Antiſtes ampliſs. tuũq; Socolouium, vt cœpiſti ama, orna, & tuere. Cracouiæ Calend. Iunii, Año Dñi. 1584.

STA-

ORATIO ECCLESIASTICA PRIMA, pro Religione Catholica.

Mali homines & seductores proficient in peius: errantes & in errorem mittentes. 2. ad Tim. 3.

EA ferè est rerum omnium communis lex & conditio, vt vbi primùm adoleuerint, ac ad summum peruenerint, aliquantúmq; in suo statu, ac quasi maturitate quadam perstiterint; post tandē vel communi mortalitatis iure, vel malitia & negligentia hominum, sensim & pedetentim senescant, ac retro quasi, vt inquit Poëta, sublapsæ referri, breuíq; tempore ad nihilum reduci incipiant, si præsertim medica manus adhibeatur nulla. Videre hoc licet in plantis: videre in vitæ & ætatibus animantium: in partibus item anni: in omnibus denique rebus, quæ hoc naturæ complexu continentur. Quod idem nunc in studio pietatis & religionis, ipsáque adeò religione, in hoc nostro septemtrionali orbe, non quidem natura virtutis, quæ semper eadem, fixa, stabilis, & insuperabilis manet, sed summa hominum improbitate & negligentia indies euenire, magna rerum omnium conuersione videmus & dolemus. Qui ardor & cultus pulcherrimæ virtutis, cùm aliquando sanctissimorū Antistitum studio & diligentia, pientissimorum Regum autoritate & opibus, pietate & munificentia populorum, in suo flore ac mediocritate quadam aliquo tempore perstitisset: pòst pedetentim, peccatis hominū, negligentia & supinitate pastorum, regum conniuentia, populorū curiositate & inobedientia, hæreticorū fraudibus & insidiis, extingui cœpit, à suáq; mediocritate & sanitate ad ea extrema, plapsus est; vt nomen quidem eius teneamus tantùm, rem aūt ipsam propemodum amiserimus. Quā virtutem exclusam atq; expulsam secutę sunt deinde eius comites ac quasi pedissequæ: Fides, inq̄, spes, charitas, iustitia, pudor, continentia, castitas, omnísq; vitæ sanctitas, modestia, frugalitas, magnitudo animi, grauitas, patientia, rerum humanarum despicientia, obedientia, veritas, ac reliquus pulcherrimus nobilissimarum virtutum chorus: neque aut restitui, aut reuocari vllo modo poterit vnquam, nisi illa prius restituta, ac quasi postliminio reuocata fuerit. Cuius quidem nobilissimæ virtutis, an potiùs parentis, & magistræ reliquarum omnium virtutum, priusquam reliquiæ de manibus nostris elabantur, quæ illa sit, & quo in loco hoc ipsum tantum vniuersæ salutis & incolumitatis fundamentum in hoc nostro orbe constiterit, ad quæ extrema deductum sit, qbus item gradibus eò peruenerit,

uenerit, paucis demonstremus. Vt dum hic languens aliquantisper spirat, dum sani ac vitalis aliquid, in ea pulchræ dilectionis & magnæ spei matre, inest, manus medica adhibeatur; vt priusquam præstantissima hæc virgo vltimo funere effertur, maturè occurratur: vt dum hæc lucerna pedibus nostris aliquo modo lucet, oleum infundatur: vt antequam semen hoc benedictum, sine quo tanquam Sodoma & Gomorrha essemus, penitùs arescit, irrigetur ac excitetur: & ne illud expectemus, dum ad extremam impietatem rebus deductis simul occinamus omnes: Non est Deus, & pereamus. Deus autem sit dux sermonis & orationis nostræ. Sic enim demum benè erit, dicebat Plato, si Deus ipse dux extiterit.

Isa. 1.

Religionem summam & primam virtutem esse, ac veluti fundamentum reliquarum, non modò nostri homines, sed etiam illi qui foris sunt agnoscunt. Plato quidem in suis legibus, maiorem virtutem religione pietatéque in Deum, nullam in humano genere inueniri, húncque finem legum propositum esse debere, vt ciuitas Dei cultu & vitæ puritate optimum & pulcherrimum exitum consequatur, verisimè docet. Hæc enim est virtus illa, cuius causa nos conditos, ac in hanc lucem productos esse, & cui reliquas omnes virtutes ministrare atque famulari, diuina docent eloquia: Si seruaueris, inquit, mandata Dei, faciet te Dominus excelsiorem cunctis gentibus, quas creauit in laudem & nomen & gloriam suam. Vbi non alio fine nos conditos, vitæque huius vsura donatos esse, quàm vt in laudem & nomen & gloriam, præpotentis Dei, quæ summa religionis est, simus, scriptura docet. Quod qui consecutus non est, ille fruſtrà se conditum, ac in hanc lucem productum fateatur oportet. Deinde hęc virtus est, quæ sola verè & propriè homines à brutis distinguit animantibus: nam cæterarum partium rationis, prouidentiæ, ac ingenii, sagacitatis, memorię, & iudicii in brutis magna & expressa vestigia esse cernimꝰ, ac longè nonnunquam maiora, quàm in nobis ipsis: Deum autem cognoscere, cognitum desiderare, desideratum quærere, quæsitum inuenire, inuentum amare, amato potiri, ab eóque omnem spem felicitatis & incolumitatis suæ expectare, vltrà hanc vitam & vltimos cineres, alteram longè meliorem vitam sperare; hoc humanæ naturæ est decus proprium. Magnificè id explicat lacteus ille Lactantius: Summum, inquit, bonum, hominis in religione est. Nã cætera etiam quæ putantur esse homini propria, in cæteris quoq; animalibus reperiuntur. Cùm enim suas voces propriis inter se notis discernunt atque dignoscunt, colloqui videntur: ridendíque ratio apparet in his aliqua; cùm demulsis auribus, contractóque rictu, & oculis in lasciuiam resolutis, aut homini alludunt, aut suis quisque cõiugibus ac fœtibus propriis. Nónne aliquid amori mutuo & indulgentiæ simile impartiunt? Iam, illa, quæ sibi prospiciunt in futurum, & cibos reponunt, habent vtique prouidentiam. Rationis quoque signa in multis deprehenduntur. Nam quando vtilia sibi appetunt, mala cauent, pericula vitant, latibula sibi parant, in plures exitus disparentia; profectò aliquid intelligunt. Potest aliquis negare illis inesse rationem, cùm homi-

Deutero. 28.

Lactant. li. 3. instit. cap. 10.

nem

nem ipsum sæpè deludant? Nam quibus generandi melliis officium est; „
cùm assignatas incolunt sedes, castra muniunt, domicilia inenarrabili arte „
cõponun, Regi suoseruiunt; nescio an in his pfecta sit prudentia. Incertum „
est igitur vtrúmne illa, quæ homini tribuuntur, communia sint cum aliis „
viuentibus: religionis certè sunt expertia. Qua de re Ciceronis vera est „
sententia: Ex tot, inquit, generibus, nullum est animal, præter homi- „
nem, quod habeat notitiam aliquam Dei. Ipsisq; in hominibus nulla gens „
est neq; tam immansueta, neq; tam fera, quæ non, etiamsi ignoret, qualem „
Deum haberi deceat, tamen habendum sciat. Ex quo efficitur, vt is agno- „
scat Deum, qui, vnde ortus sit, quasi recordetur. Si religio tollitur, nulla „
nobis ratio de cœlo est. Itáque aut eò est spectandum, aut in terram pro- „
cumbendum. In terram procumbere, nisi velimus, quidem non possumus, „
quorum status rectus est. In cœlum igitur spectandũ est, quò natura cor- „
poris prouocat. Hæc ille. „

Deinde in hac eadem virtute decus & laus hominis cùm priuatim, tùm publicè consistit propria. Hæc est, inqt Moyses, vestra sapientia & intellect⁹ coram populis, vt audientes vniuersi pręcepta hęc, dicant: En populus sapiens & intelligens, gens magna. Quæ enim est talis gens sic inclyta, vt habeat cæremonias, iustáque iudicia & vniuersam legem, quam ego proponã hodiè ante oculos vestros? Quo genere laudis quondam nostros cæteris præstitisse homines legimus. Quorum Reges ita pietati addicti, Ecclesiæque Dei amantes fuerunt, vt Vladislaus Vitoldúsque fratres, pulcherrimum, sibíque maximum vicinum Boëmiæ regnum ad illos sponte delatum, eo potisimũ nomine, quod hæretica labe infectum esset, admirabili quadam animi magnitudine respuendũ sibi potius duxerint, quàm vt indignum aliquid Christianis Principib. cõmitterent: illud disertis verbis Boëmorum legatis renunciantes, sibi religionem esse apud hæreticos regnare. *Deut. 4.*

Quorum ciues, eadem quondam lege hæreticos, qua publicos perduelles damnauerunt, eadémq; pœna plectendos censuerunt. Quorum maiores, eosdem in Republica principes, & cæremoniarum Antistites, sapientisimè esse voluerunt. Quod idem tot templa, tot publica monimenta, tanta rei sacræ supellex, tot ædificia, tam munificæ donationes, tot Episcopatus amplisimi, tot monasteria ditisima, abundè testantur. At nunc obscuratum est aurum, mutatus est color optimus. Denique absque ea virtute leges quidem aranearum telis persimiles esse, Respublicas autem rectè gubernari, vitia coërceri, virtutes inseri nullo modo posse, docuit idem Plato: Deficiunt, inquit, leges humanæ ad ea vitia, quæ clam & per potentiam committuntur, & ideo religione metúque numinis diuini, tanquam potentisimo, atque omnia penitiora etiam vidente custode & correctore, opus est. Et meritò: Quò enim parentes, quò magistri, quò censor, quò iudex penetrare non possunt, ipsa peruenit: quod omnes effugit, illa tenet: quod omnes latet, illam latere non potest: quod omnia vincit & superat, ipsa coërcet: intimi etiam cubiculi atque lecti conscia *Thren 4.* *8. de legibus.*

conſcia: eſt ſibi ipſi ſimul iudex, cuſtos, & vindex.

Vltimò eius virtutis maieſtate læſa, clauſtríſque eius perfractis, cæte-
„ ra omnia facilè læduntur ac contemnuntur. Maximæ petulantiæ, dice-
„ bat Plato, contumeliæ, & iniuriæ illæ ſunt, quæ in ſacra committuntur,
„ præſertim publica. Vbi autem ciues in hoc genere petulanti contume-
liarum fuerint exercitati; à quo genere contumeliæ ſibi temperabunt? A-
bundè hoc noſtra probauit ætas. Spreta eſt maiorum religio ac pietas,
contemptæ cæremoniæ, & res ſacræ iacent, maieſtas diuina læſa: quid de-
inde ſanctum permãſit? Senatus & Patres Silicernia vocantur, Reges mu-
tæ in ſcena perſonæ cenſentur, iudices corporum inanes vmbræ, mariti
vxorum ſerui, domini ſeruorum mancipia, leges aranearum telæ & ſunt
& eſſe putantur. Quid mirum? vbi maximæ petulantiæ contumelia im-
punè admittitur; ibi minores contumelias in laude cenſeri? Præclarè igi-
Lib. 3. cap. 1. de falſa ſapientia. tur concludit Lactantius: Naturam hominis hanc Deus eſſe voluit, vt
duarum rerum cupidus & appetens eſſet, religionis, inquam, & ſapientiæ:
ſed homines ideo falluntur, quòd aut religionem ſuſcipiunt omiſſa ſapien
„ tia, aut ſapientiæ ſoli ſtudent, omiſſa religione, cùm alterum abſq; altero
„ non poſsit eſſe verum. Cadunt ergo ad multiplices religiones: ſed ideo
„ falſas, quia ſapientiam reliquerunt, quæ illos docere poterat, Deos mul-
„ tos eſſe non poſſe. Aut ſtudent ſapientiæ: ſed ideo falſæ, quia religionem
„ ſummi Dei omiſerunt, qui eos ad ſcientiam veri potuit erudire. Itáque
non fruſtra illud præclarum ſuis legibus principium præfixit Tullius; vt ſit
hoc iam à principio perſuaſum ciuibus, dominos eſſe omnium rerum ac
moderatores deos: eáque quæ gerantur, eorum geri iudicio ac numine,
eosdémque optimè de genere hominum mereri: & qualis quisq; ſit, quid
agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate religiones colat, intue-
ri, piorúmq; & impiorum habere rationem: his enim rebus imbutæ men
tes, haud ſanè abhorrebunt ab vtili & vera ſententia. Et de magnitudine
quidem ac dignitate tantæ virtutis ſatis.

Nunc, ad quæ extrema erroris primùm, licentiæ deinde, pòſt negli-
gentiæ, vltimò perditæ cuiusdam hominum malitiæ peruenerit, paucis, vt
propoſuimus, expendamus. Et vt ab extremo erroris incipiamus. De
paucis quibusdam chriſtianæ religionis ritibus ac cæremoniis, de indul-
gentiis, aqua luſtrali, mortuorum ſuffragiis, de idiomate ſacrorum, cereis,
igne ſacro, totáque in primo ortu eius mali controuerſia fuit: ad ſacra-
menta deinde tranſitum: de vſu vtriusque ſpeciei diſputabatur primùm:
mox Confirmatio, Matrimonium, atq; Extrema vnctio de numero ſacra-
mentorum ſublata: Sacer ordo, partes pœnitentiæ, primus & ſummus cœ
næ Domini vſus, Miſſæ ſacrificium, inquam, abrogatum: ipſa veritas cor-
poris & ſanguinis Iesv Christi ex ſacramento, vt nihil præter ieiu-
na & vacua maneant elementa, excluſa eſt: vltimò porta illa religionis
Chriſtianæ, Arrhabo fidei, ortus iuſtitiæ, Baptiſmus, inquam, vel diminu-
tus, vel repetitus, vel contaminatus, vel abrogatus, ac planè tanquam ſu-
perfluus reiectus ac repudiatus. A ſacramentis ad iuſtitiam eiúsque par-

tes

tes peruentum est,vbi primò omne æqui & honesti meritum ac præmium sublatum, mox aliæ virtutis partes abrogatæ, sola fides eáque mortua & informis relicta; hæc denique ipsa, vtpotè vacua & inanis facilè spreta & contempta. Terra deinde relicta homines impudentes, Aloidarum more, comportatis impietatis & blasphemiæ montibus, cœlum appetierunt. Diuos eorúmq; sacros spiritus,perpetua luce & quiete cœli fruentes, primùm charitate omni erga nos, quæ illos ardens ad æthera euexit, spoliarunt, cognitione & præsensione rerum humanarum demum, tum omni cultu & reuerentia, ad extremũ infamia & contumelia notatos cœlo detruserunt, cum illísque simul omnem pietatem, castitatem, iustitiam, sanctitatem, aliásque virtutes omnes inde excluserunt,illísque æternum cœlo, cœlíq; sedibus interdixerunt, ministeria angelorum irriserunt: amplius audacia elati, caput ipsum, hæredem ipsum, inquam ipsum cœli & terræ Dominum aggressi sunt. Hunc primùm à patre auulsum veluti capite, vt ita dicam diminuerunt,pòst ab ipsa diuinitate excluserunt,legésq; Deo Patri (vt præclarè scripsit noster Gorscius) tulerunt,ne vnquam filium suum vnigenitum agnoscat, vt infra creatas res eum locet,paulò pòst ipsum æternum patrem cum sancto Spiritu, ac omni sanctorum cœtu exturbaturi, cœlum clausuri, suámque impietatem, sacrilegia,hæreses & blasphemias, scelera, peccandíque impunitatem, in illorum locum reposituri, regnáque illa amplissima & beatissima furori suo subiecturi, vt Deo ipso loris eorum impiæ doctrinæ alligato,cum principe tenebrarum in aula cœlesti se iactent,ac licenter in omnem pietatem debacchentur. Pulsi cœlo, ac veluti Aloidæ quidã à magnifica gloria oppressi ac obcœcati, mox intra terras terræque meatus se intulerunt: inferni carceres sustulerunt, ignes extinxerunt, animas damnatas dæmonésque ipsos soluerunt: inde intra seipsos animósque suos se receperunt, quorum primum liberam voluntatem interemerunt, deinde omnem spem cœli ac optatæ Dei visionis illis præcluserunt, pòst tristissima mortalitatis sententia illos, homines miseri, & dura sorte vsi, tanquam in omnem suam felicitatem & incolumitatem conspirassent, confoderunt. Itáque iam non modò nullam religionem habent,non modò sacrorum certum modum & rationem nullam, non modò templa atque aras ritè & sanctè Deo dicatas nullas, non certa & fixa sacrorum tempora; sed ne Deum quidem aliquem certum, quem colant, quem deprecentur, cui se commendent, ad quem in necessariis suis temporibus confugiant, dum alii vnum, alii multos, alii nullum esse censent: ita vno pede ad Iudaismum, altero ad Gentilismum, vel Atheismum prolabimur. Quod hostile ferrum? quis gladius? quæ tormenta, aut qui cruciatus, hos tales sensus à maioribus nostris extorsissent; quos nunc sensim isti, si diis placet, noui orbis reformatores, ac magistri, Christum, vt videbantur, eiúsque regnum prædicantes, mentibus hominum inseruerunt? Quantum sanguinis effusum fuisset,quot homines cœsi,quot vrbes & arces demolitę,quot prouinciæ captæ & desolatæ,antequam huc res Christiana deducta fuisset? Híncque probatum est, nullam pestem,

Iacobus Gorscius in præfa lib. de iustit.

nullum virus hæretica labe nocentius esse, fraudi magis quàm ferro Christianam fidem quantũ fas est, succumbere: potentiorem esse diabolũ in hęreticis, quàm in tyrannis: Persecutio, inqt Tertul. & martyres facit, hęreses apostatas tantùm. Cur ita? Viscerum morbus est, domesticum malum: & tamen isti amantur, coluntur, ac in manibus quasi feruntur. Siste igitur gradum Polonia, siste Hungaria, siste Germania, siste Gallia: si enim progrederis amplius, cades, non stabis.

Sed vnde tandem adhoc extremũ erroris malum est puentum? Non aliunde certè, quàm ab extremo licentię. Fuit illa qũondã reuerentia sacris, vt ea quę mystica sunt, nõ nisi mysticè, & sancta sanctè tractarentur, & ea quę diuina sunt, paucis admodum antistitib. ac principibus sacrorũ crederentur, ac per gradus & ordines deinceps mediis ac infimis ordinibus ad certum modum & mensuram impartirentur. Ad populum aũt non nisi ex supiore loco tantùm, quantum fidei summa capita, & vitę rectè & piè instituendę recta ratio posceret, pferrentur. Neq; id tamen ad voluntatẽ & arbitrium eorũ, qui docerent, sed iuxta Canonẽ & traditionem eorum quicam doctrinã tradiderunt. Docet hoc inprimis vniuersę veteris legis historia, in qua ad eũ locum, qui sanctissimus fuit, summo soli Pontifici, idq; semel tantum in anno ingredi licebat. In qua eadem nunq̃ Deus ipse, aut cum inferioris ordinis sacerdotibus, aut cum leuitis, aut cum populo, nisi aut per summum Pontificem, aut per Prophetas, locut⁹ esse inuenitur. Sic in monte Sinai legem laturus, ipsum quidem Moysen nubem subire iubet: si quis autem Aaron summus sacerdos erat, comitem se ascensus præbere, atque in proximo stare, extra nubem tamen esse. Si autem Nadab quispiam aut Abiud, aut ex seniorum ordine, ascendere illi quidem permittitur, cæterum procul consistere, pro puritatis suæ merito atq; dignitate. Si verò quispiam est vulgo huiuscemodi, maiestate & speculationibus indignus, siquidem omninò impurus ac prophanus sit, nullo modo accedere, ne ea temeritate periculum sibi accersat; si autem leuiter saltem purgatus inferiori loco manere, ac solam vocem atque buccinam audire præcipitur, montem autem circumfusum ac coruscantem videre, terrore ac admiratione afficientem eos, qui ascendere nequeunt: quod si quis bellua sit sacra conculcans, hunc longiùs à monte abscedere, ne lapidibus opprimatur aut obruatur, malúsq; malè pereat. Idem hoc docet multò luculentiùs noua lex, in qua ipse princeps pastorum Christus Iesus sublimiorem aliquam suis doctrinam traditurus, cum duodecim solis illis præstantissimis doctrinæ suæ nunciis atque interpretibus, Apostolis inquam, semper vel in solos montes, vel in desertos locos, vel in mare procul se à turbis recipere solet. Vnde illud: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis. Et illud: Nolite dare sanctum canibus: neq; mittatis margaritas vestras ante porcos. Sed ne his quidem ipsis simul omnia tradidit, sed tum demum, vbi prius multis annis probati, sanctificati, ac cœlesti spiritu ex alto illuminati fuissent. Vnde illud: Multa habeo dicere vobis, sed non potestis portare modo. Quod idem D. Paulum

Exod. 30. *Leuit.* 16. *Hebr.* 9. *Exod.* 19. *Matth.* 7. *Ioan.* 16. 2. *Cor.* 2.

lum feciſſe legimus: Sapientiam, inquit, loquimur inter perfectos, ſapientiam verò non huius ſeculi, neque principum huius ſeculi, qui deſtruuntur; ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt. Quẽ eundem morem primæuam Eccleſiam ſequutam fuiſſe, vetuſtiſsimi teſtantur Patres, in quibus princeps germanus ille ſublimioris doctrinæ Pauli diſcipulus Dionyſius Areopagita, qui hac de re in hunc modum Timotheo condiſcipulo ſuo ſcribit: Hierarchiam quidem noſtram, ſanctorum filiorum ſanctiſsimæ diuinitus traditæ ac diuinæ, diuinósque efficientis, & ſcientiæ, & actionis, & perfectionis eſſe, diuinis ſanctiſsimísque ſcriptis, iis qui ſacroſanctæ diſciplinæ myſteriis ex Pontificiis myſteriis traditionibúsque initiati ſunt, demonſtrare debemus. Vide autem, ne ſancta ſanctorũ enuncies, ſed reuereberis ea potius, & quæ occulti Dei ſunt, cognitione mentis & animi in honore habebis, ac pretio: ita tamen, vt ea & minus perfectis non tradas, & cum iis ſolis, qui ſancti erunt, cum ſancta illuſtratione pro ſacrarum rerum dignitate communices. Sic enim vt nobis qui diuinitus illuſtrati ſumus, Theologia tradidit: Ieſus etiam ipſe, qui mens eſt, & diuina maximè, & eſſentia ſuperior, omníſq; Hierarchię, tum ſanctitatis, tum diuinæ actionis principium, víſque diuinitatis particeps, maximè naturas illas beatas nobíſque præſtantiores, euidentius pariter & intelligentius illuſtrat, facítque quöad eius fieri poteſt, vt ad luminis ſui ſimilitudinem accedant. Noſtras etiam, quæ multæ ſunt diſſimilitudines ac varietates, honeſtarum rerum amore, qui & in ipſum excitatur, & nos excitat, coniungit, ac conſtringit in vitam vnius modi atque diuinam. Dat præterea nobis ſanctis dignum habitum & actionem, id eſt, vim diuini ſacerdotii, ex qua ad ſanctum ſacerdotii munus & officium venientes, ipſi ad naturas illas cœleſtes, quæ nobis præſtant propius accedamus: conſtantis immutabilíſq; earum, quæ ſancta eſt firmitatis, quam præſtare poſſumus imitatione: atque ex hac cum in beatum diuinúmque Ieſu radium aciem mentis intenderimus, & omnia quæ cerni poſſunt, ſanctè viderimus, myſticáque contemplationum ſcientia illuſtrati fuerimus; tum conſecrari & conſecrare, illuſtrari & illuſtrare, perfici & perficere poſſimus. Et in alio loco: Neq; enim quiùis ſanctus eſt, nec omnium eſt, vt ait Paulus ſcientia. Quocirca primi illi hierarchiæ noſtræ duces ac principes, cùm & ipſi à diuina bonitate, plenè cumulatéque ſanctum hoc munus accepiſſent, & à diuina benignitate eius apud poſteros propagandi prorogandíq; cauſa miſsi eſſent, iidémq; valdè vt diuini poſteros ad cœleſtia, & diuinitatis ſimilitudinem traducere cuperent; ſignis quæ ſub ſenſum cadunt cœleſtia, varietatéque ac multitudine, id quod coniunctum connexúmque erat, & humanis diuinas res, quæque materia carent, iis quæ ex materia conſtant, ac noſtris eas, quæ eſſentia ſuperiores ſunt, partim ſcriptis, partim non ſcriptis ſuis inſtitutionibus ex ſacroſanctis legibus nobis tradiderunt: ídque fecerunt, non prophanorum modo cauſa, quibus ne ſigna quidem fas eſt contingere & tractare, ſed etiam quod hierarchia noſtra, id quod dixi, pro modo noſtro ſignis continetur, cùm e-

Diony. de Eccleſi. hierach

„ geat rebus, quæ ſenſus mouent, ad diuiniorem noſtri ex ipſis ad eas, quæ
„ mente comprehenduntur, reuocationem. Sunt tamen apertæ & expo-
„ ſitæ ſignorum rationes, iis, qui ſacra procurant ac perficiunt: quas illis ne-
„ fas eſt, iis, qui etiam ſacris noſtris initiantur enunciare, quod latores
„ ſanctarum legum, quæ à Deo traditæ ſunt, hierarchiam firmis ſimplici-
„ búsque ornamentorum ordinibus conſentaneísq; vniuſcuiusq; facultati
„ ac ſanctis diſtinctionibus deſcripſiſſe intelligant. Itáque ſanctis tuis pro-
„ miſsionib. ductus (eas enim ſanctum eſt commemorare) ſacroſancti mu-
„ neris Pontificii, vt quod præſtet omnib⁹, rationem cum alio non cõmuni-
„ cabis, niſi cum diuinis ſacrorum profeſſoribus collegis tuis: quibus ſuade-
„ bis, vt profiteantur ex inſtituto Pontificio, ſe mundos ac ſanctos ad ea,
„ quæ ſancta ſunt, tractanda venturos, communicaturóſque: & diuina cum
„ diuinis ſolis, & ea quæ vim perficiendi habent, cum iis qui perficiunt, &
„ cum ſanctis ea quæ ſunt ſanctiſsima. Nam cùm alia munera, quæ hierar-
„ chiæ propria ſunt, tum hoc tibi mandaui. Et alio loco: Precationes
„ autem, quæ in myſteriis adhibentur, nefas eſt ſcripto interpretari, & my-
„ ſticam eorum intelligentiam, aut vim, quæ in eis Deo auctore efficacita-
„ tem habent, ex adyto in publicum efferre: ſed quemadmodum à maiori-
„ bus noſtris traditum accepimus, cùm eas doctrinas quæ foras exire non
„ debent hauſeris, & ad paulò diuiniorem animi conſtitutionem viuendíq;
„ rationem diuino amore ductus, ſanctíſque rationibus perueneris; tum de-
„ nique diuino lumine, ad ſummam earum ſcientiam deducêre. Hacte-
nus Dionyſius. Docet hoc idem Tertullianus, qui ex forma omnibus my
ſteriis ſilentii fidem adhiberi oportere teſtatur. Docent illa duo poſteri-
Baſil. de Spiritu S. ca. 27. ora Orientis orbis lumina, D. Baſilius, inquam, cum Nazianzeno. Baſi-
lius quidem in hunc modum: Nónne, inquit, ex doctrina, quam Patres
„ noſtri in ſilentio, quod curioſos & ocioſos ſubmouet, ſeruarunt? Pulchrè
„ quidem illi nimirum docti arcanorum venerationem ſilentio conſeruari:
„ nam quæ nec intueri fas eſt, non initiatis, qui conueniebat horum doctri-
„ nam publicitus circumferri ſcripto? Deinde Moyſis exemplo probans,
qui non omnes ad penitiora ſacramenta admiſit: Probè, inquit, ſciens
„ pro ſua ſapientia res vſu tritas, & vndecunq; parabiles, expoſitas eſſe con-
„ temptui: cæterum ei, quod ſepoſitum eſt, quódque rarum eſt, huic natu-
„ ra cõiunctam eſſe ſummam admirationem & ſtudium. Ad eundem pro-
„ fectò modum, & qui in primordiis Eccleſiæ certos ritus præſcripſerunt A-
„ poſtoli & Patres, in occulto ſilentióque myſteriis ſuam ſeruauêre digni-
„ tatem. Neq; enim omninò myſterium eſt, quod ad populares & vulga-
„ res aures effertur. Eſt autem ſilentii ſpecies, etiam ipſa obſcuritas, qua
„ vtitur ſcriptura, mentem ad contemplationem dogmatum inhabilem
„ exercens, ídque ad vtilitatem in ſcripturis verſantium. Hæc Baſilius.
Nazianzenus autem idem in hunc modum: Illud ſaltem, inquit, in-
„ ter nos conueniat, vt myſtica myſticè, & ſancta ſanctè proloquamur,
„ nec in prophanas aures, quæ in vulgus efferri nefas eſt, proiiciamus,
„ ne alioqui conſtet eos, qui dæmones adorant, & turpium fabularum,

ac re-

ac rerum, cultum profitentur, nobis grauitate ſuperiores eſſe, quippe „
in his, qui non iisdem ſacris initiati ſunt, cruorem potius ſuum, quàm „
ſermones quosdam impertirent. Vnde ille communis vetuſtiſsimorum patrum dicendi modus. Origenis: Nouit, inquit, qui myſteriis intentus eſt, & carnem & ſanguinem verbi Dei: non ergo immoremur in his, „ vt quæ & ſcientib. nota ſunt, & ignorantibus patere non poſſunt. Chry- „ ſoſtomi: Qui myſteriis initiati ſunt intelligunt, quæ dicuntur: myſterio- „ rum Dei conſortes, norunt quod dicitur: initiati, quæ dicuntur, norunt fi- „ deles. Vnde nunc in Catholica Eccleſia inter illos, qui ſobriè & ſanctè „ philoſophantur, alia ſunt ſtudia ſcholæ, quæ rectè Peripatheticorum nomine ἀκροαματικοὺς λόγους voces, quæ ſolis doctis eruditísq; hominibus proponi ſolent, & debent, alia fori & publicæ cathedræ, quæ rectè ἐξωτερικοὺς λόγους appelles, quæ populo pro forma fidei & morum doctrina proponuntur: quæ qui miſcet & confundit, ille ſe fateatur non eſſe illum prudentem ſcribam in regno cœlorum; qui de theſauro ſuo profert noua & vetera; qui diſponit ſermones in iudicio, dátque lac cum Diuo Paulo paruulis, adultis autem ſolidum cibum. Felices, inquit Fabius, eſſent artes, ſi de illis ſoli artifices iudicarent. Poëtam non poteſt noſſe, niſi qui verſum po- „ teſt ſtruere. Philoſophos non intelligit, niſi qui ſcit dogmatum varietates. „ Manufacta & oculis patentia magis probant artifices: Hieronymus in- „ quit. Diſceſſum eſt poſtea ab ea diſciplina, diſceſſum à more maiorum, ſacrorum reuerentia prophanata, primúmque ipſa prædicatio verbi, Sacramentorúmque adminiſtratio, quæ apud ſolos primos antiſtites & hierarchas quondam fuit minorum gentium ſacerdotib⁹ communicata: pòſt pedetentim tota cauſa ad populum, opifices, mulieres, ac pueros delata eſt. Neq; id ſolùm, vt ipſi ea quæ ſanctiſsima ſunt cognoſcerent, prophanísq; manibus attrectarent, ſed etiam vt aliis traderent, alios docerent: neq; vt docerent tantùm ea quæ ipſi non didicerunt, ſed eò ampliùs vt impunè à maioribus tradita in dubium vocarẽt. Parum eſt hoc, ſed eò magis, vt vetera quidem ſapientiſsimorum hominum totiúsque vetuſtatis inſtituta abrogent, noua aũt pro voto & libito ſuo fingant, ac pro catholicis & Apoſtolicis obtrudant, contra ſanctiſsimæ Epheſinæ ſynodi Canonem, quo vniuerſa fides Chriſtiana concluſa, atque ante mille hos ipſos annos obſignata eſt in hũc modum: Vt nemini liceat aliam fidem vel profer- *Epiſt. 26. ad Pammach.* *Ephe. ſynod Cano. 7.* re, vel conſcribere, vel componere, quàm eam, quæ præſtituta atq; prę- ſcripta eſt à ſanctis patribus, qui Nicenorum vrbe, cum auxilio Spiritus S. „ coacti fuerunt. Qui autem audeant aliam fidem componere, vel produ- „ cere, vel offerre volentibus conuerti ad agnitionem veritatis, ſiue ex Gen „ tilitate, ſiue ex Iudaiſmo, ſiue alia quacunque ſecta, vt hi, ſiquidem Epiſco- „ pi aut Clerici ſint, illi ab Epiſcopatu, hi à clero remoueantur, ac prohibe- „ antur; ſin autem laici ſint, vt extrema deteſtatione & execratione percel- „ lantur. Quo Canone ſpreto, illud conſecutum eſt, quod alicubi Diuus *Hiero. epiſt. ad Paulinam* Hieronymus deplorat. Ad minores, inquit, artes veniam, & quæ non tam lingua, quàm manu adminiſtrantur. Agricolæ, cœmentarii, fabri, metal- „

„ lorum, lignorúmque cæsores, lanarii quoq; & fullones, & cæteri qui va-
„ riam supellectilem, & vilia opuscula fabricant, absque doctore esse non
„ possunt, quod cupiunt. Quod medicorum est, promittunt medici: tra-
„ ctant fabrilia fabri. Sola scripturarum ars est, quam sibi passim omnes
„ vendicant. Scribimus indocti, doctíque, poëmata passim. Hanc garrula
„ anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc vniuersi præsumũt,
„ lacerant, docent antequam discant. Alii adducto supercilio grandia ver-
„ ba trutinantes, inter mulierculas de sacris literis philosophantur. Alii id
„ discunt, prô pudor, à fœminis, quòd viros doceant: & ne parum hoc sit,
„ quadam facilitate, verborum, imò audacia, ediſſerunt aliis, quod ipsi non
intelligunt. Hæc ille. Cuius extremæ licentiæ rerúmq; omnium pro-
phanationis, primum quasi vexillum, temulentus erexit Lutherus, qui i-
dem mihi feciſſe videtur, quod quondam diſsimili prudentia & sobrieta-
te, simili autem exitu Polycletum præstantissimum statuarium feciſſe scri-
bit Ælianus. Qui vt temeritatem Athenienſium, ac curiositatem ad om-
nem licentiam de aliena industria detrahendi effusam proderet, atq; qua-
si digito commonstraret, quod & quale de rebus magnis vulgi sit iudici-
um, quàm imperitum, quàm impudens & inconstans doceret; duo simu-
lachra simul eodem tempore feciſſe legitur: alterum ad arbitrium & vo-
luntatem populi illius: alterum iuxta perfectam & exactam artis regulam;
proposuit spectanda vtraque curioso populo. Ac, vt illud quidem arte fa-
ctum, quod ille suum vocabat, sinerent, diligenter admonuit, néue illi aut
manum, aut censuram vllam adhiberent: in illo altero autem, ad suum ar-
bitrium facto, vterentur iudicio suo, ac quod vellent corrigerent, permi-
sit: normas & torna, dolabra item, aliáque artis instrumenta in medium
protulit, ad singulorúmque arbitrium & iudicium transposuit, & immu-
tauit multa: ita vt morem cuiusq; voluntati & dictationi gereret. Atq;
vbi iam satis simulachrum deprauatum ac deformatum esset; (quid enim
stultum vulgus, nisi ineptè, nisi imperitè ac ridiculè, nisi inconcinnè face-
re aut corrigere potuit?) vtramque imaginem de medio sustulit: Anno
deinde post, eidem plebi vtramque proposuit: vbi alteram quidem, illam
inquam, quæ Polycleti fuit, omnes admirati sunt, omnes summis laudibus
in cœlum extulerunt: alteram autem, hoc est, suam, ob eius miram incõ-
cinnitatem irriserunt, ac ludibrio habuerunt omnes. Atqui, inquit Poly-
cletus, quod vituperatis & reprehenditis, à vestra arte profectum est, quod
verò laudatis & admiramini, meæ est facultatis opus proprium. Erubuit
populus non iners, suámque temeritatem ac insipientiam ipse damnauit.
Idem mihi, vt dixi, sed non eadem sobrietate & prudentia Lutherus feci-
sse videtur. Proposuit imperitæ multitudini, tanquam imaginem quandã
perfecta arte elaboratam, fidem Christi, religionémq; Catholicam: sup-
peditauit, stultæ plebi, temeritatis eorum instrumenta, libros inquam sa-
cros, Euangelia, Pauli doctrinam, ac reliqua christianæ veritatis, sanctis-
sima arcana: foro, militiæ, officinæ, ganeis immutandi, corrigendi, quod
luberet, æquam potestatem dedit, correxit, & immutauit ad eorum arbi-

trium

trium ipſe valdè multa. Admouerunt manus ad opus magiſtri imperitiſſimi & impudentiſsimi ſimul cerdones, inquam, ſutores, ſartores, pharmacopolæ, ceti, lanii, carnifices etiam fortaſſe: & talem eam imaginem arte ſua reddiderunt, qualem ſuprà diximus, vt non cognoſcas eandem eſſe. Illa enim priore nihil pulchrius quondam, nihil concinnius, nihil magis diſtinctum, nihil venuſtius eſſe potuit: hac autem nihil inconcinnius, nihil turpius, nihil magis diſtortum eſſe poteſt. Quid enim pulchrum, quid arte elaboratum, quid aliqua laude dignum, iſti tales magiſtri efficere potuerunt? Ita, vt ſi vel ille ipſe primus dux & autor temeritatis iſtorum à mortuis reſurgeret, eámque videret, ipſemet ſuum opus non agnoſceret, ſéque ſuúmq; perditum errorem damnaret, quod quidem vel viuus & ſuperſtes adhuc feciſſe dicitur. Ipſam certè multitudinem, quandoque iſtius ſuæ temeritatis ac imperitiæ, piget tædétque. Notæ ſunt illorum voces, notæ querelæ, quid agant, quid ſequi debeant, quid laudent, quid fugiant, quò progrediantur, ſe amplius ignorare. Quibus rectè reſponderi poteſt: Quod vituperatis ac reprehenditis, veſtrum eſt, à veſtra arte profectum eſt: quod autem laudatis, & admiramini, Eccleſiæ Dei, cuius magiſter Spiritus ſanctus eſt, opus eſt proprium. Interim autem omnes prętereuntes imaginem iſtam, Iudæi inq̃ & Saraceni, ac reliqui Chriſti Dñi inimici, rident eam, loquuntur labiis, & mouent capita ſua. Quam impię diſpenſationis licentiam, quę deinceps licentia conſecuta non eſt? licentia inquã carnis, licentia ſpiritus, licentia ciuilis, legum prophanatio, legitimi magiſtratus contemptus, bella ciuilia, tumultus, venena, fraudes. Quid enim illi non licet, cui in ipſam diuinam maieſtatem impunè debacchari licitum eſt? Itáque Dominus per Oſeam, effrenem audaciam ac inobedientiam populi ſui ſic definit: Populus, inquit, tuus ſicut hi, qui contradicunt ſacerdoti. Et corrues hodie, & corruet etiam Propheta tecum. Hinc illæ quæſtiones nunc primum in medium prolatæ: Num aliqua poteſtas ciuilis ſit: num in ſontes animaduertendi aliquam poteſtatem habeat? num bellum gerendum, num impii & ſcelerati homines iuſtè coërceantur? num iuris, legum, magiſtratuum, iudiciorum, quibus humana ſocietas nectitur, aliqua ſit autoritas? Siſte igitur gradum Polonia, ſiſte Hungaria, ſiſte Germania, ſiſte Gallia: ſi enim progrederis amplius, non ſtabis, rues. *Oſeæ 4.*

Ad quod extremum licentiæ, peruentum eſt, ab extremo negligentiæ. Dum enim illi, quorum intererat, & quibus hoc depoſitum fidei ac religionis commiſſum fuit ipſi diſpenſare, manibúsq; ſuis paruulis panem frangere, negligunt; illi, quibus hoc minus conueniebat, iuſto & vero Dei iudicio hoc ſibi aſſumpſerunt. Tantiſper enim familia in officio manet, à rebúsque domini ſui abſtinet, dum diſpenſator officium facit; tantiſper liberi de menſa ipſi non rapiunt, dum parentes largos ſe præbitores præſtant: tantiſper vel ipſi auium pulli intra nidos ſe cõtinent, dum à matre aluntur. Negligentia, audaciæ & temeritatis mater eſt. Tradunt agricolæ, vineam ſi tribus totis annis non putetur, ſylueſcere, atque exmi-

ti & vtili agreſtem effici. Vinea Dei exercituum domus Iſraël eſt, Eccleſia Dei eſt. Huius igitur vineæ operarii, vbi primum in ea fœda vitia,
Iſa. 1. auaritiæ, ambitionis, vſurarum, ſtuprorum, ebrietatis, tanquam nocentes quidam palmites, pullulare incepiſſent, cùm eos putare ac falce eccleſiaſticæ diſciplinæ præcidere neglexiſſent, quinimo ipſi ſimili ſua vita paribúsq; morib⁹ hæc quaſi tacitè laudare & comprobare cœpiſſent, vinea hęc magis agreſtis & inutilis effici cœpit. Ex vitiis natę ſunt hæreſes, paruę primũ quas eadem negligentia, iidẽ vinitores, Deo ita ꝓmittente, genę re, nobilitate, vanis exoletísq; ſtemmatibus, ſtipatorum item gregibus omnia ſe confecturos exiſtimantes, extirpare neglexerunt; ignari eius, quod de hæreſib. ſcripſit D. Atha. primę ſecundam, ſecundæ tertiam, tertię quartam, & ſic deinceps ſuccedere; ita vt ſemp poſterior ſit priore deterior, fruſtráq; poſterior amputatur, priore non euulſa, cùm iterum ex eadẽ ſit germinatura radice. Cõſecuti ſunt deinde indies maiores exitioſiorésq; errores, Arianiſmus, Ebionis doctrina, & aliorũ. Hos demum excepit Iudaiſm⁹ & Saraceniſmus: hęc, Impietas, & Atheiſmus, vt iam inter ſtolonem & palmitẽ in hac vinea vix diſcernas. Impletúmq; eſt in tota hac cauſa illud Iſa-
Iſa. 5. ię: Et nunc oſtendam vobis, quid ego faciam vineę meę. Auferam ſepem eius, & erit in direptionem, & diruam maceriam eius, & erit in conculcationem. Et ponam eam deſertam: non putabitur, & non fodietur: & aſcendent ſuper eam vepres & ſpinæ; & nubibus mandabo, ne pluant ſuper eam imbrem. Vinea enim Domini exercituum domus Iſraël eſt, & viri Iuda germen eius delectabile: & expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas: & iuſtitiam, & ecce clamor. Hæc Iſaias. Quæ quidem tam ſupina negligentia in primis ſuis initiis, à præſumptione, quam peſsimam magiſtram Hieronymus vocare ſolet, orta fuit, tanquam hæc ipſa flamma citò deſitura ſit, tanquam ſua ſponte, vel ſtatim exigua quadam aquula extingui poſsit. Meminiſtis illas negligentium vinitorum voces? Ipſummet, inquiebant, hoc malum mole ſua ruet: hæc flamma ſponte ſua extinguetur; permittendum eſſe hominibus, vt ingeniis & ſolertia ludant: Contra illud: Principiis obſta, ſerò medicina paratur. Quæ negligentia vt à præſumptione orta fuit, ita, quod ſemper quaſi euenire ſolet, deſiit in deſperationem. Sic enim ſubitò hæc flamma exarſit, ita paruo tempore vires cepit, ad ſummúmque ædificii peruenit, vt planè ab his, qui ad eam extinguendam, ita, vt dictum eſt, conuenerant, eam extingui poſſe deſperatum fuerit: Itáque primum, vt in re deſperata fieri ſolet, in admirationem verſi, quis ſcilicet ſit incendii futurus exitus? quò tandem flamma peruentura? quo vſque malum ſerpet? quam ſtragem & ruinam edet? tandem vt in rebus deſperatis, ex admiratione in rapinam paſsim omnes ſunt conuerſi: itáque vel nunc etiam, tam Catholicos, quàm hæreticos portionem quemque ſuam ex hoc incendio ferre videmus, & ſuos eadem publica calamitate oneraſſe cernimus. Limites Eccleſiaſticorum bonorum ad alienos dominos nullo iure tranſlati, agri deſolati, ſterilésq; ob raritatem colonorum facti, ſyluæ conciſæ, decimæ per vim ſublatæ; theſauri

sauri Ecclesiastici exinaniti, vasa sacra conflata: vestes diuenditæ: amplissimæ abbatiæ distractæ; inter egentissimos homines, inter scurras & meretrices nonnunquam distributæ. Siste igitur gradum Polonia, siste Hungaria, siste Germania, siste Gallia, si enim progrederis amplius, rues, non stabis. Ac isti incendiarii, latrones, quæ ex incendio sustulerunt, restituant, ac in thesauros Ecclesiæ inferant. Tu autem Deus virtutum conuerte nos, ostende faciem tuam & salui erimus. Deus virtutum conuerte nos, respice de cœlo, & vide, & visita vineam istam. Et perfice eam, quam plantauit dextra tua. *Psal. 79.*

Ab extremo erroris, licentiæ atque negligentiæ, peruentum est vltimò ad extremum malitiæ & improbitatis. Primus gradus malitiæ & improbitatis est, liberè ac sine omni pudore ac verecundia peccare.

Secundus gradus mali, eo nomine non puniri, scelúsq; non vindicari. Et vt humanæ conditionis non est aliquando non delinquere; ita peccata & delicta non puniri, perditæ licentiæ est: vnde illa vetus Tullii cõquestio: ne tale nefas in Republica aut commissum, aut non vindicatum esse videatur.

Tertius gradus malorum multò funestior, non modò non puniri sontes; sed ne eo quidem nomine appellari: quod idem grauiter in occasu Reipublicæ suæ deflet Cicero.

Quartus propior iam exitio, vbi non modò non appellantur improbi, sed ne ingemiscit quidem aliquis, & indolet ob scelus admissum & impunitum. Quale illud est apud Ezechielem: Et vocauit, inquit scriptura, virum qui indutus erat lineis, & atramentarium scriptoris habebat in lumbis suis. Et dixit Dominus ad eum: Transi per mediã ciuitatem in medio Hierusalem, & signa Tau super frontes virorum gementium, & dolentium, super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius. Et illis dixit audiente me: Transite per ciuitatem sequentes eum, & percutite: non parcat oculus vester, neque misereamini. Senem, adolescentulum, & virginem, paruulos & mulieres, interficite vsq; ad internecionem. Omnem autem, super quem videritis Tau, ne occidatis. *Ezech. 9.*

Quintus gradus iam iam in ipso exitii limine, vbi non tantùm ingemiscit nemo, sed etiam lætantur cum malè fecerint, laudantur, honorantur, prædicantur, pbis ac bonis & innoxiis terrori ac oneri sunt. Honoribus & dignitatibus ornantur, publicis muneribus & magistratibus præficiuntur, vbi quæstus est improbum esse. *Prouerb. 2.*

Vltimum & extremum malitiæ & improbitatis illud præcipitium est, vbi scelus ipsum & impunitas publica lege & instituto laudatur atque sancitur, consummatio & maturitas omnis improbitatis hæc est. Hîc enim iã deinceps ex priuatis peccatis publica fiunt, singulorúmque delicta in vniuersorum exitium vertũtur. Hîc iam medicinæ & remedia ipsa malorum, leges inquam & iura, in labes & pestes vertuntur, clausstra & repagula omnis honesti soluuntur, spes iã reliqua salutis & remedii relinqtur nulla.

Processum est in omni impietate & religionis contemptu hoc nostro secu-

ſeculo per omnes eos malitiæ & improbitatis gradus: non punita impietas eſt, non quiſquam eius cauſa compellatus, indoluit nemo, non ingemuit, non caput percuſsit quiſquam, laudata deinde,& defenſa eſt. Vltimò publicis legibus & ſancitis confirmata, iniquiſsimis ſceleris & impietatis fœderibus communita ac vindicata. Quarum confœderationum omnium ille vnus eſt ſenſus, vt liceat cuique non modò ipſi impium eſſe, Iudaicam vel Saracenicam religionem profiteri, Deum blaſphemare, vniuerſa ſacra polluere ac prophanare: fana & templa per ſacrilegia expilare; ſed cæteris etiam omnibus earum rerum ducem & auctorem eſſe: ſimileque virus quo ipſe infectus ſit propinare, ac denique ſub tutela impietatis & ſuperſtitionis, omne ſcelus & nequitiam, furta, rapinas, ſtupra, inceſtus, tumultus, bella, & ipſum exercere, & ad alios propagare, vt victrix nequitia alacríſque exultet improbitas in victoria. Videamus obſecro, num iiſdem legibus & iuribus, pientiſsimi Imperatores religionis cauſam aliquando munierint? num eam licentiam omne virus impietatis propinandi cuique ſuis legibus dederint? num ad eundem modum cauſam eius prodiderint?

Recitetur lex Conſtantini.

Can. de hæ. Priuilegia, quæ contemplatione religionis indulta ſunt, Catholicæ tantùm legis obſeruatoribus prodeſſe oportet. Hæreticos non ſolùm ab his priuilegiis alienos eſſe volumus: ſed aduerſis muneribus conſtringi & ſubiici.

Recitentur leges Theodoſii, Valentiniani, Gratiani, Martiani.

Omnes vetitæ legibus diuinis, & Imperialibus conſtitutionibus hæreſes, perpetuò quieſcant: nemo vlterius conetur, quæ reperit prophana præcepta, vel docere, vel diſcere; nec antiſtites eorundem audeant fidem inſinuare, quam nō habeant,& miniſtros creare, qui non ſunt, nec per cōniuentiam iudicantium, omniúmq; quibus per conſtitutiones paternas ſuper hoc cura mandata eſt, huiuſmodi audacia negligatur & creſcat. Hæreticorum autem vocabulo continentur, & latis aduerſus eos ſanctionibus debent ſuccumbere, qui vel leui argumento à iudicio Chriſtianæ religionis, vel tramite detecti fuerint deuiare.

Alia lex eorundem.

Manichæos ſeu Manichæas, vel Donatiſtas, meritiſsima ſeueritate perſequimur. Huiusmodi autem generi hominum, nihil ex moribus, nihil ex legibus, commune ſit cum cæteris. Ac primum quidem volumus eſſe publicum crimen; quia quod in religionem diuinam committitur, in omnium fertur iniuriam. Quos bonorum etiam omnium publicatione perſequimur. Ipſos quoq; volumus amoueri ab omni liberalitate & ſucceſsione quolibet titulo veniente. Præterea non donandi, non emendi, non vendendi, non poſtremo contrahendi cuiquam conuicto relinquimus

facultatem. In mortem quoq; inquisitio extendatur. Nam si in criminibus maiestatis licet memoriã accusare defuncti; non immerito & hic debet subire tale iudiciũ. Ergo & suprema illius scriptura irrita sit, siue testamento, siue codicillo, siue epistola, siue quolibet genere reliquerit volũtatem, qui Manichæus fuisse conuincitur. Sed nec filios hæredes eis existere, aut adire permittimus, nisi à paterna prauitate discesserint. Delicti enim veniam pœnitentibus damus. In eos etiam authoritatis nostræ aculei dirigantur, qui eos domibus suis damnanda prouisione defendunt. Seruos insuper extra noxam esse volumus, si dominum sacrilegum euitantes, ad Ecclesiam Catholicam seruitio fideliori transierint.

Alia lex eorundem

Ariani & Macedoniani, Pneumatomachi, & Apollonariani, & Nouatiani, seu Sebatiani, Eunomiani, Thessarescæ decaditæ, Valentiniani, Paulianistæ, Papianistæ, Montanistæ, seu Priscianistæ, vel Phryges, vel Pepusitæ, Marcionistæ, Borboritæ, Mesaliani, Euchetæ, siue Entousiastæ, Donatistæ, Audiani, Hydroparastæ, Thascodrogitæ, Batrachitæ, Hermogeniani, Photiniani, Pauliani, Marcelliani, Offitæ, Encratistæ, Carpocratitæ, Saccofori, & cæteri, qui ad imam vsque scelerum nequitiam peruenerunt: Manichæi, nusquam in Romano solo conueniendi morandíque habeant facultatem. Manichæis etiam de ciuitatibus pellendis & vltimo supplicio tradendis, quoniam nihil his relinquendi loci est, in quo etiam ipsis elementis fiat iniuria. Cunctis quoque legibus, quæ contra eos cæteróſque, qui nostræ fidei refragantur, olim latæ sunt, diuersísque prolatæ temporibus, semper viridi obseruantia valituris siue de donationibus in hæreticorum conuenticula, quæ ipsi audacter Ecclesias nuncupare conantur, factis, siue ex vltima voluntate rebus qualitercunque relictis, siue de priuatis ædificiis, in quæ Domino permittente vel conniuente conuenerint, venerandæ nobis Ecclesiæ Catholicæ vendicandis, siue de procuratore, qui hoc nesciente Domino fecerit, decem libras auri mulctã, vel exilium, si sit ingenuus subituro: metallum verò post verbera, si seruilis conditionis sit. Ita vt nec in publicum conuenire locum, nec ædificare sibi quas Ecclesias, nec ad circumscriptionem legum quidquam meditari valeant. Omni ciuili & militari, curiarum etiam & defensorum & iudicum sub viginti lib. auri interminatione prohibendi auxilio. Illis etiã in sua omnibus manentibus firmitate, quæ de militia pœnísq; variis, déq; diuersis hæreticis promulgata sunt, vt ne speciale quidem beneficium aduersus leges valeat impetratum.

Alia lex eorundem.

Quicunque in hac sacra vrbe, vel in Alexandrina ciuitate, vel in omni Ægyptiaca Diœcesi, diuersísque aliis prouinciis, Eutychetis prophanam peruersitatem sequuntur, & ita non credunt, vt trecenti decem octo sancti Patres tradiderunt Catholicam fidem in Nicena ciuitate fundantes:

tes: Centum quoque & quinquaginta alii venerabiles Episcopi, qui in alma vrbe Constantinopolitana postea conuenerunt: & sicut Athanasius & Theophilus & Cyrillus sanctæ recordationis Episcopi, Alexandrinæ ciuitatis credebant, quos etiam Ephesina synodus, cui beatæ memoriæ Cyrillus præfuit, in qua Nestorii error expulsus est, in vniuersis sequuta est, quos nuper venerabilis Chalcedonensis Synodus est sequuta, prioribus conciliis sacerdotum ex omni prorsus parte consentiens, nihilq; adimens sacrosancto symbolo, neque adiiciens; sed Eutychetis dogmata funesta condemnans, sciant se esse hæreticos Apollinaristas: Apollinaris enim facinorosissimam sectam Eutyches & Dioscorus mente sacrilega sunt sequuti. Ideóque hi homines, qui Apollinaris vel Eutychetis peruersitatem sequuntur, illis pœnis, quæ diuorum retrò principum constitutionibus cõtra Apollinaristas, vel Serenitatis nostræ postmodum sanctione contra Eutychianistas, vel hac ipsa augustissima lege contra eosdẽ decretæ sunt, nouerint se esse plectendos. Idcircò Apollinaristæ, hoc est, Eutychianistæ, quibus etsi est in appellatione diuersitas; tamen est in hæresis prauitate coniunctio: & dispar quidem nomen; sed idem sacrilegium, siue in hac alma vrbe, diuersísque prouinciis, siue in Alexandrina ciuitate, siue intrà Ægyptiacam Diœcesim sunt, & neque ita credunt, vt prædicti venerabiles patres credebãt, neq; viro Reuerendiss. Alexandrinę vrbis Antistiti, pro certo fidem orthodoxam tenenti communicant. Episcopos vel Presbyteros, vel Diaconos alióque Clericos creare & habere, prohibemus: scientibus tam his Eutychianistis & Apollinaristis, qui ausi fuerint cuiquam, Episcopi vel Presbyteri vel clerici nomen imponere, quàm his qui passi fuerint impositum sibi nomen Sacerdotale retinere, pœnam exilii cum facultatum suarum amissione se subituros. Vniuersi præterea Apollinaristæ, vel Eutychianistæ, non Ecclesias, non monasteria sibi construant: parasymaxes & conuenticula tam diurna quam nocturna non contrahant: neque ad domum, neque ad possessiones cuiusquam, neque ad monasterium, vel quenquam alium locum operaturi, sectæ funestissimæ congregentur. Quod si fecerint, & hoc factum fuisse domino volente constiterit, post rem in examine iudicis approbatã, domum vel possessionem eius, in qua conuenerint, vel monasterium, eius ciuitatis orthodoxæ Ecclesiæ, in cuius territorio est, iubemus adiici. &c. Nullum præterea Apollinaristam, vel Eutychianistam ad aliquam iubemus aspirare militiam: Si verò qui in quacunq; militia fuerint, militari soluti cingulo honestorum hominum, & palatii communione priuentur: nec in aliqua, nec in qua nati sunt ciuitate, vel vico aut regione versentur. Si qui verò in hac alma vrbe nati sunt, tam sacratissimo comitatu, quàm omni, per prouincias Metropolitana ciuitate pellantur. Nulli insup Eutychianistæ, vel Apollinaristæ publicè vel priuatim conuocandi cœtus, & circulos contrahendi, & de hæretico errore disputandi, & peruersitatem facinorosi dogmatis asserendi tribuatur facultas. Nulli etiam contra Chalcedonensem venerabilem Synodum liceat aliquid, vel dictare, vel scribere, vel edere, at-

re, atque emittere, aut aliorum dicta vel ſcripta ſuper eadem re proferre. Nemo huiusmodi habere libros & ſacrilega ſcriptorum audeat monumẽta ſeruare. Quòd ſi qui in his criminibus fuerint deprehenſi, perpetua deportatione damnentur. Eos verò, qui diſcendi ſtudio adierint, infauſta hęreſi diſputantes, decem lib. auri, quæ fiſco noſtro inferendæ ſunt, iubemus ſubire diſpendium. Vltimò etiam ſupplicio coërceantur, qui illicita docere tentauerint: omnes verò huiuſmodi chartæ & libri, qui funeſtum Eutychetis (hoc eſt Apollinaris) fuerint dogma complexi, incendio cõcrementur; vt facinorosè peruerſitatis veſtigia, ita flammis combuſta, depereant. Æquum namque eſt, vt immaniſsima ſacrilegia par penè magnitudo percellat, ſcientibus moderatoribus etiam prouinciarum, eorúmque apparitoribus, defenſoribus etiam ciuitatum; quòd ſi ea, quæ legis huiuſmodi religioſiſsima ſanctione cuſtodienda decernimus, aut neglexerint, aut aliqua permiſerint temeritate violari; denar. lib. auri mulctam fiſco noſtro cogantur inferre. Inſup etiã exiſtimationis ſuę periculum ſuſtinebunt.

Recitentur leges Federici Imperatoris.

Si verò dominus temporalis requiſitus & admonitus ab Eccleſia terram ſuam purgare neglexerit ab hæretica prauitate, poſt annum à tempore monitionis elapſum, terram ipſius exponimus catholicis occupandam; qui eam exterminatis hæreticis abſque vlla contradictione poſsideant, & in fidei puritate conſeruent, ſaluo iure Domini principalis: dummodo ſuper hoc nullum præſtet obſtaculum, nec aliquod impedimentum opponat. Eadem nihilominus lege obſeruata contra eos, qui non habent dominos principales.

Alia lex.

Credentes præterea receptatores, defenſores & fautores hæreticorum damnamus. Firmiter ſtatuentes, vt ſi poſtquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, ſatisfacere contempſerit intra annum; extunc ipſo iure ſit infamis, nec ad publica officia, vel conſilia, vel ad eligendum aliquos adhibeatur, nec ad teſtimonium admittatur. Sit etiam inteſtabilis, vt nec teſtandi liberam habeat facultatem, nec ad hæreditatis ſucceſsionem accedat. Nullus præterea ei ſuper quocunque negotio, ſed ipſe aliis reſpondere cogatur. Quòd ſi fortè iudex extiterit, eius ſententia nullam obtineat firmitatem, nec cauſæ aliquæ ad eius audientiam perferantur. Si verò fuerit aduocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, inſtrumenta confecta per ipſum nullius penitus momenti cenſeantur.

Vel igitur hi tot tantíque Imperatores, qui tantum innouationi religionis ac ſacrorum obſtiterint ſemper, ſtulti ac imperiti fuerunt, vel ſi illi quidem omnium mortalium iudicio prudentiſsimi, nos certè dementes ac perditi, & ſi non vino, at licentia & temeritate, at errore ac ſtultitia ebrii ſumus. Tranſite ad Inſulas Cetim, dicit ſcriptura, & videte: & in *Ierem. 2.*

Cedar mittite, & considerate, si factum est huiuscemodi. Siste igitur gradum Polonia, siste Hungaria, siste Germania, siste Gallia: non enim amplius progredi poteris, rues. Verùm de extremis religionis satis.

Quò deducta sit princeps, ac vt ita dicam mater omnium virtutum, pietas & religio, & ad quæ extrema erroris, licentiæ, negligentiæ, malitiæ, peruenerit, videtis; ita si vel vno gradu porrò processerit, ne nomen quidem ipsum illius extabit amplius. Nunc autem vti à principio proposuimus, per quos, & ex quibus causis huc deducta sit, paucis expendamus.

Primus gradus ruinæ, prima impulsio fuit, peccata hominum: Su-
Psal. 57. percecidit, inquit Dauid, ignis & non viderunt solem, solem inquam iustitiæ, Christum Iesum & eius vnicam sponsam Ecclesiam. Et apud Sapi-
Sapient. 2. entem non statim ad illum sensum deducti sunt impii vt dicerent, Ex nihilo nati sumus, & post hæc erimus tanquam non fuissemus: prius præcessit in vita & moribus illorum, illud: Coronemus, inquit, nos rosis antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra, vbiq; relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra. Opprimamus pauperem iustum, & non parcamus viduæ, nec reuereamur canos multi temporis. Sit fortitudo nostra lex iniustitię. Hæc cogitauerunt, inquit, & tum demum errauerunt: excœcauit enim illos malitia eorũ, & nescierunt Sacramenta Dei, neq; mercedem speraue-
runt iustitię, nec iudicauerunt honorẽ animarum sanctarum. Ad eundem
Isaiæ 59. modum eandem causam explicat Isaias: Ecce non est abbreuiata manus Domini, vt saluare nequeat, neq; aggrauata est auris eius vt non exaudiat, sed iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata ve stra absconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret. Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine, & digiti vestri iniquitate: Labia vestra loquuta sunt mendacium, & lingua vestra iniquitatem fatur. Sed & Saluator noster non aliam causam adfert, cur sui eum non receperint, ac in portu planè
Ioan. 3. naufragati sint. Hoc est autem, inquit, iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem: erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.

Quanquam autem omnia peccata, errorum ac hæreseon causæ sunt: prima tamen ex omnibus, tantæ labis extitit origo amor suiipsius, quem Græci φιλαυτίαν vocant, ex quo inobedientia, præsumptio, curiositas, maiorum contemptus, quæ errorum sunt semina, nasci solent, quem quidem amorem ciuitatem diaboli ædificare, Dei autem subuertere, testis est magnus Augustinus. Siquidem vitia ad hæreses & sectas animos hominum disponunt ac præparant, hæc fomenta præbent. Itáque iam olim voluntates improborum ad ea mala, quæ nunc consequuta sunt propendebant. Similes iam ante multos annos exaudiebantur, cùm in Germania, tùm aliàs, voces. Extat liber Marsilii Patauini, de potestate Papæ ad Ludoui-

cum

cum Cæſarem, qui hæc omnia longè ante Lutheri tempora, quæ nunc ab iſtis iactantur, magna ex parte continet. Sed & apud nos extat ſcriptum Ioannis Oſtrorogi ad Caſimirum tertium Regem Poloniæ, Anno Domini 1447. compoſitum: In quo omnis iſtius inobedientiæ & rapacitatis, ac reliquorum malorum iaciuntur ſemina. Vt enim corporis morbi non tum primum oriuntur, vbi palam ſe produnt; ſed longè antè, poſt multam prauorum humorum collectionem, totiúsque ſanguinis deprauationem concipi ac pullulare ſolent; ita & hæreſes non tum primum oriuntur, vbi palam erumpunt; ſed longè antè ex his vitiis, de quibus dictũ eſt, paulatim colliguntur, donec leui ex cauſa more lepræ aliorúmque ſimilium in ſuperficiem erumpunt. Quorum humorum collectionem aliquando præuidens Paulus, tanquam bonus medicus, prognoſticatus eſt. *1. Cor. 11.* Oportet, inquit, hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt manifeſti fiant Iam enim tum multa vitia, multa exoriebantur flagitia. Sunt enim hæreſes ventilabrum illud patrisfamilias, quod ſana quidem grana in area relinquit, *Matth. 3.* paleas autem leuiſsimas hac & illac diſpergit. Et hæc quidem prima, & *Lucæ. 3.* & neſcio an non ſumma hæreſeon cauſa fuit, & ex qua ferè cæteræ omnes profluxerunt: & cuius cauſa cætera omnia mala vt eueniant, Deus permittere ſolet. Quanquam & illa non minor fuit malorum origo, paſtorum inquam minus legitima & ordinata vocatio, parésque vocationi vita & mores, ac gregis Dominici cura & gubernatio. Et erit, inquit Iſaias, *Iſa. 24.* ſicut populus, ſic ſacerdos: & ſicut ſeruus, ſic & dominus eius. Et vtinam „ ſaltem, addit Bernardus, vt populus; & non noxa & labes populi. Nam „ cum prima Nicena ſynodus ſic decreuiſſet: Si quis Epiſcopus ſecularibus poteſtatibus vſus, Eccleſiam per ipſas obtinuerit, deponatur & à communione ſeparetur, & omnes qui communicant illi.

Diſceſſum eſt poſtea ab hoc more maiorum, ad ſeculares poteſtates omnia tranſlata, omnia ab illis petita: quibus autem modis & artibus, pudet etiam dicere, dum ad illud ſummum malorum peruentum eſſet, vt quod virtuti debetur, pecunia tentaretur. Indéque omnis illa vetus à D. Cypriano tradita norma & ratio, eligendorum paſtorum mutata eſt. Et *Cypr. lib. 4.* factus eſt, inquit Cyprianus, Epiſcopus à plurimis collegis noſtris, qui *epiſt. 2.* tunc in vrbe Romana aderant, qui ad nos literas honorificas & laudabi- „ les, & teſtimonio ſuæ prædicationis illuſtres de eius ordinatione miſe- „ runt. Factus eſt autem Cornelius Epiſcopus, de Dei & Chriſti eius iudi- „ cio, de Clericorum omnium penè teſtimonio, de plebis, quæ tunc affuit, „ ſuffragio, & ſacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio, cùm „ nemo ante ſe factus eſſet, cùm Fabiani locus, id eſt, cùm locus Petri & „ Cathedræ ſacerdotalis gradus vacaret: quo occupato de Dei voluntate, „ atque omnium noſtrum conſenſione firmato, quiſquis iam Epiſcopus fi- „ eri voluerit, foris fiat neceſſe eſt, nec habeat Eccleſiaſticam ordinationẽ, „ qui Eccleſiæ non tenet vnitatem: quiſquis ille fuerit, multum de ſe licèt „ iactans, & ſibi plurimũm vendicans, prophanus eſt, alienus eſt, foris eſt. „

„ Et cùm poſt primum ſecundus eſſe non poſsit, quiſquis poſt vnum, qui ſo
„ lus eſſe debeat, factus eſt, non iam ſecundus ille, ſed nullus eſt. Hæc Cy-
prianus Quæ omnia cum neglecta ſunt, ſimilem inde vocationem ſimi-
Landulphus Carthuſianꝰ in vita Chriſti. les conſequuti ſunt mores & vita, ſimile ſtudiũ regendi populi Dei. Prę-
clarè enim quidam ſcriptum reliquit: Sæpè, inquit, qui per auaritiam
vel ambitionem ad ſacerdotium & dignitatem accedit, per iniuſtitiam in
eis ſeruatur, & ſceleratum initium funeſto fine conſummatur. Simonia
„ enim ambitione & ſchiſmate ſacerdotium ſynagogæ deperiiſſe legimus.
„ Caueat Eccleſia, ne ſibi contingat ſimile. Hæc ille. Sed quid noſtros
Cice. lib. act. 2. in Verrem. „ allego? Ciceronem, quid de hoc turpiſsimo mercatu ſentiat, audiamus.
Nolite expectare dum omnes obeam oratione mea ciuitates, hoc vno am
„ plector crimine omnia, neminem iſto prætore ſenatorem fieri potuiſſe, ni-
„ ſi qui iſti pecuniam dediſſet. Hoc idem transfero in magiſtratus, curati-
ones, ſacerdotia: quibus in rebus non ſolum hominum iura, ſed etiam
deorum religiones immortalium omnes repudiauit.

Quæ omnia, quantum Eccleſiæ Dei, quantum gregi Chriſti obſunt,
Ierem. 12. docet magnificè ſcriptura: Paſtores, inquit, multi demoliti ſunt vine-
am meam, conculcauerunt partem meam, dederũt portionem meam de-
ſiderabilem in deſertum ſolitudinis. Poſuerunt eam in diſsipationem, lu-
xítque ſuper me: deſolatione deſolata eſt omnis terra, quia nullus eſt, qui
2. Macha. 3. recogitet corde. Docet hoc idem 2. Machabęorum liber. Cum ſancta
ciuitas habitaretur in omni pace, leges etiam adhuc optimè cuſtodiren-
tur, propter Oniæ Pontificis diſpoſitionem & pietatem, & animos odio
habentes mala, fiebat, vt & ipſi reges & principes locum ſummo honore
dignum ducerent, & templum maximis muneribus illuſtrarent; ita vt Se-
leucus Aſiæ rex de reditibus ſuis præſtaret omnes ſumptus ad miniſteri-
um ſacrificiorum pertinentes. Simon autem de tribu Beniamin, Præpoſi-
tus templi conſtitutus, contendebat, obſiſtente ſibi principe Sacerdotum,
iniquum aliquid in ciuitate moliri. Sed cùm vincere Oniam non poſſet,
venit ad Apollonium Thraſeæ filiũ, qui illo tempore erat Dux Cœleſyrię
& Phœnices, & nunciauit ei, pecuniis innumerabilibus plenũ eſſe ærari-
um Hieroſolymis, & communes copias immenſas eſſe, quæ non pertinẽt
ad rationem ſacrificiorum; eſſe autem poſsibile ſub poteſtate regis cadere
2. Macha. 4. vniuerſa. Et paulò pòſt: Deinde Iaſon frater Oniæ ſummum ſacerdo-
tium maxima vi auri apud Antiochum redemit. Et paulò pòſt: Sed poſt
Seleuci vitæ exceſſum, cùm ſuſcepiſſet regnum Antiochus, qui Nobilis ap-
pellabatur; ambiebat Iaſon frater Oniæ ſummũ ſacerdotium adito rege,
promittens ei argenti talenta, trecenta ſexaginta, & ex reditibus aliis ta-
lenta octoginta: ſuper hoc promittebat & alia centum quinquaginta, ſi
poteſtati eius concederetur gymnaſium, & ephebiam ſibi conſtituere, &
eos qui in Hieroſolymis erãt, Antiochenos ſcribere. Quod cum rex annu-
iſſet, & obtinuiſſet principatum, ſtatim ad gentilem ritum contribules ſu-
os transferre cœpit. Erat autem hoc non initium, ſed incrementum quod-
dam, & profectus gentilis & alienigenæ conuerſationis, propter impii &

non

non ſacerdotis Iaſonis nefarium & inauditum ſcelus: ita vt ſacerdotes iam non circa altaris officia dediti eſſent, ſed contempto templo & ſacrificiis neglectis, feſtinarent participes fieri paleſtræ, & præbitionis eius iniuſtæ, & in exercitiis diſci, & patrios quidem honores nihil habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur.

Quanquam autem omnia paſtorũ vitia non mediocrem cauſam huius labis ac ruinæ attulerint: nihil tamen eſt, quod poſt turpem illum mercatum plus nocuerit quàm illa ipſa ſpiritualis πολυγαμία, hoc eſt monſtroſa ſacerdotiorum multiplicatio, ex qua mater omnium malorum omnis vaſtitatis & deſolationis nata eſt paſtorum à gregibus abſentia, quam vulgò non reſidẽtiam vocant. Quid enim piſcator procul à littore poſitus capiet vnquam? quomodo paſtor abſens gregem paſcet? quid auriga, ſi ad currum præſens non adeſt, promouebit? quod periculum cuſtos extrà ſpeculam auertet? gubernator niſi adſit, quomodo nauem ſaluabit? Prodere hoc fuit Eccleſiam, non regere. De quo genere paſtorum conqueritur Dominus. Væ paſtoribus Iſraël, inquit ſcriptura, qui paſcebant ſemetipſos. Nónne greges à paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini: & quod craſſum erat occidebatis, gregem autẽ meum non paſcebatis. Quod infirmum fuit non conſolidaſtis: & quod ægrotum, non ſanaſtis: quod confractum eſt, non alligaſtis: & quod abiectum eſt, non reduxiſtis: & quod perierat, non quæſiſtis: ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia. Et diſperſæ ſunt oues meæ, eò quod nõ eſſet paſtor, & factæ ſunt in deuorationem omnium beſtiarum agri, & diſperſæ ſunt. Errauerunt greges mei in cunctis montibus, & in vniuerſo colle excelſo, & ſuper omnem faciem terræ diſperſi ſunt greges mei, & non erat qui requireret. Non erat, inquam, qui requireret. Ex quo malo natum eſt non minus aliud malum. Nam cum ſacerdotes, & Pontifices, Regibus atque Principibus pietatis Duces, cuſtodes atque magiſtri eſſe, atque iuxta præceptum Domini, librum Deut. hoc eſt librum legis & mandatorum Dei illis tradere deberent, cùm earum rerum nihil ſacerdotes feciſſent, quin contraria ferè omnia, ac pro Deuteronomio alii Ariſtotelem, alii Alphonſum, alii Lucianum, aut Mazziauelam illis propinaſſent: Pontificésq; potius à regibus, ac principibus, quàm illi à pontificibus, aliísq; ſacrorum Antiſtitibus dependere cœpiſſent: inde factum eſt, vt reges pro eo ipſo, quod iuxta vaticiniũ Iſaiæ nutritii fidei Eccleſięq; ſanctæ eſſe debuerunt (qualem Conſtantinum, Theodoſium, Valentinianum, Valentinum, Iuſtinianum, Gratianum, Heraclium, Carolum, fuiſſe legimus) deprædatores & expilatores eius facti ſint: vt non modò illam fortunis & præſidiis ſuis, aut augere, aut ornare, aut vindicare negligant; ſed etiam ex illius ſorte, vita, & ſanguine ipſi diteſcere, ſuas res augere cœperint; ita vt vulneribus illius ſuarum Rerumpublicarum vulnera curata; eius perturbatione ſuam pacem defenſam; eius difficultatibus & perturbationibus ſuam ſecuritatem & quietem procuratam; eius paupertate ſuas opes auctas eſſe velint: quaſi verò infecto toto, partes vllo modo ſa-

Ezech. 34.

Deut. 17.

Iſa. 42.

do sanæ diu permanere possent. Ecclesia Dei totum quodammodo regnum Christi est, quicunque eam violauerit, qui fundamenta eius conuulserit, ille omnibus eius partibus certissimam parauit mortem & ruinã. Nõ ita Symmachus prẹfectus vrbis, vir clarissimus, quamùis ethnicus, qui ad tres Augustos, Valentinianum, Theodosium, & Arcadium, in hunc
» modum scribit. Absint ab ærarii vestri puritate ista compendia. Fiscus
» bonorum principum, non Sacerdotum damnis, sed hostium spoliis auge-
» atur. Et quia auaricia in mores vestros non cadit, hoc miseriores sunt,
» quibus vetera subsidia decerpta sunt. Quid iuuat saluti publicæ castum
» corpus dicare, & Imperii æternitatem cœlestibus fulcire præsidiis, armis
» vestris, aquilis vestris amicas applicare virtutes, pro omnibus efficacia
» vota suscipere, & ius cum omnibus non habere? Necesse fuit perire om-
» nibus, quod religionibus negatur. Absit à bonis principibus ista senten-
» tia, vt quod olim de communi tributum est, in iure fisci esse videatur. Om-
» nia regitis, si suum cuique seruatis; plúsque apud vos iustitia, quàm licen-
» tia valet. Consulite certè munificentiam vestram, an hæc publica velit
» existimari, quæ in alios transtulistis? Semel honori vrbis delata compen-
» dia, desinunt esse tribuentium: & quod à principio beneficium fuit, vsu
» atque ætate fit debitum. Quæ maiores vestros aliquando iuuerunt, vos
» defendant. Eum religionis statum petimus, qui diuo parenti culminis
» vestri seruauit imperium. Spectat senior ille diuus ex arce syderia lacry-
» mas Sacerdotum, & se culpatum putat, more violato, quem libenter ser-
» uabat. Hactenus Symmachus. Hanc regum & principum impietatẽ, illud malum subsequutum est, vt Episcopatus vel sine pastoribus sint, vel eos pastores habeant, quorum absentia melior est quàm præsentia. Hinc homines fœdis hæresibus infecti, in sanctius consilium allecti. Hinc prouinciis duces ipsi, & principes hæreticorum, contra sanctissimorum Imperatorum diuina decreta præfecti: hinc populus christianus Christi sanguine redemptus, hæreditas eius dilecta, prædæ hæreticorum exponitur, lupis oues committuntur. Cuius sui erga Christi fidem eiúsque sponsam studii, illud præmium Reges ac principes referunt, inobedientiam inquã populorum, inundationem vitiorum, legum ac iudiciorum contemptum, Rerumpublicarum perturbationem, tumultus, bella, cædes. Non templa, sacerdotes: non senatus, patres: non ipsi reges, consiliarios: non populus, duces, & pastores habere possunt, nec habebunt vnquam: inde
Psal: 2. regibus regna oneri potius, quam honori sunt. Ergò reges intelligant, erudiantur, qui iudicant terram. Seruiant Domino in timore, & exultent ei cum tremore. Apprehendant disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereant de via iusta. Cum exarserit in breui ira eius; beati omnes qui confidunt in eo.

Regum negligentiam, & cultus diuini contemptum, imitati sunt proceres: quæ fuit alia malorum causa. Ferunt Periclem nunquam in senatum venire solitum, nisi prius diis immortalibus libâsset, ne quod verbum, contra Rempublicam illi imprudenti excideret. Hoc idem Romulum,

lum, idem Numam Pompilium, feciſſe legimus. Noſtri autem magnates, oſcitantes, temulenti, ſemicrudi, illotis & prophanis manibus, non re diuina peracta, non ſacris aditis, non Deo placato, in conſilium veniunt, de ſumma ſalute ſententias dicunt, de vita fortunísque hominum decernunt: indéque apparatum ſimilem, ſententiæ & iudicia conſequuntur ſimilima. Qualibus ducibus, quàm felix beatáque ſit Reſpublica, ſcribit vir apud Hebræos doctiſsimus ſimul & ſanctiſsimus in ſuo Thargo, Rabbi Ionathas. Væ tibi terra, in qua magnates antequam offerant iuge matutinum, panem comedunt. Omnes enim Græci & Barbari in ortu & occaſu ſolis & lunę Deũ adorant, ſiue ſecundis ſiue aduerſis rebus. Nihil horum Galliæ, Germaniæ, atq; noſtri magnates. Vidit hoc populus & parem negligentiam, parem ſacrorum contemptum eſt ſequutus.

Quintus ruinæ gradus fuit, legitimæ & ordinariæ poteſtatis, qualiscunque illa ſit, leuiſsima æſtimatio, contra quam docet ſcriptura. Super cathedram Moyſi, inquit Dominus, ſederunt Scribæ & Phariſæi: quæcunque dixerint vobis, facite: ſecundùm autem opera eorum nolite facere. Omnis enim poteſtas à Deo eſt, & qui poteſtati, qualiſcunque illa ſit, reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, & ſic Deo reſiſtit, cum quo pugnare, perire eſt. Cui poteſtati ipſe Chriſtus Dominus, eiúſque Apoſtoli in omni vita ſua paruerunt ſemp. Docent hanc non paruam malorũ cauſam eſſe, grauiſſimi autores, Cyprianus inprimis: Poſt Deum, inquit ille, iudicem, qui ſacerdotes facit, te velle, non dicã de me (quant' enim ego ſum?) ſed de Dei, Chriſti iudicio iudicare, hoc eſt, & in Deũ non credere, hoc eſt, rebellem aduerſus Chriſtum, & aduerſus Euangeliũ eius exiſtere: vt cùm ille dicat: Nónne duo paſſeres aſſe veneunt, & neuter eorum cadit in terram ſine Patris voluntate? & probet maieſtas eius, & veritas ſine cõſcientia & permiſſu Dei etiam minora non fieri: tu exiſtimas ſacerdotes Dei ſine conſcientia eius in Eccleſia ordinari? Nam credere, quòd indigni & incœſti ſint, qui ordinantur; quid aliud eſt, quàm credere, quòd non à Deo, nec per Deum Sacerdotes eius in Eccleſia conſtituantur? An putas magis eſſe deme meum, quam Dei teſtimonium? cùm Dominus ipſe doceat & dicat, teſtimonium non eſſe verum, ſi quis ipſe de ſe teſtis exiſtat, eò quòd vnuſquisque vtique ſibi faueat, nec contra ſe aliquis infeſta & aduerſa depromat; fides verò ſyncera ſit veritatis, ſi in prædicationibus noſtris alius ſit prædicator ac teſtis. Si teſtimonium, inquit, dixero de me, teſtimonium meum non eſt verum: alius eſt enim qui teſtis eſt de me. Quòd ſi ipſe Dominus omnia poſtmodum iudicaturus, noluit de teſtimonio ſuo ſibi credi, ſed maluit de teſtimonio & iudicio Dei, patris probari: quanto magis hoc ſeruos eius obſeruare oportet, qui iudicio ac teſtimonio Dei, non probantur tantùm, ſed etiam gloriantur? Quis autem longè eſt ab humilitate? vtrúmne ego, qui quotidie fratribus ſeruio, & venientes ad Eccleſiam ſingulos benignè, & cum voto & gaudio ſuſcipio; an tu, qui te Epiſcopum Epiſcopi, & iudicem iudicis ad tempus à Deo dati conſtituis? cùm Dominus Deus in Deuteronomio dicat: Et homo quicunque fecerit in

Math. 23.

Rom: 13.

Li. 4. epiſt. 9

Mat. 10.

Ioan. 5.

Deut. 17.

„ ſuperbia, vt non exaudiat ſacerdotem, aut iudicem, quicunque fuerit in
„ diebus illis, morietur homo ille: & omnis populus cùm audierit timebit,
„ & non agent impiè etiam nunc. Et iterum ad Samuelem loquitur, & di
1. Reg. 8. cit: Non te ſpreuerunt, ſed me ſpreuerunt. Et adhuc Dominus in Euan-
Ioan. 18. gelio cùm ei dictum fuerat: Sic reſpondes Pontifici? cuſtodiens & do-
„ cens Sacerdotalem honorem ſeruari oportere, contra pontificem nihil di-
„ xerit, ſed innocentiam ſuam tantummodo purgans, reſponderit dicens:
„ Si malè loquutus ſum, exprobra de malo: ſi autem benè, quid me cedis?
Act. 28. Item B. Apoſtolus cùm ei dictum eſſet: Sic inſilis in ſacerdotem Dei ma-
„ ledicendo? nihil contumeliosè locutus eſt aduerſus ſacerdotem: quan-
„ do & potuerit ſe conſtanter exerere aduerſus eos, qui Dominum crucifi-
„ xiſſent, & qui iam Deum, & Chriſtum & templum, & ſacerdotium perdi-
„ diſſent. Sed quamùis in falſis & ſpoliatis ſacerdotibus, vmbram tamen i-
„ pſam inanem ſacerdotalis nominis cogitans dixerit: Neſciebam fratres,
Exodi. 22. quia Pontifex eſt: Scriptum eſt enim: Principi plebis tuæ non maledi-
„ ces. Niſi, ſi ſacerdos tibi fui ante perſecutionem, quando mecum commu
„ nicabas, poſt perſequutionem ſacerdos eſſe deſini. Perſequutio enim ve-
„ niens, te ad ſummam martyrii ſublimitatem prouexit: me autem proſcri-
„ ptionis onere depreſsit, cùm publicè legeretur: Si quis tenet, vel poſsi-
„ det de bonis Cæcilii Cypriani Epiſcopi Chriſtianorum, vt etiam qui non
„ credebat Deo Epiſcopum conſtituenti, vel diabolo crederent Epiſcopum
„ proſcribenti. Nec hæc iacto, ſed dolens profero, cùm te iudicem Dei cō-
„ ſtituas & Chriſti, qui dicit ad Apoſtolos, ac per hoc ad omnes præpoſi-
„ tos, qui Apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedunt. Qui audit vos, me au-
„ dit; & qui me audit, audit eum qui me miſit. Et qui reiicit vos, me reiicit,
„ & eum qui me miſit. Inde enim ſchiſmata & hæreſes obortæ ſunt, & ori-
„ untur, dum Epiſcopus, qui vnus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperba quorun-
„ dam præſumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, in-
„ dignus hominibus iudicatur. Quis enim hic eſt ſuperbiæ tumor? quæ ar-
„ rogantia animi? quæ mentis inflatio, ad cognitionem ſuam præpoſitos
„ & ſacerdotes vocare, ac niſi apud te purgati fuerimus, & ſententia tua
„ abſoluti, ecce iam ſex annis nec fraternitas habuerit Epiſcopū, nec plebs
„ Præpoſitum, nec grex paſtorem, nec Eccleſia gubernatorem, nec Chri-
„ ſtus Antiſtitem, nec Deus ſacerdotem? Subueniat Puppianus & ſententi
„ am dicat, & iudicium Dei & Chriſti in apertum referat, nec tantus fide-
„ lium numerus, qui ſub nobis accerſitus eſt ſine ſpe ſalutis & pacis exiſſe vi-
„ deatur, ne nouus credentium populus nullam per nos conſequutus eſſe
„ baptiſmi & Spiritus ſancti gratiā iudicetur: ne tot lapſis & pœnitentibus,
„ pax data & communicatio noſtra examinatione conceſſa, iudicii tui au-
„ toritate ſoluatur, annue aliquando & dignare pronunciare de nobis, &
„ Epiſcopatum noſtrum cognitionis tuę autoritate firmare; vt Deus & Chri
„ ſtus eius agere tibi gratias poſsint; quòd per te ſit antiſtes & rector altari
„ eorum, pariter ac plebi reſtitutus. Apes habent regem, & ducem pecu-
„ des, & fidem ſeruant latrones, mancipi, obſequio pleno humilitatis ob-

tem-

temperãnt. Quanto ſimpliciores & meliores vobis ſunt brutæ pecudes, & muta animalia, & cruenti licet ac furentes inter gladios atque inter arma prædones? Præpoſitus illic agnoſcitur & timetur, quem non ſententia diuina conſtituit; ſed in quem factio perdita & nocens caterua conſenſit. Docet hoc idem Chryſoſtomus. Qui honorat, inquit, ſacerdotem, Deum quoque honorat, qui verò ſacerdotem ſpernit, ad id ſenſim prolabitur, vt in Deum ipſum aliquando contumelioſus euadat. Qui vos, inquit, ſuſcipit, me ſuſcipit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. Et ſacerdotes eius, ait ſcriptura, in honore habete. Hinc Iudæi Deum aſpernari didicerunt, quia Moyſen contempſerunt, quia lapidibus illum impetebant. Nam qui piè ſacerdoti afficitur, longè maiore pietate Deum reuerebitur. Etſi enim malus fuerit ſacerdos quiſpiam, attendit Deus, quòd ſui gratia illum etiam, qui dignus honore non eſt, obſequiis foues, ipſéque tibi præmia exoluet. Si enim qui Prophetam in nomine prophetæ ſuſcipit, mercedem Prophetæ accipiet: profectò, & qui cedit & obtemperat ſacerdoti, eúmq; propter Dominum honorat, & ipſe à Domino benedicetur, mercedéque ſua non deſtituetur. Hæc Chryſoſtomus. Nam illud Apoſtolorum dictum & exemplum, inquit Tertullianus, Oportere magis obedire Deo quam hominibus, in ea demum certitudine & euidentia voluntatis diuinę locum habet, quam ipſi habuerunt Apoſtoli, vt Chriſtum reſurgentem, ad cœlos aſcendentem, & Spiritum ſanctum de cœlo mittentem videat quis: vt cum ipſo de cœlo Chriſtus ipſe loquatur: vt in nomine eius dæmonia eiiciat, linguis loquatur nouis, ſi quid mortiferum biberit, non moriatur: vt in nomine eius dicat, ſurge & ambula; quale hoc tali tempore cùm nihil videmus, excuſationem inobedientiæ nullam habere poſſumus. Hæc illi.

Chryſoſt. ho. 2. in epiſt. 2. ad Timoth

Matth. 10. Nume. 11. & 16.

Mat. 10.

Huius autem legitimæ poteſtatis, contemptus cauſa, non alia maior fuit, quàm eorum, qui eam ſuſtinent, leuiſsima ſui ipſorum æſtimatio. Quę fuerit grauitas Nectarii, quæ Ambroſii, quæ reliquorum, notum eſt. De Diuo Martino ſcitè ſcribit Seuerus Sulpitius hunc in modum: Cùm ad Imperatorem Maximum, ferocis ingenii virum, & bellorum ciuilium victoria elatum, plures ex diuerſis locis Epiſcopi conueniſſent, & fœda circa principem omnium adulatio notaretur, ſéque degeneri inconſtantia, regiæ clientelæ, ſacerdotalis dignitas ſubdidiſſet, in ſolo Martino Apoſtolica autoritas permanebat. Nam etſi pro aliquibus ſupplicandum regi fuit, imperauit potius quàm rogauit, & à conuiuio eius frequenter rogatus abſtinuit, dicens, ſe menſæ eius participem eſſe non poſſe, qui duos Imperatores, vnum regno, alterum vita expuliſſet: poſtremò, cum Maximus ſe non ſpontè ſumpſiſſe imperium affirmaret, ſed impoſitam ſibi à militibus diuino nutu regni neceſsitatem armis defendiſſe, & non alienã ab eo Dei voluntatem videri, penes quem tam incredibili euentu victoria fuiſſet, nullúmq; ex aduerſariis niſi in acie occubuiſſe; tandem victus vel oratione, vel precibus, ad conuiuium venit, mirum in modum gaudente rege, quòd id impetraſſet. Conuiuæ autem aderant veluti ad diem feſtum euocati,

In vita Diui Martini.

„ euocati, ſummi atque illuſtres viri, præfectus idémq; conſul Euodius, vir,
„ quo nihil vnquam iuſtius fuit, comites duo ſumma poteſtate præditi, fra-
„ ter regis & patruus, medius inter hos Martini presbyter accubuerat, ipſe
„ autem ſellula iuxta regem poſita conſederat. Ad medium ferè conuiui-
„ um (vt moris eſt) pateram regi miniſter obtulit: ille ſancto admodum
„ Epiſcopo potiùs dari iubet, expectans atque ambiens, vt ab illius dextra
„ poculum ſumeret. Sed Martinus vbi ebibit, pateram presbytero ſuo tra-
„ didit, nullum ſcilicet exiſtimans digniorem, qui poſt ſe biberet: nec inte-
„ grum ſibi fore, ſi aut regem ipſum, aut eos qui à rege erant proximi, preſ-
„ bytero prætuliſſet. Quod factum Imperator, omnésque qui tunc aderant
„ ita admirati ſunt, vt hoc ipſum eis, in quo contempti fuerant, placeret,
„ celeberrimúmq; per omne palatium fuit, feciſſe Martinum in regis pran-
„ dio, quod in infimorum iudicum conuiuiis Epiſcoporum nemo feciſſet.
Hæc Seuerus. Quam Eccleſiæ præſidum grauitatem iam ante Iulianus
Niceph. lib. 10. ca. 22. de eccl. hiſt. Apoſtata miratus, ſuos item ſacerdotes imitari voluit. Non committen
dum, inquit ille, vt aliis bona noſtra æmulari permittamus, ipſi autem per
ſocordiam nos pudore afficiamus, ſeu potius deorum obſeruantiam & re-
„ ligionem prodamus. Atque, ſi hæc te ita exequi audiero, hilarem & lætum
„ me reddis. Prouinciæ rectores perrarò domi ſuæ viſe: frequenter autem
„ epiſtolas ad eos mitte. Eiſdem in vrbem aduenientibus nullus ſacerdo-
„ tum obuiam eat: ſed cùm in deorum templa ingrediuntur, inter veſtibu-
„ lum ſaltem occurrat. Ne quis autem miles eos ædem ſacram ingredien-
„ tes præcedat, ſequatur tamen qui volet. Quàm primum enim magiſtra-
„ tus ſolum delubri attigerit, priuatus redditur. Hæc ille. Noſtri autem vix
non conſcendendorum equorũ Regibus ac præfectis ſcabellaſe prębent.

Sed nec illa leuis fuit ruinæ cauſa, inutilium quæſtionum, & ad vitæ morúmque inſtitutionem nihil pertinentium curioſa, apud promiſcuam multitudinem pertractatio, à qua Eccleſias ſuas multum arcet D. Paulus.
2. Tim. 2. Stultas autem & ſine diſciplina quæſtiones deuita, ſciens quia generant lites. Seruum autem Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt veritati, ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad
2. Tim. 2. ipſius voluntatem. Et paulò antè: Noli contendere verbis, ad nihil enim vtile eſt, niſi ad ſubuerſionem audientium. Sollicitè autem cura teipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem, rectè tractantem verbum veritatis. Profana autem & inaniloquia deuita: multum enim proficiunt ad impietatem: & ſermo eorum vt cancer ſerpit. Stultas
Tit. 3. autem quæſtiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita, ſunt enim inutiles & vanæ. Hæreticum hominem poſt vnam & ſecundam correptionem deuita, ſciens quia ſubuerſus eſt, qui eiusmodi eſt, & delinquit cùm ſit proprio iudicio condemnatus. Veriſsimè enim illud à Comico dictum eſt: Nimium altercando veritas omnis amittitur. At ſcri

ptum

ptum est : Scrutamini scripturas, ipsę enim testimonium perhibent de me. *Ioan: 5.*
Et : Quærite & inuenietis. Scriptum quidem est : sed quo sensu & mo- *Mat. 7.*
do, præclarè explicat Tertullianus : Venio, inquit ille, ad illum articu- *Tertullia. de*
lum, quem & nostri prætendunt ad ineundam curiositatem, & hæretici *præscri. hær.*
inculcant ad importãdam curiositatem : Scriptum est inquiunt : Quærite »
& inuenietis. Quando hanc vocem Dominus emisit, recordemur : Puto »
in primitiis ipsis doctrinæ suæ, cùm adhuc dubitaretur apud omnes an »
Christus esset. Et cùm adhuc nec Petrus illum Dei filium pronunciasset : »
cùm etiam Ioannes de illo certus esse desiisset. Meritò ergo tunc dictum »
est : Quærite & inuenietis, quando quærendus adhuc erat, qui adhuc a- »
gnitus non erat, & hoc quantum ad Iudæos. Ad illos enim pertinet to- »
tus sermo sugillationis istius, qui habebant, vbi quærerent Christum. »
Habent, inquit, Moysen & Eliam, id est, legem & Prophetas Christum »
prædicantes : secundùm quod & alibi apertè : Scrutamini, inquit, scri- »
pturas, in quibus salutem speratis : illæ enim de me loquuntur. Hoc erit, »
Quærite & inuenietis. Nam & sequentia in Iudæos competere manife- »
stum est, Pulsate & aperietur vobis. Iudæi retrò penes Deum fuerant : de- »
hinc eiecti ob delicta, extra Deum esse cœperunt. Nationes verò nunquã »
penes Deum, nisi stillicidium de situla, & puluis ex area, & foris semper. »
Itáque qui foris semper, quomodo pulsabit eò vbi nunquam fuit ? quam »
ianuam nouit, in qua nec receptus, nec eiectus aliquando ? an qui scit se »
intus fuisse, & foras actum, is potius pulsabit, & ostium nouit ? Etiam, Pe- »
rite & accipietis, ei competit, qui sciebat à quo esset petendum, à quo & »
erat aliquid promissum, à Deo scilicet Abraham, Isaac & Iacob, quem na- »
tiones non magis nouerant, quàm vllam repromissionem eius. Et ideo »
ad Israël loquebatur : Non sum, inquit, missus nisi ad oues perditas do- »
mus Israëlis. Nondum canibus iactabat panem filiorum : nondum in vi- »
am gentium & nationum ire mandabat. Siquidem in finem præcepit, vt »
vãderent ad docendas & tingendas nationes, consequuturi mox Spiritum »
sanctum paracletum, qui illos deducturus esset in omnem veritatem : & »
hoc erga illos facit. Quòd si nationibus destinati Doctores Apostoli, ipsi »
quoque Doctorem consecuturi erant paracletum ; multò magis vacabat »
erga nos, Quærite & inuenietis : quibus vltrò erat obuentura doctrina per »
Apostolos, & ipsis Apostolis per Spiritum sanctum. Omnia quidem di- »
cta Domini, omnibus posita sunt, quæ per aures Iudæorum ad nos transi- »
erunt, sed pleraque in personas directa, non proprietatem admonitionis »
nobis constituerunt, sed exemplum. Cedo nunc sponte de gradu isto : »
omnibus dictum sit : Quærite & inuenietis : tamen & hic expetit sensus »
certare cum interpretationis gubernaculo. Nulla vox diuina ita dissolu- »
ta est & diffusa ; vt verba tantùm defendantur, & ratio verborum non con »
stituatur. Sed inprimis hoc propono. Vnum itáque & certum aliquid in- »
stitutum esse à Christo, quod credere omni modo debeant nationes, & »
idcirco quærere, vt possint, cùm inuenerint, credere. Vnius porrò & cer »
ti instituti, infinita inquisitio non potest esse : quærendum est donec inue- »
nias, »

„ nias, & credendum vbi inueneris, & nihil amplius, niſi cuſtodiendum,
„ quod credidiſti; dum hoc inſuper credis, aliud non eſſe credendum. Ide-
„ óque nec requirendum, cùm id inueneris, & credideris, quod ab eo inſti-
„ tutum eſt, qui non aliud tibi mandat inquirendum, quàm quod inſtituit.
„ De hoc quidem, ſi quis dubitat, conſtabit penes nos eſſe, id quod à Chri-
„ ſto inſtitutum eſt. Interim ex fiducia probationis præuento, admonens
„ quosdam nihil eſſe quærendum vltrà quod crediderunt, id eſſe quod quę-
„ rere debuerunt. Quærite & inuenietis: ſine diſciplina rationis interpre-
„ tentur. Ratio autem dicti huius in tribus articulis conſiſtit: in re, in tem-
„ pore, in modo. In re, vt quid ſit quærendum conſideres. In tempore,
„ vt quando. In modo, vt quouſque. Hæc Tertullianus. Quæ eadem ma-
In Oratio. 1. Theologica. gnus ille Theologus D. Nazianzenus, ſimiliter docet, contráque tam ex-
itioſæ curioſitatis cacoëthes ſaluberrima fert remedia. Non cuiusùis
„ eſt, ô viri, de Deo diſſerere, non inquam cuiusùis, non adeò vilis ac pro-
„ trita hæc res eſt, & eorum qui humi adhuc reptant. Addam etiam non
„ cuiusùis temporis, nec apud quosùis, nec de quibusùis: ſed certo tempo-
„ re, & apud certos homines, & aliquouſque hoc faciendum eſt. Non cu-
„ iuſlibet quidem, quoniam his duntaxat hoc muneris incumbit, qui exa-
„ ctiſsimè explorati ſunt, contemplandíque acumine excellunt, priúsq; eti-
„ am & corpus & animũ à vitiorum ſordibus purgârunt, aut, vt parciſsimè
„ loquar, iam in hoc toti ſunt, vt ſe à vitiorum labe purgent. Impuro enim
„ rem puram attrectare, ne periculo quidem fortaſſe caret, quemadmodum
„ nec ægris oculis, ſolis radios intueri. Quando autem? Tum videlicet,
„ cùm noſmetipſos in quietem atque otium aſſeruerimus: ne alioqui prin-
„ cipes noſtri pars improbis formis, vagísque confundatur, dum velut de-
„ formibus literis elegantes literas, cœnóque vnguentum admiſcemus. Va
„ care enim haud dubiè oportet, vt ad Dei cognitionem perueniamus. A-
„ pud quos porro? Nempe apud eos, qui rem huiuſmodi ſtudiosè ac ſeriò
„ amplectuntur, quíque, non vt quippiam aliud, ſic hoc quoque inepta nu-
„ gacitate proſequuntur, poſt Circenſes ludos, & ſpectacula, poſt cantiones,
„ poſt expletum ventrem & venereas voluptates. Qui quidem ita perditè
„ affecti ſunt, vt hoc quoque in oblectamentorum parte numerent, nimi-
„ rum de diuinis rebus nugari, atque arguta diſputatione concertare. Iam
„ de quibus, & quouſque diſputandum? De his ſolùm, quæ ingenii noſtri
„ modulum, captúmque auditoris non excedunt: ne alioqui, vt nimia vocis
„ intentio, atque immodicus cibus aures & corpora labefactat, itidémque
„ ſarcinæ viribus grauiores ſubeuntium humeros, ac crebriores pluuiæ ter-
„ ram opprimunt; ita etiam auditores quæſtionibus grauioribus, ac durio-
„ ribus oppreſsi atq; confecti, priſtinas quoque vires amittant. Neq; verò
„ quiſpiam ita accipiat, quaſi Deum perpetua memoria colendum eſſe ne-
„ gem, (ne rurſus aduerſum nos irruant, qui omnia facilè ac ſtatim in ca-
„ lumniam trahunt) Nec enim tam ſæpè ſpiritum ducere, quàm Dei me-
„ miniſſe debemus: imò ſi dici hoc poteſt, aliud nihil quàm hoc faciendum.
„ Nam & ego inter eos nomen meum profiteor, qui eam legem probant,

quæ

quæ die ac nocte iubet meditari: veſpere & manè & meridiè narrare ac benedicere Dominum in omni tempore, ſiue (vt verbis Moyſis vtar) dormias, ſiue à ſomno exurgas, ſiue iter facias, ſiue quid aliud agas, memoria ipſa ad puritatem informari. Itáque Deum quidem ſemper in animo habere, permanere ſanè licet cuique, at non item de Deo diſputare. Imò nec hoc prohibeo, ne de Deo diſputetur (id enim pium eſt) ſed ne id alieno tempore fiat. Nec hoc ago, vt docendi munus explodatur, ſed ne mediocritatis fines excedantur. Et paulò pòſt demonſtrat, quæ bona, eius garrulitatis cauſa prætermittantur. Cur manibus vinctis linguam armamus? Non hoſpitalitatem, non fraternam charitatem, non mutuum coniugii amorem, non virginitatem laudamus: non pauperum alendorũ curam ſuſcipimus: non Pſalmorum decantationem, non nocturnam ſtationem, non lacrymas, non corpus ieiuniis premimus: non per orationem ad Deum peregrinamur: non præſtantiori parti deteriorem, hoc eſt, pulueremdignitati ſpiritus obedire cogimus; quemadmodum qui maſſæ, ac temperaturæ humanæ cauſam iuſtè diſceptant: non præſentem hanc vitam mortis meditationem facimus: non nobilitatis primùm nobis diuinitus inditæ, memores in hoc incumbimus, vt affectibus imperemus: non iram intumeſcentem ac ſæuientem edomamus: non deiicientem ſuperbiam, non mœrorem inconſultum, non ſtultam voluptatem, non procacem ac meretricium riſum, non præcipitem & temerarium aſpectum, non aures inexplebiles, non immodicam loquendi libidinem, non abſurdas cogitationes, non denique quicquam eorum, quæ à nobis contra nos perueſus ille hoſtis accipit, per feneſtras (vt ſcriptura loquitur) hoc eſt, ſenſoria mortem in animum introducens. Imò contrarium omninò facimus, atque aliorum affectibus libertatem damus, non ſecus, ac parta victoria, reges militibus ſuis liberiùs palandi licentiam concedunt: hac duntaxat lege & conditione, vt in noſtras partes propendeant, atque aduerſus Deum audacius ruant. Ac malum, non bonæ rei mercedem ipſis pendimus, nimirum pro impietate, peccandi licentiam ipſis perſoluentes. Remedia autem illa huius inquieti morbi recenſet deinceps. Quid ergo vir optime relictis aliis omnibus itineribus, perinde ac doctrinam noſtram paupertatis damnantes, ad vnum hoc iter ferimini omnes, quod per diſputationes ac ſpeculationes, vt ipſi putatis, vt autem ego, nugas & præſtigias teritur. Obiurget vos Paulus poſt gratiarum enumerationem acriter ita exprobrans: Num omnes Apoſtoli? num omnes Prophetæ? & quæ ſequuntur. Eſto autem: ſis ipſe altus ac ſublimis, & ſublimibus ſublimior, ac nubibus altior, ſi ita lubet, rerum ab oculis remotarum ſpectator, & arcanorum auditor, poſt Heliam in ſublime raptus, poſt Moyſen Dei conſpectione dignus habitus, poſt Paulum in cœlum euectus; quid tandem eſt, quod alios quoque vnius diei momento ſanctos fingis, & Theologos creas, eruditionémq; ipſis velut inſpiras, & multa eloquentium indoctorum conciliabula facis? Cur aranearum telis infirmiores illaqueas, ex eóque tibi ſcitus & magnus videris? cur contra fidem crabrones excitas? cur di-

Pſal. 1. 33. 52. *Deut.* 6. 11. & 17. *Ierem.* 9.

„ alecticorum agmẽ nobis ex tempore producis, non aliter ac fabulæ olim
„ gigantes? cur leuissimos quosque homines,& viri nomine indignos,ve-
„ luti colluuiem quandam in vnum torrentem cogens, ac verborum illece-
„ bris magis ac magis effœminans nouam officinam condidisti, astutè in-
„ terim eorum amentia ad vtilitatem tuam abutens, ex eáque messem fa-
„ ciens? Quòd si his quoque contradicis, nec alia vitæ studia atque insti-
„ tuta, vllo apud te pretio sunt, ac linguam omninò imperare oportet,nec
„ parturientem linguam vlla arte retinere potes, multa quoque alia & ho-
„ norifica argumenta tibi suppetunt, ad quæ morbum istum non sine fruge
„ conuertere queas, Pythagoræ silentium,& fabas illas Orphicas insectare,
„ recentiorémque arrogantiam illorum verborum: ipse dixit: Impete Pla-
„ tonis Ideas, animorúmque nostrorum in varia corpora immigrationes &
„ circumitiones, & reminiscentias,ac deniq; non pulchros amores per cor-
„ pora pulchra in animum subeuntes: Epicuri impium numinis contemptũ
„ exagita,nec nõ atomos & philosophia indignam voluptatem: Aristotelis
„ ieiunam & angustam prouidentiã, versutúmq; item artificium, & morta-
„ les de anima sermones, & nimis humana atq; abiecta huius viri dogma-
„ ta confuta: Stoicorum supercilium deiice: Cynicorum ingluuiem & scur
„ rilitatem impete: Vacuum illud nugarum certè plenum, incesse. Deniq;
„ quæcunque illi de diis, de sacrificiis, de simulacris, de dæmonibus, tum
„ beneficis, tum maleficis, de vaticinatione,de numinis & animarum euo-
„ catione,ac postremò,de vi & facultate syderũ vanissimè disputant.Quòd
„ si de his rebus vt paruis, ac sæpè confutatis disputationem instituere recu
„ sas, atque in tuis versari gestis, in ísque gloriam nominísque celebrita-
„ tem affectas, & hic tibi latam viam patere ostendam. De mundo vel mũ
„ dis philosophare, de mareria, de anima, de naturis ratione præditis, tam
„ præstantioribus quàm inferioribus, de resurrectione, de iudicio, de præ-
„ miis ac pœnis, de Christi suppliciis: in his enim argumentis & scopum
„ assequi vtile est,& aberrare minimè periculosum.At verò,cum Deo in hac
„ quidem vita parcius, aliquantò post autem plenius commercium habe-
„ bimus. Hæc ille.

Nec minor illa fuit mali origo. In tam effusa disputandi licentia,non
1. *Tim.* 3. ad vniuersalis Ecclesiæ, quæ columna & firmamentum est veritatis, con-
sensum: neque ad vniuersalia Concilia, quæ totam Christianam fidem &
autoritatem continent: non ad veterumPatrum iudicia,qui totius doctri-
næ, veritatísque successores sunt; sed ad priuata hominum iudicia recur-
sus atque prouocatio, ab vniuersalibúsque decretis, & sententiis, ad pro-
prias hominum opiniones transitus: quæ res non hoc loco tantùm, sed
in omni etiam arte, atque scientia veritati est maximè aduersa & contra-
ria. Cùm vel angelos ipsos vniuersam salutis nostræ œconomiam, fideíq;
nostræ mysteria,non nisi per Ecclesiam cognoscere,docet illis verbis Pau
Ephes. 3. lus: Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus
euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit
dispensatio sacramenti absconditi à seculis in Deo, qui omnia creauit, vt

inno

innoteſcat principibus & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam, multiformis ſapientia Dei, &c. Quam itidem non poſtremam errorum cauſam fuiſſe ſuo tempore docet inprimis Irenæus: Tantæ igitur oſtenſiones, cùm ſint hæc, non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facilè eſt ab Eccleſia ſumere, cùm Apoſtoli, quaſi in depoſitorium diues, pleniſsimè in eam contulerint omnia, quæ ſint veritatis; vt omnis, quicunque velit, ſumat ex ea potum vitæ. Docet eodem modo Tertullianus. Vbi tamen quæri oportet? apud hæreticos? vbi omnia extranea & aduerſaria noſtræ veritati, ad quos vetamur accedere. Quis ſeruus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico Domini ſui ſperat? *Irenæus.* *Tertullia. de præſcri. hære*

Proxima illa fuit malorum cauſa, eccleſiaſticarum ſanctionum, Canonum, Decretorum, veteris diſciplinæ vniuerſæ, excommunicationum inquam, exauthorationum, ſuſpenſionum, interdictorum, fraternarum correctionum, ac reliquarum Eccleſiaſticarum animaduerſionum extremus planè contemptus, ac deriſio, qui primùm ab ipſo ſacrario Dei ortus, demum per omnes hominũ ordines manauit. Spreta ac repudiata ſunt, carnis mortificatio ac ſubactio, ieiunia cæremoniæ, ſatisfactiones, quas Græci ἐπιτίμια vocant, humicubationes, ac reliqua ſpiritualis vitæ exercitia. Succeſſerunt in eorum locum, licentia, luxus, ſtupra, matrimonia inceſta, vſuræ, ſimoniæ, omne denique ſcelus, & nefas, atque ita carne impinguata, dilatata, incraſſata, remota omni diſciplina, ſpiritu coarctato, oculis mentis cœcutire ac in dies magis caligare cœperunt: eóq; res perducta eſt, vt neque lex, neque rex in Iſraël eſſet; ſed faceret vnusquisque quod ſibi rectum videretur; ita vt vires cuiuſque eſſet lex iniuſtitiæ, libido norma temperantiæ, auaritia & cupiditas regula parſimoniæ.

Sequuta eſt demum & alia grauis exitioſi mali cauſa. Venerandæ vetuſtatis contemptus & neglectio, omnis autem nouitatis mirum & inſatiabile ſtudium. Quibus gradibus aliquando ſuo tempore à catholica fide ad Sabellianiſmum, Arianiſmum, Macedoniſmum prolapſas eſſe Orientales Eccleſias, ſcribit Baſilius: Patrum, inquit, dogmata contemnuntur, Apoſtolicæ traditiones annihilantur, recentiorum hominum inuenta Eccleſiis inſeruntur. Homines in poſterum de artibus non de Deo diſſerunt. Mundi ſapientia primas tenet, crucis gloriam abominans. Paſtores abiguntur, lupi graues introducuntur: qui Chriſti gregem diſcerpunt. Domus oratoriæ deſeruntur à cœtu: ſolitudines refertæ ſunt plorantibus. Seniores ingemiſcunt, dum vetera præſentibus comparant. Iuuenes miſerabiliores, qui non videant qualibus priuati ſint. Perſequutio nos apprehendit, fratres colendiſsimi, perſequutionum omnium grauiſſima. Abiguntur enim paſtores vt greges diſpergantur: & quod omnium eſt duriſsimum, neque qui affliguntur, per martyrii certitudinem illatas paſsiones tolerant: neque plebs martyrum loco athletas habet ac veneratur; propterea quod Chriſtianorum nomine tecti ſunt perſequutores. Vnum iam crimen eſt, quod vehementer punitur, ſi paternas quis traditiones diligenter obſeruet; ob hanc cauſam paternis ſedibus abiguntur pii, *Baſil. epi. 61.* *Epiſt. 70.*

„ & ad ſolitudines migrare coguntur. Quam autem ſimiles cauſas ſimili-
mi exitus conſequuti ſunt, in eadem Epiſtola ad eosdem Orientales Epi-
Epiſt. 70. ſcopos idem Baſilius docet: Domus precationum clauſæ ſunt: Altaria
„ cultu ſpirituali vacant: nulli amplius Chriſtianorum cœtus: nulla amplius
„ Doctorum præſidentia: ceſſarunt doctrinæ ſalutares: ceſſarunt panegy-
„ res, ac feſtiui conuentus publicíque: hymnodiæ nocturnæ non habentur,
„ neque ſupereſt beata illa exultatio, qua Domino credentium animæ in
„ ſynaxi ac communione ſpiritualium chariſmatum exhilarantur. Nobis
„ iam dicere licet, quòd in hoc tempore ſit neque princeps, neq; propheta,
„ neque præſes, neque oblatio, neque incenſum, neque locus, vbi coram
„ Domino poſsit offerri ſacrificium ac miſericordia acquiri. Non impugna-
„ mur propter pecunias, non propter gloriæ ſplendorem, non propter ali-
„ quid aliud rerum temporalium; ſed propter communem theſaurum, pro-
„ pter hæreditatem paternam, propter ſanam fidem in certaminis procin-
„ ctu conſiſtimus arrecti. Lugete nobiſcum ô fratres amantes. Occluſa
„ namque ſunt apud nos piorum ora, reſerata verò eſt quælibet audax bla-
„ ſphemáque lingua eorum, qui aduerſus Deum loquuntur iniuſtitiam. Co-
„ lumnæ & ſtabilimentum veritatis diſsipantur. Nos, qui tenuitatis gratia
„ deſpicimur, fiducia loquendi deſtituti ſumus. Nam vnigenitus blaſphe-
„ matur, & nemo eſt qui contradicat: Spiritus ſanctus dehoneſtatur, & qui
„ reprehendere poſſet, fugatur. Error multorum Deorum obtinuit. Magnus
„ apud illos Deus eſt & paruus, filius non naturæ nomen ſed honoris ap-
„ pellatio reputatur: Spiritus ſanctus, nec ad ſanctæ Trinitatis complemen
„ tum pertinere, nec diuinæ beatæque naturæ conſors, ſed ex creaturarum
„ numero temerè, & vtcunque patri & filio adiectus eſſe docetur. Quis da-
„ bit capiti meo aquam, & palpebris meis fontem lacrymarum, & deplora-
„ bo complures dies populum peruerſis iſtis doctrinis ad perditionem ada-
„ ctum? In tranſuerſum rapiuntur ſimpliciorum aures, ac deinceps in con-
„ ſuetudinem tranſeunt hæreticæ impietatis. In iſtiusmodi ſermonibus do-
„ ctrinæ pluſquam impiæ educantur Eccleſiæ infantes. Nam quid aliud e-
„ tiã facient? Baptiſmata ſunt apud hæreticos. Illi deducunt peregrè quo-
„ ùis progredientes: inuiſunt infirmos, ſolantur mœſtos, adiuuant labo-
„ rantes & preſſos, omnis generis opem adferunt, myſteriorum communi-
„ onem adminiſtrant. Quod omnia per illos diſpenſantur ac perficiuntur,
„ quaſi retinaculum quoddam eſt plebi, quo ad illorum concordiam aſtrin
„ guntur, ita vt breui temporis decurſu, etiamſi reſtituatur, aliqua libertas,
„ nulla tamen ſpes reliqua futura ſit ad veritatis iterum agnitionem redu-
„ cendi eos, qui diuturnæ dilectionis vinculo hæreticis obſtricti ſunt. Hæc
Baſilius. Quid ſimilius eſſe poteſt cum his, quæ noſtro geruntur ſeculo? Non certè ouũ ouo, vt eſt in veteri prouerbio, magis ſimile: ita ſimiles cauſas non diſsimiles ſequuntur effectus. Quanquam autem in eam vniuerſæ antiquitatis abrogationem omnes ferè hæretici conſenſerunt ſemper, in eámque conſpirâſſe videntur; nemo tamen illi inimicior fuit ipſo Caluino vnquam. Qui cum non ignoraſſet vniuerſam Catholicam fidem, omnem

vetuſtatis

vetuſtatis rationem libris Conciliorum contineri, hæc primùm impugnare cœpit, illísque omnem fidem detraxit, vt illis in ordinem redactis, omnem antiquitatis memoriam abrogaret. Neque tamen id palam, aut apertè fecit; ſed vt cętera omnia, clam, & ex inſidiis. Primùm enim poſterioribus quibuſdam Conciliis detrahit, prima vtcunque laudat, mox ſenſim & pedetentim ad media ſe refert, ac eodē modo quo ſuperiora damnat, vltimò tandem & prima illa inuadit, eáque impia & nefaria cenſura notat, omnémque illis fidem & autoritatem aufert. Quod ne fingere videamur, iuuat eius ſententiam de primis quatuor Synodis, quas tanquam quatuor Euangelia orbis terrarum veneratur, adſcribere. Eant nunc, » inquit, Romanenſes, & affixum alligatúmque ſuis Conciliis, Spiritum ſan » ctum pro more iactent. Quanquam in illis quoq; antiquis & purioribus » eſt, quod iure deſideres, vel quod alioqui eruditi, & prudentes viri, qui » tum aderant, præſentibus negotiis diſtricti, multa alia proſpiciebant: vel » quòd grauioribus & magis ſeriis occupati, nonnulla leuioris momenti » ſubterfugiebant: vel quod ſimpliciter, vt homines imperiti falli poterant: » vel quòd nimio affectu, nonnunquam præcipites ferebantur. Huius po- » ſtremi (quod omnium duriſsimum videtur) exemplum illuſtre extitit in » Nicena ſynodo; cuius dignitas omnium conſenſu ſumma veneratione, vt » merebatur, excepta eſt. Nam cùm primarium fidei noſtræ caput illic pe- » riclitaretur, adeſſet hoſtis Arius in procinctu, quo cum manus conſeren- » dæ eſſent, ſummum verò momentum in eorum concordia eſſet, qui ad » oppugnandum Arii errorem parati venerant; ipſi nihilominus tantorum » diſcriminum ſecuri, imò velut grauitatis, modeſtiæ, & omnis humanita- » tis obliti, omiſſo quod in manibus erat certamine (quaſi ex deſtinato A- » rio gratificaturi, eò conceſsiſſent) inteſtinis diſsidiis ſeſe proſcindere cœ- » perunt: ſtilum qui in Arium ſtringendus erat, in ſeipſos dirigere. Fœdæ » criminationes audiebantur, libelli accuſatorii volitabant, nec contentio- » num finis vllus factus eſſet, donec mutuis vulneribus ſe confodiſſent, ni- » ſi Imperator Conſtantinus occurriſſet, qui inquiſitionem in eorum vitam, » rem eſſe ſupra ſuam cognitionem profeſſus, talem intemperiem laude ma » gis, quàm obiurgatione caſtigauit. Quàm multis partibus & alia, quæ » deinde ſequuta ſunt, Concilia lapſa fuiſſe veriſimile eſt. Nec longa de- » monſtratione opus hæc res habet. Si quis enim acta perlegat, multas illic » infirmitates animaduertet, ne quid dicam grauius. Quibus verbis, quid » malicioſius, quid magis inſidioſum, quid magis impium, quid ad abro- gandam omnē antiquitatis fidem, imò religionis totius Chriſtianę, magis comparatum eſſe poteſt? Hócq; illud eſt initium, & quaſi fundamentum omnium earum blaſphemiarū, quibus hoc ſeculo orbis circumſonat Chriſtianus. Sed & hæc hactenus.

Magnus & ille fuit offenſionis & ſcandali lapis, communis & indifferens, quaſi cum hæreticis atque adeò omnibus illis, qui religionis cauſa ex ſuis ſedibus erant pulſi, non ſolùm conuerſatio & contubernium, ſed affinitates etiam & cognationes, cum his ſemper eſſe, cum his ſimul col-

loqui, hos in oculis ac manibus gestare, cum iisdem domum, conclaue, tectum commune habere, & quibus exiguam pecuniam aliquando non
Matth. 7. crederes, his teipsum animámque tuam credere. Quod primum contra Christi præceptum fit: qui monet à falsis Prophetis diligenter attendendum esse, eorúmque consuetudinem fugiendam: & qui non audiuerit
Mat. 18. Ecclesiam, in ethnicorum & publicanorum loco habendum esse. Docet
2. Cor: 6. hoc idem D. Paulus. Nolite, inquit, cum infidelibus iugum ducere. Timotheus Episcopus Pauli discipulus fuit, signa ab Apostolis edita & vidit,
Tit. 3. & fecit ipse: huic tamen scribit Paulus: Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est, qui eiusmodi
2. Timo. 2. est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus. Et alibi: Profana autem & inaniloquia deuita, multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum vt cancer serpit. Ex quibus est Hymenæus & Philetus, qui à veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse iam factam, & subuerterunt quorundam fidem; sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Cognouit Dominus qui sunt eius, & discedat ab iniquitate omnis, qui inuocat nomen Domini. Timotheus igitur Episcopus, Pauli discipulus, hæreticos deuitabat, ne subuerteretur: simplex quis ciuis aut agricola, vel muliercula aliqua inter illos tutò versabitur? Amẽtia hæc est. Quantum obfuerit Constantiæ consuetudo cum Ariano presbytero, scimus. Docuit hoc idem D. Ioannes, idq; tam verbo quàm exem
1oan. 1. epist plo. Verbo quidem: Si quis, inquit, venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui e-
Euseb. lib. 4. cap. 13. eccle. hist. nim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis. Opere autem: Cum Ephesi ad balneum venisset, intúsque Cerinthum hæreticum, reperisset, è balneo subitò illotus proripuit, & eos qui vna erant hoc modo hortatus est: Fugiamus ocyus, ne balneum, in quo est Cerinthus veritatis aduersarius, extemplo corruat. Eodem modo Polycarpus, Marcioni in eius conspectum venienti, dicentíque ac roganti: Nosce nos amabo, respondisse fertur: Noui equidem primogenitum Sathanæ. Talem enim (pulchrè sanè addit Eusebius Cæsarienſis) tum Apostoli, tum illorum discipuli adhibuerunt cautionem; vt ne sermonem quidem cum aliquo illorum, qui veritatem fallaciter suis commentis adulterare nitebantur, ali-
Irenæus. quando conferre vellent. Docuit hoc idem Irenæus. Vt videntes, quæ
» sunt illorum, omnes non blasphement, in nullo eis communicantes, neque
» in doctrina, neque in moribus, neque in quotidiana conuersatione. Do-
Tertullia. de præscrip. hæ. cuit Tertullianus: Scripturas obtendunt, & hac sua audacia statim quosdam mouent: in ipso verò congressu firmos quidem fatigant, infirmos
» capiunt, medios cum scrupulo dimittunt. Euſebio quoque Samosaten-
» sium Episcopo, in Thraciam, iussu Valentis, relegato, ciues ipsi quàm constantes in fide Catholica fuerint, & quantum Arianis restiterint, nar-
Li. 4. ca. 14. rat Theodoritus. Eunomio enim, qui apud eos Episcopatum sibi vsurpabat, cùm in animo esset, se in balneo lauare, famuli, quò ingredi cupientes prohiberent, fores balnei occluserant: at ille vbi videt multitudinem

pro

pro foribus ſtantem, fores aperiri, & omnes audacter ſe in balneo vna lauare iubet. Idem quoque præſtitit in interiore balneo teſtudinato: nam cùm ſibi lauanti multos aſtare cerneret, mandat vt fruantur vnà aquis calidis. Illi autem taciti conſiſtebant. At iſte eos honoris cauſa ita ſtare arbitratus, ſurgens ocyus egreditur è balneo. Illi verò aquam hæreticæ nequitiæ contagione infectam eſſe rati, eam in cloacam emittunt, nouámque ſibi infundi imperant. Qua re cognita, iſte vrbe relicta abiit: quippe ſtultitiæ, imò verò ſummæ dementiæ putauit eſſe, vrbem infeſtam, & cõmunem ſimultatem erga ipſum exercentem incolere. Lucium deinde in eum locum ſufficiebant Ariani, lupum planè & inſidiatorem ouium: tamen oues deſertæ à paſtore, paſtoris munus ipſæ obierunt: doctrinam enim Apoſtolorum integram conſeruârunt. Verùm, in quantum odium etiam iſte ab omnibus vocatus ſit, hiſtoria, quam deinceps idem Theodoritus narrat, docebit. Pueri in foro pilam mutuò contorsêre: quo quidem ludo ſe admodum oblectabant. Ac fortefortunà, dum tranſibat illac Lucius, pila è manibus pueri cuiusdam elapſa, per aſini eius pedes peruoluebatur. Pueri autem vociferari: quippe pilam ſcelere pollutam exiſtimârunt. Qua re intellecta, dat mandatum vni ex comitum ſuorum numero, vt maneat, diſcátque quid factum ſit. Pueri verò igne accenſo, pilam per eius flammam torquent, ſícque eam purgatum iri arbitrati ſunt. Ac tametſi non ſum neſcius, inquit Theodoritus, hoc puerile eſſe, & inueteratæ conſuetudinis veluti reliquias; tamen ſatis indicii inde capi poteſt, quàm eſſet ſecta Ariana illi vrbi odioſa. Neq; temerè aut fruſtra ſanctiſsimi Patres, & antiqui Chriſtiani, tantopere omnem hæreticorum conſuetudinem, congreſſum, conſpectúmque fugiebant: Qui enim tangit picem, coinquinabitur ab ea: & qui vicinus eſt igni, etſi non aduritur, incaleſcit tamen, decoloratur etiam nonnunquam. Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Commixti ſunt, inquit Scriptura, inter gentes, & didicerunt opera eorum. Erant quondam deſertæ probatæ & Catholicæ Academiæ; alienas & hæreticas noſtri populares petierunt, vnde magno precio nihil ſapere, malè autem credere didicerunt, inde tanquam ex nundinis & mercatu quodam, errores & hæreſes aduexerunt. Non deerant ſui Charones, qui iſtos magno precio deueherent, ex eáq; præda diuites (ſi modo diuites) facti ſunt. Gutta cauat lapidem, non vi, ſed ſæpè cadendo.

Eccleſi. 3.

1. Cor. 15.

Pſalm. 105.

Vt autem intimę cum hæreticis cõuerſationes atq; contubernia, multorum malorum cauſa fuerunt; ita & librorum paſsim indifferens ſcribendorum ac componendorum ſine examine, ſine cenſura, ſine iudicio, licentia, tum eorundem profana & paſsim libera lectio. Quæ omnia antiquitus licita non fuiſſe, cùm ex ſuperioribus Sanctiſsimorum Imperatorum legibus, tum ex re ipſa videre licet. Nullius enim ex veteribus hæreticis quantumùis doctiſsimi, quantumùis eloquentiſsimi, aliquid quod cum hæreſi coniunctum ſit, extare videmus, non Apollinarium germanorum fratrum, quorum alter Platoni, alter Homero ſimilis fuiſſe dicitur, quo-

rum alter vniuersam veterem legem Homericis versibus, alter totam Christi doctrinam Platonis dialogis inclusit, non item plurimorum aliorum libri visuntur.

Sed nec illa exigua causa mali fuit, philosophiæ, atque humanæ sapientiæ abusus. Nam cùm eius vniuersa natura, & partes in differendi subtilitate, in naturæ obscuritate, vita & moribus consistat, quæ omnia ad res intra complexum huius orbis mortalis referuntur, vt sint lex & regula earum rerum, quæ inops & imbecillis solùm natura ménsque humana sola gignit, vtq; tantisper homini in obscura nocte collocato luceant, dum lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, exoritur: homines stulti ac inepti, ad omnémq; doctrinæ ostentationem perditè effusi, ad eius leges & normam facta ipsius præpotentis Dei, atque adeò illum ipsum examinare, ac tanquam ad certissimam limam referre, illa metiri, ac eis decretis coarctare voluerunt, inuentis frugibus glande vesci, orto lucidissimo sole, sub obscura Platonis vel Aristotelis facula versari, & ambulare maluerunt: & in illis qdem reb⁹ cuius causa Philosophia inuenta est, ea vsi non sunt: in Rerumpub. inquam, gubernatione, in differendi subtilitate, in rerum causis explicandis, in vita cõmuni. Ad ea aũt, quę illam longè superant, eam transtulerunt. Vnde illæ veterum Patrum querelæ. Irenæi. Eędem, inquit, materiæ apud hæreticos & philosophos „ volutantur, aliísq; vitæ communis præsidiis & instrumentis iidem retra- „ ctantes implicantur. Tertulliani similiter: Quid ergo Athenis & Hie- „ rosolymis? quid Academiæ & Ecclesiæ? quid hæreticis & Christianis? Sapient. 1. Nostra institutio, de porticu Salomonis est: qui & ipse tradiderat, Domi- „ num in simplicitate cordis esse quærendum. Viderint, qui Stoicum & Pla „ tonicum, & dialecticum Christianis prætulerunt. Nobis curiositate opus „ nõ est post Christum Iesum, nec inqsitione post Euangelium. Cùm credi- „ mus, nihil desideramus vltra credere. Hoc enim prius credimus non esse In oratio. de moderatione in disputationibus seruãda. quod vltra credere debeamus. Nazianzenus certè artium Aristotelis prauum artificium, & Platonicæ eloquentiæ præstigias, vt Ægyptiacas plagas in Ecclesiam irrepsisse docet.

Vt autem in quibusdam, vti dictum est, philosophiæ abusus, nimiúmq; eius studium non mediocris mali causa fuit, in illis inquam, qui omnia ad eius leges reuocare, illiúsque doctrinis subiicere voluerunt; ita in aliis eius omnimodus contemptus ac ignorantia non minorem calamitatem & ipsis & aliis attulit: qui cùm nihil definitè, nihil distinctè, nihil ordine & loco suo explicare potuissent, nullam certam rectè concludendi rationem nossent, nullum falsi à vero dignoscendi modum habuissent: ad docendas tamen res magnas & difficilimas se contulerunt, ac ita planè sine cortice nando, & ipsi naufragium passi sunt, & alios in idem exitium secum Math. 15. adduxerunt: Cœcus enim si cœcum ducat, ambo in foueam, iuxta Saluatoris dictum, cadunt. Vnde Iulianus Apostata religionem Christianam abolere volens, ne Christianorũ liberi Græcis disciplinis erudirentur, Poetas, scriptorésque eorum legerent, néue scholas publicas frequentarent,

lege

lege cauerat, ne linguis, inquit, eorum acumine perpolitis, facilè disputationibus nostris resistere, & sacra quidem sua amplificare, religionem autem facilè refellere queant. Sine quarum sobrio & debito vsu, quàm malè tractentur res diuinæ, docent illa duo præstantissima Græciæ lumina: Nazianzenus de laudibus Basilii, atque ipse Basilius in oratione de vtilitate ex Græcis disciplinis capienda.

Dederunt quoque hoc seculo non mediocrem ruinæ causam, & reliquæ Iuliani Apostatæ artes, quibus ille religionem Christianam labefactare, ac planè extinguere voluit, quas licebit hoc loco ipsis verbis Ecclesiasticæ historiæ scriptorum adiicere.

Prima. Annonas igitur inprimis & immunitatem, quas Constantinus pro sua erga Deum obseruantia Clericis concesserat, ipse abrogauit, & in publicos prouentus retulit: quæ verò viduis & virginibus propter inopiam Cleri, alimenta è publico destinata erant, ægrè & difficulter exigi fecit. *Vide Socr. li. 3. Sozo li. 5. Niceph. libr. 10. eccl. hist.*

Secunda. Quæcunque Ecclesiæ suppeditabant sacra vasa & donaria, ea abstulit, & in idolorum delubris deposuit.

Tertia. Episcopos inter se commisit, & ad intestinum armauit bellum, vt suis ipsis dissidiis Ecclesia labefactaretur, eámq; ob causam Episcopos ob varias sectas exilio mulctatos restituit, atque in suas vrbes redire iussit.

Quarta. Hæreticis fauit, illósque ipsos ab exilio reuocauit, ac amplioribus fortunis, etiam magistratibus auxit, & ornauit, quomodo Syrum Aetium autorem hæresis Eunomii, perquam benignis literis reuocauit, & publica vectura reduxit. Eleusium etiam Cyzicenum, Ecclesiam Nouatianorum, quam diruerat penitus, solóque æquauerat, impensis propriis vno atque altero mense restituere iussit.

Quinta. Templa orationúmq; domus fidelibus clausit, clerum persequutionibus fugauit, mundum atque ornamenta templorum abstulit.

Sexta. Res victui necessarias in foro sacrificiorum sanguine contaminari ac infici, vt malè nostris faceret, curabat. Cuius rei causa Iuuentium & Maximium iuuenes aulæ suæ nobilissimos, quod eo nomine grauius in eum inuecti fuissent illis verbis: Tradidisti nos Domine regi iniquo & transgressori, desertori, & pessimo supra omnes gentes terræ: tanquam maiestatis reos capite plecti iussit.

Septima. Iniurias Iudæorum atque Gentilium, quibus nostros diuexabant, non auertit, imò fouit; vt cùm ossa sanctorum loculis suis extracta, & irrationabilium animalium ossibus mista, atque igni tradita, in cineres redigebant, atq; in aërem disiiciebant, reliquias terra effodiebant, ac passim conculcandas dissipabant.

Octaua. In Cleri ordinem cooptatos, Senatorum munere & ministerio, vt illos ab Ecclesiasticis functionibus distraheret, peruersè fungi iussit.

Nona. Episcopos calumniatus est, multísque insidiis aggressus, quomodo Athanasium in exilium eiecit, quod diceret eum sua autoritate Episcopatum

ſcopatum occupaſſe: & quòd illis, quos reſtituerat, non in Eccleſiam ingreſſum, ſed tantùm in patriam reditum conceſsit.

Decima. Monaſteria & Parthenonas ſacrarũ virginum, & cherotrophia & Gerocomia & ipſe ſuſtulit,& alios demoliri paſſus eſt.

Vndecima. Clerum atque Eccleſiarum religionísque præfectos vt exigeret, maximo vndique contendit opere. Qua in re illud conſilium ſequutus fuit, vt ſtatas ſolitásque multitudinis, Synaxes, ducibus eorum ſublatis, tolleret. Ita enim fore arbitratus eſt, vt neque conuentus agere, neque docere, multò verò minus de rebus diuinis participare, myſticáque & arcana ſacra peragere facilè poſſent, vtque his ſublatis, diuturniore tempore in obliuionem etiam religionis noſtræ, prorſus homines peruenirent. Atque interim obtentum ſceleris prætexuit,quòd clerus facilè cauſam ſeditionis multitudini præberet.

Duodecima. Ipſe publicè ſacra ſua peregit:& Conſtantinopoli Fortunæ in Baſilica, vbi eius Deæ ſtatua collocata fuerat, ſacrificauit.

Tertiadecima. Quod ſummæ fuit ſæuitiæ,vt per ſeipſum Chriſtianos excruciaret, id repudiauit: vt eos autem occultè perſequeretur, nullam occaſionem prætermiſit. Et verbis quidem eiuſmodi delicta carpebat,rebus autem ipſis ad ea peragenda cohortabatur.

Quartadecima. Infirmos, egentes, & vagos liberaliter beneficiis & hoſpitalitate prouocauit:triginta enim millia modiorum frumenti,& ſexaginta millia ſextariorum vini, quotannis in eum vſum per Gallatiam conferre iuſsit. Et quintam huius tributi partem, eis qui Sacerdotibus inſeruiunt dari: reliquum autem omne, aduenis & hoſpitibus, aliísq; petentibus diuidi debere cenſuit: vt quos fraudibus peruertere non potuit,beneuolentia & liberalitate alliceret, & irretiret.

Quintadecima. Morum & diſciplinæ Eccleſiaſticæ, quæ ſanctiſsima & grauiſsima tum fuit, imitationem, ad ſua ſacra tranſtulit, illísq; accommodauit. Itáque in idolorum templis fieri curauit ſubſellia & primarios ſuggeſtus, inſtituit lectiones & doctrinas, quæ tamen Græcis dogmatibus inniterentur: præterea ſacerdotes & lectores more noſtro, item certas horarum certarum & dierum preces. Scholas etiam & phrontiſteria virorum & mulierum philoſophiæ ethnicæ addictarum, peregrinorúmq; & egenorum conſtruxit domicilia, atque alia inſuper multa humanitatis officia exhibuit; vt Græcorum ſacris maiorem admirationem & autoritatem compararet. Delictorum quoq; quæ vel à prudentibus, vel ab imprudentibus fiunt,ex conſuetudine noſtra pœnitentia interueniente,congruentes conſtituit coërtiones. Eodem etiam ſtudio æmulari conatus eſt commendatitiarum literarum teſſeras,quas Epiſcopi dare ſolent,vt vndecunque & ad quoſcunque hinc & inde hoſpites adueniant, moribus noſtris excepti benignè curentur, perinde atque noti & amici per teſſeræ & ſigni eius teſtimonium.

Sextadecima. Signum crucis cum reliquis Chriſtianis inſigniis, in alia ſigna falſos Deos repræſentantia, vt pedetentim falſos Deos multitudo ſequi & colere aſſueſceret, mutauit.

Septi-

Decimaseptima. Constitutione sanxit, ne Christiani cum aliis Rempub. administrarent, néue honores caperent, aut in aula Imperatoria mererent. Conuentibus solennibus & foro eos prohibuit: à iudicandi quoque munere & magistratibus dignitatibúsq; gerendis remouit: illud falsò addens, Christianas sanctiones statuere, gladio aduersus eos vtendum non esse, qui capitalia crimina committerent.

Decimaoctaua. Quicunque diis sacrificare nollent, eis pecuniæ mulctam grandem dixit. Itáque cernere tum erat perquàm acerbam Christianorum conditionem, à quibus ea etiam, quæ minimè habebant, exigebantur, cùm quidem alii omnes pro bonorum suorum facultatibus tributum penderent; in Christianis rabies tyranni modus ac mensura tributi fuit. Porrò prouinciarum rectores, talem Imperatoris religionem, opportuniratem suam esse censentes, grauius etiam quàm imperator iubebat, Christianos affligebant, ampliorem pecuniam extorquentes, & plagas etiam eam ob causam corporibus inferentes. Quod Imperator cognitum tanto libentius accepit, & Christianis eum accedentibus, suámque calamitatem exponentibus, respondisse solitus erat: Lex vobis à Christo tradita est, vt malè tractati fortiter ærumnas feratis, & iniuria affecti ne respondeatis.

Decimanona. Amicorum & cognatorum libidini & cupiditati, ad diuexandos Christianos, omníque contumelia afficiendos omnis potestas permissa, ex quibus tres præcipui fuerunt: Iulianus Iuliani auunculus, Felix, & Elpidius Imperialium pecuniarum quæstor, qui sacris vasis, quę terræ illiserant, pro sedilibus per contumeliam vsi, in sacras mensas minxerunt, sacrificiísque aras petulantissimè conspuerunt; donaria & res alias precioſas prædonum more de templis auferentes, eósque qui sacra vasa, curabant, contumeliis afficientes. Qui tamen omnes diuinam vltionem non effugerunt, miserè cum summa infamia, à vermibus, à putredine consumpti, grauissimis cruciatibus, fœdissima morte, paulò pòst extincti.

Vigesima. Statuas Christi deiecit, suásque in earum locum imposuit, quas tamen paulò pòst ignis repentè de cœlo deiectus, discidit atque prostrauit.

Vigesimaprima. Erga Iudæos eorúmq; principes, & duces non paruam exhibuit humanitatem & beneuolentiam, & ad eorum populum, vt pro se & imperio illius Deum precarentur, scripsit: tum ad restaurandum templum mirificè cohortatus est, atque etiam adiuuit, vt inde Christi oraculo, quo æternam illius loci vastitatem, ille prædixit aliquo modo fallam esse coargueret. Sed qui habitat in cœlo irrisit eum, eiúsque contumelia ad suam laudem est vsus, hoc enim ipso facto magnificè Christi oraculorum fidem illustrauit, vanúmq; esse omne consilium, vanum omnem conatum, contra Dominum & aduersus Christum eius docuit.

Hactenus Iuliani artes: quas idcirco prolixius persequuti sumus, vt, quæ sint impietatis ac sceleris in expugnanda vera religione technæ ac insidiæ, doceamus: & quod non ignoremus, multos etiam nunc esse, qui

etsi

etsi non ea quæ Iulianus spectent, eadem tamen quæ ille in Christi Ecclesiam admittant.

Fuit & illa vltima, ac nescio an non ex omnibus aliis maxima malorũ causa. In religione, aliud quid præter religionem homines quæsiuisse & quærere adhuc, popularem auram, ac potentes clientelas: alios eruditionis & eloquentiæ opinionem: alios opes & diuitias: acceptæ iniuriæ vindicationem alios: quosdam impunè peccandi, ac legitimo magistratui non parendi licentiam: nonnullos exiliorum solatia: quosdam cibum & potum, largásque mensas, & vastos cyathos: nonnullos voluptates & desidem quietem: alios dominatum & potentiam; ita vt non id quisque dicat, scribat, quod sentit, sed quod rebus illis quas sub prætextu religionis quærit, maximè expedire videatur: non id quisque ad extremum credat, quod verum putet, sed quod ad institutũ vitæ suæ genus sibi maximè accommodatum iudicet, fœda & ingenuo homine indignissima hypocrisis & ironia: Si enim corpora sua prostituere, ex illísque quæstum facere, fœdum & turpe est; quantò magis ex eo quod sanctissimum est, & quo nihil religiosius, nihil homini magis proprium esse potest, aliquod compendium facere. Hinc illæ pro tempore ex religione in religionem commigrationes: inde illa pro tempore vultus, personæ, sententiæ mutatio: hinc illa in vtrumq; pedem claudicatio: hinc illa æqua vtriusq; partis hominum prensatio, affinitates, cognationes, clientelæ indifferentes: hinc illa Samariæ cum Hierosolymis coniunctio: hinc in boue & asino aratio: hinc sortis Domini distractio, populorum proditio: hinc omne nefas. Ex quo genere hominum fuit Sophista ille Constantinopolitanus Heceborius, qui veluti quidam Euripus, Imperatorum moribus sese accommodabat. Sub Constantio enim ardore ingenti Christianam religionem coluit: vbi autem Iulianus animum ad Græcam superstitionem appulit, horrendo prorsus modo animum mutauit; Græcásque ineptias & superstitionem, si quis alius, & ipse quàm maximè est complexus. Post hunc porrò rursum Christianũ se esse professus est. In faciem enim supinus pro Ecclesiæ foribus prouolutus, mixtis cum clamore lacrymis, miserabiliter est vociferatus. Proculcate me salem fatuum. Hócque illud est, duobus dominis simul seruire, vel neutri, aut deteriori potius, tantùm sub specie & titulo melioris. Quod genus hominum cùm maximè inconstans & temerarium sit, plus tamen aliis se cautum arbitratur, cùm maximè cœcum sit, plurimum tamen se videre putat: cùm maximè desipiat, sapientissimum se existimat: cùm summè deplorandũ sit, ipsum tamen omnes rident: cùm in maximo errore versetur, omnes errare putat, ac decipi, cùm ipsum plurimum ex omnibus sit deceptum. Frequens hęc seges hoc seculo huius malæ herbę vtrinq; cernitur. De hæreticis quidem ex ipsismet in hunc modum scribit quidam: Iube, inquit, veneno aliquem aggredi, aut iugulare, venena spargere, & sicas distringere, didicerunt. Iube vt Catholicos honestos spolient; adeò cupidè id agunt, vt ne ab Ecclesiasticis quidem manus abstineant: Sacerdotia militari habitu & palliati occupant, neque in illis

Machiauelis hæretici de hæreticorum crudelitate testimonium.

in illis vlla Eccleſiaſtici muneris parte defunguntur, mulgere, tondere, deglubere, prima illis & ſola cura eſt: imò nihil vſquam ſeuitiæ, nihil oneris, nihil tributi reliquum faciunt; quod non excogitent, vt miſeræ plebis fortunas & ſanguinem exſugant. Hæc ille de ſuis. De noſtris quid opus eſt verbis? res ipſa loquitur.

Atque his quidem tanquam gradibus facta eſt tanti tam nobilis ædificii ruina, his modis domus Domini conflagrauit, his foribus ac quaſi patentibus valuis regina virtutum religio expulſa eſt; quam poſtea ancillæ & pediſſequæ, ita vti à principio diximus, illius, fides, inquam, charitas, veritas, iuſtitia, obedientia, caſtitas, continentia, ſanctitas, fortitudo, magnanimitas, patientia, ſinceritas, manſuetudo, ſobrietas, ac reliquus ille pulcherrimus pulcherrimarum virtutum chorus conſequutus eſt: neque aut ſubleuari, aut erigi, aut reuocari vllo modo poterit; niſi illa erecta, ſubleuata ac deinceps veluti poſtliminio reuocata. Quod alio modo fieri non poterit, quàm ſi contraria his quæ dicta ſunt remedia adhibeantur: & niſi hæc omnia, per quæ huc res deducta eſt, remoueantur: populus ad Dominum Deum ſuum conuertatur, ſe nimis amare, ſibi confidere, præſumptione peſsimo præceptore vti deſinat, propeccatísque ac immoderata curioſitate ſua pœnitentiam agat: Sacerdotes Deum placent, ad officiúmque ſuum redeant: Reges atque Principes ad clauem Dauid & ſceptrum domus Iſraël reuertantur: artes nequiſsimæ, ſtudia praua, omnis ſimulatio & fictio explodantur; in eorum locum bonæ & hominibus Chriſtianis dignæ artes ſubſtituantur, veritas ſuccedat. Tunc erumpet quaſi manè lumen noſtrum, & ſanitas noſtra citiùs orietur, & anteibit faciem noſtram iuſtitia noſtra, & gloria Domini colliget nos: tum inuocabimus, & Dominus exaudiet, clamabimus, & dicet: Ecce adſum: tunc aſsiſtet regina à dextris regis in veſtitu deaurato, circumdata varietate: tum adducentur virgines regi poſt eam, proximæ eius afferentur illi. Alia via proficiemus nihil, laterem lauabimus, funiculos ex arena nectemus. Nam qui alia ratione iisdem cauſis ruinæ & præcipitii manentibus hæc reſtituere velit; hic ſimilis mihi eſſe videtur illi, qui cùm in grauem aliquem inciderit morbum, ab eóque quàm primùm curari ac liberari vellet, medicos peritiſsimos vndique conuocet, medicamenta ex vltimis partibus orbis comportari curet, aurum, gemmas, lapides precioſos in remedia conflet, ac diſtillet; ipſe tamen nihil de priſtina victus ratione immutet, cauſas morbi non remoueat, à nullâq; earum rerum abſtineat, quæ cauſæ eius morbi fuerunt; hic ſanus nunquam euadet, hic morietur, hunc ſalus ipſa ſeruare non poterit. Quod idem hoc loco intelligendum eſt. Aduocentur quantumùis docti medici, adhibeantur omnia remedia, impendatur omne ſtudium, diligentia, cura, ſolicitudo; profuturum tamen nihil eſt, ſi eædem cauſæ morbi manebunt, ſi ea quæ obſunt non remouebuntur. Quod vel res ipſa iam ſatis docuit. Cõuocata fuit huius morbi curandi cauſa, ampliſsima trecentorum amplius Patrum Tridentum Synodus: medici ex toto orbe terrarum viri doctiſsi-

Iſa. 11.

Iſaiæ 58.

mi & ſanctiſsimi,in conſilium accerſiti:libri eruditiſsimi eadem de re conſcripti: remedia ex omni vetuſtate ſeculorum mirifica comparata,Cathedræ excitatæ, ſeminaria erecta, nihil quod ad recuperandam ſalutem aliquo modo pertinebat prætermiſſum: profectum quidem eſt multum,non tamen ita vt ęger penitùs cõualuerit. Quid ita? Cauſæ morbi penitùs extirpatæ non ſunt:ęger eadẽ ferè omnia facit,quæ prius faciebat, eandem vi& rationem ſequitur. Priusquam igitur,vt à principio diximus,hic tantus ęger ſpiritum efflet,priuſquã vltimo funere efferatur,dum adhuc in eo aliquid vitale ineſt,ad ſanandũ eum omnem curam,diligentiam,ſtudium,operam cõferamus,cauſas malorũ auferamus, omne quod noxium eſſe videmus remoueamus,ſi ea omnia de quib⁹ dixi, ſalua eſſe cupimus:nã paulò pòſt fruſtrà remedia parabũtur,medicina ſera adhibebitur;de funere potiùs ęgri quàm de remediis cogitandũ erit. Quod nunc plurima Aſiæ atq; Gręciæ regna,àquibus hęc tanta virtus orta,ac cum aliis gentibus cõmunicata, iiſdem viis & rationibus euerſa ac præcipitata eſt, patiuntur. Et regno quidem Chriſti iã longè meliores & vberiores ſedes parantur, aut iam paratę ſunt,nouę inquã orbis partes,inſulę nouę,meridies totus. A nobis autem faciet Dominus auolare doctorem,& non erunt oculi noſtri videntes præceptorem noſtrum, & aures noſtræ non audient, poſt tergum monentis: hæc eſt via,ambulate in ea,& non declinetis neq; ad dextram, neq; ad ſiniſtram. Non videbimus illum, qui regit Iſraël, qui deducit velut ouem Ioſeph: qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorũ. Qui cuſtodit veritatem in ſeculum, facit iudicium iniuriam patientibus, dat eſcam eſurientibus. Qui ſoluit compeditos, qui illuminat cœcos, qui erigit eliſos, qui diligit iuſtos, qui cuſtodit aduenas, pupillum & viduam ſuſcipit, & vias peccatorum diſperdit. Et tranſibunt multi dies in Iſraël abſq; Deo vero,& abſque ſacerdote,Doctore, & abſq; lege. Et occinent regna hæc lamentum illud: Viæ Sion lugent, eò quod non ſint,qui veniant ad ſolennitatem. Omnes portæ eius deſtructæ, ſacerdotes eius gementes. Virgines eius ſqualidæ, & ipſa oppreſſa amaritudine: Obliuioni tradidit Dominus in Sion feſtiuitatem & ſabbatum, & in opprobrium, & in indignationem furoris ſui regem & ſacerdotem. Repulit Dominus altare ſuum, maledixit ſanctificationi ſuæ, tradidit in manus inimici muros turrium eius. Vocem dederunt in domo Domini,ſicut in die ſolenni: Cogitauit Dominus diſsipare murum filiæ Sion, tetendit funiculum ſuum, & non auertit manum ſuam à perditione. Luxítque antemurale, & murus pariter diſsipatus eſt. Defixæ ſunt in terra portæ eius, perdidit & contriuit vectes eius. Regem eius & principes eius in gentibus. Non eſt lex,& Prophtæ eius non inuenerunt viſionem à Domino. Siſte igitur gradum Polonia,ſiſte Hungaria,ſiſte Germania,ſiſte Gallia:nõ enim amplius progredi poteris,rues,ſi porrò vel vno gradu proceſſeris. Cõuerte nos, Domine,ad te,& cõuertemur:innoua dies noſtros,ſicut à principio. Amen.

Pſal. 79.

Pſal. 146.

2. Paralip. 15.

Thren 1.

Thren 2.

Thren. 5.

STA-

ORATIO ECCLESIASTICA SECVNDA,

pro cognoscendis & fugiendis falsis Prophetis, & eorum doctrina.

Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Matth. vij.

DVx & auctor salutis & incolumitatis nostræ Christus Iesus, nullam rem esse, quæ populo Christiano magis noceat, qúæue maiore studio ac diligentia fugienda sit, quàm falsos Prophetas, quos Paulus & reliqua scriptura hæreticos appellare solet, cautione magna & monuit & docuit semper. Nusquam ille dixit, attendendum esse à tyrannis, qui per varia tormenta multiplicésque cruciatus suos fideles à recta & firma fide, constantíque proposito dimouere ac deterrere debuerunt. Nusquam scriptum legimus: attendendum esse à Iudæis, Gentilibúsq;, qui omnes conatus suos, ad opprimendos fideles, illorúmq; labores inficiendos relaturi erant. At illud grauissimè dici audiuimus: Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, & intrinsecus sunt lupi rapaces. Neque verò nudè & simpliciter eos fugiendos esse docet, sed etiam eius suæ tam diligentis, tam salutaris monitionis duplicem adfert causam. Summam primùm eorum, qui fugiendi sunt, astutiam & dolos, Qui, inquit, veniunt ad vos in vestimentis ouium: & parem deinde astutię & calliditatis rabiem & ferocitatem, Intus autem sunt lupi rapaces. Vt enim eos scopulos, dicebat Magnus ille Nazianzenus, magis nautæ fugiunt, qui latent ac sub aquis tecti delitescunt, quàm eos qui exstant & eminent; ita & illi inimici maximè vitandi sunt, qui vt latentes scopuli sub aquis, sic illi sub variis simultatum integumentis latent & occultantur: & qui tum demum se produnt, cùm iam nauis fracta, mercésque disiectæ sunt. Et præsertim, cùm, vt ait Ambrosius, caput petant, iugulum inuadant, vitalibus vulnus infligant, corpore saluo animam occidant: Quales inimicos maximè metuendos esse idem saluator diligenter vbique docet, atque nunc item grauissimè & studiosè monet. Attendite, inquit, à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Idem igitur & nos agamus, ac quis sit hic vestitus ouium, quæ integumenta, sub quibus falsi Prophetæ delitescunt,

In vita Basilij

Ambro. sup. Lucã libr. 2. cap. 10.

liteſcunt, qui item fructus per quos dignoſci poſsint, paucis ex ſacris literis, doctiſsimorúmq; virorum iudiciis ad publicam vtilitatem doceamus. vt vbi eos ſemel cognouerimus, tandẽ aliquando amare deſinamus. Nemo autem hac noſtra offendetur diſputatione, niſi is, qui ſuo prius iudicio, aut hæreticum ſe eſſe, aut hæreſes ſequi agnouerit: quod vbi cognoſcet, laqueo contrito liberatus, gratias potiùs nobis, qui eas pelles lupis exitioſiſsimis detrahimus, aget, quàm vt ſuccenſere debeat. Cuius noſtri propoſiti initium à diuini numinis inuocatione capiamus.

Quis igitur hic veſtitus ouium, quæ integumenta, quæ tam molles & ſpecioſæ, ſub quibus falſi deliteſcunt Prophetæ, pelles, & quibus Chriſti oues ſeducere, illísque imponere ſolent? Alii alio modo iudicant. Quidam omnem vitæ continentiam & moderationem, ſobrietatem, humilitatem, caſtitatẽ, orationes, eleemoſynas, ieiunia, humicubationes, omnem eam quę ꝓpalam ſit pietatis & probitatis ſpeciẽ, quam ęquè boni ac mali ſimulare poſſunt, veſtimenta ouium interpretantur. Quidam cæremonias, ritúsque eccleſiaſticos ac reliquum cultum externum, hunc veſtitum eſſe putant. Aliis durus ille ac horrens habitus, quo monachi, & eremitæ, ac cæteri omnes, qui mundo renunciârunt, aſperiúsque quoddam & horridiùs vitæ genus ſequuti ſunt, vtuntur, veſtitus, lana, & indumenta ouium videri ſolent. Verùm in re maximi momenti magis ſerium quid, quódq; cum ſumma cauſæ propiùs coniunctum ſit, quærendum eſt. Cuius rei fundamentum illud iaciamus. Omnem hæreticum, teſte Hieronymo, hypocritam eſſe, aliud agentem, & aliud ſimulantem: omnis porrò hypocriſis alieno potiùs quàm ſuo cultu, veſtitu, ſpecie induta incedit, id eſt, virtutis & honeſtatis, omniúmque eius partium ſimulatione. Cùm igitur hæreticus quiſque, ita vti dictum eſt, hypocrita ſit, duplicem itidem eum vultum, veſtitum, ſpeciem præſeferre oportet: alterum cum aliis hypocritis communem: alterum ſibi peculiarem & proprium. Communis cum cæteris veſtitus, erit omne illud, quod piũ, quod honeſtum, quod cum virtute, prima quaſi fronte cõiunctum apparet, hæc enim omni fictioni ac ſimulationi fuerunt ſemper ꝓpria: in quibus artibꝰ dici non poteſt, quãtum veteres quondam hæretici excelluerunt, quantum ieiuniis, orationi, quãtum omni vitæ ſanctitati & continentiæ operam dederint. Nam nunc, vt virtute ipſa, ita & omni eius ſpecie ac ſimulatione hæreſes carent, ab eáq; ſunt remotiſsimæ. At peculiaris veſtitus, de quo nobis præſens eſt inſtitutum, quis? Dum totam ſcripturam perluſtro, dum omnem vetuſtatem percurro, dum noſtrorum temporum rationem diligenter expendo; non alium hunc profectò inuenio, quàm verbi Dei ſacræque ſcripturæ falſam & ementitam vſurpationem, qua omnes errores, omnes fraudes, ſomnia, & nugas, ac deliramenta ſua hæretici, veſtire ac condire ſolent. Docet hoc primùm veterũ pſeudoprophetarum ſolenne illud exemplũ, qui cùm aliquid nouum ſtulto populo ꝓſuadere volebant; illis ſemper abutebantur verbis: Hæc dicit Dominus, hæc dicit Dominus, cùm ſe illud dicere Dominus pernegaret. Quod idem Saluator innuit, cùm dicit:

non

Non omnem qui dicit illi, Domine Domine, intraturum in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem patris eius. Hoc est, non omnem illum, qui vsurpat & inuocat nomen Domini, eiúsq; verbis & testimoniis abutitur, aut saluari, aut inter eius veros nuncios reputari; sed illos solos qui docent & faciunt voluntatem eius. Quod idem D. Petrus clarè docet: Quemadmodum, inquit, Paulus frater noster charissimus ostendit in omnibus Epistolis, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perniciem. Deprauabant autem vel falsa interpretatione, vel ipsius scripturæ adulteratione, quorum nunc vbiq; plena sunt omnia. Tantum autem, inquit, „ Tertullianus, veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus. Itáque D. Ambrosius, hac plena definitione hæreticos, qui, & quales sint describit: Hæretici ii sunt, qui per verba legis legem impugnãt, proprium enim sensum verbis legis astruunt, vt prauitatem mentis suæ, legis autoritate commendent. Sciens enim impietas, multum valere autoritatem legis, fallaciam sub nomine eius componit, vt quia res mala per semetipsam acceptabilis esse non potest, bono nomine commendetur. Nam cùm sciant hæretici magnam esse sacræ scripturæ autoritatem, ideò hac ipsa errores suos & deliramenta tegunt, suáque testimonia minus valida sacræ scripturæ autoritatibus alligant. Hæc Ambrosius. Quod idẽ Vincentius Lirinensis prolixiùs in libro de Antiquitate Catholicæ fidei docet: Quid est vestitus ouium? nisi Prophetarum & Apostolorum proloquia, quæ iidem quadam sinceritate, agno illi immaculato, qui tollit peccatum mundi, tanquam vellera quædam texuerunt. Qui sunt lupi rapaces? nisi sensus hæreticorum feri, & rabidi, qui caulas Ecclesiæ semper infestant, & gregem Christi quaquà possunt dilacerant. Sed vt faciliùs incautis ouibus obrepant manente luporum ferocia, deponunt lupinam speciem, & sese diuinæ legis sententiis, velut quibusdam velleribus obuoluunt, vt cùm quisque lanarum molliciem præsenserit, nequaquam aculeos dentium pertimescat. Hæc ille. Nemo ex veteribus hæreticis, tam impurus, támque à veritate alienus, nemo tam absurdus perditúsq; fuit, qui non suum errorem ex his, quas nunc in manibus habemus, confirmaret scripturis. Videre hoc licet apud Irenæum, Tertullianum, Epiphanium, cæterósque qui eorum sententias dogmatáque retulerunt, ac refutârunt veteres Patres. Non contentus est vno & altero sacræ scripturæ loco, ad sua confirmanda Valentinus atque Marcion; nisi vniuersum nouum testamentum, omnésq; Pauli Epistolas suis accommodarent sententiis: ac si in opere incrustato & vermiculato, translatis lapillis, ordinéque mutato, ex homine faceret quis vrsum aut leonem. Quam similitudinem, venustissimè ante mille trecentos annos his verbis explicat Irenæus: Cùm igitur talis sit ipsorum doctrina, quam neque Prophetæ prędicauerunt, neque Dominus docuit, neque Apostoli tradiderunt, quam de vniuersis iactant se plus aliis cognouisse, ex non scriptis legentes, & quod dici solet, ex arena funiculos nectere studentes; ad faciendam fidem, conan-

Mat. 7.

2. Pet. 3.

Ambro. sup Epist. ad Tit. ca. 3. Tom. 3.

Lirin. lib. 1. cap. 36.

Irenæ. lib. 1. cap. 1. contra hæreses.

„ tur prædictis adaptare, aut parabolas Dominicas, aut ſermones Prophe-
„ ticos, aut dicta Apoſtolica, quò figmentum ipſorum non teſtibus carere
„ videatur, ordinem & ſeriem tranſilientes, & quantum in ipſis eſt, mem-
„ bra veritatis ſoluentes: transferunt enim & transformant, & aliud ex a-
„ lio facientes, multos decipiunt, per male compoſitam Dominicorum ver-
„ borum adaptatorum ſapientiam. Quemadmodum ſi quis Regiæ imagi-
„ nis pulchræ, ex precioſis lapidibus fabricatæ à ſapiente artifice, ſubiectam
„ hominis formam ſoluat, & lapillos illos transferat & accommodet, ac fa-
„ ciat formam canis aut vulpeculæ, atq; hanc malè fabricatam deinde prę-
„ ſcribat ac dicat hanc eſſe Regis imaginem, illam pulchram, quam ſapiens
„ artifex fabricauit, oſtendens lapillos illos à primo artifice probè in regis
„ imaginem compoſitos: verùm malè à poſteriore in canis formam tranſla-
„ tos, & per lapillorum apparentiam ſeducat imperitiores, qui regiæ formę
„ notionem non habent, & perſuadeat, quòd hæc putrida vulpeculæ for-
„ ma ſit pulchra regis imago. Ad eundem ſanè modum etiam hi anicula-
„ rum fabulas conſuentes, deinde verba, dictiones, & parabolas vndecun-
„ que detrahentes, adaptare volunt fabulamentis ſuis eloquia Dei. Hæc
ille. Plurimis locis ſacræ ſcripturæ minorem filium Patre, demonſtrare contendebat Arius. Neſtorius, ſacram ſcripturam ſe primùm & ſolum intellexiſſe: & omnes alios, quicunque ante ſe magiſterii munere prædiți, diuina eloquia tractaſſent, ignoraſſe ſolebat dicere. Ita vt Tertullianus alicubi, ppter eum impudentem hæreticorum ſcripturarũ abuſum, Euangeliũ, rem ſanctiſsimam, librum hęreticorum, ſi non verbis, at ſenſu appellare non dubitauerit: quod poſtea vel ipſe Lutherus apertè affirmauit. Abunde hoc idem docet noſtra ætas, quæ cùm in ſexcentas ſciſſa ſit hæreſes, in ſexcenta ſchiſmata, quæ ſimul omnia vera eſſe (cùm vna & ſimplex ſit veritatis via & ratio) non poſſunt: nulla tamen eſt, quæ non ſuum ſacræ ſcripturæ teſtimoniis tueatur, alat, & condiat errorem. Et eò magis, quò abſurdiores, quò exitioſiores defendit errores, quod in Anabaptiſtis, Arianis, Ebionitis maximè videre licet.

Hic igitur eſt ille peculiaris pſeudoprophetarum veſtitus, hęc illa mol
Mat. 15. lia vellera. Non ieiunat quis, lupus eſt: veſtitus autem ouium ille: Non
quod intrat per os coinquinat hominem, ſed quod procedit ex ore, hoc
Mat. 6. coinquinat hominem. Non orat quis, hic lupus eſt: veſtitus autem: Orãtes nolite multum loqui. Subeſſe & parere legitimo magiſtratui non vult
Act. 5. quis, lupus eſt: veſtitus autem ouium: Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Confiteri peccata erubeſcit quis, lupus eſt: veſtitus autem
Pſalm. 18. ouium: Delicta quis intelligit? Continentiæ quis rumpit vota, lupus eſt:
Mat. 19. veſtimentum autem ouium: Non omnes capiunt verbum hoc. Non reddit quæ ſunt Cæſaris Cæſari, quæ Dei Deo, lupus eſt: veſtitus autem ouium: Gratis habetis, gratis date. Baptiſmum iterat quis, lupus eſt: veſti-
Mat. 10. tus autem ouilis: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Mino-
Marci 16. rem patre filium improbè & impie iactat, lupus eſt: veſtimentum autem:
Ioan. 14. Pater maior me eſt. In nulla parte pietatis & honeſti ſe exercet quis, lupus

lupus est: vestimentum autem: Arbitramur hominem iustificari fide, sine operibus. Pulsat pauperes, damnat innocuos, expilat vicos, & oppida, peregrinos, & mercatores mercibus exspoliat quis, lupus est: vestitus autē ouium: Si impius egerit pœnitentiam, &c. Misericordiæ Domini multæ, sed & cruces latronum plurimæ. Hæc igitur sunt illa vestimenta ouium, in quibus ad nos veniunt lupi rapacissimi isti. Neque tamen ideo, aut reiiciendum, aut non sacrosanctè colendum est verbum Dei sacráque scriptura: neque ob id ad omnes errores conficiendos, omnémque Christianam doctrinam stabiliendam illis minus vtendum erit; sed quemadmodum oues non eam ob causam vellera sua abiiciunt, quòd his aliquando lupi induti, illis insidientur, quin eò magis ea tuentur, atq; ab omnibus luporum insidiis defendunt: eodem modo, non ob id verbum Dei, quòd hæretici eo ad suum primùm, deinde aliorum exitium abutantur, abiiciendum erit; sed eò studiosius diligentiúsque tractandum, eiúsq; veri ac sinceri sensus perueſtigandi. Illud tamen non ignorandum, sub his pellibus lupum aliquando delitescere posse: neque statim, vt quis aliquot sententias sacræ scripturæ appellare potest, eum tanquam verum prophetam vel Apostolum sequendum esse; cùm hic æquè lupis ac ouibus communis vestitus esse possit. Quo genere fraudis, hæc nostra tempora ita fascinauit inimicus homo; vt nemo tam absurda doceat, modò Paulum vel Ioannem appellet, vt non statim illi credamus, quintúsque Euangelista quidam esse censeatur: Et ouium quidem vestimenta hæc sunt. Attendite ergo vobis à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. *Rom. 3.* *Ezech. 18.*

Quo autem modo, veri à falsis dignoscendi sunt prophetæ, quandoquidem ex his pellibus atq; velleribus cognosci rectè non possunt, eodem loco cœlestis magister docet: Ex fructibus, inquit, eorum cognoscetis eos.

Qui porrò sunt fructus isti, non idem sentiunt omnes: & res ipsa inquisitione maiore opus habet. Nostri temporis hæretici, sed & veteres, teste Diuo Augustino, ferè omnes, auaritiam, ambitionem, simoniam, luxum, vsuram, adulteria, ebrietatem, ac reliqua quæ carnem consequuntur vitia, eos fructus esse interpretantur. Quibus vitiis cùm Ecclesiasticum clerum planè dissolutum diffluere primi istorum duces vidissent; inde populo persuadere conati sunt, eos falsos prophetas ex his fructibus cognoscendos esse. Fuit hoc ad vulgus, in cuius oculos tot, & tanta nostrorum hominum incurrebant flagitia, argumentum maximè plausibile. His talibúsque retibus infinita irretita est hominum turba, populare sanè commentum. Dolendúmque est, Christiani, vósque inprimis sacerdotes Dei, nos tantam contra ordinem nostrum erexisse machinam, illiúsq; vim in dies magis ac magis immensa cupiditate, ambitione nostra, aliisq; vitiis augere. Hos tamen non esse germanos fructus, ex quibus veri à falsis prophetæ dignosci possint, vel hinc facilè perspicitur: partim quod vitia hæc cum hypocrisi maximè pugnant; patent enim, & in oculos hominū *Sup. 10. tsal.*

incurrunt, nec benè cum illo veſtitu ouium, de quo dictum eſt conueniunt: nemo vnquam Ario, nemo Photino adulterium, nemo ebrietatem obiecit: facilè ab his cauent illi, qui nocentiora venena ferunt. partim quod labes iſtæ omnium ſunt temporum, atque omnis ordinis hominum ſiue hæreſes vigeant, ſiue omninò nullæ ſint. Quod enim vnquam tempus tam felix, tam beatum fuit, quo his nęuis Reſpub. caruerit Chriſtiana? Itáque carnis potius fructus, quàm hæreſeos, hæc vitia ſcriptura ap-
Galat. 5. pellare ſolet. Manifeſta ſunt, inquit Paulus, opera carnis: quæ ſunt fornicatio, immunditia, &c. in quibus & ipſam recenſet hæreſim. Abundârunt, hoc vitiorũ genere veteris legis Pontifices & Sacerdotes; nuſquam tamen eos ſcriptura, nuſquam ipſe Chriſtus Dominus, falſos Prophetas
Ioan. 11. eſſe dixit: Caiphas Simoniacus, Pontifex fuit, futura tamen verè prædicit: Quid Iudas Scariothes? ſed & ipſum Petrum reprehenſibilem fuiſſe,
Galat. 2. ſcribit Paulus. Verùm iam hæc ſublata eſſe videtur controuerſia: ita enim iſti ipſi, cùm plerisque noſtrum in pari lance malitiæ conſtiterunt; æquè improbi, æquè ſunt turpes, vt rectè inter ſe aleam iacere poſsint, vter melior an deterior potiùs. Itáque vel ipſi non multùm iam hunc locum vrgent, cùm præſertim illo manifeſtiſsimo Chriſti teſtimonio conuincun-
Mat. 23. tur: Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſęi: omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite: ſecundùm autem opera illorum nolite facere. Vel ipſis ergo iſtis non valdè repugnantibus, magis proprii, magísq; peculiares, ex quibus veri à falſis dignoſcantur Prophetæ, nobis fructus quærendi erunt.

Fructus igitur hæreſeon tales ſint oportet, quales ſunt ipſæ hæreſes: Effectus enim cauſis natura reſpondent ac pares ſunt. Quæ quidem hæreſes, cùm non ad vnius hominis exitium ac interitum, ſed ad totius corporis Chriſti labefactationem comparatæ ſint; fructus etiam ſimiles erũt, qui non ſingulis noceant, ſed ad totius corporis Chriſti, quæ Dei Eccleſia eſt, ruinam & interitum referantur: Fructus enim radici per omnia reſpondere debet: radix totum inficit corpus: fructus igitur ſimiles quærendi ſunt. In quibus explicandis, non abutar veſtris auribus, nihílq; ex meo priuato adferam ſenſu: quos ipſa ſcriptura ſacra, quos principes Apoſtolorum, Petrus, & Paulus, Iudas item ipſe, recenſent, hos ipſe in medium adferam, quos quidem illi non obiter, neq; aliud agentes, ſed ſtudioſè & ex inſtituto, Spiritus Dei inſtinctu, admirabilíque rerum futurarum prænotione explicant; ita vt hos tales fructus, vel negare, vel impugnare, nihil aliud ſit, quàm manifeſtè cum Apoſtolis pugnare, illísq; fidem habere nolle. Fuerunt pſeudoprophetæ (proponit totum hoc dignoſcen-
2. Petri 2. dum falſorum prophetarum argumentum D. Petrus, atq; in hunc modum exorditur) in populo, ſicut & in vobis erunt magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis, & eum, qui emit eos Dominum negabunt, ſuperducentes ſibi celerem perditionem: & multi ſequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blaſphemabitur, & in auaritia, fictis verbis de vobis negotiabuntur; quibus iudicium iam olim non ceſſat, & perditio

eorum

eorum non dormitat. Quo tanquam procœmio præmisso, eas notas, & insignia, eósque fructus, ex quibus hi tales homines, cognosci possint, iisdem ferè verbis cum Iuda Apostolo texit, eósque suis verissimis pingit coloribus, ac qua ratione cognosci possint, digito quasi demonstrat.

Quorum primus ille est: Dominationem, inquit, contemnunt, maiestatem autem blasphemant. Vt enim primus ille Apostata, & hæreticus Lucifer, extrema contra Deum arrogantia elatus, Omnipotentis Dei dominationem spreuit, dum ei par per omnia esse vult, simúlq; maiestatem eius blasphemauit, cum inquit: Ponam sedem meam in Aquilone, & ero similis altissimo: sic vniuersa eius propago, & progenies schismatici & hæretici, non illam primam & principem solùm, sed hanc etiam secundam & vicariam potestatem, quæ in magistratibus sita est, spernunt, eiúsque maiestatem blasphemant. Nunquam ferè Martinus, præterquam vbi sibi non constat, nunquam Caluinus, Pontificem Romanum, cuius Cathedram Apostolicam sedem, omnis antiquitas honorificentissimè nominat ac veneratur semper aliter quàm Antichristum: nunquam Pontifices, nisi monstra & portenta: nunquam Sacerdotes, nisi ministros & vasa diaboli: nunquam Reges & principes Catholicos, nisi Pharaones, tyrannos, & libertatis publicæ oppressores appellare solent: scripta illorum testantur, res negari non potest; nisi quis planè impudens esse velit, aut suos autores, quod multis sæpè vsu euenit, non legerit. Et cùm autoramentum maiestatis lex sit, quæ principes magnos & sacrosanctos facit: omnísque eorum dignitas, & autoritas ex legum autoritate, tanquam firmissimo præsidio pendeat; iidem ipsi legum, qui & maiestatis inimici sunt. Hinc illa Ecclesiasticarum primùm, deinde ciuilium legum & sanctionum impugnatio: hinc paternarum consuetudinum immutatio: hinc veterum morum abrogatio: legibus enim integris & sartis tectis conseruatis, neq; dominationem contemnere, neque maiestatem conuiciis proscindere impunè auderent; quinimò his stantibus & vigentibus, ipsi nullo modo stare, nec sese diutiùs tueri possent. Primus itáque fructus hæreseos hic est, dominationis & maiestatis diminutio, legum antiquarum abrogatio, omnísque veteris moris extinctio. Quis hæc docet? Petrus, atq; Iudas, duo amplissima Apostolici Collegii lumina: Dominationem, inquit, contemnunt, maiestatem autem blasphemant. *Iudas in sua Epistola.* *Isa. 14.*

Secundum, qui ex hoc primo nascitur, recensetlabem inobedientiæ. Libertatem, inquit, promittentes, cùm ipsi serui sint corruptionis: à quo enim quis superatus est, huius & seruus est. Et sanctus Iudas: Væ, væ, inquit, qui in contradictione Core abierunt. Quam contradictionem sic exponit scriptura: Core, Dathan, & Abiron, Leuitici generis fratres, qui ad fingendum deportandúmque tabernaculum, ac reliqua minutiora cultus diuini munera, erant destinati, Moyse & Aarone Principibus sacrorum & Reipub. spretis, in munus & officium sacerdotale sese temerè ingesserant. Misit igitur Moyses, vt vocaret Dathan & Abiron, filios Eliab, qui responderunt, non veniemus, &c. Iratúsque Moyses dixit ad Dominum: *Nume. 16.*

Ne re-

Ne reſpicias Domine ſacrificia eorum: tu ſcis, quòd nec aſellum quidem vnquam acceperim ab eis, nec afflixerim aliquem eorum. Contradictio igitur Core, inobedientia eſt, affectata libertas eſt, ac non expectata legitima vocatione, in alieni muneris functionem temeraria inuaſio, quæ ex magiſtratus leuiſsima æſtimatione naſcitur. Qui fructus, an noſtra hac ætate ſatis ſupérq; his magiſtris & Doctoribus non refloruit? Iubet vniuerſalis legitimè congregata Synodus quid: reclamat populus, non faciemus. Iubet Sacerdos: reclamat laicus, non faciemus. Mandat rex: itidem ſubditi, non faciemus. Mandat Dux belli: eodem modo miles, non faciam. Ab his autem maioribus ad minora eſt profectum: vt neque ſeruus Domino, nec filius patri, neque vxor viro, nec diſcipulus officinæ magiſtro, aut parere aut ſubeſſe velit: ſed facit quiſq; illud quod bonum eſt in oculis ſuis. Quam frequens hæc vox vbique exauditur: non faciemus, non veniemus, non parebimus, ipſi videtis. Malæ igitur arboris, ſecundus deterior fructus eſt inobedientia, quæ ex legum magiſtratúsque contemptu, ita vti diximus oritur.

Tertio, inquit: Nubes ſine aqua, nebulę turbinibus exagitatæ, quæ à ventis circumferuntur, fluctus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones, ſydera errantia, quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum. Quæ omnem tam politici, quàm Eccleſiaſtici ordinis peruerſionem, qui tertius eſt hæreſeos fructus, deſignant. Quid enim vacuis nubibus magis inconcinnum? quid fluctibus maris procelloſi magis incompoſitum? quid nebulis? quid ipſis ſyderibus errantibus, quæ nunc huc, nunc illuc temerè feruntur, nunc in his, nunc in aliis partibus cœli conſpiciuntur, magis vagum & incertum? Sequitur autem vi & natura ſua illos duos hic tertius fructus. Vbi enim nulla eſt obedientia, vbi nullum maioris & minoris diſcrimen & differentia, vbi ſuperioris & inferioris nulla comparatio: ibi nullus ordo, nullus certus ſit concentus oportet. Vt enim in cantu, ex diſſimillimorum ſonorum conſenſu illa oritur, quæ à muſicis harmonia dicitur; ita ex ſummis, & infimis, & mediis interiectis ordinibus, rectè & legitimè moderata ciuitas, ordinem & concordiam perpetuò tenet, arctiſſimum atque optimum vinculum in Repub. incolumitatis. Quæ vbi non ſunt, ibi omnia incerta, omnia vaga, omnia fluctuantia ſint oportet, multísq; procellis & tempeſtatibus agitata paſsim aguntur & feruntur. Quod inter iſtos manifeſtè fieri videmus. Omnes ferè apud illos ſunt Pontifices, omnes Sacerdotes, omnes Reges, omnes belli Duces, omnes Doctores, omnes denique omnia cenſeri volunt. Qua enim ratione iuris & ordinis æquabilitatem inter ſe conſeruabunt illi, qui ſibi mutuæ defectionis ex æquo conſcii ſunt? qui omnes ab eo quod iuſtum, quod legitimum, quod cum veteri lege & more coniunctum eſt, pariter receſſerunt? quibus propria libido, lex & norma recti & honeſti eſt? In ea igitur rerum omnium confuſione, quem tu conſtantem ordinem inuenies? quam diſciplinam? quem concentum?

Quem fructum ille quartus ſequitur, quem idem explicat D. Petrus:

Auda-

Audaces, inquit, sibi placentes sectas non metuunt introducere. Iudas autem: Murmuratores & quæruli, secundùm desideria sua ambulantes, os eorum loquitur superbiam, qui seipsos segregant, id autem est, factiosi sunt, tumultus cient, publicæ pacis tranquillitatem perturbant: Pax enim, vt doctis placet, nihil aliud est, quàm tranquillitas quædam ordinis. Vbi igitur nullus est ordo, sed potius omnis ordinis peruersio; ibi pax nullo modo esse potest: rixæ, factiones, dissensiones, in mutuúmque exitium conspirationes, domestici tumultus, belláq; ciuilia, quibus malis nunc orbem terrarum ardere videmus, succedant oportet. Istis autem inter se dimicantibus, ac mutuas vires atterentibus, & veluti in vtero vnius matris more Iacob & Esau colluctantibus; contra hostes Reipub. Christianæ præclarum geritur nihil. Opes inimicorum Christi indies crescunt: vrbes, Regna, insulæ in eorum potestatem succedunt: nihil nostrum vel ioco concupierunt vnquam, quod seriò non obtinuerint: dum isti pro scholæ quæstionibus, quarum finis nullus est, decertant: qui pro regnis, & populis Iesu Christi sanguine quæsitis pugnare potiùs debebant. Quid enim ab eo tempore, ex quo hæc labes rempub. Christianam inuasit, præclarè contra hostem nominis Christiani actum est? quid illius regno quæsitum? quid laudis & nominis gestum? omnia, vt ille inquit, ruunt, & retrò collapsa referuntur; omnis virtus Christiana conticuit. Quod idem longè ante mille ducentos ferè annos vidit magnus ille Hieronymus: Nostris, inquit, peccatis barbari fortes fiunt: nostris vitiis Romanus superatur exercitus. Infelices nos, qui tantum displicemus Deo, vt per rabiem barbarorum, illius in nos ira desæuiat. Sexcenta licet feriantur inter nos pacis fœdera, sexcentæ pacificationes, pax tamen non est, nec erit vnquã. Quid ita? Pax est tranquillitas ordinis: quæ vbi perturbatur, ibi nulla item pax & concordia, ipsa naturæ vi & æquitate ita concludente, retineri poterit. Multum quidem valent humanæ sanctiones, multum leges, naturam tamen rerum inuertere & immutare non possunt. Non est pax impiis dicit Dominus. &: Inter superbos semper iurgia. Impii tanquam mare feruens, quod nunquam quiescere potest. Ita qui pacem inter hæreticos, vel cum hæreticis facere velit; nihil aliud agit, quàm arenam, vt Irenæus dicere solebat, sine temperamento glutinat: quæ nunquam rectè cohæret, nunquam diu in vnitatis vinculo permanere potest: neminẽ enim pacem suam tenere posse, qui pacem Dei repudiauit, præclarè scriptum reliquit Hegesippus. Quid ita?

In Epitaphio Paulæ.

Isa. 48.
Pronerb. 13.
Isa. 57.
Irenæ. lib. 5. cap. 2.

Obstat & impedit quintus, qui hos quatuor sequitur, exitiosus malę plantæ fructus: Væ illis, inquit, qui in via Cain abierunt, & in errore Balaam mercede effusi sunt, secuti viam Balaam ex Bosor. Via Cain extremum quoddam & irreconciliabile, ex inuidia natum odium, in omnéque fraternum exitium conspirationem designat. Via Balaam, populi Dei, eiúsque castrorum infestationem, ac omni genere conuicii & maledicti, proscisionem significat. Habent siquidem dissidentes in religione insitum quoddam & peculiare, ab aliísque omnibus distinctum, contra illos, qui

aliter

aliter ſentiunt odium : quod & ſi ad tempus ſupprimi & diſsimulari ſolet; funditùs tamen & radicitùs euelli nullo modo poteſt, imò, quò diutiùs premitur, eò exitioſiùs erumpere ſolet : magna enim vis, magnus zelus eſt religionis. Quærit Ioſephus, quæ cauſa fuerit, cur cùm reliquæ omnes gentes ſecum facilè coniungebantur; ſoli Iudæi nullam firmam & conſtantem amicitiam cum cæteris nationibus coluerunt? Reddit non aliam quàm eam ipſam, diſparitatem & diſsimilitudinem ſenſus de religione cultúque diuino, odiúmq; quod inde manat implacabile, cùm Iudæi vnum ſolùm, cæteri omnes infinitos coluerint deos. Docet hoc idem Dionyſius Areopagita, ac vix non Geometrica ratione demonſtrat : Vt, inquit, lineæ quantò remotiùs à centro diſcedunt, & numeri ab vnitate quantò magis diſtant, tantò etiam plus ab inuicem ſeparantur, maiorèque interuallo abſunt : ſic homines, quò magis à Deo, qui eſt rerum omnium primum principium, & centrum, omníſque vnionis fons & origo, veráque de illo opinione diſcedunt; eò magis à ſeipſis diſtant, ac ſeiunguntur. Nõ poteſt, inquit Bernhardus, Deo eſſe contrarium quid, & ſibimet cohærere, aut ſecum conſentire. Nihil inter tales homines in commune conſulitur; nihil ad omnium ſalutem refertur : nulla totius corporis habetur cura : hoc ſolum vtile eſt, quod alteri nocet; ex alieno incommodo, ſua quisque ſibi parat commoda. Et proinde pacem & concordiam illa respub. ſperet nunquam, quæcunque ſemel diſpares & pugnantes intra ſua ſuſceperit viſcera cultus : fruſtra impoſsibilia tentantur, quod nunquam in tanto decurſu ſeculorum fuit : nunc certè, vt fieri poſsit, ſperandum non eſt.

Ioſephus cõtra Apionẽ.

De diuinis nomi. cap. 5.

Bernard. lib. 5. de conſide.

Sextus igitur fructus iſtius mali ab iiſdem explicatur Apoſtolis : Hi autem quæcunque quidem ignorant, blaſphemant : quæcunq; autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur. Quo loco blaſphemiam, ſiue conuitium & maledictum perpetuum comitem hæreſeon Apoſtolus dicit eſſe, quod nuſquam alias adeò fit : nam philoſophi, etſi nobiſcum non ſentiunt, etſi diſparem cultum ſequuntur, nos tamen noſtráque conuitiis & maledictis non conſcindunt. Ita ſint duo : alter philoſophus quis, Auerroëm, vel Auicennam ſequutus : hæreticus alter : vterq; Deum vnum & trinum non confitetur : vterq; Chriſtum ex virgine natum negat : vterq; ſub ſpecie panis & vini, verum corpus & ſanguinem Chriſti contineri nullo modo credit. Hoc tamen inter illos intereſt, quòd alter nuda diſputatione contentus non ampliùs progreditur : alter vltra argumenta nefandis blaſphemiis inquinat cõplétq; omnia. Quę illi & qualia in Dei filium, quę in virginem ſanctã, quę in Sacramenta, diuina ſymbola, maledicta cõferunt, quib⁹ conuitiis, qua dicacitate ea perſtringunt? pari certè maleuolentia cũ illis, qui filio Dei in cruce pẽdenti inſultabant quondam : Si filius Dei eſt deſcendat de cruce. Mahometanis crimen blaſphemiæ in Chriſtũ & eius matrem capitale eſt : apud iſtos laus & vrbanitas. Maledictus igitur furor eorũ, quia pertinax, & indignatio eorum dura. Non intret anima mea in conſilium eorum, & in cœtu eorum non ſit gloria mea,

Gen. 49.

ria mea, dicebat de simili genere hominum Iacob patriarcha quondam. Nec satis est ipsos ita petulantes, & maledicos esse, hácque ratione æterni numinis maiestatem lædere; sed illud amplius hac sua procacitate efficiunt, vt nomen excelsum Dei, nomen Iesu Christi, eiúsque sacrosanctæ religionis, malè vbique audiat in gentibus, per quos, inquit D. Petrus, via veritatis blasphematur. Quis enim ex his qui foris sunt, religionem eam admiretur, quis laudet, suspiciat, ad eam conuertatur, illíque adhæreat, & non potius damnet ac derideat, quæ in tot hæreses, in tot disidentia schismata sit distracta, & quæ de suis sacris & mysteriis tam maleuolè, tam petulanter, tam impudicè sentiat & loquatur? Non modò igitur his istorum moribus ac vocibus ad lucem veritatis infideles non redeunt, sed magis in suo errore tenebrísque confirmantur. Ad quos enim potiùs in tanta sententiarum varietate, se conferant, aut quomodo illos sequantur, qui ipsi, vbi certò defigant pedem non habent? Ita vt planè portas vniuersæ salutis omnibus gentibus, sectis ac disidiis suis, vita & moribus inquietis & disidentibus suis, obstruxisse videantur. Et, vt quondam Pilatus Christum ad illudendum, conspuendum, flagellandum, ac omnibus contumeliis diuexandum cohorti tradidit; ita nunc hæreseon ac schismatum magistri, eundem Christum, eiúsque vnicam sponsam Ecclesiam, iisdem gentibus, vt denuò flagelletur, conspuatur, ac variis probris contumeliísque illudatur, exponunt: nullo vnquam tantùm scelus dignè expiaturi æuo. Assume Domine zelum, pro sponsa tua, & pro nomine sancto tuo.

Septimus hæreseon fructus est ille, gratiam Domini nostri Iesu Christi transferre in luxuriam, quod idem ipsi docent Apostoli. Subintrauerunt enim quidam homines, qui olim præscripti sunt in hoc iudicium impii, Domini nostri gratiam transferentes in luxuriam, deliciis affluentes, in conuiuiis luxuriantes vobiscum. Vt enim veterator ille paradisi serpēs, prolixam illam, & liberalem munificentissimi parentis beneficentiam, qua in omni honestæ voluptatis & deliciarum vsu, primos nostros constituerat parentes, in exitialem transferre voluit luxuriam, atque insolentiam; ita vt nimia petulantia & fastu, eius suasu contra parentem suum elati, Dii planè esse voluerint; sic isti Crucis Iesu Christi, vulnerúmque eius, mortis & sanguinis liberalissimè in pretium & ablutionem totius mundi in ara crucis effusi, gratiam volunt transferre in luxuriam; non tanquam exemplum imitationis crucem & mortem Christi habentes, sed quasi velamen malitiæ prætendentes, vt dicebat Petrus. Quod ne fieret, diligentissimè suos monet Paulus Galatas: Vos in libertatem vocati estis fratres; tantum, ne libertatem in occasionem carnis detis. Laudent quantum velint in primis suis initiis hæretici omnem vitæ continentiam & sanctimoniam, laudent castimoniam: Catharos, Angelicos, Apostolicos, Apotacticos, id est, selectos, more veterum Gnosticorum, Marcionistarum, Valentinianorum, sese superbè appellent; ad vltimum tamen, Dei gratiam transferunt in luxuriam. Notum est, in quàm fœdas, ac planè infandas

1. *Pet.* 2.
Gal. 5.

libidines,prioris ſeculi hæretici ad extremum præcipitabantur: ſed & noſtri, ieiunia primùm, vigilias, cilicia, humicubationes ſuſtulerunt: virginitatem, tanquam rem Deo & naturæ aduerſam & inimicam reiecerunt: clauſtra monaſteriorum, ac vota ſuſceptæ pudicitiæ perfregerunt, Polygamiam laudârunt: vltimò Adamiſmus quidam turpis & nefarius apud quosdam inductus eſſe dicitur. Sic hæreſis nouit gratiam Dei transferre in luxuriam.

Octaua demum tantæ peſtis proles eſt, perpetuus in deterius profe-
a. *Timoth.* 3. ctus. Hunc fructum Paulus ad Timotheum ſcribens, ſic explicat: Semper, inquit, diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes. Mali autem homines & ſeductores proficient in peius, errantes, & in errorem mittentes. Et paulò pòſt: Iniquitas autem eorum proficit in peius, quorum ſermo ſerpit tanquam cancer. Mille quingentis ſeptuaginta octo annis, res Chriſtiana in diſpenſatione legitimæ poteſtatis, inter tot perſequutionũ fluctus, inter tot feri ingenii & linguæ impugnationes, inter tot hæreſes & ſchiſmata, integra & intemerata manſit: Articuli fidei, ſacramentorum diſpenſatio, libri ſacri, eorúmque interpretes, Cànones, Concilia, Patres, ordines, ordinúmque functiones, Cæremoniæ ſacræ, incorruptæ immutatæque manent. Sexageſimus vix interceſsit annus, ex quo iſti noui diſpenſatores eam inuaſerunt poſſeſsionem, & iam vix reliquias eius, quod à nobis acceperunt, depoſiti retinent. Sic prophanata, ſic conculcata iacent omnia: dum hoc quidem anno eam inficiunt religionis partem, alio aliam, & iterum aliam; donec totum fidei & pietatis veluti corpus, hic lethalis abſumat cancer. Vnde cœptum ſit & quò profectum, videtis. Quorſum illa aqua luſtralis, quorſum indulgentiæ, quorſum purgatorii ignis euaſit? auctores ipſi vix ſua recognoſcunt dogmata. Neque verò in peius proficiunt tantùm, ſed, in quo maximè admirari licet, ſummam diuinæ potentiæ in hominum malitia & curioſitate vindicanda vim, planè in contrarios recidunt ſenſus. Quantum fidei vim & amplitudinem, ſuprà quam etiam neceſſe fuit, extulerint quondam, nemo eſt qui ignoret. Nunc ipſi, vel penitus nihil credunt, vel in omni parte fidei, ſenſum & experimentũ quęrunt: iámq; nõnulli ſunt, qui in ſolis bonis operibus, cum Pelagianis, totam ſalutis rationem repoſitam eſſe putant. Verbum Dei, Euangelia, Paulíque ſcripta, quibus laudibus in cœlum extulerant, ſcimus: nihil detrahendum, nihil apponendum eſſe, quàm ſanctè & religioſè cauebant. Nunc Moyſes multis placet; Chriſtus, eiúsque Euangelia diſplicent: nouum teſtamentum, recens quædam & nuper excogitata res eſſe videtur; veterem legem, & antiquitate, & iudicio omnium gentiũ longè maioris autoritatis & fidei eſſe putant: quomodo omnes illi ſentiunt, qui noui Iudaizantes dicuntur. Quid de Sacramentorum vi? integritate, veritate, ſanctitate, frequenti vſu quàm præclara, vt quidem videbantur, à primis ſuis initiis tradebant: nunc, vel nuda quædam & egena elementa, vel penitùs nulla eſſe putant. Maledictum illum eſſe hominem dicebant, qui confideret in homine, quíue carnem poneret brachium

chium ſuum: nunc non minima pars illorum nudum & ſimplicem hominem Ieſum Chriſtum, vt quidem illi impiè blaſphemant, grauiſsimo idololatriæ delicto obnoxii, colunt & venerantur: Totum certamen, pro gloria, laude, maieſtate Ieſu Chriſti, ſe ſuſcepiſſe prætendebant: nos hoſtes & proditores cultus ac nominis eius, tertio quoque apellabant verbo: nunc illum quem pater glorificauit,& in quo ſummam ſplendoris gloriæ ſuæ collocatam eſſe voluit, ita, vt qui non honorificet filium, non honorificet Patrem, infra Angelicam etiam collocârunt naturam, ac ne ex virgine quidem natum, Mahometanis in ea parte longè deteriores, confiteri volunt. Sic facta ſunt illis, iuxta prædicationem Petri, poſteriora deteriora prioribus. Quàm diſsimilia & pugnantia vltima primis, videtis: quæ tamen omnia eò peruentura, iam tum à principio à Catholicis viris ad vnguem planè omnia prædicebantur. Vnde igitur hæc tanta mentis cœcitas? vnde hæc amentia? Deſcendit Dominus, & confudit linguas & ſenſus eorum, vt non audiat vnuſquisque vocem proximi ſui; ac ne ſuam quidem, quam primò conſtanter tuebatur, & pro qua fortiſsimè pugnabat. Docet ſacra ſcriptura, ſingulis Eccleſiis ſingulos angelos ad earum regimen & gubernationē, ac cuſtodiam, præfectos eſſe: quas vbi illi iuſta & æqua voluntate Dei, peccatísque hominum, ita merentibus deſeruerint, eas omnibus ignitis telis ſpiritualium poteſtatum patere, ac ex errore in errorem prolabi: quos hæreſibus ac ſchiſmatibus fugari, ipsásque Eccleſias relinquere, teſtis eſt grauiſsimus autor Hieronymus: quod nūc iſtis eueniſſe, dubitandum non eſt. Verè igitur ſermo illorum ſerpit tanquam cancer, errórq; in principio paruus, in exitu infinitis partibus creſcit, nec primùm conſiſtet, quàm res ad eos redierit, quibus dictum eſt: Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Et qui illud verè vſurpare poſsint: Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti,& diſpenſatores myſteriorum Dei. *Lucæ 10.* *2. Cor. 4.*

Ex quo peſsimi profectus malo, alia miſerabilis & funeſta naſcitur calamitas, conſcientiæ ſcilicet perturbatio, mentísque inconſtantia. Cauteriatam, inquit Paulus, habentes conſcientiam; quod perplexitatem quandam, & fluctuationem, ac inconſtantiam mentis denotat. Dum enim animus, in eo quod ſummum eſt,& in quo vitæ & felicitatis quaſi cardo verſatur, nullum certum modum, nullum finem, nullum inuenit exitū, ac pro tuto portu, vbi conſiſtere debuit, in maiores æſtus, maioráq; naufragia, ſe indies deferri videt, nec vſquam tam firmiter agit pedem, quin nouis fluctibus inde non exturbetur: dici non poteſt, quantum commoueri & perturbari ſolet, quantū indignari & planè iraſci; nullum mare ita fluctibus, quantum hic animus cogitationibus æſtuare ac in tranſuerſum agi ſolet. Hinc macies: hinc pallor, inediæ: hinc vigiliæ,& nocturnæ excitationes: hinc in via, in balneo, ad menſam, in lecto diſceptationes, ac perpetuus ad eaſdem cogitationes recurſus: hinc leui ex cauſa, maximæ offenſiones, & ſcandala: hinc repetitæ conſultationes, conuentus,& ſynodi: hinc vitæ & lucis tædium: hinc ſpontaneæ ſibi manuum illationes:

hinc aliæ infinitæ cruces. Cauteriato enim membro, nulla pax, nulla quies. Ex qua animi ac conſcientiæ ægrimonia, exoritur metus quidam & trepidatio; vt metuant, vbi non ſit timor, fugiant nullo perſequente. Virtutis enim viri recta conſcientia, robur eſt. Probatum eſt hoc nuper aliquoties apud nos his proximis Tartaricis incurſionibus; quid actum, quomodo trepidatum ſit, ſcitis. Non factitârunt his ſimilia illi, quibus certa & explorata fuit pietatis & religionis ſuæ ratio, maiores noſtri: qui non niſi cum diis, vt aiunt, & ſacris, bona conſcientia, pro fortiſsimo clypeo tecti, in aciem & certamina, deſcendere ſolebant. Quanquam autem hi conſcientię tumultus in omni illos perturbent vita, maximè tamẽ in morte excitantur cõtrariis argumentis, in vtramq; partẽ colluctantibus, aſſenſu autem dubio, & fluctuante, diabolo autem tunc omnia in immenſum augente: ita, vt vix centeſimum ex iſtis æquo animo mori videas. Quam eorum miſerabilem conditionem, Vincentius Lirinenſis ante mille annos diſertè in hunc modum deplorat: Et perire metuunt, & redire erubeſcunt, ſaucii, ſemineces, ſemiuiui: quippe qui tantam veneni hauſerint quantitatem, quæ nec occidat, nec digeratur, nec mori cogat, nec viuere ſinat. Heu miſeranda conditio, quantis illi curarum æſtibus, quantis turbinibus exagitantur? Nunc etenim quà ventus impulerit, incitato errore rapiuntur: nunc in ſemetipſos reuerſi, tanquam contrarii fluctus reliduntur: nunc temeraria præſumptione, ea, quæ incerta videntur, approbant: nunc irrationali metu, etiam quæ certa ſunt expaueſcunt: incerti quà eant, quà redeant, quid appetant, quid fugiant, quid teneant, quid dimittant. Quæ quidem dubii & malè penduli cordis afflictio, diuinæ erga ſe miſerationis eſt medicina, ſi ſapiant. Idcircò etenim extra tutiſsimum Catholicæ fidei portum, diuerſis cogitationum quatiuntur, verberantur, ac penè necantur procellis; vt excuſſa in altum elatæ mentis vela deponant, quæ malè nouitatum ventis expanderant, ſeſéque intra fidiſsimam ſtationem placidæ, ac bonæ matris reducant & teneant, atq; amaros illos turbulentósque errorum fluctus primitùs reuomant, vt poſſint deinceps viuæ & ſalientis aquę fluenta potare. Dediſcant benè quod didicerunt non benè, & ex toto Eccleſiæ dogmate, quod intellectu capi poteſt, capiant, quod non poteſt credant. Hæc ille.

Iſa. 48. *Pſal. 13* *Prouer. 28.* *Año Domini 1575. Menſe Octobri.* *Vincent. Lir. li. de hæreſi. cap. 25.*

Sequitur decimus ille lethalis fructus, religionis vniuerſæ cultúsque diuini labes vltimáque ruina. Quem fructum D. Petrus illis verbis explicat: Venient, inquit, in nouiſsimis diebus in deceptione illuſores, iuxta proprias concupiſcentias ambulantes, dicentes: Vbi eſt promiſsio, aut aduentus eius? ex quo enim Patres dormierunt, omnia ſic perſeuerant ab initio creaturæ. Quod quidem ſine multis teſtibus vel res ipſa clarè demonſtrat. Nam cùm vniuerſa fides ac religio chriſtiana, demonſtratione non conſtet, ſenſui item ſubiecta non ſit, ſed ſola fide, conſenſu, autoritatéque nitatur; his ſublatis, aut ſaltem labefactatis, omnem religionem auferri oportebit hac ratione. Verſatur quis inter Catholicos, audit argumenta, audit ſcripturas; confert ſe idem ad ſacramentarios, eadem omnia

2. Petri. 2.

nia inuenit: item ad Anabaptiſtas, non inferiora: ad Trinitários, Arianósque eodem modo. Quæ omnia, ex iisdem ſacræ ſcripturæ ipſiúsque rationis fontibus hauſta, cùm animus infirmus & cauteriatus digerere nõ poſsit, magna vndequaq; & rerum & perſonarum pondera videns, ſimul omnia cum ſummo acerbitatis dolore euomit, vniuerſámq; abnegat fidem, ipsóq; infideli deterior efficitur. Ex quo hominum genere, non vnum & alterum, ſed plenos vbiq; videmus verſari greges: qui illud palàm confiteri non erubeſcunt, ſe quid in religione ſequi debeant, planè ignorare: omnia illa, quæ primò veriſsima eſſe putârunt, falſa & confícta eſſe religionis & pietatis nihil præter ſpecioſum nomen & titulum exſtare. Et hæc quidem plurimi propalàm: Alii porrò, qui paulò cautiores prudentiorésq; ſibi videntur, cùm id publicè affirmare non audeant, in corde tamen ſuo illud cum impiis ſæpiùs occinunt: Non eſt Deus: quorum numerus, etſi ſoli Deo cognitus ſit, eſſe tamen quamplurimos, vita hæc & mores hominum perditi ſatis teſtantur. Euenit hoc idem philoſophis quondam: dum enim reges ac principes Rerumpub. philoſophabantur, grauiter tunc & ſeriò omnes explicabantur philoſophiæ partes: nihílq; dicebatur, niſi quod ex naturæ ipſius principiis, ac planè viſceribus depromeretur: nihil in medium afferebatur, niſi quod ipſam veritatem redolebat: nihil quærebatur aliud, quàm ipſa veritas. At, poſteaquàm philoſophia ad homines egentes, vagos, oſtentationíq; deditos, tranſlata eſt, qui finem eius lucrum potiùs & quæſtum, inanémq; gloriam, quàm veritatem ſibi proponebant, tunc ad nugas quaſdam & ineptias, incredibiliáq; paradoxa, quibus ſtultæ plebeculæ, illi ambitioſi magiſtri admirabiles videri voluerunt, omnia transferri cœpta ſunt. Hinc illa omnia vnum eſſe, cœlum in perpetua quiete manere, terram autem incito curſu agitari, motum in rerum natura eſſe nullum: hinc niuem nigram: & quid non? Quibus nugis & altercationibus eò res deducta fuit, vt nihil certò ſciri aut affirmari poſſe exiſtimaretur; illíq; ſapientiſsimi eſſe iudicati ſunt, qui nihil ſe, nec magnum, nec paruũ ſcire profiterentur. Talis Socrates, talis Carneades fuit. Philoſophi ex vrbibus & ciuitatibus eam ipſam ob cauſam eiecti, planéq; tota Philoſophia ſublata fuiſſet; niſi duo illa præſtantiſsima ſapientiæ lumina, Plato inquam & Ariſtoteles, rem planè collapſam ſeriò philoſophando reſtituiſſent. Sic nimium altercando amittitur veritas.

Vltimus eſt ille, qui hæc omnia obſignat mala, tam exitioſi monſtri fructus, vocata in dubium virtutum omnium maxima & ſanctiſsima religione, leges item morésq; antiquos, virtutem, omnéq; honeſtum, in dubium vocari, humanóq; potiùs inſtituto & opinione hæc quàm vi & natura ſua valere, sícq; omnis æqui & honeſti, habenis ſolutis, omníq; diſciplina ſublata, à virtute ad vitia, non iam pedetentim & lento gradu, ſed præcipiti curſu diſceditur: ſic omnis honeſti alea iacitur. Nam vt firmæ & conſtantis de religione ſententiæ, omnis virtus & honeſtas conſequens eſt, quarum illa mater nutrix, & certiſsima cuſtos exiſtit, quarum munera & prę mia ſecum portat, quibus item decus ac omnem ornatum addit, fidémque

démq; & autoritatem facit. Sic vera & conſtanti religionis opinione labefactata, aut penitùs alicundè ſublata, ac quaſi in perpetuum exilium acta, comites itidem eius, virtutem, honeſtatem, diſciplinam legum atque magiſtratuum autoritatem, excludi neceſſe eſt. Quid enim illum animũ potiſsimum mouebit, quem diuini numinis metus, omnia perſpicaci ſuo oculo intuentis, non mouet? aut quid apud illum ſanctum erit, apud quem ea quæ prima & ſumma natura ſua meritò eſſe debent, locum habent nullum?

Hi igitur ſunt illi, quos quærebamus, hæreticorum proprii & peculiares, non ex noſtro ſenſu & iudicio, vt videtis deſumpti, ſed ab ipſis principibus Apoſtolorum nobis traditi, omnium autem temporum exemplis comprobati fructus. Sic igitur rem totam concludamus: ſi ante ſeptuaginta hos ipſos vel octoginta annos, hi tales fructus in Eccleſia Catholica inueniebantur, falſi erant Prophetæ illi, qui Chriſtianam profitebantur doctrinam. Si autem tum in ea negligentia, quam & ipſi videmus, & iſti tãtopere accuſant, nihil horum orbem vexabat Chriſtianum, nunc autem iſtis ducibus eáq; tam diligenti ſcripturarum venditatione, hi fructus, tanquam ex quadam Epimethei Pandora promanant; quid aliud dicemus, quàm maiores quidem noſtros parum illos diligentes & continentes homines fuiſſe, falſos tamen Prophetas nequaquam appellari debere: hos autem, prima quidem ſpecie pietatem & veritatem prætuliſſe, intus autẽ lupos rapaciſsimos fuiſſe? Vultíſne vobis in meridie lucernam accendam? Si iudicatum erit in meridie non lucere, hæc ita ſe non habebunt: ſi autem hæc veriſsima ſunt, quid amplius deſideratis, in re præſertim tanti periculi? Hi enim fructus, vitam ſingulorum perturbant, funeſtáq; labe inficiunt, Reſpublicas euertũt, pietatem & honeſtatem omnem extinguunt, Quorum tamen ſatores vos ſuſpicitis, ac in deliciis habetis, in manibúſq; propemodum geſtatis veſtris: horum vita, fortunaq́; maximè vobis curæ ſunt, tótq; confœderationibus, tot legum præſidiis, tot ſacramentis, à vobis ita tecta & communita; vt hæc, vel officina ipſa, vltimæq́; conditionis homines, Regibus & Magiſtratibus inſolenter obiicere, illíſq; ſuam impietatem tueri non erubeſcant: parúmq; eſt, eius generis homines, non puniri, ſed aliũdè etiam accerſuntur, ſed publicis præmiis ac honoribus prouocantur, ſed in ore ipſo regum atq; principum, ea ſemina malorum iacere non erubeſcunt. Perſimilíſq; hæc veſtra aula diuturnæ eſt febri, quæ nunquã ægrum deſerere ſolet, niſi prius aliquod vitium tanquam ſignum & monumentum ſui, in ægro corpore reliquerit. Sic nos nuſquam venimus, vbi non aliquas reliquias eius peſtis & contagionis inter eius loci, & vrbis homines relinquamus. Ac vereor, ne in hac ipſa ab ea labe, Dei munere, integerrima vrbe, aliqua eius peſtis ſemina relinquamus, quæ poſtea ſimiles pariant fructus. Quæ omnia, cui malo? num verbo Dei? num veritati? Nequaquam: hæc enim in æternum manent: his nulla malitia humana aut abrogari, aut derogari poteſt quicquam. Num Eccleſiæ Dei & Regno Chriſti? non item: hæc enim eſt columna & firmamentum veritatis,

1. Tim. 3.

ritatis, ædificata in firma petra, contra quam ne portæ quidem inferorum *Mat. 16.*
præualebunt vnquam. Cui igitur malo? Rebuſpub. primùm: quarum hæc præſens eſt ruina, hic certiſsimus interitus. Regibus deinde ac principibus ipſis, quibus hæc omnia exedenda ſunt, quęcunque iſti diuini magiſtri intriuerint: cæteris deniq; omnibus, qui his tantis laqueis errorum ſe capi ac irretiri paſsi fuerunt. Verùm dicet quis: hæc quidem de cæteris Sacramentariorum, Arianorum, Anabaptiſtarum ſectis veriſsimè dici, ~~Auguſtanæ autem Confeſsioni~~ nequaquam conuenire. Cæterùm placétne meum de Auguſtana, quod antea nunquam attuli, audire iudicium? paucis accipite. Spero enim vos id, quod ipſa res docet approbaturos. Habet Auguſtana pelles, vellera, colorem, longè ſpecioſiora, & ad fallendum magis accommodata, quã reliqua hæc monſtra hominum; fructus autem ſimillimos, quod ex hac ſimilitudine agnoſcite. ~~Solent Plagiarii, qui vel ex littoribus, vel ex vicinis oppidis homines furantur~~, cùm ipſi eorum locorum hominibus ſuſpecti ſint, habere quosdam ſecum, vel ex oppidanis ipſis, vel ſaltem perſimili habitu & veſtitu adornatos, hos ex nauibus ad oppida vicina dimittunt, vt familiaritate cum illius loci hominibus, atque adeò pueris ipſis inita, eos ex oppidis in ſolum locum ad littora, tanquam inambulandi cauſa educant. Quos vbi primum illi eduxerint, iſti rapiunt, ac in naues coniectos, ſecum in medios fluctus aſportant. Plagiariis ſunt perſimiles cæteri hæretici: Auguſtana ipſa, ex hoc eſt genere hominum inſidioſorum, qui ſimilitudine victus, & habitus, homines ex tuto Eccleſiæ Catholicæ ſinu in littora, pyratis obnoxia deducunt: ídque propter eam, quam ſe cum Catholica Eccleſia habere ſimulant, & quã incautis & ſimplicibus hominibus facilè imponunt, ſimilitudinem & cognationem. Exaudire enim licet illas voces: Eandem hanc religionem eſſe, iisdem principiis & fundamentis inniti: in cultu & cæremoniis neſcio quid diſcrepare. Quos vbi ſemel ex loco tuto eduxerint, hunc Sacramentarius, illum Anabaptiſta, iſtum Ebionita, aut Trinitarius quiſpiam rapit, cum eóque in ipſos certiſsimæ perditionis ſcopulos fugit. Quem enim iſti funeſti Plagiarii ex Auguſtanæ ſinu non rapuerunt? quẽ iſta inſidioſa Syren ex portu Eccleſiaſtico non eduxit? aut quis ex iſtis Auguſtanam fidem à principio non laudauit, quis ſequutus non eſt? Habetis veram, vt puto Auguſtanæ formam & imaginem: ſi hoc idem res ipſa non docet, nolite credere; ſi autem veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Attendite igitur vobis à falſis Prophetis, ſed maturè, priuſquam hoc incendium ita augeatur, vt poſtea, niſi veſtra ruina extingui non poſsit. Deus miſereatur veſtri, & hoc tantum malum, quo tot Reſpub. florentiſsimæ collapſę ſunt, à vobis ceruicibúsque veſtris auertat. Amen.

ORATIO ECCLESIASTICA TERTIA,

De cauſis ſupremi excidij Hieroſolymitani.

Videns Ieſus ciuitatem, fleuit ſuper illam, dicens: ſi cognouiſſes, & tu. Luc. xix.

Isa. 26.  Iuitatem ſublimem humiliabit; humiliabit eam vſque ad terram, detrahet eam vſque ad puluerem: conculcabit eam pes, pes pauperis, greſſus egenorum, vt non ſit ciuitas, & in ſempiternum non ædificetur.

Eiusdem ciuitatis ſupremum exitium, vltimámq; cladem, multò antè his verbis prædixit Iſaias; cuius nunc triſtiſsimum caſum funeſtúmq; interitum, ipſe deplorat ſponſus & hæres: Si, inquit, cognouiſſes, & tu. Et quidem in hac die tua, quæ ad pacẽ tibi: nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Nec deplorat tantùm, verùm etiam omnis iſtius humiliationis ac deiectionis rationem & modum veluti ob oculos ponit. Venient, inquit, dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te & coanguſtabunt te vndique, & ad terram proſternent te, & filios tuos qui in te ſunt: & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem; eò, quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ. Vt illud ſimiliter eiusdem Iſaiæ compleatur: Poſuiſti ciuitatem in tumultum, vrbem fortem in ruinam, domum alienorum, vt non ſit ciuitas. Quod iam longè antè Balaam Gentilis Propheta, non ſine vrbis tantæ commiſeratione prædixit. Heu quis victurus eſt quando iſta faciet Deus? Venient in trieribus de Italia, ſuperabunt Aſſyrios, vaſtabúntque Hebræos, & ad extremum etiam ipſi peribunt. Cùm autem aliena pericula, noſtra ſint documenta: cúmque tantæ támque dilectæ vrbis clades, cæteris omnibus, ad omnem futurorum ſeculorum memoriam, veluti quoddam bonitatis & ſeueritatis Dei ſpecimen & exẽplar ſit relictum, quod ipſe Paulus his verbis grauiſsimè explicat: Noli, inquit, alta ſapere, ſed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit; ne fortè nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem & ſeueritatem Dei. In eos quidem qui ceciderunt, ſeueritatem: in te autem bonitatem Dei, ſi permãſeris in bonitate. Alioquin & tu excidêris. Sed & illi, ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur. Potens eſt enim Deus iterum inſerere illos. Nam ſi tu ex naturali exciſus oleaſtro, & contra naturam

Isa. 25.

Rom. 11.

inſertus

inſertus es in bonam oliuam, quantò magis ii qui ſecundùm naturam, inſerentur ſuæ oliuæ? Et cùm item omnia, vt idem ſcribit Paulus, quæcunq; ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſint; inſiſtendum hoc loco aliquantiſper eſſe putaui, ne tantæ vrbis cladem, ad quã obſtupuerunt omnes gentes & mouerunt capita ſua, frontésq; percuſſerunt ſuas, ſicco quodammodo pede præteriiſſe videamur. Ita, vt quæ eius vrbis amplitudo & dignitas, opes & robur fuerit, primùm paucis explicemus. Deinde quas ob cauſas extremo vulnere percuſſa, ex tam alto dignitatis deciderit culmine, ad veſtrã vtilitatem doceamus, vt diſcant Regna, Reſpublicęq; Chriſtianæ, non magis opibus & viribus, magnitudiníque ſuæ, quam æterni parentis auxiliis, benignóque fauori confidere, ſimúlque illud perſpiciant, quæ cauſę ſalutis & incolumitatis, quę item interitus & exitii ipſarum eſſe ſoleant. Cui argumento tam graui & perneceſſario, quo aliqua ex parte pares eſſe poſsimus, opem diuini numinis imploremus omnes.

Hieroſolyma vrbs, quæ eadem primis temporibus Solima atque Salem dicta eſt, vel conditoribus & antiquitate, vel amplitudine & dignitate, vel opibus & facultatibus, viribus item & munitionibus princeps, & caput reliquarum totius orientis vrbium fuit, ac quaſi ad ipſam immortalitatem erecta atq; extructa. Chananęi hanc iam, ante Ægyptiacam ſeruitutem, datámque legem, magnis opibus, præſidiíſque condiderunt. In eo loco, inquit Hieronymus, vbi & habitaſſe, & mortuus eſſe Adã dici tur; vt ſecundi Adam, id eſt, Chriſti ſanguis de cruce ſtillans, primi Adami iacentis peccata dilueret. Primus vrbis fundator Melchiſedech fuiſſe perhibetur, Rex & Sacerdos Dei ſanctiſsimus, primus & Regni, & Sacerdotii, venturi Meſsiæ adumbrator ampliſsimus; dum in typo Chriſti, panem & vinum obtulit, & myſterium Chriſtianum, in Saluatoris ſanguine & corpore dedicauit, inquit idem Hieronymus; & cui Abraham victis & profligatis quinque Regibus, ex omni illa vberrima præda honoris & religionis cauſa decimam detulit partem. Hanc poſtmodùm Dauid Rex, profligatis ac eiectis inde Iebuſæis, iubente ipſo Deo, refecit ac reſtauratauit, muros illius altiores erexit ac dilatauit: illúcque Arcam fœderis Domini, tabernaculum, & cætera ad cultum diuinum pertinentia, ex Sylo vrbe Samariæ, vbi primùm ſedes religionis & Reipub. conſtituta fuit, trãſtulit, ac in monte Sion collocauit, in cuius vno colle arcem condidit, templóq; in altera eiusdem montis parte Moria dicto, vbi quondam Abraham Iſaacum filium ſuum Deo in odorem ſuauitatis, ſumma & maxima fide & pietate obtuliſſe dicitur, locum aſsignauit. Et magni quidem iſti vrbis conditores & fundatores fuerunt, ſed longè maior ille, de quo ipſe Dauid: Fundamenta, inquit, eius in montibus ſanctis: diligit Dominus portas Sion, ſuper omnia tabernacula Iacob. Nunquid Sion dicet homo, & homo natus eſt in ea? & ipſe fundauit eam altiſsimus. Et in alio loco: Deus fundauit eam in æternum. Hinc orta, tribus propemodum totis millibus annorum, magna laude, ſummo ſplendore, maxima omnium gentium admiratione, princeps Imperii Iſraëlitici ſtetit: illic ſederunt ſedes, in iudi-

Pſal. 86.

Pſal. 47.

iudicio, ſedes ſuper domum Dauid: ſedem hic & domicilium nominis ſancti ſui, religionis, Regni item, omniúmque promiſsionum ſuarum fixerat Deus ipſe: domum Regis ædificari, templum ſacratiſsimum ac nobiliſsimum extrui, Arcámq; fœderis ibi collocari iuſsit: cũ quibus rebꝰ ſacra, cæremonias, ſacrificia, omnémque cultum ſuum ita coniunxerat; vt hæc
Pſal. 121. nuſquam alias, quàm in eo loco adminiſtrari voluerit. Illuc aſcenderunt, inquit Dauid, tribus, tribus Domini, teſtimonium Iſraël, ad confitendum
Deut. 33. nomini Domini. Explicat hæc omnia magnificè aliquot in locis Scriptura: Beniamin, inquit, amantiſsimus Domini habitet confidenter in eo, quaſi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requieſcet.
4. Reg. 21 Et alibi: In templo hoc & Hieruſalem, quam elegi de cunctis tribubus
2. Par. Iſraël, ponam nomen meum in ſempiternum. Et item: A die qua eduxi populum meum de terra Ægypti, non elegi Ciuitatem de cunctis tribubus Iſraël, vt ædificaretur in ea domus nomini meo, neque elegi quempiam alium virum, vt eſſet dux in populo meo Iſraël, ſed elegi Hieruſalem vt ſit nomen meum in ea. Ex eo templo, tanquam de ſummo cœlo, omnibus gentibus & nationibus, opem & præſens auxilium Deus ſe laturum promiſerat, quicunq; modò eò ſupplex tempore ſuo neceſſario confugiſſet. Huc igitur vniuerſa Iudæa, huc Reges & Principes, huc Imperatorum quique maximi, preces votáque deferebant ſua; Cyrus, inquam, Darius, Alexander Macedo, Ptolemęus, Seleucus, Pompeius, Agrippa illud adierũt, eiúsq; mirabili ac ineffabili ſpectaculo, vt inquit Philo, ſummoperè delectati ſunt. Auguſtus, eodem Philone teſte, iuſsit, è ſuis ipſius redditibus, offerri quotidie victimas ritè in holocauſtum altiſsimo Deo, videlicet taurum & agnos duos, quos Cæſar altari deſtinauit. Demetrii illud
1. Mach. 10. decretum fuit; Hieruſalem ſit ſancta & libera cum finibus ſuis, & decimæ & tributa illius ſint: vt illud Dauidicum planè impleretur: Deus, inquit, in domibus eius cognoſcetur, cùm ſuſcipiet eum. Quoniam ecce Reges terræ congregati ſunt, conuenerunt in vnum. Qui iidem pleni admiratione in illas prorumpebant voces: Sicut audiuimus, ſic vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei noſtri: Deus fundauit eam in ęternum. Suſcepimus Deus miſericordiam tuam, in medio templi tui. Neque mirum eſt, in tanto honore locum illum fuiſſe. Nam præter id quòd templũ illud, iam inde ab initio nulla idololatria contaminatum fuit: nullámq; vnquã admiſit manufactam effigiem, vt Philo ad Cain commemorat: reſidebãt etiam in eo templo ſtupenda quædam ac planè cœleſtia dona, diuina primùm ipſa preſentia, quę ad propitiatoriũ reſponſa omnibus venientib. edebat: deinde præſens virtus Spiritus ſancti, quæ Prophetas afflare ſolebat: ignis item ſacer & inextinguibilis: demum lapides, qui in rationali Pontificis erant, quorum cõſpectu Sacerdotes occulta quædam intelligebant ac futura prædicebant: vltimò Arca, propitiatorium, duo Cherubim, res ſanctiſsimæ. Sublimis igitur fuit illius vrbis & templi gloria, magna maieſtas, ſed multò maiorem ſub Rege Meſsia futuram fuiſſe prædixerat
Hier. I7 21. Hieremias. Ingredientur, inquit, per portas ciuitatis huius Reges & Principes,

cipes, ſedentes ſuper ſolium Dauid, & aſcendentes in curribus & equis, ipſi & Principes eorum, viri Iuda & habitatores Ieruſalem: & habitabitur ciuitas hæc in ſempiternum. Et venient de ciuitatibus Iuda, & de circuitu Ieruſalem, & de terra Beniamin, & de campeſtribus, & de montoſis, & ab auſtro, portantes holocauſtum, & victimas, & ſacrificium, & thus, & inferent oblationem in domum Domini. Quæ omnia prolixiſsimè completa fuiſſent, niſi tantis promiſsis, tantæque Dei munificentiæ, incredibilis illius populi malicia & improbitas atque adeò extrema mentis cœcitas obſtitiſſet. Meritò igitur eam illis laudibus, ac elogiis ornat diuinus vates. Elegit, inquit, Dominus Sion, elegit eam in habitationem *Pſal. 131.* ſibi. Hæc requies mea in ſeculum ſeculi, hic habitabo quoniam elegi eam. Viduam eius benedicens benedicam, pauperes eius ſaturabo panibus. Illuc producam cornu Dauid, paraui lucernam Chriſto meo. Inimicos eius induam confuſione, ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea. Meritò pro eius ſalute & incolumitate ea concipit vota: Rogate quæ ad pacem ſunt Hieruſalem, & abundantia diligentibus te. Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. Magna ergò dignitas, magna maieſtas eius vrbis fuit, ſed & opes & diuitiæ maximæ. Tempora, & opes Salomonis, ſic deſcribit liber 3. Regum: Erat autem pondus auri, quod of- *3. Reg. 10.* ferebatur Salomoni per annos ſingulos, ſexcentorum ſexaginta ſex talentorum auri, excepto eo, quod offerebant viri, qui ſuper victigalia erant: & negotiatores, vniuerſíque ſcuta vendentes; & omnes Reges Arabiæ, Ducésque terræ. Fecit quoque Rex Salomon ducenta ſcuta de auro puriſsimo (ſexcentos auri ſiclos dedit in laminas ſcuti vnius) & trecentas peltas ex auro probato: trecentæq; minæ auri, vnam peltam veſtiebant. Poſuítque eas Rex in domo ſaltus Libani. Fecit etiam Rex Salomon thronum de ebore grandem, & veſtiuit eum auro fuluo nimis, qui habebat ſex gradus: & ſummitas throni rotunda erat in parte poſteriori: & duę manus hinc atque inde tenentes ſedile: & duo leones ſtabant iuxta manus ſingulas, & duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc atq; inde. Non eſt factum tale opus in vniuerſis regnis. Sed & omnia vaſa, de quibus potabat Rex Salomon, erant aurea: & vniuerſa ſupellex domus ſaltus Libani, de auro puriſsimo. Non erat argentum, nec alicuius precii putabatur, in diebus Salomonis; quia claſsis regis per mare cum claſſe Hiram ſemel per tres annos ibat in Tharſis, deferens inde aurum & argentum, & dentes elephantorum, & ſimias, & pauos. Magnificatus ergo eſt Rex Salomon, ſuper omnes Reges terræ, diuitiis & ſapientia: & vniuerſa terra deſiderabat vultum Salomonis, vt audiret ſapientiam eius, quam dederat Deus in corde eius. Et ſinguli deferebant ei munera, vaſa argentea & aurea, veſtes, & arma bellica: aromata quoque, & equos, & mulos, per annos ſingulos. Congregauítque Salomon currus & equites; & facti ſunt ei mille quadringenti currus, & duodecim millia equitum: & diſpoſuit eos per ciuitates munitas, & cum Rege in Hieruſalem. Fecítque vt tanta eſſet abundantia argenti in Hieruſalem, quanta & lapidum: & cedrorum

drorum præbuit multitudinem quaſi ſycomoros, quæ naſcuntur in campeſtribus. Et educebantur equi Salomoni de Ægypto, & de Coa. Negotiatores enim Regis emebant de Coa, & ſtatuto precio perducebant. Egrediebatur autem quadriga ex Ægypto, ſexcentis ſiclis argenti, & equus centum quinquaginta. Atq; in hunc modum cuncti Reges Hethæorum, & Syriæ, equos venundabant. Hactenus Scriptura. Ingens hoc fuit vectigal, magnæ opes, & Regis, & vrbis, quæ tamen poſt ipſo tempore in immenſum planè creuerant: nam & reliqui Reges, & ad opes, & ad ornamenta vrbis plurimum addiderunt. Ibíque probatum eſt, quantùm momenti ad omnia incrementa rerum & facultatum, æterni parentis fauor ac beneuolentia adferat. Bono igitur animo ſit Rex meus, cùm filium paſtoris timentis Deum, ad eam opum & facultatum magnitudinem peruenisſe videt. Modò & ipſe Deum timeat: in omnibus mandatis & iuſtificationibus eius ſine querela incedat: iuſtitiam colat: ius ex æquo omnibus dicat: ſermonibus vulgi ſe non det: nec in præmiis humanis ſpem reponat ſuam: ſuis illecebris illum virtus ad proprium decus trahat: ſpem autem & fiduciam omnem in Deo, fonte omnium bonorum munificentiſsimo, defixam habeat. Immenſæ ergo opes fuerant illius vrbis, ſed & *Iſa. 29.* robur ingens, vires, & præſidia maxima. Vocat Iſaias eam ciuitatem Ariel, hoc autem eſt, Leonem Dei, propter vires & robur inuictũ: Tacitus arduã ſitu, opera autem & mole firmiſsimam fuiſſe ſcribit. Vnde illud lamentum *Thren. 4.* Hieremiæ: Non crediderunt Reges terræ, & vniuerſi habitatores orbis, quòd ingrederetur hoſtis & inimicus per portas Hieruſalem. Stupebat Pompeius, inquit Hegeſippus, primo ſuo ingreſſu, acres virorum animos, muri decorem & magnitudinem. Quinquies, inquit Ioſephus, capta, nec tamen victa. Sed & exitus ipſe vltimus vrbis, idipſum poſtea docuit. Duos enim præſtantiſsimos populi Romani Imperatores, Titum & Veſpaſianum, priuſquàm expugnaretur, defatigauit, quos ipſa obſeſſa aliquando obſidione cinxit. Quatuor deiectis muris, temploque ſuccenſo, triginta tamẽ millia Romani exercitus in vrbem ingreſſa, vix ad reliquias illius populi conficiendas, ídque vario Marte, ſuffecerunt. Nec tam Romanis opibus, quàm ſua pertinacia & improbitate ſuperata, periit; dũ plures interna ſeditio, quàm externum confecit bellum; Romanis ſpectatoribus potiùs tantæ vrbis ruinæ, quàm expugnatoribus. Omnia igitur in ea ciuitate ſumma, omnia ad immortalitatem comparata, quam ipſe *Thren. 1.* Spiritus ſanctus, qui nec aſſentari, nec mentiri poteſt, per os Hieremiæ, Dominam gentium, Principem prouinciarum, vrbem perfecti decoris, & gaudium vniuerſæ terræ, decorem denique ipſum per Danielem appellare ſolet. Quam ſacri Euangeliſtæ ciuitatem ſanctam vocant. Ipſe autem excelſus præ cunctis Regibus terræ, Chriſtus Dominus, Dauidico elogio Ciuitatis Regis magni, ornat. Cui item ſponſam ſuam, pulcherrimam illam mulierum Eccleſiam ſanctam in Canticis, illis verbis: Pulchra es amica mea, ſuauis & decora ſicut Hieruſalem, comparat. Quanto enim ſ, Iudæa cæteris prouinciis, inquit Hieronymus; tantò hæc vrbs cuncta ſublimior

limior fuit Iudæa: quicquid in membris laudis fuit, totum referebatur ad caput. Hanc Plinius clariſsimam totius Orientis vrbem appellat. Quot & quantos hæc vrbs Reges, quot Prophetas, quot Sacerdotes, quot homines Deo charos produxit: ipſum adeò ſpecioſum forma præ filiis hominum, excelſum præ cunctis regibus terræ Chriſtum Dominum. Magnus igitur Dominus, & laudabilis nimis, inquit Dauid: In ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius. Fundatur exultatione vniuerſæ terræ mons Sion, latera aquilonis, Ciuitas Regis magni; ſicut lætantium omnium habitatio eſt in ea. Quæ igitur cauſa (hoc enim ſecundum caput inſtituti noſtri fuit) extremæ ruinæ tantæ & tam ſublimis vrbis? Cur proiecit Dominus de cœlo inclytum Iſraël, & non eſt recordatus ſcabelli pedum ſuorum, in die furoris ſui? Ciuitatem illam, de qua dicebatur: Deus in medio eius, non commouebitur. Adiuuabit eam Deus mane diluculo. Arcum conteret & confringet arma, & ſcuta comburet igni. Superfluum credo videbitur, cauſas euerſionis & interitus eius vrbis, curiosè perquirere, cùm eam Chriſtus ipſe Dominus luculenter hoc loco explicat, quam eandem longè antè ſancti Prophetæ ferè omnes aſsignârunt. Mors, inquã, Ieſu Chriſti, veri Meſsię cauſa mortis ac interit⁹ illius vrbis fuit. Super tribus ſceleribus Iſraël, inquit Amos, & ſuper quarto non conuertam eum: pro eo, quòd vendiderunt pro argento iuſtum, & pauperem pro calciamentis. Et Micheas: Nunc vaſtaberis filia latronis: obſidionem poſuerunt ſuper nos: in virga percutient maxillam Iudicis Iſraël. Et ante hos omnes Iacob. Quia in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum. Et ipſe Dominus: Quia, inquit, non cognouiſti die viſitationis tuę. Mors igitur, vt diximus, Meſsię, mortis & interit⁹ illius vrbis cauſa fuit. Verùm peccatum tantum, multa alia neceſſe fuit anteceſsiſſe mala, nec erat hoc primum Iudææ delictum: Peccata enim peccatis vindicantur, ídque leuiora grauioribus ſemper, vbi ſtatim vera pœnitentia, & intimo animi dolore, expiata non fuerint, donec extrema aliqua ac incurabili obſignentur calamitate. Docet hoc Diuus Paulus, dum, quæ cauſa fuerit cœcitatis, fœdíque lapſus veterum ſapientũ explicat. Quia cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiẽs cor eorum; dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium: propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immundiciem, vt contumeliis afficiant corpora ſua, in ſemetipſis. Hæc Paulus.

Pſal. 47.

Amos 2.

Mich. 5.

Geneſ. 49.

Rom. 1.

Quod nunc paſsim fieri videmus, Eccleſiam Dei, ouile Ieſu Chriſti, deſeruit quis, hæreſes ſequutus eſt: templa, aráſque Deo ſanctè dicatas, partim expilauit, partim euertit: vaſa ſacra, per ſacrilegium abſtulit: Sacerdotibus manus impias intulit: ſacramentis ſalutis ſuæ remediis, abuſus eſt: Fidem prodidit: Filium Dei blaſphemauit, oſtentuíque habuit: non fuit hoc primum eius hominis peccatum, nec primum delictum, multo-

rum ſcelerum hic vltimus fructus, vltima obſignatio eſt. Qualem plagã ſupplex & gemens deprecatur Dauid: Ne proiicias me, inquit, à facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & Spiritu principali confirma me. Magnum enim hoc eſt diuini furoris argumentum, vulnus incurabile, vltimum malum. Nec populi ergò Iudaici primum ſcelus fuit mors Chriſti, complementum & obſignatio hæc erat vniuerſi curſus nefarii; vt veniret ſuper illos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram à ſanguine iuſti Abel, vſq; ad ſanguinem immaculati agni Ieſu Chriſti. Sed quæ tandem mala hoc vltimũ, ſine remedio, anteceſſerunt malum? aut quibus gradibus, ad eam peruentum eſt ruinam?

Pſal. 50.

Prima fuit illa malorum cauſa, primúſque præcipitii gradus, legis diuinæ, veræque religionis, quæ vna, & ſimplex, ſemper in illo populo fuit; niſi ſi quando ad idololatriam ſe conferebat, in multas ſectas, variáſque hæreſes diſtractio. Cùm enim primis temporibus gens illa, vno animorum & voluntatum ſenſu ac conſenſu, Deum coluiſſet, legèmque eius, & Prophetas, interpretaretur; vno item nomine Iudææ, populíque Dei, appellabatur: pòſt temporis ſucceſſu, otio, & rerum omnium abundantia, veterísque diſciplinæ remiſsione deprauata; dum curioſiùs, minúsq; ſanctè & ſobriè, arcana legis tractare cœpiſſet; inde in varias ſectas, variáque ſchiſmata diſceſſum eſt: noua nomina, maioribúsq; eorum incognita, vſurpari cœpta; dum ſe alii Saducæos, à Sadoc Antigoni diſcipulo, qui cùm defeciſſet ad templum montis Garizim, a Manaſſe Sacerdote inter Samaritas conſtructum, Alexandro Magno regnante, hæreſim intulit Saducæorũ, teſte Rabbi Abraham in Cabala hiſtorica: alii Scribas, id eſt, veros legis interpretes: alii Phariſæos, quaſi ſeparatos, ob præcipuam deuotionem: alii Hemerobaptiſtas, quòd ſingulis diebus baptizarentur: alii Nazaræos: alii Eſſenos, vel Eunuchos, teſte Hieronymo, ob caſtitatis profeſsionem: alii Oſſenos, quaſi ὅσιους, id eſt, ſanctos, vt Philo interpretatur: alii Herodianos, qui Herodem Meſsiam putabant: alii Gaulonitas, & Zelotas, quaſi legis æmulatores, à Iuda Zelota, qui cenſum reddendum eſſe Cæſari negabat, dici & haberi volunt. Quæ nomina & ſectæ, vbi primùm in populum eum inuectæ ſunt, tum demum & Reſpub. & ciuitas peſſum ire, ac ad certum exitium & calamitatem propendere cœpit. Ex quibus ſectis, quidam totam legem, omniáq; ea, quæ à Prophetis erant prædicta, amplexi ſunt; vt Phariſæi. Quidam pro arbitrio ſuo, alios quidem libros, laudabant: alios prout illorum, voluntati, vtilitatíque applaudebant, tanquam prophanos, minúsque germanos, reiiciebant; vt Saduceæi. Quidam Deum, omnium bonorum fontem & autorem, profitebantur, ab eiúsq; munifica prouidentia, cœlum, & vniuerſam naturam complectente, omnia expectanda eſſe, docebant: animásque noſtras, diuinas & immortales eſſe; quibus pro virtutis quidem ſtudio, cœleſtis hæreditas, pro ſcelere autem, æternum ſit paratum ſupplicium: Phariſæorum, & Eſſenorum fuit hæc ſententia. Quidam caſu & temerè omnia ferri, iiſdem finibus vir-

bus virtutis & pietatis præmium, quibus vitam & sensum terminari: vltra tumulum extremósque cineres, nihil post mortem hominis supereſſe: prȩmia bonorum, pœnas autem malorum nullas esse arbitrabantur: Saducæorum hic insanus & exitiosus fuit error. Alii ipsis solis diuinis promissionibus contenti, nihil his externum admiscebant. Alii præter hæc, Græcorum fabulas, de beatorum insulis, ac Hesperidum felicitate, sequebantur; vt Esseni. Sic in varias sectas hæresésque dissecti, quisque in eam partem, in quam propendebat, sensum & mentem legis interpretabatur: ex vnáque vera & simplici religione, multas vanas falsásque superstitiones pepererunt. Habent autem hoc malum hæreses atque schismata, variíq; de religione sensus ferè omnes; vt quascunque Respub. semel inuaserint, illæ salutem & incolumitatem suam nullo modo diutiùs tueri, aut conseruare possint. Proinde & eius vrbis prima & præcipua fuit hæc calamitas, prima inclinatio: & quos tempore Ieroboam, aliorúmque qui à vero discesserunt Deo, Regum, excelsa, & luci falsorum Deorum perdere non potuerunt, hos hæreses & schismata, ad vltimam planè internecionem dedu xerunt. Testatur hoc vetustissimus scriptor Hegesippus: Præter, inquit, sectarum, & cultus diuersitatem, quæ in malum publicum eruperat, vt è diuerso se perditos vellent, auaritia habendi, & rapiendi cupido, animos inuaserat; vt nulli, quem prædæ studio deputassent, neci parcendum existimarent.

Fuit & alia tantæ cladis non minor causa, summa populi illius arrogantia, fastus, cum pari pertinacia, animóq; proteruo coniuncta: qua primùm ipsum Deum parentem benignissimum, eiúsque sanctissimas leges spreuerunt, iugúmque illius excusserunt: & ille quidem tanquam pius Pater circumduxit eos, & docuit, & custodiuit vt pupillam oculi sui: sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas & assumsit eos, atque portauit in humeris suis: constitutíque super excelsam terram, vt comederent fructum agrorum; illi autem sublato in cœlum ore, incrassati, impinguati, dilatati, illud superbè iactârunt: Manus nostræ excelsæ, & non Dominus fecit hæc omnia: labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est? Nusquam ius, nusquam religio fuit: nobilior is erat, qui plura diripuerat, quasi præmia congerens fortitudinis, vt scribit Hegesippus: id quod quisq; per vim & nefas rapuerat. Spreto Deo eiúsq; cultu, ad seruos & familiã eius se contulerunt: ex his alios cõtumelia affecerunt, alios eiecerunt, alios occiderunt: deniq; signis eius ac portentis euidentissimis, quæ illorum certissimum denunciabant, ac vix non digito demonstrabant, exitium, pari animi prauitate & pertinacia nullam fidem adhibuerunt. Omne, inquit Iosephus, ab illis ius humanum calcabatur. Ridebatur etiam diuinitas: Prophetarum responsis, tanquam vulgaribus fabulis illudebant: certis verò prodigiis, & futuram solitudinem denunciantibus, neque attendebat animo, neque credebant; sed veluti attoniti, nec aut oculos habentes, aut animos, edicta Dei dissimulârunt: signorum, quædam pro sua libidine interpretati sunt, alia con-

Deut. 32.

Psal. 11.

„ contempsêre, donec patriæ excidio, ſuáq; pernicie, eorum iniquitas con-
„ futata eſt. Hæc ille.

Hinc eorum ſuperbia profecta, finem inuenit nullum: Sacerdotes, Reges, Duces, aliósque diuinitus ſibi præfectos magiſtratus, ipsúmq; adeò Regem Meſsiam contumeliosè tractârunt, atq; repudiauerunt: pro Rege Cæſarem, fatali & nefaria voce apud Pilatum appellantes. Sed neq; hũc diu pertulerunt: nam qui ſuos perferre non poteſt; tantò minus alienos perferet: Licentia enim non id quærit, vt is aut ille præſit, & regnet; ſed vt nemo ſuperior ſit omninò quem metuat, quíue eius effuſæ cupiditati frenos imponat: quæ dum palàm fateri erubeſcit, in eo magiſtratu, qui præſens eſt, aliquid deſiderat, ſemper conqueritur, ſemper nouam formã, & ſpeciem rerum exoptat. Spreuerunt ergo primò ſuos, ſpreuerunt & Romanos, deinde quibus ſe vltrò dediderant, magiſtratus. Simon primus ſeditionis dux & autor, tributum Cæſari reddendum negauit; indignum eſſe clamitans, populum Dei idololatræ populi tributarium eſſe, iniquum gentem liberam, quæ ſeruiuit nunquam, ſumptu ſimul templi & fiſci exhauriri. Sicarios & Zelotas hic ſibi adiunxit, qui adeò mordicus eam opinionem tuebantur; vt nullis ſuppliciis, nulla vi, de ſententia deduci potuerint: adeò vt pueri illa opinione imbuti, pertinaci tormentorum patientia ſpectatores obſtupefacerent. Sequutus eſt hunc vir ſimilis audaciæ Eleazarus, militiæ dux; qui nullius externi munus, aut hoſtiam in templum Dei inferendam, illíque dicandam, eſſe cenſuit. Id autem erat, inquit Ioſephus, Romani belli primum ſeminarium, & prima origo. Reiecit ſiquidem hoſtias Cæſaris, quæ pro ſalute fortunáque populi Romani offerebantur, Pontificibus aliísq; Principibus Reipub. viris reclamantibus: ac ne vetuſtiſsimus honorificentiſsimúsque & templo & vrbi mos, pro externis Regibus ſupplicandi intermitteretur, nequicquam reſiſtentibus. Quam inſignem contumeliam, dum Imperator Romanus perferre non poteſt, arma bellúmq; ſumpſit. Pacem ergo, inquit Hegeſippus, faſtu & ſuperbia elati violauerunt, virtute non pares, & perierunt. Huc faſtus, tumor, atque arrogantia populos ac Reſpub. perducit.

Ioſeph. li. 2. ca. 7. de bel.

Ibid. cap. 17.

Quam præcipitii cauſam conſequuta eſt illa non minor alia, Principum templi, pariter ac Reipub. incredibilis ambitio, & dominandi libido; eiúſque cauſa ad externos, & infideles Principes, cum patriæ ornamentorum proditione, turpíque aſſentatione coniuncta perfugia: Quod à Sacerdotibus, qui pro eo, quòd omnis moderationis, continentiæ, mãſuetudinis, populis autores eſſe deberent, omnis improbitatis, ſceleris, cupiditatis, duces & principes plerumq; fiunt, initium & exemplum ſumſit. Primus Simon de tribu Beniamin, Seleuco Aſiæ Regi, potentiæ ſuæ firmandæ cauſa, ſummíq; Sacerdotii conſequendi, theſauros, depoſitúmque templi prodidit, Quam rem ſecundus Machabæorum liber ſic explicat. Cùm ſancta ciuitas habitaretur in omni pace, leges autem adhuc optimè cuſtodirentur, propter Oniæ Pontificis diſpoſitionem & pietatem, & animos odio habentes mala, fiebat; vt & ipſi Reges & Principes locum ſum-

2. Mach. 3.

ſummo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illuſtrarent; ita, vt Seleucus Aſiæ Rex, de redditibus ſuis præſtaret omnes ſumptus ad miniſterium ſacrificiorum pertinentes. Simõ autem de tribu Beniamin, Præpoſitus templi conſtitutus, contendebat obſiſtente ſibi Principe Sacerdotum, iniquum aliquid in ciuitate moliri. Sed cùm vincere Oniam non poſſet, venit ad Apollonium Tharſææ filium, qui illo tempore erat Dux Cœleſyriæ & Phœnicis; & nunciauit ei, pecuniis innumerabilibus plenum eſſe ærarium Hieroſolymis, & communes copias immenſas eſſe, quæ non pertinent ad rationem ſacrificiorum: eſſe autem poſsibile ſub poteſtate Regis cadere vniuerſa. &c. Deinde Iaſon frater Oniæ, ſummum Sacerdotium maxima vi auri apud Antiochum redemit. Quod idẽ Machabeorum liber ſic tradit: Sed poſt Seleuci vitæ exceſſum, cum ſuſcepiſſet regnum Antiochus, qui Nobilis appellabatur, ambiebat Iaſon frater Oniæ ſummum Sacerdotium: adito Rege, promittens ei argenti talenta trecenta ſexaginta, & ex redditibus aliis talenta octoginta, ſuper hoc promittebat & alia centum quinquaginta, ſi poteſtati eius concederetur gymnaſium & ephebiam ſibi conſtituere, & eos qui Hieroſolymis erant, Antiochenos ſcribere. Quod cùm Rex annuiſſet, & obtinuiſſet Principatum, ſtatim ad gentilem ritum contribules ſuos transferre cœpit. Erat autem hoc non initium, ſed incrementum quoddam, & profectus gentilis & alienigenæ conuerſationis, propter impii & non Sacerdotis Iaſonis nefarium & inauditum ſcelus: ita, vt Sacerdotes iam non circa altaris officia dediti eſſent, ſed contempto templo, & ſacrificiis neglectis, feſtinarent participes fieri paleſtræ, & præbitionis eius iniuſtæ, & in exercitiis diſci: & patrios quidem honores nihil habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur. Qua de re in eum modum Ioſephus apud Hegeſippum latiùs conqueritur. At verò noſtri, dum Sacerdotium inter ſe competunt, & apud Parthos ambiunt conferri ſibi memoratum honorem, de religione mercaturam fecerunt. Quid de Babyloniis querimur? Noſtros experti ſumus deteriores, illi nobis reddiderunt omne ius religionis: illi Sacerdotum creationem reſtituerunt: illi Sacerdotales Infulas permiſerunt noſtrę poteſtati, nos eas Barbaris ſpontè tradidimus. Minor eſt circa nos ira Dei, quàm noſtra contentio.

Ibidem 4.

Hegeſip. lib. 5. cap. 16.

Hinc eò proceſſum eſt, vt ignobiles atq; indigni ſubſtituerentur Sacerdotum Principes, qui contra meritum ſuum adepti Sacerdotia, ad omne nefas, conferentium arbitrio ſubiiciebantur. Eámq; ob cauſam æquo Deóque digno iudicio, Hieruſalem vnà cum ſacris & Sacerdotio ſuo, cuius impios mercatus exercuit, non multò pòſt in Antiochi peruenit poteſtatem.

Ibid. lib. 4. cap. 6.

Exceperunt à Sacerdotibus parem ambitionem, parésque ambitionis artes, Principes Reipub. Ariſtobulus & Hyrcanus fratres: qui cùm inter ſe de regno conuenire non poſſent; Romanos, à quibus ignorari ſatiùs fuit, ad cognitionem & arbitrium regni inuitarunt, rogauerúntque amicitiam, fidem non ſeruaturi. Ad Pompeium igitur primò, cum imperio

tum Aſiam obtinentem, confugiunt, ab eóq; paternum regnum, ad quem tùm nihil pertinebat, ambitiosè petunt. Recipitur Pompeius cum exercitu in vrbem, ſuísque manibus aperiunt portas, non multò poſt vrbis & templi expugnatoribus. Ad templi irruptionem ipſi foſſas replebant (ait Hegeſippus) impióque miniſterio, & turpi obſequio, ſeruierunt: manus eorum in cophino, mentes in ſacrilegio. Horum igitur contentio, inquit Ioſephus, Pompeium intulit ciuitati, & Romanis Iudæos libertate indignos ſubiecit.

Conſequuta fuit & alia magis exitioſa, inter Alexandrum, Ariſtobulum, & Antipatrum, Herodis filios, regni contentio: quorum illi priores duo, ex Mariamne Regio ſanguine orta, Rege Herode nati: poſterior hic ex Doride priuata muliere, ipſo Herode priuato, genitus; illi genere, hic gratia patris, elati, communis, & ſibi, & patri, & aliis multis, Reipub. » denique ipſi, cauſa fuerunt exitii. Quis Romanos in Iudæam introduxit, » inquit Ioſephus, niſi Hyrcani & Ariſtobuli contentio? Quis Soſium, niſi » Herodes? Quis Antonium, niſi Soſius? quis Cæſarem implorauit ſibi Re» gem, niſi vos? quis, præter vos, Antipatrum Regno expulit, & libertatem » in Antipatro? Sic dum vtrinque regnum quæritur, vtrinque ſeruitus accerſitur & accipitur. Fœda res eſt ambitio, quæ, vt ſuis imperet, alienis ſeruire non recuſat; omnia deinceps à Romanis quærebantur, omnia inde petebantur.

Ex ambitione natæ ſunt deinceps factiones ciuiles, domeſticíque tumultus; veluti nouus ad exitium progreſſus: qui, ſpecie quidem tuendę dignitatis & libertatis ſuſcipiebantur, re ipſa autem regnum & dominationem, quorundam aſtruebant. Dum enim quiſq; in Repub. primus eſſe vult, eáq; res opib⁹ & adminiculis multorũ opus habeat, ad conciliandum populum animóſque multorum ſe confert: verùm cùm opes ſingulorum, ad omnium conciliandos animos, ſint paucæ, ſpecies libertatis, qua nihil gratius hominibus videri ſolet; ſtultæ obiicitur plebi, ſub eiúsque prætextu factionum defenduntur partes. Sic tùm in duas aduerſas factiones, tota illa diuiſa fuit ciuitas, alteram popularem, optimatum alteram. Popularis factionis duces fuerunt, Eleazarus, Simon, Ioannes, lingua & manu prompti iuuenes. Qui, cùm ſua per ambitionem & luxum profudiſſent, ære alieno immenſo preſsi, perturbationem Reipub. quæſtum & lucrum ſuum putauerunt: qua ſalua, ipſi ſalui eſſe non poterant. Publicæ igitur libertatis cauſam, contra Romanos, quibus neque tributa reddere, neq; ſacrificia pro ſalute illorum admittere voluerunt; verbo ſuſcepiſſe ſe profitebantur (indéque Græco nomine Zelotæ, tanquam legis ac libertatis publicæ vindices & aſſertores appellabantur) re autem ipſa paupertatis & infamiæ ſuæ quærebant remedia. Optimatum duces fuerunt, Ananus Pontifex, vir præſtantiſsimus, Ioſephúsque, qui poſtea omnem illius belli rationem conſcripſit. Qui cùm facilè animaduerterent, ſeram illam tuendæ libertatis deliberationem eſſe, nec tùm primùm Romanis viribus ac poteſtati obuiandum fuiſſe, cùm iam intra muros ipſiúsque vrbis viſcera

ver-

versarentur, sed multò ante rebus integris, tùm cùm spontè per nimiam ambitionem accersebantur, illi malo obsistendũ fuisse; suadebant populo, vt Dei voluntati ac iustissimæ vindictæ, ipsíq; adeò necessitati cederent. Hæcque quasi prima fuit in aciem ciuitatis illius deductio. Duo sunt Christianis Rebuspub. si diu saluę & incolumes permanere volunt, omni studio & diligentia prouidenda. Primùm libertas, quæ tamen cum iustitia, dignitate, præsidio, ac reliquis Reipublicæ ornamentis sit coniuncta omnibus rebus humanis anteponenda, pro illiúsque incolumitate & integritate, totis viribus & opibus dimicandum. Est enim libertas, pulcherrimum quoddam, & humanæ naturæ accommodatissimum bonum: sine qua nihil cuiquam iucundum, nihil dulce esse potest: sine qua, vita ipsa parum vitalis esse videtur. Deinde, nulli æquè suspecti habendi, quàm illi, qui eius libertatis nimii vindices & assertores videri volunt. Tales enim sub ea libertatis specie, Respub. ferè omnes perdiderunt. Sic Pericles Athenienſium ciuitatem, cùm Solonis legibus & institutis, ex optimatum populíq; administratione temperata fuisset, assentator populi factus, Senatus autoritate diminuta, totam popularem fecit: cui, quàm diu ipse homo acer & prudens præfuit, florebat vtcunque ciuitas illa; at vbi ad alios Duces, ipsúmque solum populum eius gubernatio deducta est, funditùs interiit. Sic Cæsar & Pompeius, Romanum perdiderunt imperium: dominationem enim vtrique quæsitam fuisse, non id actum, beata, libera, honesta ciuitas vt esset, ac vtrumque regnare voluisse docet prudentissimus Senator. Sic Hierosolymam isti eius libertatis & dignitatis nimii assertores, de quibus diximus, hac ratione qua audistis perdiderunt. Multis enim, dum libertas quæritur, seruitutem accersiri dicebat Agrippa. Libertatis igitur custos lex sit, quæ summis ac infimis æqua reddat & perscribat iura, æquitate constituendi, summa cum infimis pari iure retineantur: nihil contra leges committatur, quod impunè fiat: in alienam dignitatem, fortunas, vitam denique, nemo temerè inuadat: quod quis habet, illud se existimet habere: legum imperio, iudiciorum seueritate, Magistratuum autoritate libertas Romana stetit. Malè paucis tantus creditur thesaurus.

Ex qua factionum ac domesticorum tumultuum peste, illa vltima cõsequuta est calamitas, externus in vrbem immissus miles. Dum enim homines populares optimatibus pares esse non possunt, Idumæos, genus hominum turbulentissimum, ad omnésq; motus facilè propensum, & rerum mutationibus lætum: & quod veluti ad festorum quandam solennitatem (dicebat Iosephus) sic ad prælia properat, accersunt. Immittuntur in vrbem ad viginti millia hominum egentissimorum: quam ingressi, nulli pepercere, tum quòd natura ad cædes propenderent; tum quòd hyeme grauiter afficiebantur, tam supplicantibus, quàm repugnantibus infensi: nullus aut fugiendi, aut salutis erat locus, ita octo millia & quingentos mortuos dies inuenit. Demùm, quæ mala consequuta non sunt? Neque enim existimandum est, monstrum vllum, pestem vllam, vllam labem Re-

buſpublicis vniuerſóque generi humano, nocentiorem eſſe, factionibus, vbi in apertum erumpunt tumultum. Quid enim tum erecto quaſi publico licentiæ vexillo mali non conſequitur, legibus, iudiciis, iuréque vniuerſo ſublato, ac quaſi communi ſententia in vitam & fortunas omnium impunè violandas lata? Nihil tum eſt cuiquam proprium, non domus, non vxor, non liberi, non vita denique ipſa. Et quæ aliquando fuerunt vitæ ſolatia, cauſæ doloris & acerbitatis fiunt: inde illud conſequitur, vt neque agri conſerantur, neque paſcua curentur, neque vineæ aut horti excolantur, non mercimonia exerceantur, non nauigationes inſtituantur, officinę claudãtur, literę & ſtudia conticeſcant, nulla publica aut priuata ędificia ſurgant; ſed ruant & labantur potiùs omnia. A perditis & egentibus hominibus bona locupletum diſtrahuntur, carceres effringuntur, tabulæ publicæ exuruntur, domus potentium & diuitum liberè inuaduntur, horti & vineæ multo labore conſitæ atque plantatæ ſucciduntur, templa, porticus, & reliqua publica ornamenta ruunt, nihil tùm improbæ cupiditati ſit ſatis, omnia vaſtitas & triſtis occupat ſolitudo. Coniuges, liberi, ante ora vultúsque parentum turpiter diuexantur, nulli ætati, nulli parcitur ſexui, nihil tum ab hoſte irato impetratur. Intermiſsionem agriculturæ ac diſsipationem ac diſiectionem horreorum conſequitur fames, famẽ dira peſtis.

Tulit hęc omnia priuſquàm periit, domeſtico tumultu vexata Hieroſolyma. Nã in ſeditione, quaſi ſeditio facta eſt, altera in alteram partẽ verſa: homines populares, qui templum occupârant, dum ſe mutuò perferre non poſſunt, in ſeipſos vertuntur. Occupat Eleazarus cum ſuis, ſuperiorem templi partem, Ioannes inferiorem, Simon eam, quæ templo ſubiacebat vrbis, occupauerat regionem. Ita lædebant pariter ac lædebantur, dum à ſuperioribus inferiores oppugnantur, medii ab vtriſque. Sic illa pietatis & religionis ſanctiſsima ſedes, facta fuit tumultus & ſeditionis area. Ab alia, Optimatum inquam factione, impetus in templum fiebat, vineæ ac reliquæ munitiones, quæ pro templo contra Romanos vrbem obſidentes extrui debebant, aduerſum ipſum templum erigebantur. Digniſsimi, vt qui pacis principem de medio ſuſtulerũt, ipſi domeſticis tumultibus ac diſsidiis conſumerentur. Barrabam ſeditioſum petierunt; Chriſtum pacificum morti tradiderunt; & ideò dedit illos Deus in direptionem, tumultum & bellum. Ante aras ipſas, Sacerdotes, ſenes, pueri, ac nobiliſsimæ fœminæ cædebantur: & vnde ſpes ſalutis referri debebat, inde certiſsimus reportabatur interitus. Multi, inquit Hegeſippus, qui properantes ab vltimis finibus terræ, ad ſanctiſsimum locum religionis cauſa venerant, ante ipſas hoſtias occubuerunt; arámque vniuerſis Græcis & barbaris admirandam, ſuo ſanguine imbuerunt: Sacerdotes, inter eas quas mactabant victimas, immolabantur: Ciuibus mortuis aduenæ, Sacerdotibus prophani miſcebantur: pérque atria diuina, ſtagnum fecerat diuerſorum cadauerum ſanguis. Sic dies in ſanguine, noctes in formidine tranſigebantur.

Hegeſip. lib. 5. cap. 22.

Fames

Fames fuit maxima, iuxta illud Deuteronomii: Obsideberis intra portas tuas, in omni terra tua quam dabit tibi Dominus Deus tuus: & comedes fructum vteri tui, & carnes filiorum tuorum, & filiarum tuarum, quas dederit tibi Dominus Deus tuus, in angustia & vastitate, qua opprimet te hostis tuus. Homo delicatus in te & luxuriosus valdè, inuidebit fratri suo & vxori quæ cubat in sinu suo, ne det eis de carnibus filiorum suorum, quos comedet, eò quòd nihil aliud habeat in obsidione & penuria, qua vastauerint te inimici tui intra omnes portas tuas. Lacertis viridibus, narrat Hegesippus, cæterisque serpentum generibus, coctis exuuiis, pestem addebant: paruos liberos macie consumi, & aperta ora frustra extendere videbant, exhausti fame & tabe luridi, nec oculos quidem attollere poterant: figura sola hominis remanserat, vsus interciderat: simulachra hominum cerneres, officia desiderares, mutis tantùm sensibus aspiciebant templum. In Romana castra confugientibus, vbi cibus datus est, cœpit oneri esse, desuetis edendi officiis, si quid sorbuissent mollioris alimoniæ, intercluſis iam faucium meatibus strangulabantur. Obrigueruntinteriora viscerum, obstructi erant ductus ciborum. Aruerunt iecoris venæ, quæ cibos attrahunt: virtus defecerat, cibi appetitu manente. Ruebant super cibos & inualidos morsus, more infantium moliebantur, visis alimentis ipso gaudio deficiebant. Hæc quidem Hegesippus. Ad extremum illud Deuteronomii consequutum est: Tenera mulier & delicata, quæ supra terram ingredi non valebat, nec pedis vestigium figere propter mollitiem & teneritudinem nimiam, inuidebit viro suo, qui cubat in sinu eius: super filii & filiæ carnibus, & illuuie secundinarum, quæ egrediuntur de medio fœminũ eius, & super liberis, qui eadem hora nati sunt. Comedent enim eos clam, propter rerum omnium penuriam in obsidione & vastitate, qua opprimet te inimicus tuus intra portas tuas. Et illud Hieremiæ Prophetæ: Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos: facti sunt cibus earum in contritione filiæ populi mei. Compleuit Dominus furorem suũ, effudit iram indignationis suæ. Sic iniusta illa Iesu Christi sitis, quam isti felle & absinthio exacerbare potiùs, quam extinguere voluerunt, iustissima extremæ famis pœna vindicata est: reddidit Dominus vicem, ait Hieremias, iuxta opera manuum illorum. Ex fame pestis orta. In templo ipso, persequitur rem narrando Hegesippus, pro vnguentis benè olentibus, pro incensis benè spirantibus, pro diuersorum florum odoribus, grauis erat insepultorum cadauerum fœtor: quos pluuia dissoluerat, quos flamma cõbusserat, quos sol calefecerat: omnes artus eorum ciuium diro odore fœtebant: hinc resolutorum putredo viscerum, inde exustorum nidor sensus omnes atque ora complebant viuentium; vt ipsi non multò post grauiore morbo cõsumerentur, ac se superstites ingemiscerent, quo duriore pœna perirent; eóque se seruatos, vt viderent cum patria simul solui etiam leges naturæ: negari ius viuentibus, pacem ciuibus, sepulturam defunctis, humana pariter atque diuina maculari atque permiscerí: criminosam esse misericordiam, religionis loco haberi crudelitatem.

Deut. 28

Ibid. cap. 21.

Ibid. li. 5. ca. 24.

Deut. 28.

Thren. 4.

Ibid. lib. 5.

litatem. Caſtrum in templo, bellum in limine, funus in altaribus. Matthę-
Hegeſip. li. 5 cap. 22. us miſerabilis & ſenex, & Sacerdos, ictum carnificis ſuper corpora chariſ-
ſimorum pignorum, ipſis primò in oculis ſuis crudeliter cœſis, excepit:
quo ſpectaculo, nullum funeſtius, nullum calamitoſius, nullum magis mi-
Ioſe. li. 4. ca. 7. de bello. ſerum fieri potuit. Iacebant tùm in medio foro duorum ſummorum Pon-
tificum (refert Ioſephus) Principum Reipub. Anani & Ieſu, paulò antè
ſacris indumentis toto orbe celeberrimę religionis amicta, nuda corpo-
Pſal. 78. ra ſine ſepultura, canibus & feris proiecta eſca. Illúdque Dauidicum te-
ſtatur eſſe completum: Poſuerunt morticinia ſeruorum tuorum, eſcas vo
latilibus cœli, carnes ſanctorum tuorum, beſtiis terræ. Effuderunt ſan-
guinem ipſorum tanquam aquam in circuitu Hieruſalem, & non erat qui
ſepeliret. Ruebant ambuſta mollium: deuoluebantur ſublimium ædificio-
rum culmina: ſanguine, fame, peſte, incendio, ruina, tota vrbs conſume-
Hebr. 10. batur. Tam durum & amarum eſt, incidere in manus Dei viuentis &
ſæuientis. Tum ſenes ac mulierculæ inteſtinis malis attonitæ, ait Ioſephus,
pro Romanis vota faciebant, externúmque vulnus, quo domeſticis malis
liberarentur, expetebant. Subuerſum eſt cor earum, iuxta Hieremiæ
prædictum, in ſemetipſis, quoniam amaritudine plenæ factæ ſunt. Illúd-
Dent. 32. que quod prædixerat Moyſes, impletum: Foris vaſtabat eos gladius, &
intus pauor, iuuenem ſimul & virginem, lactentem cum homine ſene. Ex-
clamat Ioſephus: Quid tandem paſſa es, ô miſerrima ciuitas, à Roma-
Hegeſip. li. 5 cap. 2. nis? qui tua inteſtina ſcelera purgaturi, flammis, introiêre. Iam Dei locus
non eras, neque permanere poteras, domeſticorum funerum facta ſepul-
chrum, præſertim tuorum, quos ipſa occideras, non quos ab hoſte amiſe-
ras. His igitur quaſi gradibus hoc modo à ſalute & incolumitate, ad tam
dirum & crudele exitium, vrbs illa perducta eſt; vt neque illam antiqui-
tas ſua, neque ingentes diuitiæ, neque per totum orbem diffuſa fama, nec
magna religionis gloria, quò minus periret, quicquam iuuare potuerit.
Non illam templum, atque maieſtas & religio ſanctoſanctorum, non pro-
pitiatorium, non arca teſtamenti, non virga Aaron, non denique ipſi Che
rubim texerunt: non nobilitas, nec præclara maiorum geſta quicquam
profuerunt: nec mirum, ſi maiorum amiſerunt merita, quorum fidem, pi-
etatem, virtutem iam pridem prodiderunt. ſed ne pretioſus quidem ſan-
guis ipſe Ieſu Chriſti Domini eam iuuit, qui prolixè ſtillans, ciuitatem il-
lam irrigauerat: non ſepulchrum ipſum, quod quoties ingredimur, inquit
Hieronymus, toties iacere in ſyndone cernimus ipſum Saluatorem. Re-
pulit enim Dominus altare ſuum, maledixit ſanctificationi ſuæ, obliuioni
tradidit in Sion feſtiuitatem & ſabbatum. Facta eſt igitur ciuitas in tu-
multum, vrbs fortis in ruinam & deſolationem. Neque verò, vt diximus,
tam vi externa, quàm interno furore ſuperata periit. Fatebatur hoc ipſe
Imperator, indignitate ab ipſis ſuccenſi tẽpli ſacratiſsimi permotus: Cur
inquit, templum, & externi & gentilis ſanguinis effuſione, polluiſtis? Te-
ſtor ego patrios Deos, & ſi quis vnquam hanc vrbem aſpexit, nunc enim
neminem credo: iterúmque teſtor exercitum meum, & vos ipſos; quòd

non

non ego hæc vos violare compellam : ſeruabo autem vobis templum , e- „
tiam nolentibus. Compellat demùm Ioannem,ſeditionis autorem perti- „
naciſsimum. Fide mea ſalua, hæc omnia tibi futura ſpondeo : veniam ti- *Ibid.* 32.
bi ſalutis polliceor ; non pro mercede ſceleris,ſed pro redemptione vrbis; „
vt à te redimam perituroru culminum ſtatum. Deſinas,moneo,latroci- „
niis tuis conturbare propoſitum pietatis Romanæ. Quid ſibi volunt, Io- „
annes,impreſsi illi ante fores templi apices elementorum ? Nónne ſigni- „
ficant, neminem niſi ſacratum debere templo appropinquare ? Quid illa *Ibid.* 34.
ſepta pro templo ? Nónne vt conſpectus arceant vniuerſorum liberos,ſo- »
líſque myſticis pateat ſecretorum cognitio : atque his ſit liber aſpectus , »
quibus legitimus eſt ingreſſus ? Proſpectus excluditis peregrinorum, »
& acceſſus cogitis. Scribitis vt nullus ingrediatur aduena,nullus peregri »
nus introeat; & peregrinum ſanguinem intra templum funditis, aduena- »
rúmque ſimul & ciuium cruore veſtra altaria cumulatis. Teſtificor ego, »
non impreſsionis noſtræ eſſe , ſed veſtræ præuaricationis , quòd violatis »
quæ veſtra ſunt. Ego alienus non exigo, imò obteſtor, ſi velitis diſcede- »
re , incolume templum futurum : neminem Romanorum hoſtiles irroga- »
turum manus, nihil de veſtris temerandum eſſe ſacrificiis. Seruabo tem- »
plum vobis & proſelytis : cultus enim ſacrorum diuerſus,ſed operis com- »
munis vſus. Quod cultus fuit , à vobis receſsit ; quod operis eſt , victori- »
bus remanſit. Seruiuimus vobis,vt veſtris legibus viueretis:dedimus po- »
teſtatem veſtris inſeruire cultibus: ſacra veſtra ſcire noluimus , ſed hono- »
rauimus. Poſtea rebellandum putaſtis. Pompeius templum cepit , ſed »
non diruit : vrbem occupauit,ſed integra omnia reſeruauit donaria. Pro »
quibus, ô grati ſocii, hanc vicem nobis rependiſtis , vt tertio rebellaretis. »
Veni ad bellum ſpecie terrentis, affectu rogantis. Quoties à mœnibus ve »
ſtris vocaui exercitum?quoties poſtea à penetralibus templi retraxi?quo- »
ties reſtinxi incendia ? quoties monui? ſed nunquam audiſtis. Sic demũ »
vltimò,quiſquis ipſe eſſet, Iſraëliticum Deum obteſtatus eſt; vbi funeſtum
matris facinus , quæ tam fœdè & miſerabiliter filium ſuum , vltima fame
preſſa, intra viſcera ſua receperat, cognouit : Mundus ego ab hoc con- »
tagio: tibi me abſoluo,quæcunque in cœlo poteſtas es: ſcis,ſcis profectò, »
quia intimo affectu pacem frequenter obtuli ; & quod non pudet dicere, »
victor rogaui,quia parcere etiam ipſis tantorum flagitiorũ prodigiorúm- »
que autoribus volui,parcere populo,vrbem ſeruare : ſed quid facerem re- »
pugnantibus ? ſed quid facerem aduerſus ſuos furentibus?poſitis plerun- »
que armis, quia illi à ſuorum cædibus, non deſinebant : in bellum reuerti, »
vt liberarem obſeſſos, non perderem : ipſi nos de muris hortati ſæpè ſunt »
dimicare, ne grauiùs à ſuis perirent. Quales ſunt ciues, quibus hoſtis re- »
medio eſt ? Atque hæc quidem vltima templi & vrbis euerſio, & poſtre »
ma Iudæorum captiuitas fuit , qua extorres patria , per orbem terrarum
diſperſi cernuntur,mundóque quotidie teſtimonio ſunt, non ob aliud eos
quàm ob illatas Chriſto impias manus, fuiſſe punitos. Nã ſæpè alias cùm
propter peccata captiuitatibus traderentur, nunquam tamen vltra ſeptu-

aginta

aginta annos ſeruitutis pœnam ſuſtinuerunt. Numerus ad vndecies centena millia cœſa refertur: capta verò centum millia ac venundata. Qua menſura menſi ſunt Chriſto ſuo, eadem & longè vberiore illis remenſum eſt. In monte Oliueti Chriſtum comprehenderunt: in eodem monte primò Titus caſtra fixit vt vrbem caperet. In feſto Paſchæ Chriſtum ligauerunt: in eodem feſto ipſi muro & obſidione cincti ſunt. Per varia iudicia traxerunt: tracti ſunt & ipſi. Illuſi ſunt, cœſi ſunt, flagellati ſunt, ludibrii cauſa coronati ſunt, vno denario triginta venditi, ſingulis diebus quingenti in crucem acti, adeò, teſte Ioſepho, vt ob multitudinem locus non ſufficeret crucibus, & cruces corporibus. Non eſt oblitus Dominus improperiorum, quæ ab inſipiente facta illi erant tota die. Cuius totius ruinæ ille eſt apud Hieremiam epilogus: Gladio ſternam eos in conſpectu ſuorum hoſtium,& vrbem internecioni & ruinæ perpetuæ dabo. Carnes filiorum filiarúmq; ſuarum comedent, ſícque conteram populum iſtum & ciuitatem iſtam, ſicut conteritur vas figuli, quod non poteſt vltrà inſtaurari.

Hier. 19.

His igitur ex cauſis, tanta periit ciuitas,vrbs ſancta, gens electa, Regale Sacerdotium,ciuitas referta populis,clara Regibus,amica Deo, gratiæ ſedes: vrbs,quæ ſolebat ſine armis vincere: populus,cui ſol ſtetit,mare & Iordanis ceſsit. Deum enim,qui eam condiderat,dereliquit,& oblita eſt Domini creatoris ſui: percuſsit iudicem Iſraël in maxillam, nec recordata eſt nouiſsimorum ſuorum. Ideò abſcondit faciem ſuam ab ea,& conſiderauit nouiſsima illius. Ideò factus eſt Dominus veluti inimicus, præcipitauit Iſraël, præcipitauit omnia mœnia eius, diſsipauit munitiones, percuſsítque eam vulnere,à quo non poterat curari. Quod enim remedium, quæ ratio ſalutis, vbi autor vitæ & incolumitatis, non reconciliatur? Omnibus autem regnis ac Rebuspub. ſpecimen & exemplum datum, quid ſequi, quid fugere debeant, ſi diu felices & incolumes eſſe velint. Tibíque inprimis patria mea, hodierno die ſpeculum propoſitum eſt, in quo diligentiùs vultum faciémque intueare tuam: num ſimilibus aut hæreſum, aut arrogantiæ, & ambitionis, aut factionum, inquinata ſis maculis: num peregrina omnia,quàm tua malis: à quibus malis, ſi libera es, beatam te & felicem; ſin autem à planta pedis, vſque ad verticem capitis, ſanitas in te non eſt, exterge fæces, ablue ſordes tuas, priuſquàm ſententiam Iudicis audias: Venient in te dies,quando proiicient te inimici tui in terram,& filios tuos,& non relinquetur in te lapis ſuper lapidem; eò,quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ.Neq; enim melior conditio eſſe poteſt ſylueſtris oleaſtri, quàm germanæ oliuæ fuit. Nec ſeriùs adoptatæ filiæ, quàm illius cui dictum eſt: Hæc requies mea in ſeculum ſeculi, hic habitabo quoniam elegi eam. Cuius confortauerat Dominus ſeras portarum benedixerat filiis eius in ea. Verùm dices fortaſse, Ieſum Chriſtum precio calciamenti non vendidi: at cauſam ſanctiſsimæ religionis eius, aras item & templa: at ius & æquum, vel precio, vel gratia ſæpiùs prodidiſti. In horto capti manus non ligaui: at brachium omnipo-

Thren. 2.

Pſal. 131.

Pſal. 147.

tentiæ

tentiæ eius multoties ligasti, cùm omnipotentem diuinitatem eius, non plus posse, quàm angustus sensus, aut mens tua capit, stultè & impudenter decernis, nec plus illi fidei habes, nisi quantum vis, mentéque tua hebeti capis. Faciem eius non conspui, maxillam non percussi, tergum flagris non afflixi: at vnicam spõsam eius Ecclesiam, tot calumniis, tot maledictis sæpius dilacerasti: at matrem eius virginem sanctam, impudica dicacitate toties proscidisti: at faciem æternæ diuinitatis eius, quod longè maius est, tot nefandis blasphemiis fœdasti. Coronam spineam capiti eius non imposui: at æternitatis & omnipotentiæ coronam ex capite eius nefariè detraxisti. In crucem Saluatorem meum non sustuli: at ex solio dextræ Patris, impiè sceleratè detrahere conata es. Regem meum non occidi: vt hominem non occidisti, vt autem verum Deum, quantum potest Ariana perfidia, quæ in te sedem posuit suam, extinguere moliris, dum eum ante secula natum, & viuentem non agnoscis. Vtinam igitur & tu cognoscas diem visitationis tuæ, priusquàm hæc omnia mala veniant in te, quæ tu ipsa manibus tuis attrahere, illísque viam latissimam sternere non desinis. Ego quidem pro meo officio, non tam libenter, quàm necessariò, quod debui tibi hodierno die dixi: tu autem vide, quid tibi in posterum faciendum sit, antequam præueniat te dies Domini magnus & terribilis valdè, dies tenebrarum, & caliginis, dies nubis, & turbinis, & quis sustinebit eum? Hierusalem, Hierusalem, conuertere ad Dominum Deum tuum. Amen.

REVERENDISS. DOMINO, D. IOANNI ANDREAE CALIGARIO, EPISCOPO Brittonorienſi, ad Sereniſs. Stephanum Polonorum Regem, &c. Nuntio Apoſtolico.

Staniſlaus Socolouius Pacem & Gaudium.

PRoficiſcenti mihi Varſauia, ac in hoc otium, quod mihi benigniſsimus Deus per munificum Regem benignè ac liberaliter comparauit, poſt tot belli, aulæ, longiſsimarum peregrinationum iactationes, me referenti, tuámq; dexteram exoſculari volenti, multa tu de multis, vt ſoles, mecum humaniſsimè locutus es: vltimum illud, quæ tua eſt ſumma pietas, ac decoris, domus Domini incredibilis zelus, me monuiſti, ne hoc meum qualecunque talentum, more ſerui nequam, ſub terra abſconderem, ſed potiùs illo, qualecunq; eſſet, rem Domino, ac patrifamilias meo quærerem. Recepi me tum omnia, quantum poſſem facturum, quæ ſanctiſsimè monebas: ac dum alii aurum, argen-

tum, pretiosum lapidem, æs, hyacinthum, purpuram, coccúmq; bis tinctum, & byssum, cedros item, & id genus aliud pretiosæ materiæ, ad decus & ornamentum tabernaculi Domini, vestimentíq; Sacerdotalis, prõptè & munificè conferunt, dixi me quoque, vel pilos caprarum, atq; pelles allaturum. Cuius meæ obedientiæ, ac propemodum datæ fidei principium, ab illo ipso sermone, quem in augustissima illa primæ inaugurationis tuæ Panegyri, præsente Rege, Senatu ac vniuersis Comitiis, de ritu, mysteriis, vetustate, vsu Consecrationis Episcopi, tota denique dignitate, autoritate ac functione Pontificali habui, dare volui. Quem tum quidem, pro ratione temporis, breuiter & quasi in compendio explicaui: nunc autem multis quasi floribus quibusdam, antiquissimorum & sanctissimorum Patrum sententiis aspersum, ac veluti conditum, ad eius primum parentem & autorem (nam ego nutricis tantùm & alumni partes sustineo) signum & testimonium cùm meæ incredibilis erga te obseruantiæ, tùm rectè & honestè dispensati otii mitto. Tu si dignum iudicabis, aliis legendum trades. Qui labor noster si non re & maturitate, nouitate certè argumenti se commendare poterit. Et contulerunt quidem ad hoc opusculum exornandum alii verba, alii sententias, argumenta alii: tu vita illa tua præstanti ac verè Pontificia, exemplũ & formam eius ipsius Pontificis, quem hoc loco Sancti Patres suis pulcherrimis depingunt coloribus, nobis repræsenta. Cuius quidem rei non initia & inchoationes quasdam obscuras, sed perfecta, & consummata quædam specimina nobis edidisti. Quis enim te, aut vitæ honestate & sanctitate innocentior, aut deuotione, ac cultu diuino ardentior? quis in omnibus periculis ac discrimi nibus, pro Religione Christiana subeundis audentior? quis in laboribus sustinendis, in ista tua affecta valetudine firmior? quis in deprehendendis technis, & insidiis inimicorum Dei sagacior ac circumspectior? quis in omni retinenda veteri disciplina vigilantior? quis in commonendis Principibus prudentior, simul ac liberior? quis in exornandis, ac commendandis bonis, & Ecclesia Dei dignis viris, magis prolixus, magis munificus? quis in admittendis & audiendis omnibus, magis humanus & affabilis? atqui hoc est nostrarum, vel tuarum potiùs Nuptiarum argumentum, hæc sententia. Quo quidem nomine te omnes amamus, omnes suspicimus, omnes tanquam hominem quendam diuinum cœlitùs in hanc Prouinciam demissum admiramur. Certet igitur exemplum cum regula, facta cum dictis, Episcopus cum forma & specie Episcopi. quod cũ abundè sine omni monitore tua sponte facias, quid aliud restat; nisi vt quàm diutissimè felix & incolumis, honori diuino, Ecclesiæ vtilitati, nostrum omnium instructioni viuas? Socolouii autem tui, cùm apud te ipsum, tùm apud vtrunque, Regem cœlestem inquam, & hunc nostrum in terra sanctè & piè versantem Stephanum, aliósque viros bonos, nunquam obliuiscaris. Vale Antistes optime & vigilantissime. Cracouiæ 16. Aprilis, Año Dñi. 1580.

STA-

ORATIO ECCLESIASTICA QVARTA,

Epithalamion dicta, siue de Consecratione Episcopi.

Sponsabo te mihi in sempiternum: & sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & in misericordia, & in miserationibus: & sponsabo te mihi in fide, & scies quia ego Dominus. Hoseæ. ij.

IN Naugurationi atque consecrationi Diuini Hierarchæ interfuimus, magníque arcani Sacramenta oculis nostris subiici cernimus. Video autem vos loqui, quamùis taceatis, illúdque à me expectare, dum, quid tandem sibi velint hæc mysteria, quid hæ ipsæ tam prolixæ & multiplices Cæremoniæ, vobis explicem. qua in re non ita quidem libenter & studiosè, quàm necessariò vobis morem gerendum esse duxi. Non libenter quidem: quod id à maioribus nostris sanctissimis viris in eo mysteriorum genere palàm & publicè factitatum non sit: quòd prohibitum etiam à multis, ne fiat: quòd hæc diuina Sacramenta arcano silentio sanctiùs & augustiùs colantur: quòd denique res tanti momenti breuiter explicari non possit; voluminéque potiùs integro, quàm vno breui Sermone, opus habeat. Necessariò tamen, ne silentium nostrum ansam alicui maledicendi porrigat: ne quod lucem fugit, tenebræ esse existimetur: ne ea quæ sacra sunt, dum non intelliguntur, profana esse iudicentur; præsertim in ea hominum maleuolorum copia, qui omnia illa, quæ ignorant, blasphemant; quæ autem naturaliter, vt bruta animalia, norunt, in his corrumpuntur.

Nuptiæ igitur istæ sunt Sponsi & Sponsæ, Episcopi & Ecclesiæ, humanísque diuina, his quæ sub sensum cadunt, ea quæ ab omni sensu, & oculorum intuitu sunt remota; materialibus ea quæ materia carent; externis illa quæ intus geruntur, sanctè & piè à sacris Antistitibus demonstrantur. Corporeis enim imaginibus, ait sacer Dionysius, quàm diu corporeis cõpagibus inclusi sumus, nec omninò possumus mentem à consuetudine corporis auocare, sumus identidem ad memoriam cœlestium rerum reuocandi. Neque verò vulgares quædam, aut profanæ hæ sunt nuptiæ, sed illæ, ex quibus omnis Hierarchici ordinis ratio, per quã vera Iesu Christi singulari ac suo quodam modo dignoscitur Sponsa, pendet: vnde omnis re-

Dionys. Areop. de Eccl Hiera. ca. 1.

nis regiminis & gubernationis Eccleſiaſticæ oritur propago: per quas illa ipſa continua & perpetua Spiritualis & Apoſtolicæ generationis deducitur ſucceſsio, ampliſsimũ & ſingulare Catholicæ veritatis argumentum, illiúſque ſeminis de quo Iſaias dixit: Spiritus meus qui in te eſt, & verba mea quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, à modo vſque in ſempiternum. Ex quibus item nuptiis, omnia Sacramenta oriuntur: vímque & initia ſua ſumunt, & ſine quibus nihil ſanctum, nihil ritè Deo dicatum eſſe poteſt. Hæc enim conſecratio omnium conſecrationum fons eſt & initium: hoc miniſterium, omnium miniſteriorum principium & fundamentum. Diuinus enim Pontificum ordo, vt ait ſanctus Dionyſius, primus eſt eorum ordinum, qui Dei participes ſunt & idem vltimus. Primus quidem, quòd ex illo promanant reliqui omnes, & ſua accipiunt omnia. Vltimus autem, quòd in eo deſinit & perficitur omnis Eccleſiaſticæ & Hierarchicæ rei ornatus. Vt enim vniuerſa Hierarchia in Ieſum Chriſtum deſinit, cuius ille caput eſt; ſic vnaquæq; in ſuum Pontificem: Pontificalis enim ordinis virtus per omnes tranſit, ac fundi-
tur rerum ſacrarum partes; & cum omnibus ordinibus ſacris, proprię Hierarchiæ myſteria operatur. Nam etſi Sacerdotes & Presbyteri aliqua per ſe conficiunt; non tamen ſine his quæ Epiſcopi propria opera & conſecratione fiunt. Quarum nuptiarum, quæ vis, quæ natura ſit, quò melius cognoſci poſsit, ſingulas earum partes ordine ſuo & modo, explicandas duxi. Inter quos ſcilicet contrahantur: quem ſponſorem habeant: quos auſpices & exoratores: quæ earum circumſtantiæ: quis modus, & ratio. Magnum & ſublime, vt videtis, argumentum; ſed & iucundum ac perneceſſarium ſimul: magno igitur ſtudio veſtro, magna deuotione, opus habet: ſed & ardentibus precibus, vt hic Spiritus Dei, qui eorum arcanorum inuentor & perfector fuit, idem ipſe interpres & enarrator eſſe velit.

Iſa. 52.

Dionyſius de Cœleſt. Hier. cap. 5.

Quæ igitur hæ ſunt nuptiæ, qui illi, inter quos hoc tantum contrahitur matrimonium? quod tam præclarum & magnificum ſibi mutuò ſpondentium par? Sponſus eſt Epiſcopus, Sponſa Eccleſia. Et quidem de Eccleſia plurima alio loco, & tempore dicta ſunt. De Epiſcopo, eiúſq; munere, cuius eſt ſumma & prima in Eccleſia Dei dignitas & autoritas, non committam vt ipſe aliquid ex meo ſenſu apud vos proferam, ſed quid ipſe Chriſtus Dominus, quid Paulus, quid vetuſtiſsimi & Apoſtolici viri ſentiant, quem virum, cuiuſque honoris & dignitatis eum eſſe putent, paucis perſtringam. Epiſcopum igitur, ſummus ipſe Pontifex Chriſtus Dominus, eum eſſe dicit, qui ſit ille bonus paſtor ouium; qui intret per oſtium, quod oſtium Chriſtus eſt, & non aliunde: cui oſtiarius Spiritus ſanctus aperiat: qui cognoſcat oues ſuas, & cognoſcant eum oues eius: nominatim vocet eas, & vocem eius audiant: dux earum ſit, præeat illis, & oues eum ſequantur: & cuius vocem ex frequenti doctrina, & verbi prædicatione cognoſcant: qui non modò mercedem fluxam & caducam non reſpiciat, non modò laboribus non defatigetur vllis, non modò opibus & facultа-

Ioan. 10.

cultatibus ſuis non parcat, honorémque ſuum non quærat, lupis non cedat, ouéſque non deſerat, infamiam, paupertatem, exilium, carcerem, non metuat, ſed vitam etiam ipſam, atque animam (ſi ita opus ſit) libenter & promptè pro ouibus ſuis ponat atq; profundat: qui ſit ſal illud terræ, condiendo, & ab omni labe conſeruando, populo Chriſtiano comparatum: qui ſit lux mundi, lucerna ſuper candelabrum poſita, quæ immunda purget, ſterilia fœcundet, errantia illuſtret, mœſta exhilaret, latentia prodat, ac in lucem proferat; vt ſit lucerna, non aduſtus ticio: vt luceat in domo Dei, non fumet: qui ſit vrbs & ciuitas illa inexpugnabilis in monte poſita, vndequaque illuſtris, & quæ obſcurari nullo modo poſsit: oculus vniuerſi, quo ſano & ſimplici, totum corpus ſit lucidum, quo depraua-
to & lippiente, totum ſit tenebræ: qui claues regni cœleſtis habeat, vt cui aperiat, apertum ſit; cui claudat, ſit obſeratum: qui ea poteſtate ligandi & ſoluendi ſit præditus, vt quodcunque ligauerit ſuper terram, ſit ligatum in cœlis; & quodcunq; ſoluerit in terris, ſit ſolutum & in cœlis: quorum detinuerit peccata, detenta ſint; quorum dimiſerit, dimiſſa ſint: quem qui audit, Chriſtum audiat; quem qui ſpernit, Chriſtum, &, qui miſit eum, Deum patrem ſpernat, & conculcet: quem qui accipit, Chriſtum accipiat, & cum eo Patrem eius: qui ſit fidelis ille ſeruus & prudens, quẽ cõſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illi cibum tempore opportuno: operarius item meſsis eius, vt fructum adferat, & fructus eius maneat: qui de mundo non ſit, ſicut & Chriſtus de mundo non eſt: & claritatem habeat, quam dedit ei princeps Pontificum Chriſtus Ieſus: quem eundem teſtem, Et eritis mihi teſtes, in Hieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, vſque ad vltimum terræ: amicum, Iam non dicam vos ſeruos, quia ſeruus neſcit quid faciat Dominus eius, ſed amicos: fratrem deniq; ſuum, Nunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam, appellare ſolet.

Mat. 5. *Ioan. 8.* *Mat. 5.* *Mat. 6.* *Mat. 16.* *Ioan. 20.* *Luc. 10.* *Mat. 24.* *Luc. 10.* *Ioan. 15.* *Ioan. 17.* *Acto. 1.* *Ioan. 15.* *Mat. 28.*

Hunc eundem Paulus hominem dicit eſſe, ex hominibus aſſumptum, pro hominibus conſtitutum in his quæ ſunt ad Deum; vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis: qui condolere poſsit his, qui ignorant & errant; vt qui & ipſe circũdatus eſt infirmitate: & propterea debeat exorare atq; offerre, quemadmodum pro populo, ita etiam pro ſemetipſo pro peccatis: & qui non ſumat ſibi eum honorem, ſed vocetur tanquam Aaron. Nam & Chriſtus non ſemetipſum clarificauit vt Pontifex fieret, ſed qui loquutus eſt ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et alio loco: Tu es Sacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech: qui ſit miniſter & adiutor Dei ac diſpenſator myſteriorum eius: ſapientibus & inſipientibus debitor: vt fructum de profectu ouium conſequatur: cui datum eſt miniſterium reconciliationis, & poſuit Deus verbum reconciliationis in ore eius: qui legatione fungatur pro Chriſto, tanquam Deo exhortante per os eius: qui Chriſti bonus odor ſit Deo, in his qui ſalui fiunt, & in iis qui pereunt. Quem eundem vult eſſe idem Paulus, virum ſine crimine, ſobrium, ornatum, prudentem, hoſpitalem, doctorem, caſtum, ſanctum, continentem, amplectentem eum, qui ſecundùm doctrinam eſt, fi-

Heb. 5. *1. Par. 23.* *Pſal. 2.* *Pſal. 109.* *1. Cor. 4.* *Rom. 1.* *2. Cor. 5.* *2. Cor. 2.* *1. Timo. 3.* *Tit. 1.* *1. Timo. 4.*

delem ſermonem, vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui con-
Heb. 13. tradicunt, arguere: qui exemplo ſit fidelibus, in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate. Cui ſubeſſe oporteat, tanquam ipſi Domino.

De cuius officio & dignitate, primus Clemens Petri ſucceſſor illud
Conſt. Apoſt. li. 2. cap. 30. docet, eum eſſe, omnis ſacræ ſcientiæ cuſtodem, mediatorem Dei & hominum, in eo quod ad eum facit miniſterio, doctorem pietatis, ſecundùm
„ Deum parentem noſtrum, qui per aquam & Spiritum regeneret nos in ius
Exod. 20. adoptionis filiorum Dei: Principem & Ducem populi Dei, Regem atq;
Pſal. 18. Dynaſtam θεὸν ἐπίγειον, hoc eſt, poſt Deum, terreſtrem Deum, cui à nobis
„ primus debeatur honos, de eo enim, & illi ſimilibus, ſcriptum eſſe docet:
„ Ego dixi, Dii eſtis, & filii altiſsimi omnes vos: & illud: Diis non maledi-
„ ces. Qui primum in omnibus locum teneat: diuini honoris, quantum ho-
„ mini fas eſt, particeps: vniuerſi cleri caput: totius autem populi, in his
2. Cor. 12. quæ ſunt ad Deum, princeps. Pauli autem eorum arcanorum, quæ ho-
Dionyſius de Cœleſt. Hier. cap. 1. mini non fas eſt proloqui, vnicus & germaniſsimus interpres, Dionyſius Areopagita, quem poſt Apoſtolos Theologorum principem docti appellare ſolent, Epiſcopum, dicit eſſe Virum diuinum: diuino numine affla
„ tum: qui omni ſacra diſciplina ſit præditus, perficiens ea, quæ perficiun-
„ tur, omnémque Sacerdotalem doctrinam complexus: tradens item ſacra
„ pro cuiusque eorum dignitate, qui ſcienter & integre præditi ſunt Sacer-
„ dotum perfectione atque virtute, & in quo omnis, quæ eum attingit Hie-
„ rarchia, purè abſoluitur, & cognoſcitur. Cùm enim ex veteri doctrina Apoſtolica tres ſint functiones, operationes, atque perfectiones, vniuerſi Eccleſiaſtici ordinis: incipientium κάθαρσιν καὶ διάκρισιν, quaſi dicas, purgantem, ac diſcernentem, & ſeparantem vim veteres vocant, quæ inſtituendis Catechumenis, ac illis qui primò initiantur, comparata eſt. Deinde eorum, qui inſtituti ſunt ſacer φωτίσμος, hoc eſt, illuminans virtus, quæ illis, qui per Baptiſmum ad diuinum & cœleſte lumen adducuntur, inſeruit. Vltima autem, & cæteras in ſe complexa, omniúmque nobiliſsima ac perfectiſsima diuina τελεωσις, id eſt, eorum qui illuminati ſunt, ac ad ſupremam perfectionem tendunt, per ſacra myſteria & cœleſtem doctrinam, perfectio atq; conſummatio. Prima quidem functio τῶν λειτουργῶν: hoc eſt, miniſtrorum eſt: ſecunda τῶν ἱερέων, id eſt, Sacerdotum ac Presbyterorum: tertia vtrasque in ſe complexa, diuinorum Hierarcharum atq; Pontificum. Hoc igitur illud eſt, quod in diuino Hierarcha, omnem, quæ eum attingit, Hierarchiam purè abſolui & perfici hoc loco ſacer Dionyſius
„ docet. Sacra enim lex eſt diuinæ Hierarchiæ, inquit idem, per prima &
„ ſumma, ea quæ poſteriora ſunt, ad diuiniſsimum deduci lumen: quæ qui-
„ dem lex diuina eſt in omnibus ipſius creaturis, tàm quæ aſpectu ſentiun-
„ tur, quàm quæ aſpectum effugiunt, præclariſsimè inſtituta. Et inferiores
„ quidē ordines, ad ſuperiores tranſilire non poſſunt; diuiniores aũt virtutes
„ ſecundùm ſuas proprias perfectiones, eas quæ inferiores ſunt, in ſe com-
„ plectuntur. Hæcque ipſa mens eſt, hic ſenſus in depingendis virtutibus

huius

huius ſponſi, magni Dionyſii. Diuus verò Ignatius Ioannis diſcipulus non diſsimilia de eo homine tradit, cùm Epiſcopum eſſe dicit: qui omni principatui & poteſtati ſupereminet, & quòad homini licet, imitator Chriſti veri Dei, princeps Sacerdotum, imaginem Dei referens: Dei quidem propter principatum, Chriſti verò, propter Sacerdotium. Nec enim Rege quiſquam præſtantior, aut quiſquam ſimilis ei, in rebus creatis: nec Epiſcopo quicquam maius in Eccleſia, qui Deo conſecratus eſt, pro totius mundi ſalute: quem qui honorat, à Deo honorabitur, qui ignominia afficit, à Deo punietur: ſine quo nihil faciendum cenſet earum rerum, quę ad Eccleſiam ſpectant; neque baptizandum, neque offerendum, neque ſacrificium immolandum, neque oblationem celebrandam, neque coniugii vnitatem faciendam; vt coniugium ſit ſecundùm Deum, non ſecundùm carnem: qui vbi comparet ibi omnis ſit populi Chriſtiani multitudo; quemadmodum vbi Chriſtus, ibi omnis aſtat exercitus cœleſtis; veluti Imperatori poteſtatis diuinæ, omníſque intellectualis naturæ gubernatori diſpenſatoríque: quem reuereri oportet vt Chriſtum. Sic enim nobis diuini præcipiunt Apoſtoli. Cui, qui non obtemperet, ille ſine Deo eſt, pietatis expers, Chriſtum ſpernens, eiuſque ordinationi reſiſtens: ſine quo nulla eſt Eccleſia, nulla ſanctorum congregatio: abſque cuius autoritate qui agit, foris eſt, inquinatam habet conſcientiam, infideli deterior; qui enim Chriſti ſunt, Epiſcopi ſunt; qui verò ab illo declinant, & cum impiis communionem amplectuntur, hi cum illis exſcindentur: nec enim Chriſti agricultura ſunt, ſed diaboli ſemen. Sacerdotiũ enim eſt, omnium bonorum, quę in homine ſunt, ſupremus apex: qui aduerſus illud facit, non hominem ignominia afficit, ſed Deũ & Chriſtũ primogenitum, qui natura ſolus eſt primus & ſummus Sacerdos. Laici enim Diaconis, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Epiſcopis, Epiſcopus Chriſto, vt ipſe Patri, ſubiicitur. Quem eundem Epiſcopum Nazianzenus, atque ſacer Baſilius, duo Catholicæ religionis clariſsima lumina, illis pulcherrimis & veriſsimis denotant coloribus: dum eum Angelum Dei, candelabrum in Eccleſia Chriſti, Sacerdotem incruenta ſacrificia offerentem, illuſtrem animarum cuſtodem, magni Dei figmentum in manibus ſuis portantem, Deum hominibus conciliantem, immortalis vitæ Doctorem, magnam vocem & tubam, ſermonum Regalium viuificantem virtutem, columnam & firmamentum in domo Dei, ſcopulum eminentem, qui omnes fluctus errorum & perſequutionum excipiat, frangat, & à populo Dei arceat: terrorem hæreticorum, cuſtodem patriarum legum, omníſq; nouitatis hoſtem, ſecurim, petram ſcindentem, linguam flumini irriganti ſimilem, cordis profunditatem, fulgur celeritatis, ſacri conſilii apicem, ſermonum myſticorum interpretem, ignem malã & vitioſam materiã purgantem, ventilabrum, quo à grauibus dogmatibus leuia diſcernuntur, gladium vitiis radices excindentem, percutientibus Adamantem, diſsidentibus omnia iungentem Magnetem, veteris vitæ & doctrinæ exemplum appellare ſolent: quem item omnes neceſsitatum ſuarum nominibus

In Epiſto. ad Smirnenſes.

Nazianz. in Apolog. 1. Et in Orat. de laudibus Athanaſii. In funere itẽ parentis. In exhortatione ad Epiſco Baſil. in Epi. 61.

„ compellent: vt virgines pronubum laudent, coniuges moderatorem,
„ monachi legislatorem, ſimplices itineris ducem, ſpeculationi dediti The-
„ ologum; hilares frenum, calamitoſi conſolatorem, canicies baculum,
„ iuuentus magiſtrum, pauperes ſuppeditatorem, diuites diſpenſatorem,
„ viduæ patronum, pupilli patrem, peregrini hoſpitem, fratres fratrum ama-
„ torem, ægrotantes medicum, ſani valetudinis cuſtodem, omnes denique
1. Cor. 9. eum, qui omnia omnibus factus eſt, vt omnes lucrifaciat. Hæc illi. Quẽ
Cyril. epi. 6. quidem ducem & paſtorem, inquit Cyrillus, oues ſuæ ad illud tribunal,
„ in quo & ſermo, & actio & cogitatio cuiuſque noſtrum, iuſta Dei trutina
„ expendetur; cùm ipſe Deus ad iudicandam terram ſurrexerit, vocaturæ
„ ſunt, vt quę ita fidem ſeruauerint, virtutémque coluerint, vt ab illo imbu-
„ tę ſunt. Quòd ſi rectè exequuti ſumus, recipiemus mercedem, imò & lau-
„ dem conſequemur: ſi verò aliter & peruersè, quæ nobis flammæ ad ſup-
Iſa. 14. plicia ſufficient? Audiemus enim illud: Terram meam perdidiſti, & po-
„ pulum meum occidiſti. Et laicorum quidem quiſque pro ſua vita ratio-
„ nem reddet, nos autem, quibus Sacerdotalium munerum onus incumbit,
„ non pro nobis ipſis duntaxat, ſed ſimul pro vniuerſis in Chriſtum creden-
„ tibus, cauſam dicemus. Et de ſponſo quidem hactenus: nam plura in e-
am partem dicere, nec res ipſa, nec tempus ipſum patitur.

Sponſor autem earum nuptiarum quis? Non alius certè, quàm ipſe
ſummus Sacerdos & Pontifex Chriſtus Ieſus, quem Diuus Ignatius primo
Cap. 5. de Eccl. Hierar. genitum, & ſolum natura τὸν πάντων ἀρχιέρεα vocat, quem Dionyſius θεαρχικὸν καὶ πρῶτον ἱεροτελεστὴν, hoc autem eſt, diuinum & primum conſecratorem ap-
pellare ſolet. Primus enim & ſummus Pontifex, primus Hierarcha Eccle-
ſiæ ſuæ, Chriſtus eſt Dominus. Hic ex vniuerſa illa diſcipulorum turba,
quæ illum ſequebatur, elegit duodecim; quos Apoſtolos nominauit, quos
eosdem ad cœnam primò, deinde in cœlos aſcenſurus, Pontifices & Sa-
Ioan. 20. cerdotes illis verbis, illa cæremonia, creauit atq; conſecrauit: Sicut miſit
me viuẽs Pater, ita & ego mitto vos. Hoc cùm dixiſſet, inſufflauit, & dixit
eis: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur
Ephe. 4. eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Hoc idem dicit Paulus: Aſcen-
dens in altum, dedit dona hominibus. Et ipſe dedit quoſdam quidem A-
poſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios au-
tem Paſtores & Doctores, ad conſummationem Sanctorum, in opus mi-
niſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes, in
vnitate fidei, & agnitione filij Dei, in virum perfectum, in menſuram æta-
Act. 1. tis plenitudinis Chriſti. Huic eidem primo & ſummo Conſecratori, Pe-
trus cum omni multitudine fratrum, præſentauit Ioſephum, qui vocaba-
tur Barſabas, qui cognominatus eſt Iuſtus, & Matthiam, cum illa præfa-
tione: Tu Domine, qui nôſti corda omnium, oſtende quem elegeris ex
his duobus vnum, accipere locum miniſterij huius, & Apoſtolatus, de quo
præuaricatus eſt Iudas, vt abiret in locum ſuum. Ita autem hic Conſecra-
tor eſt, vt non abſens agat, ſed ipſe præſens huic negotio adſit. Si enim
Mat. 18. vbi fuerint duo vel tres, inquit Ambroſius, ibi ſe futurum promiſit: quan-

tò magis

tò magis vbi eſt Eccleſia, vbi myſteria ſua ſunt, inuocatus precibus Sacerdotum, ibi dignabitur ſuam impertire præſentiam. Credamus igitur diuinitatis hîc adeſſe præſentiam. Operationem credimus, præſentiam non credemus? vnde ſequeretur operatio, niſi præcederet ante præſentia? Huius autem Hierarchæ, quem ſummo loco conſediſſe videtis, manus nihil aliud ſunt, quam viſibile quoddam inſtrumentum, externúmque ſignum & ſymbolum illius inuiſibilis Sponſoris & conſecratoris Ieſu Chriſti. Ideóque ſummum & principem, tanquam ſummi & principis Miniſter & vicarius, in tota Eccleſia obtinet locum: ideò omnes alii, ſiue Presbyteri, ſiue Epiſcopi, ſubmiſsè ante illum inclinant capita ſua. Ideò hic ipſe Conſecrator nihil omninò vel dicit, vel agit, non denique ſe loco mouet, niſi primùm ope & auxilio implorato deſuper à Patre luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum promanat: ideo nihil ex ſua perſona loquitur, nihil ſua facit autoritate. Nam & Moyſes, inquit Diuus Areopagita, ſacrorum legis myſteriorum interpres ac præfectus non priùs Aaronem ad Pontificalem dignitatem extulit, quem alioqui Deo charum eſſe, ac dignum Sacerdotio exiſtimauit; quàm ad id agitatus à Deo conſecrationis principe, conſecrationis ritum & munus vt Pontifex, exequutus eſt.

De iis quæ myſterijs initiãtur. cap. 3.

Iacob. 1.

Ibid. cap. 5.

Cogitandum eſt igitur diligenter & conſideratè, & illis qui conſecrari debent, apud quem Antiſtitem atque Hierarcham ſe ſiſtant, apud illum ſcilicet, quem iudicem viuorum & mortuorũ aliquando conſpecturi ſunt. Cogitandum item & Regibus atque Principibus, omnibúſq; illis, quibus Pontificis deligẽdi ac deſignandi poteſtas & autoritas interim credita eſt; quem, & qualem virum, & quibus ex cauſis & meritis, huic tanto Pontifici & Hierarchæ offerant, ne falſi & mendaces teſtes inueniantur apud Deum & homines. Neque enim facilè eſt Deum fallere, magnúmq; Dei oculum, omnia cernentem effugere.

Illud item ſciendum, nihil huic ipſi Pontifici difficile, nihil arduum, nihil ad efficiendum impoſsibile, earum præſertim rerum, quarum adminiſter ac diſpenſator conſtitutus eſt, fore: qui tantum & tam potentem autorem & conſecratorem habeat, modò ipſe ignauus & ocioſus eſſe nolit, modò ipſe officio ſuo non deſit, modò in omnibus cœptis ac inſtitutis ſuis, ad ſuum patronum & aduocatum recurrat.

Sponſore earum Nuptiarum explicato, ad Nymphoſtolos, ſiue Paranymphos, quos Latini Pronubos, nuptiarúmque auſpices, vocare ſolent: hoc autem eſt, exoratores, inſtructores, exornatorésque nuptiarum, trãſeamus. Omnes Prouinciæ Epiſcopi eſſe debent. Sic enim prima Nicena ſtatuit Synodus: Epiſcopum, inquit, conuenit, maximè quidem ab omnibus, qui ſunt in Prouincia Epiſcopis ordinari. Si autem hoc difficilè fuerit, aut propter inſtantem neceſsitatem, aut propter itineris longitudinem; tribus tamen omnimodis, in id ipſum conuenientibus & abſentibus tamen pari modo decernentibus, & per ſcripta conſentientibus, tùm ordinatio celebretur. Nam & Matthias præſentibus vndecim, in locum de-

Act. 1.

quo

quo præuaricatus est Iudas, sufficitur, & Saulus, & Barnabas, eodem mo
Act. 13. do. Erant, inquit, in Ecclesia quæ est Antiochiæ, Prophetæ & Doctores: dixítque Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes & orantes, imponentésque eis manus dimiserunt illos. Neque verò frustra & sine causa tantis testibus, hoc ipsum obsignatur Coniugium. Cùm enim Episcopus dux sit cœcorum, medicus ægrorum, doctrinæ custos, forma gregis; prouidendum erat diligenter, ne in ipso duce aliquid erroris, in medico pestis & ægritudinis, in doctore & magistro stultitię & ignorantiæ, in forma & exemplo gregis, aliquid turpitudinis & deformitatis insit; ne mercenarius pro pa-
Mat. 6. store, ne lupus pro stabulario, ne fur & latro pro Doctore subrepat. Si oculus fuerit nequam, totum corpus tenebrosum erit. Si lumen tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quales erunt? Nihil earum rerum nostri seculi Hæretici habent. Vanæ quis gloriæ ac popularis auræ œstro percitus: iræ ac odii æstu ardet; libidinis & cupiditatis facibus aduritur: duro telo paupertatis premitur: breuibus Gyaris & carcere dignum audet quid: & ad istos confugiēs, se Ducem, Doctorem, Hierarcham constituit; accipitur, auditur, laudatur, omníaque flagitia illi facilè condonantur, modò impia
Eph. 4. dogmata & ipse sequatur, & alios doceat. Ideo semper sunt paruuli fluctuantes: ideò circumferuntur omni vento doctrinæ, in nequitia hominū in astutia ad circumuentionem erroris: ideo nunquam sibi constant: ideo nusquam locum habent, vbi constanter defigant pedem.

Epist. 82. 89. Et pronubi quidem nostrarum nuptiarum sunt hi; Circumstantiæ autem illæ. Tempus quidem, Dominici diei hora tertia, ídque vetustissimo more. Solam enim maiores nostri, inquit sacer Leo, resurrectionis Dominicæ diem eo honore dignam, iudicauêre; vt Sacerdotes qui sumantur, hoc die potissimum consecrentur: nam quicquid est à Domino insignius constitutum, in huius diei dignitate est gestum. In hac mundus sumpsit primum exordium: in hac per resurrectionem Christi, & mors interitum, & vita accepit initium: in hac Apostoli à Domino prædicandi omnibus gentibus tubam sumūt, & inferendum vniuerso mundo sacramentum re-
Ioan. 20. generationis accipiunt: in hac congregatis in vnum discipulis, Dominus dixit: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta sunt: in hac denique promissus à
Act. 2. Domino Spiritus sanctus aduenit: Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Vt cœlesti quadam regula insinuatum & traditum nouerimus, in illa die celebranda nobis esse mysteria Sacerdotalium benedictionum, in quo collata sunt omnia dona gratiarum.

Locus autem, Templum Deo consecratum, Altaréque Iesu Christi: nā & illi primi Diui Hierarchæ atq; Pontifices sancti Apostoli, in amplo & magnificè instructo cœnaculo, erant ad communem mensam, quando Sa-
Ioan. 13. cerdotes & Pontifices à Christo Domino creati sunt. Cœna enim facta, veteri & typico Sacrificio & Sacerdotio perfecto atq; consummato, lege

chari-

charitatis & humilitatis per ſubmiſſam lotionem pedum firmata, nouum inſtituitur Sacrificium, noui recentis Sacrificii Miniſtri ac Sacerdotes: ita vt menſa illa cœleſtibus repleta dapibus, pars inaugurationis & conſecrationis eorum fuerit. Eodem modo, dum Saulum, & Barnabam in opus miniſterij elegit Spiritus ſanctus, dicit Scriptura: Miniſtrantibus illis Domino (quod Græcis myſticam ſignificat oblationem) & ieiunantibus, id factum eſſe. Indéque profectum eſt, vt nulli Ordines ſacri, ex illis qui maiores dicuntur, ſine hac menſa, ſine hoc altari, ipſáque ſacrorum myſteriorum communicatione & oblatione conferantur: quod iam tùm ab Apoſtolorum temporibus profectum & inſtitutum eſſe, teſtis eſt D. Areopagita, qui dicit: Nullum licere Sacramentum perfici Hierarchici muneris, abſque diuina Euchariſtia. Hoc ſiquidem Sacramentum, omnium bonorum fons eſt & origo: per hoc, tanquam per mundiſsimum canalem, omnes perferuntur gratiæ, vt ſint in fontem aquæ ſalientis in nobis in vitam æternam. Huius Sacramenti ritè conficiendi cauſa, omnes ſacri Ordines inſtituuntur, & per hoc firmantur. Hoc myſterium eſt omnium diuinorum operum ac myſteriorum arrhabo, & vltima obſignatio.

Act. 13.

Cap. 3. Eccle. Hierar.

Ioan. 4.

Cùm igitur demonſtratum ſit, inter quos hæ ipſæ nuptiæ contrahantur, quis nuptiarum ſponſor, qui auſpices & pronubi, quis earum locus, quod tempus: nunc modum ipſum, in quo ſumma huius argumenti conſiſtit, eius deſponſationis texamus.

Adducitur inprimis nouus Sponſus ab exoratoribus & pronubis, ad diuinum Hierotheleſtem. Neq; enim primis illis cœleſtibus, ac verè aureis temporibus inuadebantur Epiſcopatus, neque illi qui Epiſcopi creabantur ſpontè currebant, aut Epiſcopatus vi vel precario occupabant; ſed quærebantur, ſed ducebantur, ſed coacti pertrahebantur. Sic Baſilium deſerta & ſola loca ſequentem, prodidit Chryſoſtomus: Baſilius Gregorium. Sic Aſtemius Orientis Præfectus, Theodoſij mandato, dolo & inſidiis ipſum Chryſoſtomum capit, ac planè vinctum ad præhendendum Cõſtantinopolitanum Patriarchatum mittit: ſic Gregorius Magnus alieno veſtitu in ſpelunca delituit, donec indicio igneæ columnæ proditus eſt: ſic Nilamon Monachus mortem ſibi potiùs á Deo impetrauit, quàm vt à Theophilo ad Epiſcopatum pertraheretur: multi ſeipſos membris neceſſariis truncabant, ne Epiſcopi fierent. Quàm mœſta illa vox, Iſaiæ verbis vſurpata, Nazianzeni fuit, poſteaquam Epiſcopus Saſimorum creatus eſt: Super me, inquit, rurſus vnctio & Spiritus, & rurſus ego lugens & triſtis incedo. Nam profectò, inquit, ars quædam artium & ſcientia ſcientiarum mihi eſſe videtur, hominem regere, animal, omnium maximè varium & multiplex. Vt quemadmodum in ſublimi & pendulo fune gradientibus, huc vel illuc deflectere minimè tutum eſt, nec quantumlibet parua inclinatio paruum periculum adfert, verùm eorum ſalus ac ſanitas in æquilibrio poſita eſt: ad eundem quoque modum vtramùis in partem quiſpiam ſiue ob vitium, ſiue ob imperitiam propendeat, haud leue periculum tum ipſi, tum ſubditis imminet, ne in peccatum prolabatur. Nunc turba ruit. Ne-

In Apologet. ad patrem.

Iſa. 3.

In Apologet. primo.

it. Neque cuiuſquam rei tanta ſeges & vbertas eſt, quàm Epiſcopatu vacante, candidatorum: tanquam non virtutis exemplum, ſed inopis vitæ fulcimentum & ſubſidium: ac non munus reddendæ rationi obnoxium, ſed imperium liberum ac referendarum rationum metu ſolutum, hunc ordinem eſſe iudicent. Et ideo verendum eſt, ne illud exaudiant: Ipſi regnauerunt & non ex me: Principes extiterunt, & ego ignoraui. Quod ne ipſi fructus, atq; hæc omnium rerum perturbatio, abundè doceat, verendum eſt.

Oſeæ. 8.

Ducitur igitur ad ſuum Sponſorem nouus Sponſus: ducitur autem in veſtitu candido, propter deſignationem illius candoris & nuptialis veſtis; ſine qua qui ingreſſus ad nuptias fuerat, in tenebras exteriores eiectus eſt. Nemo enim magno & Deo, & Sacrificio & Pontificatu, dicit Gregorius, dignus eſt, niſi quis prius ſeipſum Deo hoſtiam viuentem & ſanctam exhibuerit, rationabilémque cultum, gratum atq; acceptum oſtenderit, Deóque Sacrificium laudis, ſpiritúmque afflictum atque contritum obtulerit. Veſtis ergo candida, innocentiæ velamina indicat. Ducitur autem in veſtitu presbyterali atque ſacerdotali. Neque enim in primæua illa Eccleſia licuit quenquam Epiſcopum creari, qui non prius per omnes Eccleſiaſticos gradus tranſierit, qui non per multos annos, functiones omnium Ordinum exercuerit. Vnde illa laus Cornelij apud beatiſsimum martyrem & Pontificem Cyprianum: Non iſte, inquit, ad Epiſcopatum ſubitò peruenit, ſed per omnia Eccleſiaſtica officia promotus, & in diuinis adminiſtrationibus Dominum ſæpè promeritus, ad Sacerdotii ſublime faſtigium, cunctis religionis gradibus aſcendit: nec vt quidam, vim fecit vt Epiſcopus fieret, ſed ipſe vim paſſus eſt, vt Epiſcopatum coactus excipe-ret. Eodem modo Gregorius laudat Athanaſium, laudat Baſilium. Athanaſium quidem: Cunctis, inquit, Eccleſiaſticorum graduum muneribus deinceps perfunctus; Alexandrino populo, quod idem eſt ac ſi dixiſſet, vniuerſo terrarum orbi, præficitur. Baſilium verò: Ordine, inquit, & ſpiritualis progreſsionis lege, hoc eum honore affecerunt. Et adfert hac de re ſuum iudicium: Nauticam legem præclaram cenſeo, quæ gubernatori primùm remos committit, deinde ad proram collocat, ſícque prioribus muneribus commiſsis; tandem eum poſt diuturnam maris verberationem ac ventorum gubernationem, ad gubernacula conſtituit. Eadem rei militaris eſt ratio: Miles primò, deinde Centurio, tùm Imperator: hic optimus ordo eſt, iísque qui ſublunt inprimis conducibilis. Sed & ipſe paſtor paſtorum Ieſus Chriſtus, per omnia primùm tentatus eſt pro ſimilitudine abſque peccato, priuſquam Pontifex factus eſt, vt poſsit compati infirmitatibus multorum. Negotia enim oportet gerere Epiſcopũ, inquit Syneſius, quæ ſimul omnes tangunt. Quæ enim communia omnium ſunt, vnum ipſum curare opus eſt, niſi criminibus omnibus obnoxius eſſe velit. Cùm inferiorum ordinum culpæ, ſcribit S. Leo, ad nullos magis referendæ ſint, quàm ad deſides negligentésque rectores, qui multum ſæpè nutriunt peſtilentiam, dum neceſſariam vel neſciunt, vel diſsimulant adhi-

In Apologet. primo.

Lib. 4. epi. 2.

In laudibus Athanaſii.

In laudibus Baſilij.

Heb. 4.

Apud Nicet. lib. 14. ca. 5.

Epiſt. 3.

adhibere medicinam. Quis autem ille eſt, inquit Gregorius, qui veritatis antiſtitem & propugnatorem vnius dieculę ſpatio, veluti ſimulacrum ex argilla, fingat; illum inquam, qui cum Angelorum claſſe & ordine futurus eſt, qui cum Archangelis Deum celebrabit, qui ad ſupernum altare ſacrificia tranſmittet; ſimúlque cum Chriſto Sacerdotio fungetur, qui figmentum inſtaurabit, imaginémque creatori ſiſtet,& ſuperno mundo opificem aget? Et quod maius eſt,dicam: Deus erit, & alios deos efficiet? Nunc autem illud euenit, quod idem Nazianzenus dicit: Diſcipuli ſimul magiſtríque pietatis deſignantur: alios ante purgant,quàm ipſi purgati fuerint: heri ſacrilegi, hodie ſacerdotes: heri extra ſancta, hodie ſanctorum arbitri & Antiſtites: veteres vitio,pietate rudes & recentes(quod gratiæ ac fauoris humani, non Spiritus opus eſt) qui cùm cætera omnia violenter peruaſerint, ad extremum ipſam quoque pietatem tyrannide premunt: quorum non mores dignitati,ſed dignitas moribus fidem aſtruit, ordine admodum præpoſtero: qui denique plura pro ſuis, quàm pro populi ignorantiis, ſacrificia debeant. Ideo nihil rectè, nihil canonicè, nihil more veteri in Eccleſiis geritur: cùm primùm curandum erat,vt Eccleſia digni ſimus, deinde ſacrario, & ita demum magiſtratu. Sanxit hoc vetuſtiſsimum Sardicenſe Cõcilium,in quo Oſius Epiſcopus ſic loquitur: Si fortè aut diues aut ſcholaſticus de foro, aut ex adminiſtratione, Epiſcopus fuerit poſtulatus, vt non prius ordinetur,niſi antè & lectoris munere, & officio Diaconi, aut Presbyteri, fuerit perfunctus, & ita per ſingulos gradus, ſi dignus fuerit, aſcendat ad culmen Epiſcopatus. Poteſt enim per has promotiones, quæ habebunt vtique prolixum tempus, probari, qua fide ſit, qua modeſtia, qua grauitate & verecundia: & ſi dignus fuerit probatus, diuino Sacerdotio,illuſtretur; quia conueniens non eſt, nec ratio vel diſciplina patitur, vt temerè & leuiter ordinetur, aut Epiſcopus, aut Presbyter,aut Diaconus,qui neophytus eſt: maximè cum & magiſter gentium beatus Paulus Apoſtolus, ne hoc fieret, denuntiaſſe & prohibuiſſe videatur;ſed hi,quorum per longum tempus examinata ſit vita,& merita fuerint comprobata. Sanxerunt hoc idem Sanctiſsimi Pontifices, Cœleſtinus,Leo,Gelaſinus,Nicolaus primus. Quid proderit per ſingula Clericos ſtipendia militaſſe, inquit Cœleſtinus, & omnem egiſſe in domeſticis caſtris ætatem,ſi,qui ſunt ex laicis,his præfuturi quæruntur. Pulcherrimè eam totam rem ſanctiſsimus explicat Leo: Cùm omnis gradus militiæ Chriſtianæ de incrementis profectuum debeat æſtimari, an poſsint maiora cuiquam committi? Meritò beatorum Patrum venerabiles ſanctiones, cum de Sacerdotum electione loquerentur, eos demum idoneos ſacris adminiſtrationibus cenſuêre, quorum omnis ætas, à puerilibus exordiis vſque ad prouectiores annos, per diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtipendia cucurriſſet, vt vnicuique teſtimonium prior vita præberet: nec poſſet de eius prouectione dubitari,cui pro laboribus multis,pro moribus caſtis,pro actibus ſtrenuis,celſioris loci præmium deberetur. Si enim ad honores mundi ſine ſuffragio temporis, ſine merito laboris indignum eſt

In Apol. 2.

Cap. 15.

Cœleſtinus in Decreto ſuæ Sanctionis.

Leo in Decre talib. ſuis ca. 33.

Gelaſi. in Decretalib. ſuis cap. 3.

„ peruenire, & notari ambitus ſolent, quos probitatis documenta non ad-
„ iuuant, quàm diligens & quàm prudens habenda eſt diſpenſatio diuino-
„ rum munerum & cœleſtium dignitatum, ne in aliquo Apoſtolica & Ca-
„ nonica Decreta violentur: & his Eccleſia Domini regenda credatur, qui
„ legitimarum inſtitutionum neſcii, & totius humilitatis ignari, non ab in-
„ fimis ſumere incrementum, ſed à ſummis volunt habere principium: cùm
„ valde iniquum ſit & abſurdum, vt imperiti magiſtris, noui antiquis, & ru-
„ des præferantur emeritis. Omnis Eccleſiaſtica diſciplina reſoluitur, om-
„ nis ordo turbatur, dum in Eccleſia, qui nullum ſubierunt miniſterium per-
Nicol. Epiſt. 1. ad Michaelem Imperatorem. uerſo eligentium iudicio, indebitum obtinent principatum. Damnat plurimùm eo nomine Nicolaus primus Photium, qui laicus Conſtantinopolitanum affectabat Primatum: Pridem, inquit, auditor eſſe debuit, & deinde inſtitutor: ſed hic docere prius elegit, & deinde cœpit doceri; prius ſanctificare curauit, ac deinde ſanctificari: prius illuminare voluit, & „ poſtea illuminari. Eámque ob cauſam & ipſum Photium, & eius conſecratorem Gregorium Syracuſanum idem Pontifex loco & dignitate mouit. Nam, ſi quid ſecus aliquando fiebat, tum id vel ob ſummam Eccleſiæ neceſsitatem & excellentiam virtutis, vt in Nectario: vel imminentis periculi cauſa, vt in Taraſio: vel per miraculum cœleſtémque deſignationem, vt in Ambroſio factum fuiſſe legimus. Proinde monet diligenter i-
Epiſt. 5. dem Nicolaus Conſtantinopolitanam Eccleſiam: Vt tales alere omni „ religione ſtudeat eruditos viros, qui ad eum Cardinem honoris dignè „ ſubrogari poſsint. Quòd non ſolùm, inquit, in tanto Patriarchatu ob- „ ſeruari omninò debet, verùmetiam in ſingulis quibuſque ciuitatibus con- „ ſuetudine Canonica, magna cum cautela ſeruatur & cuſtoditur.

Sic pertractus, ſic veſtitus, ſiſtitur principi Hierarchæ magni & ſacroſancti Tabernaculi adminiſtro nouus Sponſus: poſtulatur. Poſtulari
Lib. 4. ep. 2. enim debet Epiſcopus, non poſtulare. De Dei enim & Chriſti eius iu- „ dicio, dicit Cyprianus, de Clericorum omnium teſtimonio, de plebis, quę „ adeſt, ſuffragio, & de Sacerdotum antiquorum & bonorum virorum col- „ legio, loco & gradu Cathedræ Sacerdotalis vacante, Dei voluntate, atq; „ omnium conſenſione, creari & conſecrari debet Epiſcopus. Poſtulat di- „ cunt ſacri pronubi, Reuerendiſsime Antiſtes, ſacra mater Eccleſia, vt hũc „ prẹſentem Presbyterum ad onus Epiſcopatus ſubleuetis. Faciunt autem id, vt doceant, neque Reges, neque Principes, neque plebem, aut ciuitatis magiſtratum, ſed Hierarchicam ordinationem atq; benedictionem Epiſcopum conſtituere, illorum teſtimonium tantum, huius autoritatem eſſe.

Sic præſentato & poſtulato nouo Sponſo, cùm rectè nôrit ſacer Antiſtes, plenas nuptias tribus quaſi contineri partibus: Fide, Sacramento, & Prole: ne quid feſtinè & properè faciat, néue cito cuiquã, iuxta Apoſto-
1. Timo. 5. li præceptũ, manus imponat, ſecundùm decretũ Carthaginenſis Concilij ad primum caput, examen inquam fidei, quod tanquam fundamentum & baſis totius ædificii eſt, ſeſe confert. Fides autem cùm in moribus primùm,

mùm, deinde in ſenſu eluceſcere debeat, vtrunque doctrinæ genus explorat, tàm hoc quod in ſermone, quàm illud, quod in opere vitæque exemplo conſiſtit. Et primùm de primo genere fit inquiſitio: Num veteris & noui Teſtamenti, cuius magiſter & interpres eſſe debet, doctrinam rectè norit? Abſurdum enim eſt, inquit Gregorius, & ſalutis Doctorem, & Antiſtitem, ſalutis principia ignorare. Et num ſenſum iudiciúmque ſuũ, diuinæ ſcripturæ ſenſibus accommodare velit? Quod dum ille ſanctè pol licitus fuerit, proponitur illi vniuerſæ fidei ſumma, primáque capita, quibus vniuerſa religio continetur: Summæ inquam ac indiuiduæ Trinitatis confeſsio: incarnationis, ſalutísque noſtræ œconomia: ſpes vitæ & reſurrectionis futuræ: ſanctorum communio, ac vnius ſanctæ, Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ profeſsio: vbi illa maximè inculcari ſolent, quæ tum pro tempore, aliquomodo praua & inſidioſa hæreticorum curioſitate & malicia, in dubium ſunt vocata, aut quæ aliqua labe inſidiator ſalutis noſtræ aſperſit diabolus; ne quid ex communi contagione contraxerit ille, qui cæterorum norma & regula eſſe debet. A ſenſu ad mores transfertur examen: proponuntur ſumma capita muneris Epiſcopalis: & num ea pro poſſe ſeruare, in eísque ſeſe exercere ac elaborare velit, ab eo ſummo exquiritur ſtudio. Maximè, num tam exhibere paratus ſit, vt dicit Bernardus, quàm exigere obedientiam: vt tantam occupaturus ſedem, illud recognoſcat priùs Centurionis, Et ego, inquit, ſum homo ſub poteſtate, habens ſub me milites: vt priùs agnoſcat ſe hominem, quàm potentem, quo propriæ ſubiectionis experimento diſcat ſua moderari imperia: nam & conditor Cæſaris, Cæſari non cunctatus eſt reddere cenſum: quæ enim à Deo ſunt, ordinata ſunt. Viderint ergo huius rei diſſuaſores, qualè ſit Dei ordinationi reſiſtere. Plurimùm ſe Epiſcopo deferre putant, cùm eum Chriſto præferre conantur ipſo reclamante, Non eſt ſeruus maior Domino ſuo. Quod non dedignatus eſt magiſter & dominus, talis præſertim; indignum ſibi iudicabit ſeruus bonus, & deuotus diſcipulus? Stupenda inſania. Animarum non cunctor turbas mihi cuſtodiendas colligere, & vnum ſuper me grauor proprium habere cuſtodem? Illi etſi honorant, onerant: hi non tam premunt, quàm protegunt. Quis dabit mihi centum in mei cuſtodiam deſignari paſtores? Quantò plures ſentio mei cuſtodiam gerere, tantò ſecurior exeo in paſcua. Principem te conſtituerunt, eſto inter illos tanquam vnus ex illis; vt te putemus, tanquam vnũ ex illis: videamus te tam exhibere paratum, quàm exigere obedientiam: videamus tam libenter præpoſitis obtemperare ſubiectum, quàm imperare ſubiectis: quod ſuperiori non præſtitiſti, ab inferiori non petas.

In laudib9 Athanaſii.

Ad Henericum Senonẽſem Archiepiſ. Epiſt. 42.

Luc. 7.

Mat. 22. Rom. 13.

Ioan. 13.

Eccleſi. 32.

Interrogatur ergò: Num ea, quæ in diuina ſcriptura legit & intelligit, plebem cui præferendus eſt, & verbis & exemplis docere velit? Num Traditiones orthodoxorum Patrum, ac Decreta ſanctæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, & ipſe ſeruare, & alios ſtudioſè docere, propoſitum habeat? Num ipſe ſuperiori poteſtati B. Petri, eiúsque ſucceſſorum, penes quos, ſummam regiminis ſui primus & ſummus Pontifex reliquit Ieſus Chriſtus, per

„ fidem, ſubiectionem, & obedientiam, ſecundùm Canonum autoritatem,
„ more & lege veteri ſeſe ſubiiciat? Num mores ab omni malo temperare,
„ & quantum poterit, Domino adiuuante, ad omne bonum commutare:
„ caſtitatem & ſobrietatem, cum Dei auxilio, cuſtodire & docere: diuinis
„ negociis mancipari, & à terrenis negotiis & lucris alienus eſſe; ne ſcili-
„ cet oculos, qui moderandis greſsibus præeunt, cura pulueris obſcuret;
„ caput namque ſubiectorum ſunt cuncti, qui præſunt; & vt rectè valeant
„ pedes itinera carpere, hæc procul dubio caput debet ex alto prouidere:
„ Num humilitatem & patientiam in ſeipſo cuſtodire, & alios docere velit?
„ pauperibus item & peregrinis, omnibúsque egentibus, propter nomen
„ Domini, affabilis & miſericors eſſe?

Quæ omnia vbi ille ſanctè, & bona fide ſeruaturum ſe, quantum humana fert conditio, promiſerit, ſumma eius oneris, quod ſubeundum eſt, illi ob oculos, tanquam in compendio, ponitur: Epiſcopum oportere iudicare, interpretari, conſecrare, ordinare, offerre, & baptizare. Quod onus cùm humanarum virium non ſit, ſed Angelicis etiam ipſis humeris ſublimiùs, cùmque ab eo ſolo portari poſsit, à quo eſt omnis ſufficientia noſtra; conferunt ſe omnes, Conſecrator, ſimul Sponſus, Pronubi, ac tota Eccleſia, ad communem orationem. Et vt recognoſcant ciues ſanctorum, domeſticos Dei ſe eſſe, populum ſupernæ Hieruſalem, adiungunt ſuis orationibus orationes Sanctorum; vt quod eorum fragilitas non poteſt, iſtorum victorialis autoritas impetret; vt qui iam ſunt ſecuri de ſuis, ſint ſoliciti de noſtris. Super nouum igitur Sponſum, pronum ante conſpectum Dei iacentem, Deum Patrem, ac Chriſtum Dominum exorant; vt illi viro, vtilitati Eccleſiæ prouidens, benignitas omnipotentis diuinæ gratiæ ſuæ tribuat largitatem; vt illum benedicere, ſanctificare, & conſecrare ipſe dignetur.

2. Cor. 3.
Eph. 2.

Quo loco, diligenter mihi ſunt commonendi illi, qui aliquando hoc tantum munus ſubituri ſunt, vt non tùm primùm, vbi ad diuinum ſiſtuntur Hierarcham, de his ipſis muneris & functionis ſuæ partibus cogitent, híſque rebus, quæ illis credendæ, ſeruandæ, docendæ, vindicandæ proponuntur, ſed longè antè, vires ſuas explorent. Si enim tunc primùm, inquit Bernardus, hæſitare incipias, id quidem ſerò; antè, iuxta conſilium Saluatoris, ſediſſe debueras: antè æſtimâſſe opus, metiri vires, ponderâſſe ſapientiam, merita comparâſſe, ſumptus cõputâſſe virtutum. Quid enim indignius eſt? quid maiore ſupplicio dignum? quàm in conſpectu Dei & Angelorum eius, in conſpectu totius Eccleſiæ, id ſe ſcire profiteri, quod ignores? id velle, quod nolis? id poſſe, quod nullo modo poſsis? Non tum igitur hęc talia cogitanda ſunt, dum iam diuino aſtamus Altari; ſed tùm, dum ambitiosè diſcurrimus, prenſamus, cœlum & terram, modò optatis potiamur, miſcemus. Neque enim puto adeò deſperatum & perditum animum futurum, qui ſi maieſtatem & amplitudinem earum rerum ſecum diligentiùs conſideraverit & expenderit, non concidat, qui ſe dare præcipitem velit, qui ſententiam futuri iudicis, quam veluti manu

De conſider. lib. 2.
Luc. 14.

ſua

sua subscripturus est, non exhorrescat. Ne illud exaudiat: Nescis quid petis. Tu quidē coram me, atq; Ecclesia hac, ore tuo profiteris, te velle & posse calicem meum bibere, vitam & mores meos imitari, curam & solicitudinem meam, quam in pascendis ouibus meis ipse suscepi, studio & diligentia tua æquare, crucem meam ferre; cor autem tuum totum in vanæ gloriæ studio occupatum, in lucro & quæstu detentum, omníque cupiditate & libidine ardens, ab his tuis promissis est alienissimum. Vt autem hi tam sublimes honores in eius vanitatis homines conferantur, non est voluntas Patris mei: hæque ipsę sedes & dignitates, aliis moribus hominibus sunt præparatæ à Patre meo. Et hos quidem consecratores tuos, tanquam homines, diuini sensus & summæ rationis ignaros, fallere poteris; Deum autem, apud quem conscientia nuda est, quem ignota non transeunt, occulta non fallunt, qui cognitor est secretorum & scrutator cordium, fallere nunquam poteris. Est profectò hic metus omnium maximus, hoc periculum omnium summum; huic quidem certè, qui & operæ præclarè nauatæ magnitudinem, & rei infeliciter gestæ, miserum & pernicioſum exitium intelligit. *Mat. 20.*

Iuuat hoc loco partem eius examinis, quod secum inibat, priusquam Pontificatum præhenderet, magnus ille Theologus Nazianzenus, apponere; vt sit quasi norma & exemplum, quid vnusquisque, priusquàm ad tantum munus accedat, secum expendere debeat. Quo tandem modo externum illud Sacrificium, illud magnorum mysteriorum exemplar, prę- fidenti animo ipsi offeram? aut quo modo Sacerdotis habitum noménq; subibo, priusquam manus piis actionibus consecrauero? priusquam creaturis rectè & sanè, atque ad creatoris solum admirationem, non autem ad detrimentum, oculum aspicere assuefecero? priusquam disciplinæ Domini aures satis aperuero, ac mihi adi cietur auricula nequaquam durè audiens, aureáque inauris precioso Sardio adstricta, hoc est, sapientis sermo auri benè audienti? priusquam ore, labiis, & lingua, ita me ipsum cō- parauero, vt & ore aperto spiritum traham, aut in mysteriorum dogmatúmque pronunciatione, dilatato impletus spiritu fuero; & labia, vt Sapientiæ verbis vtar, diuino sensu constricta habuero, addam etiam tempestiuè soluta: & denique lingua exultatione perfusa erit, diuínæque melodiæ plectrum effecta, ad Dei gloriam celebrandam sese excitans, simúlq; cum eo diluculo exurgens, ac præ labore faucibus ipsis adhærens? priusquam pedes meos ceruorum ritu instructos & præparatos, ad petram firmauero, piósque & Deo gratos incessus meos ita directos habuero, vt nec tantillum temporis, nec vllo modo effunderentur? priùs deniq; quàm omnia corporis membra iustitiæ arma facta erunt, omnémque mortalitatem abiecerint, à vita absorptam, spirituíque loco cedentem? Ecquis porrò antequam puris & ignitis Dei eloquiis cor peruſtum habuerit (id quod fit, cum scripturæ ipsi aperiuntur) eáque super latitudinem cordis trifariam descripserit; vt Christi mentem habeat, atque in thesauros promiscuę multitudini abditos, inuisibiles ac tenebrosos penetrârit; vt opes in ipsis con- *In Apolog. 1.* *Psal. 118.* *Psal. 8.* *Eccles. 21.* *Psal. 56.* *Psal. 136.* *Psal. 17.* *Psal. 39.* *Psal. 72.* *Rom. 6.* *Psal. 11.* *Prou. 22.*

1 Cor. 2. conditas intueatur, aliósque locupletes & copioſos efficere poſsit, ſpiri-
Pſal. 26. tualia ſpiritualibus conferens? Ecquis antequam Domini beneplacitum,
1. Cor. 3. ita vti par eſt, perſpexerit, templúmque eius viſitauerit, vel potiùs Dei vi-
» ui templum viuum factus fuerit, Chriſtíq; in ſpiritu domicilium? Ecquis
» antequam figurarum & veritatis cognationem & diſcrimen agnouerit, ab
» illísque ſecedens huic ſe adiunxerit; vt literæ vetuſtatem fugiens, ſpiritus
» nouitate ſeruiat, atq; à lege, quæ in literę abrogatione & abolitione ſpiri-
» tualiter expletur, ad gratiam purè planéque tranſiliat? Ecquis antequam
» & vitæ probitate, & ſpeculatione, per omnes Chriſti appellationes ac vi-
» res & facultates, tàm ſublimiores illas ac primas, quàm quas poſtremò
» humiliorésque ſubiit, perrexerit, nimirum Dei, filii, imaginis, verbi, ſapi-
» entiæ, veritatis, lucis, vitæ, potentiæ, vaporis, defluxionis, ſplendoris, fa-
» ctoris, regis, capitis, legis, viæ, portæ, fundamenti, petræ, margaritæ, pa
» cis, iuſtitiæ, ſanctificationis, redemtionis, hominis, ſerui, paſtoris, agni,
» Pontificis, victimæ, primogeniti ante creaturam, primogeniti ex mortuis,
» reſurrectionis? Ecquis, inquam, has res & nomina in caſum audiens, nec-
» dum commercio vllo cum verbo habito, nec ipſius, quatenus vnumquod-
Pſal. 44. que horum vero nomine appelletur, particeps factus? Ecquis denique
1. Cor. 2. antequam quieto animo, atque ab huius vitæ negotiis tranquillo fuerit,
1. Cor. 3. Deíque ſapientiam, illam inquam, in myſterio reconditam accipere nô-
Heb. 5. rit, ſed ætate adhuc tenera ſit lactéque alatur, nec inter Iſraëlitas adhuc
» numeretur, nec in Dei caſtris aciéque recenſeatur, nec Chriſti crucem vi-
» rilibus humeris ferre queat, imò nec præſtantius fortaſſe aliquod corpo-
» ris membrum ſit, læto tamen alacríque animo ſe Chriſti Eccleſiæ in caput
» conſtitui patietur? Nemo profectò, qui quidem conſilio meo ac iudicio
» ſtandum putabit. Quo examine confecto, illud tandem colligit & con-
» cludit: Ac proinde, inquit, ſic mecum ipſe loquebar: Alius mercaturæ
» cauſa nauiget, & longa maria trãſmittat, & cũ ventis fluctibúsq; perpetuò
» colluctetur, magna vel operę pretia factur⁹, ſi ita caſus tulerit, vel pericula
» aditurus, quiſquis nimirũ vel nauigandi peritia, vel negotiandi arte excel-
» lit; mihi verò melius atq; optabilius eſt in terra quietẽ habenti, atq; exiguũ
» aruum & dulce ſulcanti, & lucra & mare procul ſalutãti, exiguo ac rigido
» pane vitã, vt potero, ſuſtentare, eámq; tutam tranquillámq; ducere; quàm
» ob ingentes quęſtus, graue diuturnúmq; periculum ſubire. Quemadmodũ
» enim magno & excelſo viro detrimenti loco habendum eſt, res magnas
» non aggredi, nec virtutem ad multos propagare; ſed in paruis leuibúsq;
» reb⁹ defixum hærere, ac velut magno lumine paruam domũ illuſtrare, aut
» virilibus armis puerile corpus obtegere; ita contrà, paruo homini ſecuri-
» tas in eo conſiſtit, vt non magnoperè ſeſe oneret, nec grauiori, quàm eius
» vires ferre queant, ſarcinæ caput ſupponens, ſimul & ridendum ſeſe pro-
Luc. 14. ponet; & in periculum coniiciat: quemadmodum ſcilicet nec alii cuiquã
» turrim ædificare conuenit, quàm ei, cui ad eam prorſus abſoluendam ſup-
» petunt facultates, vt ſcriptura teſtatur: meliúsque eſt aliis, qui artis peri-
» tia præſtent, habenas noſtri concedere, quàm indoctos & imperitos ali-

orum

orum aurigas esse: præstaréque candidam aurem submittere, quàm stolidam linguam mouere. Hæc Nazianzenus.

Verùm dicet quis: inuito tantum honorem sibi deferri, omnem cognatorum & agnatorum manum cogere, vímque adferre, dementémque putare, si tantam repudiauerit fortunam, cùm is vocet præsertim, penes quem legitima vocandi potestas & autoritas sit. Huic verò homini hac venustissima respondet similitudine Chrysostomus: Etenim quæro ex te, si, quem suspicamur fabrum esse, ad opus vocemus, sequatúrque ipse: deinde manus admouens materiæ ad ædificium paratæ, ligna, itémq; & lapides auertat, opus autem sic coagmentet, sic domum ædificet, vt statim collapsura ea sit: num ille sese abundè hac defensione tutaturus est, si dixerit, ab aliis se coactum, non etiam vltrò ad ædificandum accessisse? Certè nequaquam: ídq; iure optimo: oportet enim, vel aliis ad id vocantibus, pedem referre ac tergiuersari. Itáne verò, qui ligna ac lapides auertit faber, huic nullus prorsus suffugii locus, quò minus pœnas pendat: qui verò animas negligenter ædificans perdiderit, hiccíne alienam vim abundans sibi suffugium præsidiúmque putabit? & quo id pacto non valdè ineptum atque absurdum? nondum enim adiicio, nolentem à nemine compelli posse: sed & ipsum volo, vim fuisse immodicam perpessum, artibúsque variis circumseptum, vt in retia caderet. Hoccíne igitur illum à supplicio eximet? ne obsecro, ne eò vsque nobis imponamus, neque simulemus ignorare nos ea, quæ vel admodum pueris nota esse possunt: reuera enim cum rationis reddendæ tempus aderit, ignorantiæ simulatio hæc, nihil nobis allatura est præsidii. Principatum huiusmodi, nihil ipse ambiuisti, imbecillitatis tuæ conscius? Probè id ac rectè. Oportebat ergo cum eodem hoc consilio, vocantibus etiam aliis, tergiuersari. Anne cùm te nullus vocaret, imbecillus tu, ac minimè idoneus eras: vbi primùm verò comperti sunt, qui honorem ad te deferrent, de repentè in valentem atque idoneum euasisti? Certè huiusmodi res ridicula prorsus ac nugatoria est, eadémque extremo etiam supplicio digna. Hæc autem proferentes, non eos, vt cum Gregorio Magno loquar, qui rectè possint, deterremus, sed ab appetitu tanti oneris cordis infirmitatem munimus, ne imperfecti quoque culmen arripere reginiinis audeant: & qui in planis stantes titubant, in præcipitio pedem ponant. *Lib. 4. de Sacerdotio.*

Absoluto fidei examine, augustiore sibíque magis proprio habitu induitur Sponsus. Calceatur pedes, ad annunciandum Euangelium pacis; vt eat, non stet; laboret, non otiosus delitescat. Induitur item interioribus quibusdam tunicis, penitioris inquam deuotionis, innocentíæque ac integritatis perfectionem denotantibus; cuius solus Deus purarũ animarum vnicus amator inspector est, & cuius suauitatem illi soli nórunt, qui, quæ, & qualis sit experiuntur; intus enim est qui iudicat, intus quod iudicatur; vt internorum cura in externorum nimia occupatione non minuatur. Induitur item Dalmatica, latas manicas habente. Oportet enim Episcopum, sicut Dei dispensatorem, hospitalem esse, benignum, liberalem, *Tit. 1.*

non turpis lucri cupidum. Vberioris enim peculii diſpenſatorem largiorem eſſe oportet: qui opes veras eſſe putet, non vt ſtudio omni aliena bona corradat; ſed vt indigentium penuriam ſua liberalitate retineat: qui ſua commoda propinquorum bona deputet. Egentis enim mentem, doctrinæ ſermo non ita facilè penetrat, inquit Gregorius, ſi hunc apud eius animum manus miſericordiæ non commendat. Tunc autem verbi ſemen facilè germinat, quando hæc in audientis pectore pietas prædicantis rigat. De quo illud dicatur: Diſperſit dedítque. Cui obſecro? Fiſcóne, an hæretico? potentíne, an factioſo ciui? carníne & ſanguini? tenacíne deinceps, & quæ nunquam compleri poteſt, arcæ? Nequaquam. Sed cui tandem? Diſperſit dedit pauperibus: id eſt, ſeminaria futuræ pietatis & eruditionis erexit; adoleſcentes præſtantis ingenii quàm plurimos domi foríſque erudiri curauit: deſertis ac depopulatis paroeciis Paſtores & Sacerdotes ſuis opibus aluit: redeuntes ab hæretico errore, benignè & liberaliter accepit: captiuos redemit: virgines orbas elocauit: peregrinos hoſpitio ſuſcepit: viduis, orphanis, morbóque ac ætate fractis præſidio fuit. Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi, cornu eius exaltabitur in gloria. Fœnus hoc ſolum, inquit ſanctus Leo, aſpicere & exercere debemus; vt quod hîc miſericorditer tribuimus, ab eo Domino, qui multipliciter & in perpetuum manſura retribuet, recipere valeamus. Neque enim nos hæreditate poſsidemus Sanctuarium Dei, ſed alienæ ſortis diſpenſatores ſumus. Cuius peculii vſus quidem, inquit Bernardus, eſt bonus, abuſio mala, ſolicitudo peior, quæſtus autem turpiſsimus. Diſpenſationis autem huius, inquit Chryſoſtomus, modus ille, ſi Eccleſiaſticę facultates neq; redundent, neq; tęporibus neceſſariis deſint. Verùm de munificentia Paſtoris ſatis. Adiicitur autem hîc myſticus veſtitus ſuper Sacerdotalem habitum, ad eas actiones atq; operationes, quas ipſe ſupra alios Sacerdotes, peculiari quodam modo exercere ſolet, indicandas: quales ſunt, vltra regiminis, doctrinæ ac iurisdictionis autoritatem, illæ quas ex Græcis quidem Diuus Areopagita: ex Latinis verò Leo Papa, ex antiquiſsimo ritu recenſent; Presbyterorum & Diaconorum, atq; Virginum conſecratio (vt eorum verbis vtar) conſtitutio Eccleſiæ atque altaris, benedictio item eorundem & vnctio: per impoſitiones manuum fidelibus baptizandis, vel conuerſis ex hæreſi, paracleti Spiritus ſancti traditio: quale item eſt Chriſma conficere, Chriſmate baptizatorum frontes ſignare, publicè in Miſſa pœnitentes reconciliare, formatas Epiſtolas mittere. Hæc enim omnia illicita ſunt Chorepiſcopis atq; Presbyteris (inquit ſanctus Leo) qui ad exemplum & formam ſeptuaginta diſcipulorum eſſe noſcuntur: qui quanquam Conſecrationem habeant, Pontificatus tamen apicem non habent. Quæ omnia ſolis deberi ſummis Pontificibus, autoritate Canonum præcipitur; vt per hoc, & diſcretio graduum, & dignitatis faſtigium, ſummi Pontificis demonſtretur. Sed neque coram Epiſcopo licet Presbyteris in baptiſterium introire: nec pręſente Antiſtite infantem tingere, aut ſignare: nèc pœnitentem, ſine præceptione Epiſcopi ſui,

In ſecũda parte paſtoralis, cap. 7.

Pſal. 111.

Epiſt. 1. ca. 4

Pſal. 82.

Lib 2. de Cõſideratione.

De Eccl. Hierar. cap. 5.

Leo epiſt. 88.

ſui,reconciliare, nec eo præſente, niſi illo iubente, Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti conficere; nec eo coram poſito populum docere, vel benedicere, aut ſalutare, nec plebem vtiq; exhortari.

Induitur autem veſtimentis eorum omnium ordinum, quorum conferendorum poteſtatem habet; vt & omnibus ſeipſum exemplum præbeat, & omnium onera quodammodo portet, pro omnibúſque, ſi indignos ordinat, reſponſurus ſit, & omnium item defectus ſuppleat, omniúmque infirmitatibus condolere ſciat,vt item omnium poteſtatem & dignitatem in ſe ſuſtineat.

Sic igitur veſtito & ornato Sponſo, à fide fit tranſitus ad Sacramentum:quam ſecundam partem eius coniugii eſſe diximus. Transfert ſe deinde ſacer Conſecrator,ad eas operationes,quæ verè ſanctæ ſunt ſanctósque efficiunt: quæ ex antiquiſsima & Apoſtolica traditione, ſacris ſignis & actionibus primùm, deinde myſticis vnctionibus continentur. Actiones & ſigna ſacra, à Dionyſio,tantorum myſteriorum planè diuino interprete, hæc numerantur. Primùm, ἡ πρὸς τὸ θεῖον θυσιαστήριον προσαγωγὴ, καὶ ὑποκλίσεις. hoc autem eſt, admotio ad diuinum altare,ac ſubmiſſa genuum inflexio. Quod ſignum, & actionem deſignare, docet, idem Dionyſius, eum, qui inſtituitur Pontificali conſecratione; vniuerſam ſuam vitam omnémque mentis integritatem, Deo ſummo ac primo conſecratori ſubiicere, & reſignare debere; ad eiúsque nutum & voluntatem eam peragere, caſtiſsimúmque Deóque dicatum aditum, qui dignus ſit & conueniens, quantum fieri poſsit, diuino, ſanctiſsimo, ac ſacro Altari, ad quod mentes, quæ diuinam ſpeciem præſeferunt, conſecrantur. *In eodē 5. ca.*

Secundum ſignū & actio,eſt ἡ τῆς ἱεραρχικῆς χειρὸς ἐπίθεσις, id eſt,ſacri Hierarchæ,ac reliqui collegii manuum impoſitio. Tangit enim princeps cōſecrator, ac deinde cæteri omnes, illius qui conſecratur caput, manúſque illi imponit: quod ſignum & actio, primùm diuinum,vt idem inquit Dionyſius, præſidium declarat; quo,tanquam ſancti pueri, illi qui conſecrantur, patris charitate foueri ſolent,illíſque facultatem, ac vim Eccleſiaſtici ordinis tuendi largitur,contrariásque poteſtates procul ab eis arcet. Docet deinde omnia officia & munera ſacri ordinis exequi eos,qui conſecrā tur, vt ſub Deo agentes, eúmque omnium ſuarum actionum habentes du cem in omnibus.

Tertium ſignum eſt, ἡ σταυροειδὴς σφραγὶς: id eſt, crucis obſignatio, quæ ſignificat omnium animi ſimul corporíſq; cupiditatum mortificationem, diuínæque vitæ imitationem, immoto oculo aſpicientem Chriſtum crucifixum, qui ad crucem vſque & mortem expers omnis peccati peruenit; eóſque qui ita viuunt, vt eum imitentur, carnémque ſuam cum illo crucifigunt, quod crux iſta deſignat, ſibi ſimiles participes libertatis ſuæ à peccato efficit, obſignans eos ſigillo & imagine crucis,iuſtitiæ & innocentię ſuæ. Quid enim eſt aliud hæc crucifixi imago, quàm forma & exemplar quoddam perfectum omnis moderationis noſtræ? In hoc enim ligno omnia praua deſideria noſtra, omnes ſuperfluæ ſolicitudines, omnes cupiditates

tates noſtræ, confixæ & mortuæ ſunt. Quæ enim ambitio ſanari poterit, quam hæc ipſa incredibilis humilitas Chriſti in cruce pendentis non ſanat? Quæ auaritia curari, quam hæc nuditas, ac planè extrema paupertas non curat? quæ libido extingui, quam hæ ipſæ aridæ felle & aceto imbutæ fauces Saluatoris noſtri non extinguunt? Vnde Bernardus: Singuli, inquit, illiciti motus animi mei, ſingula in te Deus ſunt conuicia: vt pura iracundiæ motus in manſuetudinem tuam, inuidiæ in charitatem, luxuriæ in ſitim tuam, cupiditatis meæ in nuditatem, faſtus in tuam extremam humilitatem. *Epiſt. 42.*

Quartum ſacrum Symbolum eſt, ſacráque actio, huícque ordini maximè propria & peculiaris, & quæ in nulla alia conſecratione adhiberi ſolet, præter eam quæ Pontificis eſt, ἡ τῶν λογίων ἐπὶ κεφαλῆς ἐπίθεσις: hæc autẽ eſt, ſacrorum librorum ſuper caput & humerum eius, qui conſecratur, ſanctiſsima impoſitio. Cuius modum & rationem ſic explicat Carthaginenſe Concilium: Duo aſsiſtentes Epiſcopi, ponunt & tenent Euangeliorum codicem ſuper caput & ceruicem eius, qui conſecratur, & vno ſuper eum fundente benedictionem, reliqui omnes qui adſunt, manibus ſuis caput eius tangunt. Quid autem ſibi ea actio velit, diuinus explicat Areopagita: Quoniam, inquit, perficiens omnis Sacerdotii vis & ſcientia, à diuina myſteriorum autore bonitate diuinis Pontificibus datur, iure ac meritò in capitibus Pontificum, ſcripta diuinitus tradita ponuntur, quæ compendio ſcientérque omnem Theologiam, omnem Dei operationem, doctrinam ſanctam, diuina & ſacra verba & opera, orationes & actiones, quas Hierarchia noſtra habet Dei benefici conceſſu ac munere: quòd diuinus Pontifex, omni quidem facultate, quæ Pontifice digna eſt, præditus eſſe debeat, & omnium ſacrarum interpretationum atque factorum, quæ Hierarchiam attingunt, vera atque à Deo tradita ſcientia, non illuſtrari modò, verùm etiam aliis, vt Pontifici conſentaneum eſt, tradere, perficeréque diuinis ſcientiis ac ſummis, vt ita dicam, promotionibus ex Pontificis dignitate omnia, quæ in tota Hierarchia maximam vim perficiendi habent. Ex multis enim & variis functionibus, quæ Epiſcopum attingunt, illa propria ac quaſi peculiaris eſt, Euangelium prædicare: Vt potens ſit, inquit Paulus, in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere. Itáque in priſca illa & veteri Eccleſia, nemo hoc docendi pulpitum cõſcendebat, niſi is qui Epiſcopus eſſet; vel ſi fortè aliqua infirmitate prępediebatur, Presbytero quidem probato hoc munus delegabat: ita tamẽ vt ipſe eius doctrinæ teſtis & iudex præſens adeſſet. Itáq; ægri etiam Pontifices nonnunquam in lectis ad templum adferebantur, vt eius doctrinæ, quæ populo tradebatur, iudices & arbitri intereſſent; ne quid illis inſciis atque incautis, hæreticæ labis & peſtis ſubreperet. Non in capite autem tantum ſacer Codex Epiſcopi ponitur, ſed in humero etiam: vt primus ipſe hoc iugum ſubeat, ac in ſocietate Ieſu Chriſti trahat, vt populo Dei more ſancti Moſis, atq; adeò Ieſu Chriſti præeat, ac viam per huius vitæ turbulentum pelagus pandat, anguſtámque illam ſemitam & aſperam, primus

Ibidem.

mus terat ac mũniat. Vt illud poſsit dicere cum Chriſto: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Et illud Pauli: Imitatores mei eſtote, quemadmodum ego Chriſti. Nam ſi paſtor, inquit Gregorius, per abrupta graditur, grex profectò ad præcipitia ſequetur: aut qua præſumptione percuſſum mederi properat, qui in facie vulnus portat? tantúmque debet actionem populi actio tranſcendere Præſulis, quantum diſtare ſolet à grege vita paſtoris. Qui enim loci ſui neceſsitate exigitur ſumma dicere, hac eadem neceſsitate compellitur ſumma monſtrare; ne ſubditi in exemplo eius qui præeſt, quaſi in obſtaculo itineris offendant. Sacerdotes namque vocamur, quòd ideò præſumus, vt ſacrum ducatum fidelibus præbeamus: Nullíque illicitum videtur, inquit Ambroſius, quod ab Epiſcopo, quaſi licitum perpetratur.

Mat. 11. Ioan. 13. 1. Cor. 4. Prima parte paſtoralis ca. 2. De dignitate Sacerdotali cap. 6.

Quinta & vltima diuina eſt actio, quã ſacer Dionyſius τὴν ἀνάϱϱησιν appellat, hoc aũt eſt, vt ſacrum exponit Carthaginenſe Conciliũ, eam quę ſuper eum, qui conſecratur, funditur benedictionem, quæ talis eſt: Propitiare, inquit, Domine ſupplicationibus noſtris, & inclinato ſuper hunc famulum tuum cornu gratiæ Sacerdotalis, benedictionísq; tuæ in eum infunde virtutem. Prorumpítque ſacer Antiſtes in diuinas laudes, eum eſſe honorem omnium dignitatũ, qui gloriæ eius ſacris famulantur ordinibus: qui per Moyſen famulum ſuum, ſecreti familiaris affatu, inter cætera cœleſtis documenta culturæ, de habitu quoq; indumenti Sacerdotalis inſtituens, electum Aaron myſtico amictu veſtiri inter ſacra iuſsit; vt intelligentiæ ſenſum de exemplis priorum caperet ſequutura poſteritas: ne eruditio doctrinæ eius vlli deeſſet ætati. Cùm & apud veteres reuerentiam, ipſa ſignificationum ſpecies obtineret, & apud nos certiora eſſent experimenta rerum, quàm ænigmata figurarum. Illius namque ſacerdotii anterioris habitus, noſtræ mentis ornatus eſt, & Pontificalem gloriam non iam honor commendat veſtium, ſed ſplendor animarum. Quia & illa quæ tũc carnalibus blandiebantur obtutibus, ea potiùs quæ in ipſis erant intelligenda poſcebant. Precatur deinde, Vt ei famulo ſuo, quem ad ſummi Sacerdotii miniſterium elegit, eam gratiam largiatur: vt quicquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, & in multimodi operis varietate ſignificabant, hoc in eius moribus actibúſque clareſcat. Vt compleat in Sacerdote ſuo miniſterii ſui ſummam, & ornamentis totius glorificationis inſtructum, cœleſtis vnguenti rore ſanctificet. Atque ita deinceps ſe ad ſacras confert vnctiones. Significat autem ea ἀνάϱϱησις, ſiue ſacra precatio, vt idem inquit Dionyſius, Deo charum conſecratorem interpretem, eſſe diuinæ creationis ſiue electionis, qui non ſuo munere eos qui conſecrantur, ad Eccleſiaſtici ordinis honorem virtutémque efferat; ſed diuini numinis inſtinctu agitatus in omnib⁹ conſecrationibus quę Põtificẽ attingunt. Cùm autem ſanctificatio, vt inquit Magnus Baſilius, ſine ſpiritu nõ ſit, cùm & cœleſtes illę angelicę virtutes, quę etſi ſanctę ſint, non tamen per ſe & à ſe, ſic enim nullam haberent differentiam ab eo ſpiritu-

De Spiritu S capit. 16. & Epiſt. 79.

ritu,qui ſolus natura & à ſe ſanctus dicitur;ſecundùm proportionẽ tamen ſuę dignitatis & excellentiæ,ſanctificationis ſuæ modum & menſuram ab eodem Spiritu ſancto accipiant. Hic enim eſt digitus Dei, per quem omnia ſolidantur: hæc eſt cœleſtis illa & ſuperna vnctio, quæ docet omnia: hic eſt ignis puriſsimus, qui mundat, purgat, & ſanctificat ea vniuerſa, quæ ſancta ſunt. Proinde diuinus Antiſtes creatore Spiritu, ſuper eum quem ſacrat, inuocato, ad ſacras vnctiones ſe confert, vt oſtendat, hunc ipſum, qui ſacratur miniſtrum, & vicarium illius fore, quem vnxit Deus oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis.

Luc. 11. *Ioan. 2.* *Pſal. 44.*

Vngit autem primùm caput eius, cum ea præfatione: Hæc vnctio, inquit,Domine copiosè in caput eius influat: hæc in os ſubiecti decurrat: hoc in totius corporis extrema deſcendat: vt tui Spiritus virtus & interiora eius repleat, & exteriora circuntegat. Abundet in eo conſtantia fidei,puritas dilectionis,ſecuritas pacis:ſint ſpecioſi munere tuo pedes eius, ad Euangelizandum pacem, ad Euangelizandum bona. Da ei Domine miniſterium reconciliationis in verbo & in factis, in virtute ſignorum & prodigiorum: Sit ſermo eius & prædicatio non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis. Da ei Domine claues regni cœlorum, vt vtatur, non vt glorietur poteſtate, quam tribuis in ædificationem,non in deſtructionem. Quodcunque ligauerit ſuper terram, ſit ligatum & in cœlis: & quodcunque ſoluerit in terris, ſit ſolutum & in cœlis. Quorum detinuerit peccata, detenta ſint: & quorum dimiſerit, tu dimittas. Qui maledixerit ei, ſit ille maledictus: & qui benedixerit ei,benedictionibus repleatur. Sit fidelis ſeruus & prudẽs,quem cõſtituas tu Domine ſuper familiam tuã,vt det illi cibum in tempore opportuno, & exhibeat omnem hominem perfectum: ſit ſolicitudine non piger, ſit ſpiritu feruens: oderit ſuperbiam, humilitatem ac veritatem diligat; neque eam vnquam deſerat, aut laudibus, aut timore ſuperatus. Non ponat lucem tenebras,nec tenebras lucem: non dicat malum bonũ, neque bonum malum. Sit ſapientibus & inſipientibus debitor,vt fructum de profectu omnium conſequatur. Tribuas illi Domine Cathedram Epiſcopalem, ad regendum Eccleſiam tuam, & plebem ſibi commiſſam: ſis ei autoritas, ſis ei poteſtas, ſis ei firmitas. Multiplica ſuper eum benedictionem & gratiam tuam, vt ad exorandam ſemper miſericordiam tuam, tuo munere idoneus, & tua gratia poſsit eſſe deuotus.

Pſal. 132. *Rom. 10.* *2. Cor. 12.* *1. Cor. 2.* *Mat. 16.* *Ioan. 20.* *Geneſ. 27.* *Mat. 24.* *Rom. 12.* *Iſa. 5.* *Rom. 1.*

Ac deinceps interpoſitis aliquot orationibus,ac publico Eccleſię cantu, ad vnctionem manuum eius accedit, quas item cum ea poſtulatione
„ inungit: Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui te ad Pontificatus
1. Reg. 26. ſublimari voluit dignitatem, ipſe qui per Samuelem Dauid in Regem &
„ Prophetam inunxit, te noſtro miniſterio chriſmate &myſticæ delibutio-
„ nis liquore perfundat, & Spiritualis benedictionis vbertate fœcundet:
„ vt quicquid benedixeris, benedicatur: & quicquid ſanctificaueris,ſancti-
„ ficetur: & conſecratarum manuum iſtarum impoſitio, cunctis proficiat
„ ad ſalutem. Neque verò fruſtra,aut ſine cauſa tam prolixis,tam frequenter re-

ter repetitis precibus, hic ipse qui consecratur, Deo omnium bonorum autori & largitori commendatur: Plus enim, inquit Chrysostomus, eiusmodi precibus indiget, quàm cæteri omnes. Nam quantò est celsior dignitas, tantò Sacerdotis maiora sunt pericula. Sufficit enim vel vnum Episcopatus rectè factum autorem suum in cœlum attollere, vnúmque peccatum in ipsum iniicere gehennæ profundum. Nam qui in ordine priuato parum religiosus erat, multò profectò magis id patitur, cùm Ecclesiæ gubernacula regenda susceperit: quippè tum & inanis gloria vehementiùs imminet, & pecuniæ amor & fastus; cùm principatus ipse præstet licentiã offensionis & contumelię, atq; maledicta, prorsus & alia innumera. Votis itáq; omnibus optandum, vt qui antea pietate prędítus fuerat, talis permaneat suscepto munere administrationis. Hæc Chrysostomus. *In primũ cap. ad Tit. Ser. 1.*

Vngitur autem futurus Hierarcha primùm in capite, per quod mens eius designatur: quò admoneatur, vt Deum ex toto corde suo, & ex tota anima sua, & ex omnibus viribus suis, & proximum suum, sicut seipsum diligat: quarum rerum omnium, caput fons est & principium. Deinde, vt simul autoritas & dignitas eius declaretur, eum scilicet esse caput & principem Ecclesiæ suæ, quomodo vir vxori suę caput dictus est. Honor enim & sublimitas Episcopalis, inquit Ambrosius, nullis poterit comparationibus adæquari: si Regum fulgori compares, & principum diademati, longè erit inferior, quàm si plumbi metallum ad auri fulgorem compares: quippè cùm videas Regum colla & Principum submitti genibus Sacerdotum, & exosculatis eorum dextris, orationibus eorum se commendare & communire, qui item cornu suo Reges & Sacerdotes vngunt. Sed prouidendum est, inquit Ambrosius, ne sit honor sublimis, & vita deformis: ne sit deifica professio, & illicita actio: ne sit religiosus amictus, & irreligiosus prouectus: ne sit gradus excelsus, & deformis excessus: quia sicut nihil esse diximus Episcopo excellentius; sic nihil esse miserabilius, si de sancta vita Episcopus periclitetur, si Sacerdos in crimine teneatur. Nã quantò gradus altior est, tantò ruina grauior: honor grandis, grandiori debet solicitudine circumuallari. Ideo igitur prærogatiua honoris monstratur, vt merita congrua requirantur. Vngitur demùm in capite, vt ostendatur esse vicarius Christi, eiúsque locum & officium tenere, qui est super omnia, & quem constituit Deus caput super omnem Ecclesiam. Ideo Reges non iam in capite, sed in humero vnguntur: primùm, vt is vnctionis in capite honor sit illius proprius, quem Deus constituit excelsum super omnes Reges terræ, & quem oleo lætitiæ excellentiùs & augustiùs vnxit præ consortibus suis. Deinde vt ostendatur, quòd primò ante alios omnes, Reges inquam & Principes persona capitis Pontificali officio repræsentetur. Vngitur tamen & Rex in humero, vt neque ipse planè excludatur à repræsentatione eiusdem capitis: Nam & huius principatus, vt dixit Isaias, fuit semper humerum eius, & vt sciat se esse ministrum ad portandam crucem Iesu Christi ad exemplum & instructionem suorum. *Eph. 5. De dignit. sa. cap. 2. Eph. 1. Psal. 88. Psal. 44. Isa. 9.*

Rom. 13. Sed non caput tantùm Pontificis vngitur,verùm & manus. Primùm, propter officium & miniſterium, vt ſe ſciat dignitatem non propter otiũ, ſed propter negotium ſuſcipere: vt ſciat ex illo ſe numero operariorum eſſe debere,qui ſuſtinent pondus diei & æſtum. Demùm vt illis manibus Mat. 20. adſit virtus Spiritus ſancti, eas teneat & dirigat, cum illis laboret & operetur: vt quicquid benedixerit, benedicatur: quicquid ſanctificauerit, ſanctificetur: quò certior fiat populus Chriſtianus,dicente Epiſcopo aut Sacerdote: Ego te baptizo: ego te abſoluo: non illum baptizare: non illum peccata relaxare,ſed vnctionem ipſam,ſed eum Spiritum, cuius hęc vnctio ſignum eſt, omnipotenti virtute & præſidio ſuo hæc talia efficere. Item, cùm accepto pane & calice, in ita conſecratas manus, illa verba profert: Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus: agnoſcant omnes non illum aliquid vi ſua efficere, ſed Spiritum ſanctum deſcendere,& virtutem altiſsimi obumbrare: vt qui in vtero virginis verum corpus & Luc. 1. ſanguinem eius admirabili & illi ſoli cognita virtute effecit;idem ſub ſpeciebus panis & vini hoc idem efficiat.

Quibus ſacris ſymbolis & myſteriis cùm hæretici careant,mirum eſſe non debet;ſi ea quæ in Eccleſia Catholica certiſsima & clariſsima eſſe videntur, ab illis non intelligantur, perexiguámque, vel potiùs, nullam his fidem habeant. Neque enim hæc humanis viribus vel meritis fiunt, ſed ipſius Spiritus ſancti virtute, de quo Dauid dixit: Emitte Spiritum tuum Pſal. 103. & creabuntur, & renouabis faciem terræ.

Vnguntur amplius manus eius, qui conſecratur, vt operetur bonum, ad omnes quidem, ſed maximè ad domeſticos fidei; vt manus ſuas mit- Gal. 6. tat ad fortia,vt panem otioſus non comedat,vt manus eius diſtillent myr- Prouerb. 31. rham, vt ſit beatus ille ſeruus, quem cum venerit Dominus eius, inuenerit Cant. 5. vigilantem & operantem. Luc. 12.

Vngitur autem ſancto Chriſmate, quod ex oleo & balſamo confici & commiſceri ſolet, vt per oleum quidem, nitor & puritas conſcientiæ denotetur. Bonus enim homo, ex bono theſauro profert bona:& malus ho- Luc. 6. mo, de theſauro malo profert mala. Nec colligunt de ſpinis vuas, aut de Mat. 7. tribulis ficus. Non poteſt arbor bona malos fructus facere, & arbor mala bonos fructus facere. Gloria noſtra, inquit Paulus,hæc eſt, conſcientia 2. Cor. 1. noſtra. Sed non gloria tantùm,verùmetiam omnium laborum ſuaue condimentum, ſed omnium etiam rerum aduerſarum tutiſsimus portus, ſed contra omnes viſibiles & inuiſibiles hoſtes munitiſsimum præſidium,omnísque libertatis alterius monendi & docendi maxima vis & occaſio: ſine qua qui docet, illud Dauidicum, quod aliquando magnum illum Origenem perterruerat, expaueſcat oportet: Quare tu enarras iuſtitias meas,& aſſumis teſtamentum meum per os tuum? tu autem homo peccator Pſal. 49. es. Cùm videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Exiſtimaſti inique, quòd ero tui ſimilis? arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam. Intelligite hæc qui obliuiſcimini Deum,ne quando rapiat, & non ſit qui eripiat.

Balſa-

Balſamo autem deſignatur odor bonæ famæ: Eum enim qui Sacerdotio fungitur, inquit Chryſoſtomus, odorem ſpirare optimum conuenit: vt ſit paſtor ſine crimine: vt habeat teſtimonium etiam ab his qui foris ſunt: vt item luceat lux eius, quo videntes homines bona opera eius, glorificent Patrem qui in cœlis eſt: vt innocentia ſua obſtruat ora maleuolorum; ſine qua eximia fama qui docet, altera quidem manu eum trahere, altera repellere, dicebat Magnus Nazianzenus. Ab omni ſpecie mala, inquit Paulus, abſtinete vos, non à re tantùm, ſed ſpecie etiam. Non ſit in conſcientia, inquit Bernardus, nutans infirmitas modicæ fidei: non ſit in fama næuus malæ ſpeciei; vt ſic duplicibus, interna ſcilicet maturitate & externa ſpecie, veſtiamur: vt illud confidenter, ille qui forma eſt gregis dicere poſsit: Sicut balſamum aromatizans odorem dedi. Et illud Pauli: Chriſti bonus odor ſumus in omni loco. Vt ſit fragrans & ſuauis odor primogeniti Eſau. Et hoc eſt, quod deſignabant tintinabula illa ſuſpenſa ex veſtimento ſacerdotis Aaronis, de quibus præcepit Dominus: Audiantur ſonitus, quando ingreditur, vel egreditur Sacerdos Sanctuarium in conſpectu Domini, & non moriatur. Non alius certè ſonus, quàm excellentis laudis & gloriæ, ac omnium virtutum celebris prædicationis. Et ideo in lege Dei cautum fuit, vt is qui in Sacerdotum numero cenſeri debebat, omni vitio, ſiue corporis, ſiue animi careret, néue quid infamiæ in tota illius vita hæreret. Et à ſacris Canonib⁹ piè ſtatuitur, vt is qui miniſterio altaris addicitur, non modò omni vitio careat, ſed etiam ab omni ſuſpicione, aut opinione grauioris culpę, ſit alieniſsimus. Teneatur, inquit ſanctus Leo, ſubſcriptio Clericorum, honoratorum teſtimonium, ordinis conſenſus, & plebis: qui præfuturus eſt omnibus, ab omnibus eligatur. Ad cuius conſecrationem nullus ambitus trahat, nulla ſeditio impellat, nulla iniquitas incitet, ſed in medium conſtituta meritorum ſanctitate, vt cunctis ille prę-ponatur, quem ſibi cuncti cupiunt præſidere. Populus enim Epiſcopum non optatum, aut contemnit, aut odit.

In 2. ca. Epi. ad Timot. Tit. 1. 1. Timot. 3. Mat. 5. 1. Theſ. 5. Li. 4. de Cõſi Eccle. 24. 2. Cor. 2. Gene. 27. Leuit. 21. Epiſt. 89. & 103.

Sic igitur ſanctiſsima Pontificalis vnctio perficitur. In qua illud monet vetuſtiſsimus Canon, vt ea vnctione vngatur Epiſcopus, non tam in corpore, quàm in corde: vt & interius ſit nitor conſcientiæ, quò ad Deũ, & exterius odor bonæ famæ, quò ad proximum.

Neque verò nunc primùm ea vnctionis ratio eſt inuenta, ſed iam ab antiquiſsimis primitiuæ Eccleſiæ temporibus eſt vſu & conſuetudine cõprobata. Quod vel ex Gregorio Nazianzeno conſtat; cuius illa ſunt, quibus parentem ſuum alloquitur, verba: Idcirco me, inquit, Pontificem vngis, ac podere cingis, capitíque cidarim imponis, atque holocauſti ſpiritualis altari admoues, & ſanctificationis vitulum mactas, manúsque ſpiritui conſecras, & ſancta ſanctorum ſpectatum introducis; veríque illius tabernaculi, quod non homo, ſed Dominus conſtruxit, miniſtrum facis: dignúmne verò, & vobis qui vngitis, & eo propter quem peragitur, & in quem tendit hæc vnctio: perſpectum hoc habet Pater veri illius ac germa

In Apolo. poſtquam ex fuga redijſſet. Pſal. 44.

Ephe. 2. ni Chriſti, quem exultationis oleo præ conſortibus ſuis perfudit, cùm hu-
In Oratione ad patrẽ cũ ei curam Ecclesiæ commiſiſset. manitatem diuinitate perunxit, vt faceret vtraque vnum. Et alio loco: Spiritu, inquit, res noſtras moderante, cui nos ipſos dedimus, & caput noſtræ initiationis oleo delibutum à Patre omnipotente, & Filio vnigenito, & Spiritu ſancto ac Deo.

Et hactenus quidem peracta eſt conſecratio, confectum Sacramentũ, iámque ille qui conſecratur, non amplius electus ſed paſtor, ſed Epiſcopus iam conſecratus appellatur. Quo in loco modicum inſiſtamus. Sancti eſtote Patres mei, quoniam Dominus Deus veſter ſanctus eſt: quoniam impoſitio manuum, quæ facta eſt ſuper capita veſtra, ſancta eſt: quoniam vnctio qua vncti eſtis, ſancta eſt: quoniam verba, ſigna & operationes conſecrationis veſtræ, non ſancta modò ſunt, ſed ſanctiſsima etiam. Sancti igitur eſtote & vos, datéque omnem operam, ne ſancta prophanè, ſublimia demiſsè, honore digna turpiter, & vt vno verbo complectar, ſpiritualia carnaliter tractetis: ne hæc ipſa membra veſtra, organa diuina, inſtrumenta ratione prædita, inſtrumenta quæ à præclaro artifice Spiritu
Act. 23. ſancto concinnantur atque pulſantur, ambitionis, cupiditatis, libidinis,
Mat. 23. ac turpitudinis arma efficiatis: ne templum Dei, tàm ſanctè conſecratum, violetis, ac contaminetis: ne parietes dealbati ſitis, & dicamini: ne ſimiles efficiamini ſepulchris dealbatis, quod quondam Phariſæis obiecit Chriſtus Dominus, quæ à foris parent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſsibus mortuorum & ſpurcicia; ne omnia quidem ſancta circa
Leuit. 21. vos ſint, ipſi autem profani ſitis. Audite quid dicat Dominus: Loquere ad Aaron: Homo de ſemine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offerat panes Domino Deo ſuo, nec accedat ad miniſterium eius. Si
Parte prima paſtoralis ca. 11. enim homo apud hominem, inquit Gregorius, de quo minimè præſumit, fieri interceſſor erubeſcit; qua mente apud Deum interceſsionis locũ pro populo arripit, qui familiarem ſe eius gratiæ per vitæ merita neſcit? aut ab illo quomodo aliis veniam poſtulat, qui vtrum ſit ſibi placatus, ignorat? Qua in re eſt formidandum, ne qui placare iram poſſe creditur,
Iſa. 52. hanc ipſe ex proprio reatu mereatur. Mundamini igitur qui fertis vaſa Domini. Quia neceſſe eſt, vt mundas ſtudeat habere manus, qui diluere aliorum ſordes curat, ne tacta quæque deterius inquinet, ne ſordida mens in ſe lutum tenet. Et ideò in ſacerdotali habitu, ante omnia aurum fulget. Quid autem auro, quod cæteris metallis puriùs & precioſiùs eſt, deſignatur, niſi perfectio ſanctitatis? Aurum igitur obſcuratur optimum, cùm ter-
Thren. 4. renis actibus ſanctitas vitæ polluitur. Moneat vos illud, quòd ad mon-
Exod. 19. tem fumantem, neque ex populo quiſquam, neq; ex ſenioribus & Sacerdotibus populi, ſed neque Aaron atque filii eius, quamùis ſumma cura &
Leuit. 10. diligentia purgati acceſſerunt, ſed ſolus Moyſes. Moneat exemplum Nadab & Abiud, qui, quod nouo duntaxat igne, thura adoleuiſſent, nouo quoque igne abſumpti ſunt; atque eodem tempore, & loco, quo nefario crimine ſe deuinxerunt, perierunt: quos ne pater quidem Aaron primus apud Deum, ſecundùm Moyſem, tenens locum, à periculo vindicare potuit.

tuit. Tum etiam id, quod Heli Sacerdoti, ipsi quidem viro bono, nimis tamen indulgenti, accidit. Moneat etiam funestus casus Ozæ, Arcam cadentem non expiatis manibus fulcire volentis. Sancti ergo estote, quoniam dux vester, & caput vestrum sanctum est: quoniam manibus carneis, diuina & cœlestia tractatis: quoniam omnis integritatis & innocentię duces estis & magistri. Sanctitatis autem vestræ, illam mensuram, illum modum, ponit Chrysostomus: Quanta, inquit ille, inter sese differentia homines rationis vsum habentes, & bruta ratione carentia disident; tantum sanè discrimen inter eum qui pascit, atque eos qui pascuntur, esse velim; vt ne maiùs etiam exigam: siquidem in multò etiam maioribus rebus periculum ipsum versatur. Etenim Sacerdotium ipsum in terra quidem peragitur, sed in rerum cœlestium classem ordinémque referendum est. Atque id perquàm meritò: quippè non mortalis quisquam, non Angelus, non Archangelus, non alia quæùis creata potentia, sed ipse Paracletus ordinem huiusmodi disposuit; qui mortalibus hominibus etiamnum in carne manentibus autor fuit, vt angelorum ministerium animo concipe-rent. Idcircò necesse est Sacerdotem sic esse purum, vt si in ipsis cœlis collocatus, inter cœlestes illas virtutes medius staret, eiúsque animum solaribus radiis puriorem esse oportet; vt ne quando Spiritus sanctus desolatum illum relinquat, vt dicere possit: Viuo equidem non ampliùs ego, viuit autem in me Christus. Eum enim, qui pro ciuitate tota, quid dico ciuitate? imò verò pro vniuerso terrarum orbe legatus intercedit, deprecatórque est apud Deum, vt hominum omnium, non viuentium modò, sed etiam mortuorum, peccatis propitius fiat, qualem quæso esse oportet? Cùm autem ille & Spiritum sanctum inuocauerit, sacrificiúmque illud horrore ac reuerentia plenissimum perfecerit, communi omnium Domino manibus assiduè pertractato: quæro ex te, quoto illum in ordine collocabimus? quantam autem ab eo integritatem exigemus? quantam religionem? Considera enim, quales manus illas administrantes esse oporteat: qualem linguam, quæ verba illa effundat: qua denique re non puriorem sanctiorémue esse conueniat animam, quæ tantum illum, támque dignum Spiritum receperit? Per id tempus & Angeli Sacerdoti assident, & cœlestium potestatum vniuersus ordo clamores excitat; & locus altari vicinus in illius honorem qui immolatur, angelorum choris plenus est: luminis instar vniuersum orbem illustrantis. Et hæc quidem Chrysosto mus. Nos autem ea, quæ sequuntur, porrò oratione prosequamur.

1. Reg. 4. 2. Reg. 6.

Chrys. lib. 2. de Sacerd.

Ibid. li. 3. de Sacerdotio.

Li. 6. de Sa.

Gal. 2.

Confecto Sacramento atque matrimonio, confert se diuinus Hierarcha ad Spiritualem œconomiam, sánctæque prolis gubernationem. Armat igitur primùm & instruit nouis præsidiis nouum sponsum: dat regendæ & gubernandæ familiæ instrumenta ac gubernacula. Et cùm omne regimen, omnísq; administratio, autoritate & amore contineatur: Oderunt enim peccare mali, formidine pœnæ: Oderunt peccare boni, virtutis amore: tradit inprimis in manus noui Antistitis consecratum baculum; autoritatis scilicet & disciplinæ insigne; vt sit in coërcendis vitiis piè

ſeuerus, iudicium ſine ira tenens, lenis in fouendis virtutibus, audientium animos demulcens, in tranquillitate ſeueritatis cenſuram non deſerens; vt reuocet errantes, regat iuſtos, pungat & ſtimulet ignauos & inertes, repellat nocentes; ac, iuxta Ezechielem, attrahat vagum, ſuſtentet languidum, ſtimulet pigrum; portet in humeris ſuis, exemplo Principis paſtorum, ægrum & debilem. Vt increduli, inquit Bernardus, conuertantur ad fidem, conuerſi non auertantur, auerſi reuertantur, peruerſi ordinentur ad rectitudinem, ſubuerſi ad veritatem reuocentur, ſubuerſores conuincantur; vt vel emendentur ipſi, ſi fieri poteſt; vel ſi non, perdant autoritatem facultatémque alios ſubuertendi.

Ezech. 34.

Li. 3. de conſideratione.

Excuſſerunt hoc inſigne poteſtatis & autoritatis, diſciplinæ item de manibus Pontificum, huius ſeculi hæretici, & ideò in omni rerum confuſione & perturbatione verſantur. Non poteſt enim Deo eſſe contrarium quid, & ſibimet cohærere, aut ſecum conſentire, dicebat Bernardus. Nec poſſunt verè dicere: Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt. Ideò ne filii quidem, quia extra diſciplinam ſunt: qua ſublata & extincta, omnem item ordinem auferri, omnem recti & honeſti differentiam extingui oportet. Impunitas enim, inquit idem Bernardus, incurię ſoboles, inſolentiæ mater, radix impudentiæ, tranſgreſsionis nutrix, matris noxiæ libertatis peſsima ſoboles hæc. Sed nunquam excuſsiſſent ſceptrum hoc, ſi Pontifices rem magis, quàm inſignia rei, complecti voluiſſent: & ſi pro religione potiùs contra impietatem, pro fide contra perfidiam, pro veritate contra mendacium, pro virtute contra ſcelus, pro iuſtitia contra iniuſtitiam, pro pudore contra flagitium & impudentiam, quàm pro ſuis commodis ac honoribus, ea poteſtate & autoritate, quæ illis à Deo tradita eſt, vti voluiſſent.

Li. 5. de cõſi.

Pſal. 22.

Heb. 12.

Li. 3. de cõſi.

Verùm cùm hæ nuptiæ, hócque regimen, non tam timoris, quàm amoris ſit; non tam ſeueritatis, quàm charitatis: Nam & Chriſtus Dominus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea; vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ, in verbo vitæ; vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſcemodi; ſed vt ſit ſancta & immaculata. Et eum, quem vicarium loco ſui relicturus erat, priuſquam illi deſpondiſſet, ter interrogauit, num ſe diligeret, & propter ſe ſponſam ſuam. Quod cùm ille ſumma aſſeueratione ter profeſſus fuiſſet, tùm demùm illud audiuit: Paſce oues meas, paſce agnos meos. Sanè qui dicit, Amice aſcendé ſuperiùs, ait Bernardus, amicum fore fidit: ſi minus inueniat, non expedit quidem. Qui eleuauit, & deiicere poteſt. Sera querela, quoniam eleuans alliſiſti me. Ideò eius amoris & charitatis ſymbolum, ſacer Conſecrator nouo ſponſo, conſecratum anulum confert, monens eum, vt accipiat anulum, fidei ſcilicet & amoris ſignaculum, quatenus ſponſam Dei, ſanctam videlicet Eccleſiam, intemerata fide, illibatam cuſtodiat. In quo amore & dilectione, ſi paſtores, ita vti promittunt, perſiſterent: Super muros Hieruſalem, vt inquit Iſaias, ſtarent cuſtodes, tota die ac tota nocte non tacentes: habitaret iuue-

Ephe. 5.

Ioan. vltimo.

Li. 2. de cõſi.

Luc. 14.

Pſal. 101.

Iſa. 62.

iuuenis cum virgine, & gauderet ſponſus ſuper ſponſam, & gauderet ſuper illos Deus eorum. Fortis enim vt mors eſt dilectio,& dura ſicut infernus æmulatio. Cupiditas & amor, dulces ſunt tyranni. Videmus bubulcum, inquit Nazianzenus,ob vitulum vnum ab armento aberrantem, vel paſtorem ob pecudem, decadis grege deſideratam, vel auem ob nidulum,quem ad breue tempus reliquit,vſque adeò diſcrutiari ſolere; vt & illi arreptis fiſtulis, in ſpeculam quandam euecti, calamos omnes mœrore impleant, atque palantia animalia quaſi ratione prædita euocent; ac ſi paruerint, maiorem ex illis, quàm ex reliquis ſimul omnibus, delectationem percipiant: hæc autem ſtridens ad nidum conuolet, pullísque ſtridentibus aduoluatur, eóſque pennis foueat: quo tandem chariores eſſe par eſt,apud bonum egregiúmq; paſtorem,oues rationis participe,& pro quarum ſalute nonnihil periculi adiit: quandoquidem hoc quoque acriores animi flammas excitat. Qui amor,quoniam in paſtoribus noſtri ſeculi extinctus eſt,ideò non gaudet ſponſus ſuper ſponſam ſuam: ideò alienam ſequitur: ideò vbiùis potiùs libentiùs agit, quàm in ouilibus ſuis: ideò alii priùs ex hac vita decedunt,quàm cathedras ſuas reuiſerint: ideò in Geographicis tabulis neceſſe habent ſitus & locum Epiſcopatuum ſuorum quærere. Quid capiet piſcator, procul à littore conſtitutus ſit, peritiſsimus,ſit ſolertiſsimus licet? aut paſtor quid proficiet,qui ſtabulum ingreditur nunquam? Quis inter fluctus,inquit Leo,nauem diriget,ſi gubernator abſcedat? quis ab inſidiis oues cuſtodiet,ſi paſtoris cura non vigilet? quis denique latronibus obſiſtet, & furibus,ſi ſpeculatorem in proſpectu explorationis locatũ, ab intentione ſolicitudinis amor quietis abducat? Et grauiter ferimus, quòd in eum locum deducta ſit res Eccleſiaſtica: nemo nos plus læſit, quàm nos ipſi, ſed & hucuſque lædimus. Vnde autem hæc tam ſupina negligentia? niſi quòd Chriſtum Ieſum non amamus;quod ſalutis noſtræ nullam, vel perexiguam rationem habemus; quòd Academicas quaſdam quæſtiones ſequamur potiùs, quàm Chriſtianam religionem amplectamur. Negligenter paſcens toties commendatum Dominicum gregem, inquit Magnus Leo, conuincitur ſummum non amare paſtorem.

Cant. 8.

In Orati. poſteaquam rure in vrbem redijſſet.

Epiſt. 92.

Paſtor conſecratur, paſcua igitur illi traduntur. Accipit Conſecrator Euangeliorum librum,eúmque nouo præſuli tradit: Accipe, inquit,Euangelium, & vade, prædica populo tibi commiſſo. Potens eſt enim Deus tibi augere gratiam ſuam. Ac ſi diceret: Ne putes in Paulo & Petro, in Tito item & Timotheo, Chryſoſtomo & Auguſtino ſolo, munus & functionem Apoſtolicam deſiiſſe: ne putes cœleſtem illam benedictionem & auxilium æterni Patris iam ſublatum eſſe; quo illi ſubnixi,profecti annunciauerunt Euangelium vniuerſo mundo: potens eſt Deus etiam tibi dare gratiam ſuam, ac per te ſimilia operari. Etſi enim illi plus omnibus, inquit Bernardus,laborârunt, non tamen totum elaborauerunt, & tibi adhuc locus relictus eſt. Neque te illud tantopere terreat,quòd ſublimibus humanæ ſapientiæ verbis careas,quòd ſeriùs ad ſacrarum literarum lectionem

Li. 2. de cõſi.

onem acceſsiſti, quòd nunquam antea Cathedram Doctoris fortè conſcenderis. Aude, & fac aliquid. Potens eſt enim Deus tibi augere gratiam ſuam. Nihil agentem, impoſsibile eſt benè operari. Melius ſerò, quàm nunquam: nam & vndecimæ horæ operarii, diurnum acceperunt denarium. Petro nihil indoctiùs, Paulo nihil imperitiùs, inquit Chryſoſtomus. Et hoc illi profitebantur, nec eos hoc fateri pudebat. Etſi imperitus ſum, inquit Paulus, ſermone, non tamen ſcientia. Sed tamen hic imperitus, & ille indoctus, ſexcentos Philoſophos ſuperârunt; ſexcentis Rhetoribus os obturârunt; ſuo ipſorum ſtudio, propenſáque voluntate, & Dei gratia, omnia peragentes.

Mat. 20.
In Proœmio Epiſt. Pauli ad Rom.
2. Cor. 11.

Falsè igitur & calumniosè hæretici, vt in cæteris omnibus, ita & in hac parte queruntur, verbi Dei in Eccleſia Catholica nullam rationem haberi, ſacram ſcripturam ſupprimi: aliundè potiùs, quàm ex ſcripturis diuinitùs traditis, dogmata Chriſtiano populo proponi: humanas traditiones, pro diuinis præceptis & mandatis obtrudi. Quę illorum oratio, quàm ſit vana, quàm cũ euidenti calumnia coniuncta, hęc ipſa traditio libri Euãgeliorum: hæc noui paſtoris compellatio, quæ quaſi ſummam Pontificalis muneris continet, abundè docet.

In qua ſacri Codicis traditione, tria nobis præcipuè ſunt obſeruanda. Primùm illud, quòd non ipſe ſibi, is qui populo Dei præficitur, codicem ſumit: hoc enim hæreticorum proprium & peculiare ſemper fuit: ſed de ſede Chriſti, ſed ex manu diuinæ Hierarchæ accepit. Nam neq; Moyſes ſibiipſi tabulas, in quibus Lex Dei continebatur, ſumpſit; ſed de manu Dei, acceptas populo tradidit. Et Paulus id, quod à Domino accepit, ſe tradidiſſe docet. Et Timotheum monet idem Paulus, vt id cuſtodiat. non quod ſibi priuata autoritate ſumpſerit, ſed quod apud eum depoſitum eſt. Secundum verò illud videndum erit, tradi illi Codicem, in quo omnia ſimul Euangelia, non vnum aliquod Euangelium, non pars aliqua Euangelii contineatur: nam hoc item hæreticorum peculiare eſt; vt partem quidem ſacræ ſcripturæ vſurpent, partem autem vel negligant, vel tãquam Apocrypham, & profanam penitùs reiiciant. Huic autem noſtro totum ſimul traditur Euangelium; vt ita eius vnam partem tueatur, ita interpretetur, ne reliquarum ſenſum & veritatem peruertat: ita vni parti adhæreat, vt reliquarum conſeruet ſanctitatem. Tertium demùm illud hoc loco notandum, quòd Eccleſia, quæ paſtori tradit Euangelium, eadem mentem & interpretationem eius Euangelii eum docet, ne ipſe nouos ſenſus quærat, ne ſua figmenta pro Catholica doctrina obtrudat; vt Spiritus ſancti, non humani ſenſus, ſequatur doctrinam. Prophetia enim, atque vniuerſa ſcriptura, inquit ſanctus Petrus, priuatæ interpretationis non eſt. Vt enim illud Euangelium adfert, quod omnium temporum atque locorum eſt; ita & eam interpretationem eius Euangelii ſequi debet, ſi verus, ſi Catholicus Doctor eſſe, & haberi vult, quæ omnium ætatum & temporum, omnium item gentium & nationum, iudicio & autoritate ſit comprobata. Hæcque illa eſt vera inter Doctorem Catholicum & hæreticum

1. Cor. 11.
1. Tim. 6.
2. Pet. 1.

magi-

magiſtrum differentia; quòd vterque ſacræ ſcripturæ teſtimoniis nititur, vterq; Euangeliũ laudat, vterq; pro hoc vitã ſanguinémque, ſi ita opus ſit, ſe profundere paratum eſſe dicit: hic tamen hoc Euangelium, eiúsq; miniſterium, priuata ſibi ſumit autoritate; ille à poteſtate à Deo ordinata accepit: hic partem aliquam tuetur; ille totum ſimul corpus defendit: hic ſuos proprios, ille Eccleſiaſticos aſtruit ſenſus. Et ideò Catholici Magiſtri doctrina, ad Deum reuelantem, & Spiritum ſanctum interpretantem, enarrantémque ac ſuggerentem refertur. Hæreticus diuina quidem verba adfert, ſed ſuum ſenſum verbis diuinis aſtruit: & verbo quidem Dei, ſumma & prima fides habenda eſt; ſed illi tamen, quod procedit de ore Dei, & quod os Domini loquutum eſt. Quod autem hoc ipſum os diuinum ſit, in ſymbolo profitemur omnes: ſed & ipſi profitentur nobiſcum, ſi modò ſe intelligere & exaudire velint; & niſi pertinacia & malitia nonnunquam vincantur. Qui loquutus eſt, inquit, per Prophetas, & vnam Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Eccleſiæ Dei promiſſus eſt Spiritus ſanctus, vnus igitur ſibi non ſumat, quod omnium eſt. Et idcirco hæreſes ſemper vno pede claudicant: Catholica fides, vtriuſq; pedis ſtabili firmatur greſſu. Catholica fides, æternam & increatam veritatem ſequitur, quæ omnium eſt; hæreſes ſecundùm Deum, vel vnà cum Deo, ſuos ſenſus & iudicia, duo inſidioſiſsima idola colunt & adorant: & proinde palpant tenebras Ægyptii: cùm de populo Dei Scriptura dicit: Vbicunque Iſraël erat, ibi lux erat. *Exod. 10.*

Sed quæ tandem cauſa eius, de qua ſupra dictum eſt, calumniæ? Non alia certè quàm illa, de qua quondam quæſtus eſt Ieremias: Sed & lamiæ nudauerunt mammam, lactauerunt catulos ſuos. Filia populi mei, crudelis tanquam ſtrutio in deſertis. Lamiæ, inquit, monſtra fœdiſsima ac crudeliſsima, tantum humanitatis, tantum charitatis habent; vt eos catulos, qui ex eis progeniti ſunt, lactent; vt his, quos illis Deus & natura commendauit, nudent vbera ſua. Filia autem populi mei, Sacerdotes, & Pontifices, ex quorum ore doctrinæ fontes irrigandis populis profluere debebant, ſtrutionis inſtar ſunt crudeles; quem nulla pietas, nulla ſuorum mouet charitas. Sic noſtris infeliciſsimis temporibus, Lamiæ quidem hæreticorum humanam faciem habentes, ſed beluina per impietatem corda gerentes, nudauerunt mammas, lactauerunt variis erroribus catulos ſuos. Paſtores autem, atq; Doctores Eccleſiæ, crudeles tanquam ſtrutio, quibus nullum vilius videtur officii genus, hoc ipſo verbi diuini prædicationis munere: & quod omnem excedit inhumanitatem, non ſolùm ipſi non lactant catulos ſuos, ſed & nutrices quidem ipſas, id eſt, Parochos, ac reliquos inferiores Eccleſiæ miniſtros, ne hoc officii genere ſeriò perfungantur, impediunt; dum vel eos huic muneri præficiunt, qui ipſi modum & rationem vitæ ſuæ ignorant, vel aliis negotiis longè diuerſis & pugnantibus occupant. Atqui Paulus neceſsitatem euangelizandi ſibi incũbere clamat: Væ, inquit, mihi, ſi non euangelizauero. Etſi purpuratus, etſi deauratus incedis, inquit Bernardus, non eſt tamen quod horreas o- *Thren. 4.* *1. Cor. 9.* *Li. 4. de cõſi*

peram

» peram curámq; paſtoralem: Paſtoris hæres, nõ eſt quod erubeſcas Euan-
Epiſt. 237. gelium. Paſtorem te populo huic aut nega, aut exhibe. Quis mihi det,
Luc. 5. antequam moriar, videre Eccleſiam Dei, ſicut in diebus antiquis, quan-
» do Apoſtoli laxabant retia in capturam, non in capturam auri & argenti,
» ſed in capturam animarum. Quàm cupio vos (Epiſcopos compellat) eo-
» rum hæreditare vocem, quorum adepti eſtis ſedem. Venerunt filii vſque
4. Reg. 19. ad partum, ait Propheta, & vires non habet parturiens. Verùm & hæc quidem hactenus.

Accepto deinceps nouus pontifex à ſuo Conſecratore, ac reliquis aſſiſtentibus, oſculo pacis, de quo paulò pòſt nobis dicendum erit; eo tempore, quo populus Chriſtianus dona & munera ad altare Dei, more veteri, eóque laudatiſsimo, offerre ſolet: ipſe quoque ſuo Conſecratori tanquam ſpirituali patri, munera adfert. Sunt autem ea ex antiquiſsima Melchiadis Pontificis inſtitutione, panis & vinum; quibus duæ anteferuntur faces. Offert panem & vinum; vel vt oſtendat ſe in eius Sacerdotis functionem & munus ſuccedere, cui ſine omni in futurum pœnitentia iura-
Pſal. 109. uit Dominus, eum eſſe Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech: vel, vt quidem ego iudico, ad deſignandam paupertatem Epiſcoporum primitiuæ illius Eccleſiæ, in qua ſummæ opes, ſummæ diuitiæ, panis & vinum fuerunt. Dantur autem hæc munera clara luce, & amplius duabus facibus accenſis, ne quid inter hæc leuia munera ſpecioſius colore, pondere precioſius (ſcitis quid intelligam) ſubrepat ac ſubiiciatur. Malè enim agitur, cùm ea, quæ virtuti & pietati debentur, aſino onuſto auro conferuntur.

Aſſumitur demùm nouus Antiſtes à ſuis collegis, in communionem
3. Reg. 19. & participationem orationis, ac myſticæ menſæ. Ac vt quondam Elias quadraginta dierum & noctium, ad montem vſque Horeb Dei viſionis, iter emenſurus, cœlitùs delato communitur viatico: ſic iſte contra omnia
Epheſ. 6. prolixi & difficilimi itineris pericula, contra omnes viſibilium, & qui videri non poſſunt, inimicorum inſidias, contra principes & poteſtates tene-
Ioan. 6. brarum mundi huius, cõfirmatur & roboratur pane illo, qui de cœlo deſcendit: quem qui dignè manducat, non ſuccumbit, non moritur, ſed ha-
Iſa. 11. bet vitam ęternã. Super quem panem, iuxta Iſaiam, requieuit Spiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis: & repleuit eum ſpiritus timoris Domini. Quorum donorum participes efficiuntur omnes illi, qui dignè & religioſè tã-to reficiuntur viatico.

Pſal. 90. Cœleſti myſterio refectus, munitur demùm caput eius, cui cum Aſpi
1. Pet. 5. de & Baſiliſco, cum rugiente & ſęuiente leone & dracone, congredien-
Mat. 16. dum eſt: cui ipſis cum portis inferi pugna inſtat, & cui omnium neceſſe eſt ferre tentationes; necubi aperto aut neglecto loco, lethale quis illi vul-
» nus adferat. Nam etſi ego latens in cauerna, dicit Bernardus, & quaſi ſub
» modio non quidem lucens, ſed fumigans, ventorum tamen impetus ne ſic
» quidem declinare ſufficio; quid poſitus ſupra montem, poſitus ſuper can-

dela-

delabrum patietur? Imponitur igitur capiti eius sacra Cydaris, bicornísque galea, cum Patris omnipotentis inuocatione; cuius præclara est bonitas,& virtus immensa,totiúsq;decoris ornamentum.Imponimus,in- „
quit diuinus Hierarcha,capiti huius Antistitis & agonistæ tui,galeam mu „
nitionis & salutis: quatenus decorata facie, & armato capite, non gene- „
ris & prosapiæ vetustate, non stipatorum vi & armata manu, non magnis „
necessitatibus & clientelis, sed cornibus vtriusque testamenti terribilis „
appareat aduersariis veritatis: & te ei largiente gratiam,impugnator eo- „
rum robustus existat. Qui Moysi famuli tui faciem, ex tui sermonis con- *Exod. 38.*
sortio decoratam,lucidissimis claritatis ac veritatis cornibus insignisti,& „
capiti Aaron Pontificis tui tyaram imponi iussisti. Tali armatura muni- „
ebantur primi religionis nostræ duces & Antistites,per quam deuicerunt
regna, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugaue- *Heb. 11.*
runt aciem gladii, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum. Hoc eodem modo instructus Petrus Neroni, Liberius Constantio, Ambrosius Theodosio, Basilius Valentino, Chrysostomus Arcadio, Leo Genserico atq; Attilæ, Stanislaus noster Boleslao, aliíque aliis quàmplurimi restiterunt,terroríq; fuerunt. His præsidiis omnis Ariana, Macedoniana, Nestoriana, Dioscori, Eutichetis, ac reliquorum monstrorum dissipata est impietas; his demùm omnis hæreticorum prauitas cessit.

Vobis amplissimi Patres, nimis hæc ipsa Moysis cornua obtusa & attrita reddita sunt. Quietem & tranquillitatem nostram curamus: cœlum ruiturum existimamus, si quid liberiùs pro Ecclesia Dei dixerimus aut fecerimus. Nimis timidi sumus, nimis otio & desidia torpemus. Et eo „
quidem tempore,inquit Chrysostomus,quo aura serena est & lucida,quo „
pascua libera & quieta, quo nulli luporum impetus & insidiæ greges ve- „
xant:licèt fortasse Pastori prouoluere se sub patulæ arboris vmbra,fistulá- „
que dulce canere; at vbi imbres & tempestates insurgunt, lupus ad præ- „
sepia adest, vbi oues dissipantur; ibi tum pastor vmbram deserat oportet, „
tum pro tripudio & choro cursum,pro fistula & tibia fundam & baculum „
arripiat, oportet. Fuit quidem tempus quoddam, cùm magna erat Ecclesiæ Dei pax, magna quies, rerúmque omnium secundissimus afflatus; tùm fortasse licuit multis otiosos esse, suísque voluptatibus & quiete perfrui, suis lucris & commodis incubare; nunc tempestas adest, summósq; feriunt fulmina montes: nunc præsentia naufragia vbiq; ante oculos versantur nostros: nunc dura bella & conflictus imminent: nunc alia est ratio rerum omniũ.Excutiendus est igitur iste sopor,voluptates reiiciẽdę:ad arma, ad gubernacula, vobis recurrendum, priusquàm extremum naufragium vos, gregésq; vestros absorbet. Virtus enim in pace acquiritur, in pressura probatur,in victoria coronatur.Neq; illorũ temporum exẽplis abutendum, neque isti homines nimis molles & delicati imitandi, quod plerique vestrum faciunt: sed illi potiùs primi fortissimi ac insuperabiles viri, Patres & fundatores vestri, qui omnia humana & diuina excellenti

ani-

animi virtute ſuperârunt: qui nulli humanæ voluptati, nullis denique delitiis indulſerunt: qui omnia præſentis vitæ commoda tanquam ſtercora
Phil. 3. exiſtimarunt, vt Chriſtum lucrifacerent: qui ſolas has voluptates atq; de-
2. Cor. 6. & 11. litias cenſebant, nempè à voluptatibus & delitiis abhorrere: quorum vita fuit, vt Paulus docet, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſsitatibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate, in itineribus ſæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus: per gloriam & ignobilitatem,
Heb. 11. per infamiam & bonam famam: vt ſeductores, at veraces, quaſi purgamenta mundi huius exiſtimati, ludibria & verbera experti, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & cauernis terræ, quibus dignus non erat mundus: qui tradiderunt corpora ſua ad ſupplicia, & lauerunt ſto-
Apoc. 22. las ſuas in ſanguine agni: & ideò receperunt palmas: & ideò ſempiterno
Apoc. 20. cœlo cum duce & Imperatore ſuo Chriſto fruuntur: & ideò nomina eorum ſcripta ſunt in libro vitæ: & ideò memoria eorum ex ore hominum non peribit in ſempiternum. Hi vobis potiùs tali tempore, his periculis imitandi ſunt, veſtríſque moribus exprimendi, quàm diſſoluti & eneruati illi; qui vel ipſi, ſi vigilantiores & diligentiores ſuis temporibus eſſe voluiſſent, & Eccleſiæ Dei melius conſuluiſſent, & officio ſuo plenius functi fuiſſent, & vobis pinguiorem ac vberiorem ſortem & hæreditatem domini reliquiſſent; ſed & exemplum ſanctius, noménq; ſuum illuſtrius. Nam veſtri iſti honores atq; ſummæ dignitates omnes mediæ quædam res natura ſua ſunt. Si enim præſtanti virtute & vitæ innocentia quæruntur, ſi maximis vigiliis & laboribus ſuſtinentur, ſi incredibili fructu & vtilitate eorum, quibus præſis, obſignantur, res quædam magnificæ & illuſtres ad omnem immortalitatem putandæ ſunt, & quæ plurimum decoris atque commendationis illis, in quos conferuntur, adferre ſolent: ſin verò malis artibus, vel quod fœdius eſt, ſi pecunia comparantur, ſi per luxum & deſidiam produntur, potiùs quàm geruntur; ſi aliqua infelici calamitate, ac publicę ſalutis ruina concluduntur; tum in iſtis ampliſsimis nominibus honoris, non modò dignitas nulla erit, ſed erit etiam ſumma deformitas: Nam & virtutis, & iudicii, omnem opinionem euertunt. Quæ enim virtus illius hominis cenſenda eſt, qui vt ſuam qualemcunq; gloriolam aſtruat, publicam ſalutem in extremum diſcrimen adducere non dubitat? Aut quod eius iudicium, qui neque ſeipſum nouit, neque hoc ipſum diſcernere poteſt; verã laudem & gloriam, non tam ex honoribus & dignitatibus pendere, quàm ex earum recta & ſalutari adminiſtratione: & qui non cernit ſe honoris vocabula, non dignitatis inſignia conſequutum eſſe: vel qui ex eo laudem quærit, quod non illi, ſed pecuniæ ſuæ collocatum eſſe ab omnibus iudicatur. Nam & in militia præclarum quidem

eſt Impe-

est Imperatorem esse, Ducem exercitus vocari, turmas & legiones ducere; sed tum demum, si id virtute tua consequaris, si strenuè cum hoste dimices, si præclaram aliquam victoriam Reipublicæ parias: sin aliter, quãtò plures perdideris, tantò illustriora ad omnem posteritatem excitabis infamiæ tuæ trophæa. Magna dico, sed & in paruis melius hoc idem videre licet. In Comœdia vel Tragœdia pulchrum quidem est, Priami Regis, aut Agamemnonis, aut Aiacis personam sustinere; sed si Priami imperio dignam speciem geras, si lacertis firmus sis, si voce valeas: quod si nihil horum habeas, longè honestius & pulchrius est, cum decore, vel Thersitis, vel Daui, aut Getæ cuiusquam personam sustinere, quàm cum turpitudine & dedecore Heroas aut semideos repræsentare, miserabilísque potiùs, quàm suspiciendus apparere. Histrio hæc in fabula videbit, Episcopus aut Sacerdos in summa salutis suæ, ac tot populorum incolumitate, non videbit? Quæ si primi illi duces nostri apud se diligentiùs perpendissent, nunquam profectò in eos scopulos atq; pericula, rem Christianã adduxissent; & ipsi longè melius nomẽ & famam post se reliquissent. Nunc alia tempora, alios postulant mores. Stultum & insanum est, in procella & turbulento mari molliter velle requiescere. Quieto mari, inquit Gregorius, rectè nauem etiam negligens, & imperitus nauta dirigit: turbato autem tempestatis fluctibus, etiam peritus & vigilans nauta se confundit. Neque tamen animo deficiendum est, neq; in tantis periculis si quid prætermissum est, malis cedendum, ac veluti desperata salute, clauus & gubernacula dimittenda: nondum enim ad sanguinem vsque ipsum restitimus. Non est vir fortis, cui non crescit animus in ipsa rerum difficultate. Maior est ille, qui in nobis est, quàm qui aduersus nos. Confidite, vicit ille mundum, & nos vincemus.

Parte prima pastoralis capite 9.

Heb. 12.

Ioan. 16.

In quo studio & conatu, cùm nihil magis fugiendum sit, quàm vanæ gloriæ studium, ne quid ambitiosè, ne quid externæ laudis causa fiat: Nihil enim tam inglorium, dicebat Bernardus, quàm Episcopum gloriæ cupidum deprehendi: permulti tamen inueniuntur qui ad ea, quæ pietatis & religionis sunt exercenda, sola honoris cupiditate ducuntur: vbi autem eorum pietas arbitris caret, ibi quoque rectè merendi langueſcit alacritas. Stultissimis vtique mulierculis, dicit Nazianzenus, haud dissimiles, quæ natura pulchritudine carentes, ad colores confugiunt, theatricéque, vt sic loquar, comptæ atque ornatæ sunt, ob venustatem inuenustę, ob affectatam formam deformes. Et hoc est, inquit Gregorius, quod dicit scriptura: Tradidit in captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici. In captiuitatẽ etenim virtus, & pulchritudo in manus inimici traditur, dum alterius iudicis, quàm Dei testimonium, quærit: fouea est mentis, memoria propriæ virtutis. Dum enim se apud se erigit, apud humilitatis auctorem cadit. Exciderat Regio Prophetæ paulò liberiùs verbum: Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum; & statim damnum sentit: Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Quam enim virtutem proprius oculus videt, eam

Epist. 126.

Quarta parte pastoralis. Psalm. 77.

Psal. 29.

Dei non videt: In quo vitio declinando eò magis nos circumſpectos eſſe oportet, quòd hoc malum vltimò ſapientem deſerat: hoc veſtimentum dicebat Plato eſſe, quod poſtremum anima ſapientis deponit. Ideò velantur manus operarij nouis integumentis; ne aut ſibiipſi, aut hominibus, placere velit: vt antè interni iudicis oculos omnia virtutum bona ex charitate decorentur, & cuncta quæ coram hominibus rutilant, hæc in conſpectu occulti arbitri flamma intimi amoris accendat; vt in omnibus exemplo & inſtituto Apoſtoli honorificemus miniſterium noſtrum, non nos ipſos; aut potiùs honorificando miniſterium noſtrum, nos ipſos honorificemus. Honorificabimus autem, inquit Bernardus, non cultu veſtium, non ſeruorum faſtu, non amplis ædificiis; ſed grauitate morum, » maturitate conſiliorum, actuum honeſtate, ſtudiis ſpiritualibus, operibus » bonis. Si enim mundo placemus, cur Sacerdotes? Si Deo, cur qualis po- » pulus, talis Sacerdos? Deus diſsipabit oſſa eorum, qui hominibus placent: » confuſi ſunt; quoniam Dominus ſpreuit eos. Fidelis Pontifex, qui bona » quælibet per manus ſuas tranſeuntia, ſiue diuina beneficia ad homines, » ſiue hominum vota ad Deum columbino intuens oculo, nihil ſibi reſeruat » ex omnibus. Quo puritatis intimæ bono gloriari non poteſt veraciter, » niſi qui extrinſecus perfectè gloriolas omnes reſpuerit. Nec enim tutum » arbitratur, labiis hominum committere gloriam ſuam, arcæ vtique ſine » claue & ſine ſera; nullíq; omninò clauſæ, nocere volenti. Non tutum omninò, ſed ſtultum ibi theſaurum recondere, vnde non valeas reſumere cùm » volueris. Sanum vas & inconcuſſum conſcientia, & ſecretis ſeruandis idoneum, nullis patens inſidiis, nulli violentiæ cedens: adeſt viuo, mortuum ſequitur: vbi mihi gloria, vel confuſio perpetua, pro ratione depoſiti. » Quin ne ex toto quidem, vel ipſi conſcientiæ meæ credo; quippè cùm ne ipſa quidem me queat totum comprehendere. Propter quod Ieremias fidenter loquebatur Deo: Diem hominis non concupiui, tu ſcis ſolus. Meritò conſtitutus eſt iudex viuorum & mortuorum, qui finxit ſingulatim » corda vniuerſorum, & intelligit omnia opera eorum. Solum attendo iudicem, quem ſolum iuſtificatorem agnoſco. Sit gloria in excelſis Deo, & » in terra pax hominibus. De vultu tali iudicium meum prodeat, opto: cui » inſit amor, error abſit & perturbatio. Summi igitur parentis auxilium imploratur, vt circumdare velit manus miniſtri ſui munditia noui hominis, qui de cœlo deſcendit. Vt quemadmodum Iacob dilectus Domino, pelliceis hædorum coopertis manibus, paternam benedictionem, oblato patri cibo potúque gratiſsimo, impetrauit: ſic & iſte oblata per manus ſuas hoſtia, ſalutarem gratiæ illius benedictionem impetratione mereatur.

Act. 21.

Epiſt. 28. & epiſt. 42.

Ieremiæ 17.

Gene. 27.

Collocatur deinceps Epiſcopus, hoc eſt, inſpector omnium, in editiore ſupra omnes ſpecula, inquit Ambroſius, vt ita cunctos reſpiciat, & cunctorum oculi in eum reſpiciant. Quid ni locetur in eminenti, ait Bernar » dus, vnde proſpectet omnia, qui ſpeculator ſuper omnia conſtituitur? Collocatur in ſede Ieſu Chriſti homo mortalis, qui aliquãdo iudicium & ſentẽtiã, vel ęternę ſalutis, vel perpetuę damnationis, ex eadem ſede pro vt eandem

De dignitate ſacerd. ca. 6.

dem tutatus fuerit,reportaturus est. Collocatur in solio illius, cuius sedes Cherubim sunt,mentes tranquillissimæ & placidissimæ,pace perenni, quę exuperat omnem intellectum, perpetuò gaudentes. In quem desiderant & angeli prospicere: cui omnes Patriarchæ seruiunt:cui omnes Prophetę testimonium reddunt: cuius pedum vel ipsam corrigiam calciamenti qui soluat, indignum se iudicat ille, quo nullus maior extitit inter natos mulierum. Cuius loci consideratio,inquit Bernardus,facit honoris contemptorem in honore etiam ipso. In alto positum, non altum sapere difficile est, & omninò inusitatum; sed quantò inusitatius,tantò glorioſius: timor de adepta iam altitudine, tædere magis facit, quàm placere ipsam altitudinem. Nulla splendidior gemma in omni præcipuè ornatu Pontificis, ipsa humilitate: quò enim celsior cæteris, eò humilitate apparet illustrior & seipso. Blanditur Cathedra, specula est, non domus: qui eleuauit,deiicere potest. Consideras gradum,& casum metue: consideras fastigium dignitatis:& vide faciem abysi deorsum. Occupare enim locum,& non facere fructum, nec loco expedit, nec personæ. Hæc quidem hactenus diuinitùs Bernardus. Quanta igitur vitæ integritate, innocentia, continentia, æquitate, moderatione, constantia,patientia,quanto impetu mẽtis ad sempiternam gloriam, ac reliquas virtutes, vita sanctissima, & moribus probatissimis, & studio diuinæ virtutis ac charitatis ardentissimo, ad hunc ipsum nuptiarum accubitum primum tuendum & exornandum opus sit, ipsi videtis: quàm candida & illustri veste, vt par dignitati & loco virtus adferatur. Simia in tecto, Rex fatuus in solio sedens: monstrosa res, gradus summus, & animus infimus: ingens authoritas, & nutans stabilitas. Prouidendum igitur, monet Gregorius, quatenus & honore suppresso æquales nos subditis benè viuentibus putemus, & erga peruersos iura rectitudinis exercere non formidemus: nec præesse nos hominibus gaudeamus, sed prodesse. Summus enim locus ita benè regitur, cùm is qui præest, vitiis potiùs, quàm hominibus dominatur: ita tamen, vt in corde seruetur humilitas, & in opere disciplina; vt eos quos corrigimus, tacita nonnunquam cogitatione nobis ipsis præferamus: sic iura disciplinæ exerceantur contra delinquentes, vt pietatis viscera non amittantur: sit amor,sed non emolliens: sit rigor,sed non exasperans:sit zelus,sed non immoderatè sæuiens: sit pietas, sed non plusquam expedit parcens, vt in arce regiminis iustitia clementiæ permisceatur: nam secta immaturè vulnera deteriùs inferuescunt: & nisi cum tempore medicamenta conueniant,constat, quòd medendi officium amittunt: vt non de subditis crescamus, sed ipsi de nobis: Principem enim te constituerunt, sed sibi, non tibi. vt in omnibus illud quod monet Bernardus, diligenter expendatur; quid liceat, quid deceat,quid expediat. Plus erga corrigendos,docet sanctus Leo, agat beneuolentia,quàm seueritas: plus cohortatio,quàm cõminatio: plus charitas, quàm potestas. His virtutibus hoc tantum defenditur & exornatur solium: his ipse solij Princeps & Dominus Iesvs Christvs vsus est. Ad cuius loci dignam administrationem, magnificè cohortatur

Ioan. 1.

Lib. 2. de cõsideratione.

Epist. 227.

Secunda parte past. ca. 6

Epist. 84.

In Epiſtol. ad Epiſcopos Cõſtantinopolitanæ ſedi ſubiacentes.

tatur Pontifices Nicolaus primus: Epiſcopi eſtis, exurgentia in Eccleſia Chriſti horrenda pericula prouidete: ſpeculatores eſtis, in altam mentis arcem conſcendite, & in gregem dominicum feram peſsimam irruere cupientem, à longè contemplamini. Quaſi tuba exaltate vocem veſtram, & annunciate populo Dei ſcelera eorum: ſuper montem excelſum, id eſt, altitudinem virtutum aſcendite, qui euangelizatis Sion: ſtate in fortitudine: poteſtatibus huius ſeculi, ex aduerſo aſcendite; ne veniat paterfamilias, & iubeat vos dare eum locum digniori: & ne pro omnis æquitatis & honeſtatis Antiſtitibus, nequitiæ præſides eſſe videamini.

Lucæ 14.

Sic igitur collocato Paſtore in ſua ſede, prorumpit vniuerſa Eccleſia in confeſsionem & laudes omnipotentis Dei; in quas omnis humana actio & inſtitutum, meritò deſinere debet. Ducitur per templum nouus Antiſtes, vt omnibus innoteſcat: commendatur ſummo Paſtori, & rectori omnium Deo; vt quem Eccleſiæ ſuæ Paſtorem præeſſe voluit, propitius reſpiciat: det illi verbo & exemplo proficere, & ad vitam, vnà cum grege ſibi commiſſo, ſempiternam peruenire. Quantumlibet enim fuerit peritus gubernandi, inquit Chryſoſtomus, niſi inter huiuſcemodi gubernacula gratiam habeat, & pacem quæ à Deo eſt, & nauiculam ſimul, & nauigantes procella inuoluet, mergétque profundo.

Sermone pri. ad Titum.

Sic veſtitus, ſic ornatus nouus Præſul, benedicit populo, ac dimittit Eccleſiam. Pleni autem amore & ſpiritu diuini Antiſtites, in mutuas ſalutationes, in mutua oſcula, mutuósque amplexus effunduntur, mutuam ſibi pacem tradentes & accipientes.

Precatur ſacer conſecrator nouo Præſuli, tanquam ſpirituali filio ſuo, in omni cura ac ſolicitudine ſubiecti ſibi gregis, omnes ſalutares & optatos ſucceſſus: Precatur nouus Pontifex conſecratori ſuo, quem in patris loco vetuſtiſsimis inſtitutis, per omnem vitam habere ac venerari iubetur, ter elata voce, multos felices & proſperos annos. Quem ritum τελειωτικὸν ἀσπασμὸν: hoc autem eſt, Sacerdotalis perfectionis ſalutationem, & complexum, vocat ſacer Dionyſius: quam hoc modo explicat. Nam & omnes, inquit, qui adſunt ſacrorum ordinum homines, & Pontifex ipſe, qui conſecrauit, eum, qui conſecratus eſt, ſalutant. Cùm enim ſancta mens ſcientia, víque Pontificis, & diuina vocatione atque ſanctimonia, ad Eccleſiaſtici ordinis conſecrationem honorémque peruenit; tum charus eſt paribus ſanctiſsimísque ordinibus; & ad pulchritudinem diuinæ ſimilem perductus, mentes ſimiles amat, atq; ab eis ſanctè redamatur. Hinc conſalutatio illa inter Eccleſiaſtici ordinis homines ſeruatur & perficitur, quæ ſanctam parium ſimiliúmque mentium ſocietatem indicat, lætitiámque mutuam, quæ amore digna eſt, quippè quæ diuinam pulchritudinem ſaluam & incolumem Eccleſiaſtici ordinis formæ conſeruet. Hæc Dionyſius. Amor ſiquidem Paſtorum & concordia, ſalus & incolumitas eſt gregis. Decet enim eos, qui omnis pacis & amoris cæteris omnibus hominibus duces & auctores eſſe debent: ad cuius rei deſignationem, in veteri lege, non alij quàm Sacerdotes, ignem in templo Dei accendere iuſsi

In eodem ca. 5

Leuit. 6.

ſunt;

sunt; eos ipsos inter se nullis dissensionibus, nullis simultatibus dissidere, sed mutuam pacem & charitatem perpetuò colere. Sic enim animis coniuncti atque concordes, viribus quoque magis pollebunt; omnésque inimicorum fraudes atque insidias, omnem vim & impetum, faciliùs sustinebunt, atque superabunt penitùs. Hoc enim est vnguentum Deo gratissimum, quod descendit in barbam, barbam Aaron, & in oram vestimenti eius. *Psalm. 132.* Amor & concordia Pontificum, amorem & mutuam charitatem fouet principum: principum cõsensus & concordia, populi salus est. Hic est ros suauissimus montis Hermon, qui descendit in montem Sion: ibi mandauit Dominus benedictionem & vitam vsque in sempiternum.

Exposui, vt potui, nuptias Sponsi & Sponsæ, Episcopi & Ecclesiæ: dixi, inter quos hoc tale contrahatur matrimonium: quis nuptiarum Sponsor: qui exoratores & pronubi: quæ circumstantiæ: quis nuptiarum modus & ratio.

Quo in loco, antequam dicendi finem facio, primùm ab huius seculi hæreticis quæro: quæ causa sit, quandoquidem se omnis vetustatis & antiquitatis studiosos & cultores esse prædicant, cur ab his pulcherrimis & vetustissimis ritibus discesserunt? cur nihil earum rerum, in designatione suorum Pastorum faciunt? cur sine examine, Doctores; sine Sacerdotalis manus impositione, Pontifices; sine vnctione, Sacerdotes; sine missione, Apostolos; sine ritu sacro, sacrarij ministros esse volunt? An hæc sacrosancta non sunt? an ex antiquissima & Apostolica traditione non profluxerunt? an diuinis scripturis non consentanea? an munus & officium eius qui consecratur, re ipsa potiùs quàm verbis non exprimunt, ac ob oculos planè ponunt? Cùm segniùs irritant, vt magnus dixit Poëta, animos demissa per aures, quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus. Deinde, quæ iusta causa fuit, ob quam homines quidem probatos, legitimáque vocatione in amplissima dignitate constitutos, tam sacro deinceps ritu consecratos repudiârunt? errones autem quosdam, sine vocatione, sine examine, sine sacramento, sine lare deniq; ac foco sequuti sunt. Aut quam tandem legitimam causam, in illo acri & perspicaci iudicio Dei, eius suæ rebellionis & temeritatis reddituri sunt? Sacra Scriptura, inquiunt isti noui magistri: nituntur, verum Dei verbum docent. Quo teste? quo iudice? Num de cœlo vocem delapsam à magnifica gloria exaudiuerunt, quæ eos exaudiendos esse reliquis omnibus repudiatis iusserit? num multis & variis signis & portentis sua confirmârunt? num admirabili consensu & concordia vigent? nũ vitæ quadam cœlesti & diuina sanctimonia & integritate illustres sunt? num doctrinam aliquam eximiam, quæ omnem veterum eruditionem longis passibus post se relinquat, adferunt? num salutarem profectum vitæ & doctrinæ in dies maiorem ac maiorem demonstrant? Nihil horum. Quid sit dirutum, videmus: quid sit extructum, non videmus: quid extirpatum sit, sentimus: quid satum, nondum perspicimus; nisi fortasse pro fide ac religione, perfidiam: pro Euangeli-

ca veritate, hæreſes: pro pace & charitate, inteſtina bella, ac in omnes bonos irreconciliabile odium: pro modeſtia, ſuperbiam: pro libertate & modo, licentiam: pro caſtitate, libidinem effrænatam: pro quiete, turbas: pro obedientia, legitimi imperij contemptionem: pro diuini amoris ſtudio, rerum ſacrarum, quæ amorem diuinum excitabant, contemptum orbi Chriſtiano inuectum. Atqui dices: eos nihil aliud præter purum verbum Dei, ſolásque ſacras ſcripturas profiteri. Porrò verbis, quicquid libet non ſatis eſt affirmare: exempla diuinæ virtutis, non voces inanes, requirimus: neque ſatis eſt verbo tantùm affirmare, vt id continuò credendum ſit; non audio verba, ſed opus attendo. Quis hoc idem ex veteribus hæreticis, quis ex noſtris, profeſſus non eſt? Atqui dicit veritas ipſa: Si ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſtimonium meum non eſt verum: alius eſt, qui teſtimonium perhibet de me, & ſcio quia verum eſt teſtimonium eius, quod perhibet de me. Veritatis teſtimonium, ſi ipſa de ſe teſtetur, non erit verum: hominis natura mendacis & errori obnoxii, pro ſeipſo priuata in cauſa, teſtimonium accipiemus. Nos, inquiunt iſti, & vitæ, & doctrinæ ſuæ, teſtes habent. Atqui docet Magnus Baſilius: Oportere pari ſaltem facultate inſtructum eſſe illum, qui » de alicuius doctrina, aut ſcriptis iudicaturus eſt, qua ille ipſe, qui docet » aut ſcribit, præditus ſit. Nam & de opere ruſtico, nemo poteſt rectè iudi- » care, niſi agricola: & de recto & ſuaui concentu, niſi Muſicus. Doctrinæ » autem, quomodo erit ille iudex, qui neque præceptorem ſuum monſtrare » poteſt, neque tempus quo diſcebat? Multum opus eſt elaborare, & mul- » tas inſomnes noctes ducere, multásq; lacrymas ad Deum profundere il- » lum, qui veritatem quærit; quíue eius cauſa vnitatem fraternam aliquo modo perturbare velit, docet idem Baſilius. Nimis ludimus in rebus valdè ſeriis, ídq; cum diſcrimine ſalutis & felicitatis noſtræ, omnium autem rerum humanarum extrema perturbatione. Sint teſtes, ait idem Ba » ſilius, oculi iuſtorum, & aſpectus virorum perfectorum, qui illud liberè » ac veriſimè dicere poſsint: plura quàm vos nouimus, atque internis vi- » tiorum ſpinis non tantopere ſuffocamur: neque paucis ornamentis mul- » tiplicem maliciam admiſcuimus; quales noſtra ætas, vel nullos, vel pau- » ciſsimos cùm ferat, vetus ſeculum nobis eſt appellandum, veteris ſeculi iu- » diciis vtendum. Verùm cum hæreticis hactenus.

Ioan. 8.

Pſal. 115.

Epiſt. 75.

Ibidem.

Epiſt. 86. 87

Reges atque Principes deinde, omnésque illi, penes quos conferendarum tantarum dignitatum & munerum ſumma teſtimonii eſt, mihi ſunt commonendi, eam legem Dei eſſe, Vt ſi ſteterit teſtis mendax contra hominem, accuſans eum præuaricationis; ſtent ambo quorum cauſa eſt, ante Dominum, in conſpectu Sacerdotum & Iudicum, in diebus illis: cúmque diligentiſsimè perſcrutantes inuenerint falſum teſtem, dixiſſe cõtra fratrem ſuum mendacium, reddant ei ſicut fratri ſuo facere cogitauit: & auferes, inquit, malum de medio tui; vt audientes cæteri timorem habeant, & ne quiſquam audeat talia facere. Non miſereberis eius. Quòd ſi in vnius hominis peculio, aut vitę periculo, teſtis iniquus tam abominabilis

Deut. 19.

bilis est coram Domino, tantisque plagis vapulat; quid in peculio & sorte hæreditatis filij Dei? quid in salute sponsæ & corporis Iesu Christi Ecclesiæ sanctæ, pro qua ille seipsum tradidit, crucémque ac mortem acerbissimam sustinuit? quid in periculo æternæ salutis, & incolumitatis tot hominum, si quis aut per negligentiam, aut per beneuolentiam, aut per fœdissimum quæstum mentitus fuerit; ac pro Sacerdote mercenarium, pro Pontifice lupũ, pro Pastore furem & latronẽ, testimonio & autoritate sua Ecclesię Dei prę fecerit? quib⁹, & quantis hic ipse plagis obnoxius erit? Non est enim hoc consulere populis, inquit sanctus Leo, sed nocere: nec præstare regimen, sed augere discrimen. Integritas enim præsidentium, salus est subditorum. Et difficile est, vt bono peragantur exitu, quæ malo inchoata sunt principio. Recenset Auerni pœnas Latinus Poëta, quas Orci præsides, exprobrant noxiis: Vendidit hic auro patriam, dominúmque potentem Imposuit. Quantò iustiùs, & veriùs id dicetur: Vendidit hic Ecclesiam auro, Pastorémq; negligentem imposuit, nequissimo quæstu. Omnium damnationis causam & pœnam sustinebit ille, qui malum pastorem & præfectum dedit. Qui enim cordi vulnus intulit, totum læsit corpus. Languente enim corde, incassum membra vigent. Frustra miles contendit, si ab ipso militiæ duce erratur. Totius familię domini status & ordo nutabit, ait sanctus Leo, si, quod requiritur in corpore, non inuenietur in capite. Quid enim est communicare peccatis alienis, nisi talem effici eum qui eligit, qualis ille est, qui non meruit ordinari? Sicut autem boni operis sibi comparat fructum, qui rectum seruat in eligendo Sacerdote iudicium; ita graui semetipsum afficit damno, qui ad summum dignitatis subleuat indignum. Qui cui potestatem facit, inquit Chrysostomus, volenti Ecclesiam corrumpere; is certè autor fuerit eorum omnium, quæ perdita illius audacia turbauerit.

Epist. 87.

Epist. 87.

Lib. 4. de dignitate Sace.

Et ea quidem mala, quæ nos temporáque nostra diuexant, molestissima nobis sunt: hæc ipsa religionis Christianæ in multas partes fœda dilaceratio: hæc omnium rerum, tam diuinarum, quàm humanarum, summa perturbatio: hic ipse legum, magistratuum, iudiciorúmque contemptus: hæc inobedientia, atque omnis veteris disciplinæ dissolutio: praui & corrupti mores, discordiæ, bella, factiones, tumultus. si autem causas & origines earum rerum diligenter expenderimus, ipsimet tantorum malorum fabri & autores nos esse inueniemus: dum pueros viris, laicos Sacerdotibus, profanos religiosis, ignaros doctis, impuros, & omni scelere à prima sua ætate imbutos, rebus sacris, ac hominum expiandis vitiis, leuis nonnunquam compendii causa præficimus: quæ postea nequicquam magno, si fieri posset, redimere vellemus.

Sed & populus Christianus in hac causa nobis compellandus est: nũ ita Pastoribus suis, vt par est, iuxta præceptum Pauli, vti Christo Domino, pareat? num sine voluntate, consensu & autoritate eorum nihil agat? num debitum honorem & reuerentiam illis reddat? num decimas & primitias laborum suorum, magna cum lætitia & hilaritate, vti præcipit Dominus

minus, in eorum horrea inferat? num tanquam parentes, amet & reuereatur? num in hac parte maiorum ſuorum ſanctiſsimis legibus & inſtitutis obtemperet: qui grauem mulctam illi irrogant: qui præſente Archiepiſcopo aut Epiſcopo, vel verbum aliquod impudentius protulerit, vel minus moderatè ſe geſſerit; an potiùs officiũ præſtare ſe Deo, cum Iudæis ac gentilibus arbitratur, ſi aliquid contra honorem, dignitatem, & authoritatem eorum dixerit, aut ſanxerit? ſi in aliqua parte eorum fortunas atq; honorem læſerit? ſi aliquid ex eorum ſorte & poſſeſsione per furtum & ſacrilegium auerterit? an filii ſunt Belial, filii ſine iugo, vt ſpreto Samuele Deum ſpernant, & tradantur in manus Regis Babylonis; vt diſcant diſtantiam ſeruitutis Dei, à ſeruitute Regis terrarum?

Vos deinceps ſanctiſsimi Antiſtites appello: veſtras conſcientias obteſtor, num fidem ſemel datam ſanctè & integrè ſeruetis? num ſacrorum Symbolorum & myſteriorum puritatem, vitæ innocentia & integritate repręſentetis? num capita veſtra & manus veſtras, ſacris vnctionibus nitentes, puras & mundas ad Deum cœli pro ſalute populorum tendatis: vt ſitis omnium quidem bonorum exoratores, malorum autem auerſores & deprecatores? num aſcẽdiſtis ex aduerſo, & oppoſuiſtis vos murum pro
Ezech. 13. domo Iſrael; vt ſtetis in prælio in die Domini? num cum fideli Moyſe in perfractione deiecti parietis domus Domini, vitam & corpora veſtra, veluti munitionem quandam pro ſalute populi obieciſtis? num in lege
Pſal. 1. Domini meditemini die ac nocte, ea diſcentes, quæ alios doceatis? Præconis enim officium ſuſcipit, quiſquis ad Sacerdotium accedit; vt ante aduentum iudicis, qui terribiliter ſequitur, ipſe clamando gradiatur: ſi autem legis diuinæ eſt ignarus; quam clamoris vocem daturus eſt præco mutus? num opibus ad ſubleuationem pauperum, an ad luxum vel auaritiam? num dignitate ad ſalutem & ornamentum populorum, an ad ambitionem & vanam gloriam? num poteſtate ad defenſionem afflictorum, an oppreſsionem potiùs debilium vſi eſtis? num veſtris quidem ſolatio & præſidio, alienis autem terrori & trepidationi fuiſtis; vt ruant, qui noxiè ſtant, digni erigantur. Quæ ſi facitis, macti ea virtute eſte, columnæ & firmamenta Eccleſiæ Dei, expectantes Principis Paſtorum illam magnifi-
Mat. 25. cam vocem: Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. Sin aliter, veren-
Mat. 21. dum eſt, ne vos malos malè perdat, vineam autem ſuam locet aliis operariis. Nam ſi ei, inquit Chryſoſtomus, qui vnam animam ſcandalizat, ex-
In Epiſto. ad Tit. Ser. 1. pedit, vt mola aſinaria ſuſpendatur circa collum eius, & demergatur in
” profundum maris: qui tot animas ſcandalizat, & vrbes integras, & ple-
” bes, viros, mulieres, pueros, ciues, ruſticos, incolas ſuæ ciuitatis, aliarùm-
” que vrbium, quæ illi ſubiectæ ſunt; quid pati merebitur? Nempè verò ſi
” plura triplo, quàm diximus, addas, nihil dicturus es, adeò vehemens pœ-
Chryſoſto. de Sacerd. li. 3. na atque cruciatus huiuſmodi hominibus imminet. Nam ſi horremus,
” dum iudicium id nobis ſubeundum eſt, in quo peccatorum propriorum rationem reddituri ſumus; vt qui ſentiamus, nos ignem illum ęternum effugere

fugere nequaquam posse: quid illi expectandum est, qui tam multorum nomine causas sit dicturus? Quòd autem hoc verum sit, audi beatum Paulum, seu potiùs non Paulum, sed Christum Pauli ore loquentem: Parete iis, qui præsunt vobis, & concedite: nam illi vigilant pro animabus vestris, tanquam rationem reddituri. Hiccine exiguus tibi videtur comminationis terror? equidem illum, quantus sit, verbis exprimere non possum, maximè autẽ, puniendi illi fuerint, qui post eum honorem studio atq; ambitione adeptum, vel per ignauiam, vel per maliciam, vel per imperitiam, re ipsa non rectè vtuntur. *Heb. 13.* *Chrysost. de Sacerd. li. 4.*

Tu verò sancte Antistes, noua creatura Dei, diligenter circumspice, quis fueris, & qui nunc sis. Quis in natura, ait Bernardus, quis in persona, qualis in moribus, quæ sub te, quæ circa te, quæ supra te sunt: quid, cui, & apud quos promiseris. Tenetur vox tua, dicit Ambrosius, non in tumulo mortuorum, sed in libro viuentium: præsentibus Angelis loquutus es, sed & ipso Christo. Considera cuius dignitatis, & maiestatis, formæ item atque pulchritudinis, decoris ac puritatis, sponsam acceperis. Vna est matri suæ, electa genitrici suæ, vt aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata: cui datum est, vt cooperiat se byssino splendenti & candido: quam lauit & sanctificauit sponsus eius, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, & tradidit semetipsum pro ea, vt exhiberet sibi gloriosam, non habentem maculam aut rugam, columbam suam, perfectam suam: quam eandem magna & precioſa dote Corporis & Sanguinis sui, ac reliquorum Sacramentorum, hæreditatis incorruptibilis & incontaminatæ, immarcescibilis conseruatæ in cœlis, largè & prolixè ornauit: quam tot filiorum sanguine ipsius agni consperſorum fecit parentem. Qua igitur diligentia, quo studio ea pulcherrima mulierum tibi custodienda erit, vt eã sanctam & immaculatam Sponso suo iudici futuro reddas: aut pro quali tibi deposito causa dicenda, ratióque reddenda erit, diligenter considera. Cogita item, quæ sit ista tua totius ornatus & habitus immutatio: in quo solio consederis: & altiorem tu quidem locum cõscendisti, sed non tutiorem; sublimiorem, sed non securiorem. Terribilis prorsus, terribilis est locus iste. Locus, inquam, in quo stas, terra sancta est: locus Christi est, vbi steterunt pedes eius. Locus illius est, quem constituit Deus dominũ domus suæ, & principem omnis possessionis suæ. Istéq; Sacerdotii tui externus habitus, tuæ mentis ornatus designatio est. Nam Pontificalem gloriam, vt dixi, non iam nobis honor commendat vestium, sed splendor animarum. Quicquid igitur ista velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, & in multimodis operis varietate significant, hoc in tuis moribus actibúsque clarescat; vt his vtaris ad ædificationem, non ad destructionem; ad ornatum ordinis, non ad fastum personæ. Domabis lupos, sed ouibus non dominaberis: pascendas vtique, non premendas suscepisti: tene medium, si non vis perdere modum: locus medius tutus est; medium sedes modi, & modus virtus. Da operam, vt qui nunc glorioſus & conspicuus in hoc habitu nobis *Li. 2. de cõsi.* *In libr. de iis qui mysteriis initiant. ca. 2.* *Cant. 6.* *Apo. 19.* *Ephe. 5.* *Gen. 28.* *Exod. 3.* *Psal. 131.* *Psal. 104.*

bis omnibus appares, eundem te in hac ipſa ſtola integra & immaculata, iuſto & ſancto iudici ſiſtas; vt hic ipſe habitus & ornatus, illo die, ſplendor & decus ſit in te, non teſtimonium contra te. Et quod humano ore iam diceris, ante eius qui te tali dignatus eſt honore, æquiſsimos oculos exiſtas. Benedicat igitur tibi Dominus ex Sion, & videas bona Hieruſalē. Det verbum Euangelizanti virtute multa: ipſe dextram tuam manu ſua teneat, & in conſilio deducat, & cum gloria ſuſcipiat: Paſtorem paſcat, ductorem ducat; vt ipſius gregem ſcitè ac peritè paſcas, & videas filios filiorum miniſterii & functionis tuæ: pacem ſuper Iſraël. Dicat omnis populus Amen.

REVERENDISSIMO AC NOBILISSIMO ANTISTITI, IACOBO BIELENSKI, Epiſcopo Lacedæmonienſi, Suffraganeo Plocenſi &c. fautori & educatori ſuo.



Oncionem noſtram, pro cultu & adoratione Ieſu Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ, apud Sereniſs. Regem meum aliquando habitam, nunc autem in hac ſolenni corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti panegyri diligentius recognitam, ac ad eiusdem Ieſu Chriſti laudem & gloriam, Chriſtiani autem populi ædificationem & conſolationem editam, ad R. P. V. fautorem & educatorem meum mitto: vt ſit aliquod ſaltem teſtimonium & ſignificatio meæ perpetuæ erga R. P. V. obſeruantiæ atque pietatis: ipſius autem erga me immortalium beneficiorum, memoria extet ſempiterna. Neque enim diſsimulare volo, quin ſemper libenter vbique fateor, quicquid in his ſtudiis profeci, quicquid ornamentorum conſequutus ſum, id me illius hortatu, cura, ac ſtudio, ſingulariſque liberalitate conſequutum eſſe. In qua Ieſu Chriſti alumnorum agricultura ac ſegete, ſi alii quoq; longè locupletiores eodē modo elaborare vellēt, multò maiores & vberiores profectò Eccleſię Dei fructus parerent, longè cultior & fertilior vinea Domini exercituum appareret, longè plures operarios haberet. Verùm nos nihil præter nos noſtráq; curare ſolemus, vtqúe vel mundo poſt mortem noſtram terra, iuxta vetus dictum, dehiſcat, obitúmque noſtrum obitus omnium rerum conſequatur, nihili ducimus. Quam mentem ſi maiores noſtri itidem habuiſſent, longè deterius vel nobiſcum ageretur, quàm nunc agitur. Tu quidem nobiliſsime Antiſtes, mactè ea laude eſto, cui non erat ſatis ipſum his præſtantiſsimis virtutibus & doctrinis, quibus affatim abundas eſſe prędītum, niſi & alios ipſis excoli curares, ac veluti hæredes illarum relinqueres. Quo nomine te Deus omnis honeſtatis ac ſapientiæ parens, felicem ac beatum in mul-

tos

tos annos conſeruet, omniúmq; bonorum vbertate augeat, ac ex ſeptuagenario centenarium faciat. Ego quidem eius educationis meæ nomine tibi maximas apud omnes bonos gratias ago & habeo, neque vnquam agere deſinam: vtqúe maiores longè fructus ſtudiorum meorum indies decerpas, ſi Dominus valetudinem hanc meam fractam erexerit, etiam atque etiam vehementer curabo. Vale venerande mihíque chariſsime ſenex.

STANISLAI SOCOLOVII

ORATIO ECCLESIASTICA QVINTA,

Pro cultu & adoratione Ieſu Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento.

Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ, in conſpectu eius cadent omnes, qui deſcendunt in terram. Pſalm. xxi.

GLorioſiſsimam corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti panegyrim, ſiue celebritatẽ, anniuerſario ritu hodierna die magno gaudio & lętitia peragimus, quẽ pleno corde & toto animo, veráq; latria, id autẽ eſt, vero ac proprio cultu diuino, in tam ſublimi ſacramento cernui colimus & veneramur. Atque hoc illud eſt, quod nobis loco extremę impietatis obiicitur à filiis Belial, propter quod nos ex Chriſtianis idololatras, ex populo Dei populum infidelem, ex filiis Dei filios gehennæ æternæ, factos eſſe clamitant: monſtroſísq; cognominationibus ipſi maiora monſtra conſcindunt, dum iam Artolatras, id eſt, panis adoratores, iam Sarcolatras, id eſt, carnis cultores, iam Anthropolatras, hominis ſcilicet adoratores nos appellare ſolent. In qua re cùm ſummus quaſi cardo cauſę verſetur, cúmque hoc totum in ipſius Ieſu Chriſti caſtiſsimi & ſanctiſsimi coniugii dedecus & contumeliam, eiúsq; ſanctæ & immaculatæ ſponſæ conuitium, feratur, diſsimulandum tantum nefas non putaui, atque de hoc toto genere apud vos ſeriò aliquid dicere inſtitui: ipſum enim caput petunt, ipſum ſponſum accuſant, quaſi ille thalami ſui non fuerit ſatis diligens cuſtos: quaſi ſponſam ſuam in fœdiſsimum ſpiritualis fornicationis, idololatriæ inquam peccatum, contra veterum

terum vatum promissa & firma sua decreta incidere permiserit, quasi denique ipse Pater omnipotens, sepulcrum filii sui, quod glorioſum futu-
Isa. 11. rum per Isaiam prædixit, tali abominatione contaminari passus fuerit; super quod vsque adhuc hoc tale sacramentum ab omnibus gentibus, quæ sub cœlo sunt, & quæ Christi nomen gerunt, consecratur, offertur, & adoratur; aut tanquam omninò nobis alius Messias cum Iudæis expectan-
Zach. 13. dus sit, qui iuxta prædictionem Prophetarum, non idola tantùm delere debebat; sed nomina etiam idolorum, non vt adorentur modò, sed vt ne recordentur quidem homines illorum amplius. Si enim hæc Christus Dominus morte & resurrectione sua non sustulit, alius certè Messias nobis cum Iudæis expectandus erit, qui hæc auferat, quique ab hac fœditate vineam suam expurget. Quæ omnia cùm & ipsius æterni parentis summæ prouidentiæ præiudicent, & Iesu Christi curam & solicitudinem, quã de sua sponsa habet, diminuant, & totam fidem Christianam fœdè contaminent, & Ecclesiæ Dei eam notam inurant, qua stante, ipsa sponsa Christi amplius esse non possit; obstruenda ita vt dixi, Dei præsidio ora loquẽtium iniqua iudicauimus, ac de ea adoratione, quæ Iesu Christo in tali sacramento constituto debetur, pauca ex multis adferenda esse existimauimus. Proponemus igitur inprimis scandala & accusationes aduersariorum: deinde totam rem per verisima, ac quasi immediatè ex sacra scriptura, totáque analogia doctrinæ sanctæ sumpta principia, communésq; sententias, & quæ luce sua se produnt; vsu item ipso, perpetuóque consensu veteris Ecclesiæ concludemus: demùm istorum clamoribus & conuitiis, quantum breue fert tempus, respondebimus. Vestrum erit conatum nostrum pia deuotione adiuuare, Christo Domino prius sublimi reuerentia, in eodem sacramento adorato.

O salutaris hostia &c.

Augusti. lib. 20. in Fausti. cap. 15. & 16. Qui Ecclesiam Dei ob cultum & adorationem huius Sacramenti accusarunt, primi erant, vt vel inde rei antiquitas cognoscatur, gentiles: qui eo nomine Christianos insimulabant, Bacchum & Cererem sub speciebus panis & vini adorare. Conuitium hoc fuit à nostro instituto alienissimum. Auerrois similiter dictum fertur: Quoniam Christiani Deum suum, quem adorant manducant, sit anima mea, vt ille dicebat, cum Philosophis. Gentiles sequuti sunt semigentiles Manichæi, qui cùm carnem & sanguinem Christi abesse à sacro pane & vino censerent; dicebant à Catholicis puras creaturas adorari, seqúe ab ipsis iniquè accusari, quòd Solem adorarent, qui esset creatura, cùm hoc idem ipsi in panis & vini adoratione facerent, querebantur. Quin etiam, vt ex Leone Papa perspicitur, verborum Christi de Eucharistia proprietatem calumniabantur, de eáque disputare non verebantur. Suum tamen errorem nostro instituto confirmabant, Deum scilicet per omnia esse fusum, & in omnibus partibus creaturæ adorandũ.
Cyril. in expos. Synod. Nicenæ. Sunt enim hæretici araneis persimiles, qui ex saluberrima etiam herba, venena exitiosa sugunt. Consequutus est Manichæos Nestorius, qui cùm naturarum

naturarum concomitantiam diuinæ, inquam, atque humanæ in Christo negasset, sicut Anthropophagiam in Eucharistia asserebat, ita de Antropolatria, id est, hominis adoratione, cœlum & terram, vt inquit Cyrillus, sugillabat. Magnum deinceps per multa secula fuit ea de re silentium, maximus omnium Ecclesiarum consensus: ita vt cùm de maducatione aliqua dubitatio fuisset, de adoratione nulla vnquam extiterit: quod ex verbis Petri venerabilis clarum est: Si ad honorandum, inquit ille, si ad adorandum tantummodo daretur, quæstio non esset: sed quia etiam ad manducandum datur, non potest nos, vt illos quondam non mouere. Quòd enim honorari, quòd adorari debeat, fidelibus omnibus certum est: quòd autem comedi, quia comestionis ratio non videtur, admirabile, & super omnia stupendum est. Exortus est tandem ante quingentos hos ipsos annos Berengarius, Andegauensis Archidiaconus, sub Leone Papa, homo vanæ gloriæ auidus, animo elatus, conuiciator inuictus, vt Guitmundus eius æqualis testatur, qui cùm præsentiam Iesu Christi in hoc sacramento negasset, ita vt rei natura ferebat, eius adoratores idololatriæ reos esse dicebat: quem tamen veritatis vis inuicta, & vniuersalis de hoc sacramento consensus euicit, ita, vt morientis verba hæc fuisse extrema ferantur: Nos sanè credimus, post benedictionem Ecclesiasticã, mysteria illa verum esse corpus & sanguinem Saluatoris, adducti verbis Christi, & veteris Ecclesiæ autoritate: Et, Hodie in die apparitionis suę apparebit mihi Dominus meus Iesus, propter pœnitentiam, vti spero ad gloriam: vel propter alios deceptos, vti timeo ad pœnam. Mortuo Berengario, extinctum erat penitus incendium. Quòd si quæ exoriebantur scintillæ, statim vi veritatis supprimebantur Beguardi & Beguinæ hæretici in Germania, homines impuri, asserentes, licere quicquid natura suggesserit: negabant Christum adorandum esse in Eucharistia: at ij statim in Concilio Viennensi damnati sunt. Exarserunt tandem illæ, quibus nũc orbis terrarum accensus ardet, faces, Carolstadius, inquam, Zuinglius, Oecolampadius, Petrus Martyr, Caluinus, & istorum primi parentes, Lutherus, Philippus, Hussus, Vicleffus: qui vt cæteros omnes præteriti temporis errores olim consepultos excitârunt; ita & in hac ipsa parte cum Rufo illo Dracone, contra castissimam sponsam Christi ora sua aperuerunt: & alii quidem, quòd Christum Dominum ex hoc sacramento penitus sustulissent: alii quòd cum pane & vino simul esse docerent: alii quòd extra vsum sacramentum esse negarent: alii quòd hoc nusquam iussum, nusquã imperatum sit, quòd non ea causa vt colatur institutum, quòd ipsa sola sumtione satis honoretur, quòd alia item similia sacramenta non adorentur, & quòd in illis locis nonnunquam est, vbi indignè colatur, Christum Dominum in hoc sacramento adorandum esse negauerunt. Et hæc quidem sunt scandala, hæ aduersariorum accusationes, hi quibus cœlum & terram complent clamores. Quæ tamen vel ipsa docent, eum Eucharistiæ adorationis vsum iam tum à primis Ecclesiæ temporibus extitisse, vt, qui iam ab ipsis Gentilibus Iudæisque sit impugnatus; tum quos duces &

Lib. 1. cap. 2.

Apoca. 12.

autores isti sequantur, cum quibúsque communem causam habeant, Gentiles inquam, Iudæos, atque fœdissimos hæreticos, abundè indicant. Est enim hoc peculiare hæreticorum, vt quæ vulnera quondam Gentiles aut Iudæi Ecclesiæ Dei infligebant, eadem ipsi refricent. Quod in sanctorum inuocatione (referente Cyrillo) Iulianum sequuti, & in reliquiis sanctorum venerandis, Eunapium, qui dicebat salitos nos Deos colere, imitati, iam antè fecerunt, atque etiam nunc faciunt: vt facilè prodant se, & in illorum locum successisse, & eodem quo illi spiritu agitari.

Sequitur, vt quibus fundamentis ac veluti columnis subnixa Ecclesia Dei, vera Christi sponsa, in hac causa, & istorum ora obstruat, & suam fidem & integritatem, ac innocentiam erga Sponsum suum tueatur & vindicet, paucis videamus. Hoc autem est, axiomata quædam, id est, enunciationes per se, & natura sua notas ac fide dignissimas proponamus. Ex quibus illud constet, eos quidem, qui sacramentum hoc venerantur, ab omni idololatriæ suspicione alienissimos esse, & illos qui illud profanè tractant, laudis ac maiestatis diuinæ hostes & impugnatores meritò censeri.

Primum igitur illud fundamentum, sit prima sua luce nota veritas, Deum, vbicunque sit, & in quacunq; se prodiderit specie, adorandum esse, præsertim vbi certa & euidentia, eáque diuina sint eius præsentiæ testimonia. Constat hoc ex plurimis sacræ scripturæ locis. Apparuit Dominus, in forma hominis deambulantis in paradiso ad aurã post meridiem, primis parentibus nostris Adæ & Euæ, qui subitò metu ac reuerentia perculsi absconderunt se. Apparuit idem Dominus Abrahæ Patri omnium nostrum, in specie trium angelorum in conualle Mambre, quos cùm tres vidisset, vnum adorauit. Apparuit Iacob, in forma ipsi soli cognita, innixus scalæ, super quam ascendebant angeli & descendebant: surgit ille & adorat: Verè Deus est in loco isto, & ego nesciebam, non est hic aliud, nisi domus Dei & porta cœli. Apparuit Moysi, in flamma ignis de medio rubi, quò cùm ille liberiùs accedere vult, audit: Non appropinques huc, solue calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est. Et abscondit Moyses faciem suam; non enim audebat aspicere contra Deum. Appariturus cuncto populo in monte Sinai, in caligine nubis, sic præcepit: Descende & contestare populum, ne fortè velit transcendere terminos ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo. Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos. Vade ad populum, & sanctifica eos, hodie & cras lauent vestimenta sua, ne appropinquent vxoribus suis. Omnis qui vicinius tetigerit mõtem, morte moriatur, siue homo, siue iumentum fiat, non viuet. Manus tanquam nefarium hominem non tanget, sed lapidibus & iaculis obruetis illum. Sic deinceps in sanctis sanctorum: sic in caligine templi, vbi apparuit gloria Domini, adorari solebat, ídque ab illo populo, qui ad omnem idololatriã natura effusus fuit. Neq; verò ea lex solam humanã attingit naturã, vniuersæ item creaturæ communis est. Antecedebat idem Dominus

Gene. 3.

Gene. 13.

Gene. 28.

Exod. 3.

Exod. 19.

minus in nube, & columna ignis populum Hebræum: & illud quod Pſaltes magnificè celebrat conſequutum eſt: Mare vidit & fugit: Iordanis conuerſus eſt retrorſum: montes exultauerunt vt arietes, & colles ſicut agni ouium. Quid eſt tibi mare, quod fugiſti? & tu Iordanis quia conuerſus es retrorſum? Montes exultaſtis ſicut arietes: & colles ſicut agni ouium. A facie Domini mota eſt terra: à facie Dei Iacob. Qui conuertit petram in ſtagna aquarum: & rupem in fontes aquarum. Alio ſimiliter loco de cœlo ipſo vniuerſáq; terra magnificè idem Pſaltes narrat: Deus, inquit, cùm egredereris in conſpectu populi tui, cùm pertranſires in deſerto, terra mota eſt, etenim cœli diſtillauerunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Iſraël. Stet igitur firma lex, Deum in omni ſpecie & loco adorandum eſſe, vbi certa & diuina eius præſentiæ teſtimonia & indicia extent. *Pſalm. 113.* *Pſalm. 67.*

Secundum cauſæ fundamentum illud ſit, IESVM CHRISTVM verum DEVM & hominem eſſe. Fuit hæc fides principis Patriarcharum Abrahæ, qui mittens principem ſeruorum domus ſuæ, quærendæ vxoris cauſa filio ſuo, ſic inquit: Pone manum tuam ſubter fœmur meum, vt adiurem te per DEVM cœli & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum. Quem in lumbis & fœmore gerebat, hunc DEVM cœli & terræ vocat magno myſterio. Fuit hæc eadem fides Iob: Credo, inquit, quòd redemptor meus viuit, & in nouiſsimo die ſurrecturus ſum: & in carne mea videbo DEVM ſaluatorem meum, quem viſurus ſum ego ipſe non alius, & oculi mei conſpecturi ſunt. Hæc ipſa eadem fides fuit omnium Prophetarum. Quare quaſi colonus futurus es in terra, inquit Ieremias, & quaſi viator declinans ad manendum? Quare futurus es velut vir vagus & fortis, qui non poteſt ſaluare? Tu autem in nobis es Domine: & nomen tuum inuocatum eſt ſuper nos: ne derelinquas nos. Hic eſt DEVS noſter, inquit Baruch, & non æſtimabitur alius aduerſus eum: hic adinuenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo; poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Hæc eadem fides Apoſtolorum fuit. Et verbum, inquit Ioannes, caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis. Optabam enim ego, inquit Paulus ipſe, anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundùm carnem, qui Iſraelitæ nominantur, quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legislatio, & obſequium, & promiſſa, quorũ patres, & ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem, qui eſt ſupra omnia Deus benedictus in ſecula. Amen. Hanc eandem fidem Vna, Sancta, Catholica, & Apoſtolica confitetur Eccleſia. Eſt ergo fides recta, inquit Symbolum, vt credamus & confiteamur, quia dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei filius, Deus & homo eſt. DEVS eſt ex ſubſtantia patris. ante ſecula genitus, & homo eſt ex ſubſtantia matris in ſeculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens: æqualis patri ſecundùm diuinitatem: minor patre ſecundùm humanitatem. Qui licèt DEVS ſit & homo, non duo tamen, ſed *Gene. 24.* *Iob. 9.* *Ierem. 14.* *Baruch. 3.* *Ioan. 1.* *Rom. 9.*

„ vnus est Christus. Vnus autem non conuersione diuinitatis in carnem, sed
„ assumptione humanitatis in DEVM. Vnus omninò non confusione sub-
„ stantiæ, sed vnitate personæ. Nam sicut anima rationalis & caro vnus est
„ homo: ita DEVS & homo vnus est CHRISTVS. Hactenus Athana-
„ sius. Vt qui alterum istorum non confiteatur, illum aut Nestorianum, vel
„ Ebionitam, aut Arianum esse oporteat. Quam eandem fidem magnificè
Irenæ. lib. 3. ca. 20. & 21. explicat Irenæus: Si enim homo non vicisset inimicum hominis, non
„ iustè victus esset inimicus. Rursus autem, nisi DEVS donasset salutem, non
„ firmiter haberemus eam, & nisi homo coniunctus fuisset DEO nostro,
„ non potuisset particeps fieri incorruptibilitatis. Oportuerat enim medi-
„ atorem Dei & hominum, per suam ad vtrosque domesticitatem, & ad a-
„ micitiam & concordiam vtrosq; reducere, & facere, vt & Deus assume-
„ ret hominem, & homo se dederet Deo. Qua enim ratione, filiorum ado-
„ ptionis eius participes esse possemus, nisi per filiũ eam, quæ est ad ipsum,
„ recepissemus ab eo communionem, nisi verbum eius communicasset no-
„ bis caro factum? Et paulò post: Propter hoc enim verbum Dei ho-
„ mo, & qui filius Dei est, filius hominis factus est, commixtus verbo Dei,
„ vt adoptionem percipiens fiat filius Dei. Non enim poteramus aliter
„ incorruptelam & immortalitatem accipere, nisi aduniti essemus incorru-
„ ptelæ & immortalitati. Quemadmodum autem adunari possemus incor-
„ ruptelæ & immortalitati, nisi prius incorruptela & immortalitas facta fu-
„ isset, id quod & nos, vt absorberetur quod erat corruptibile ab incorru-
„ ptela, & quod erat mortale ab immortalitate, vt filiorum adoptionem
„ perciperemus? Vtraque scripturæ diuinæ de eo testificantur: & quoni-
„ am homo indecorus & passibilis, & super pullum asinæ ascendens, aceto
„ & felle potatur, & spernebatur in populo, & vsque ad mortem descendit:
„ & quoniam Dominus sanctus & mirabilis consiliarius, & decorus specie,
„ & Deus fortis, super nubes veniens vniuersorum iudex, omnia de eo scri-
„ pturæ prophetabant. Sicut enim homo erat vt tentaretur, sic & verbum
„ vt glorificaretur, requiescente quidem verbo, vt posset tentari, & inhono-
„ rari, & crucifigi, & mori: absorpto autem homine in eo quod vincit &
„ sustinet, & resurgit, & assumitur. Hic igitur filius Dei Dominus noster
„ existens verbum patris, & filius hominis, quoniam ex Maria, quæ ex ho-
„ minibus habebat genus, quæ & ipsa erat homo, habuit secundum homi-
„ nem generationem, factus est filius hominis. Hæc Irenæus.

Notandum autem hoc loco est, ídq; cum vetustissimis patribus, om-nem honorem & adorationem, non ad vnam naturam aut partem aliquã personæ, sed ad totam referri personam: nam & in homine, nec animam solam, nec corpus solum honoramus; sed totam personam ex anima rationis participe & humana carne compactam. Sic eodem modo in Christo Domino, non aut solam diuinam, aut humanam honoramus naturam, sed diuinitatem & humanitatem simul vna adoratione, quia vtraque na-
Psalm. 21. tura vnam constituit personam, veneramur. Tale est illud: Et adorabunt
Psalm. 51. in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium. Et in alio Psalmo: Et ado-

rabunt

rabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient illi: quia liberauit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adiutor. Et Diuus Paulus: *Hebr. 1.* Cùm introduceret, inquit, primogenitum in orbem terrarum, dicit: Et *Psalm. 96.* adorent eum omnes angeli Dei. Quasi diceret, non tum modo cùm in sinu patris fuit, non tum solum cùm esset in forma Dei, adoratum fuisse ab angelis; sed tum etiam cùm introduceret, inquit, eum in orbem terrarum, hoc est, per incarnationem, vt sancti interpretantur patres, adorandum. Talem Ioannes in vtero existentem, ipse in ventre matris collocatus adorauit: indignúmque se postea professus est, cuius corrigiam calceamenti solueret. Talem pastores in præsepio, reges in cunis, discipuli in nauicula, Apostoli in cœlum ascendentem, adorasse leguntur. Talem Petrus alloquutus est: Domine discede à me, quia homo peccator sum. Talem *Luc. 5.* Thomas Deũ & Dominum suũ esse professus est. Rectè igitur statuit antiquum Concilium: Si quis non vna adoratione honorificat Emanuelem, hoc est Deum & hominem, secundùm quod factum est verbum caro, anathema sit. Et Dauid magnificè: Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus vbi steterunt pedes eius.

Tertium illud est præsentis negotii fundamentum: Diuinitatem Iesu Christi, ab ea quam semel accepit humanitate nunquam separari. Nam cùm à Deo nemo nisi per peccatum excidi aut separari possit, in eius autem humanitatem nullum cadere potuit vnquam peccatum, nullus error, nulla macula: Venit, inquit, princeps huius mundi, & in me non inuenit *Ioan. 14.* quidquam; possibile nõ item est, vllam vnquam in eo separationem à Deo fieri posse. Docet hoc idem liber Sapientiæ: Cùm Dei verbum, Dei sa- *Sapient. 10.* pientiam nusquam, ne in morte quidem hominem illum, in figura iusti Ioseph deseruisse testatur: Hæc venditum, inquit, iustum non dereliquit, sed à peccatoribus liberauit eum: descendítque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam aduersus eos, qui eum deprimebant: & mendaces ostendit, qui maculauerunt illum: & dedit illi claritatem æternam. Hæc scriptura. Nam & in morte illa ipsa eadem diuinitas, cum anima ad inferos descendit, potestatésque tenebrarum deuicit, amplissimámque prædam inde tulit. Et eadem corpori in sepulcro adfuit, quæ illud & ab omni corruptione conseruauit, & pòst in resurrectione viuificauit, ac veluti arcũ solutum iterum intendit, suámque corpori restituit animam. Docet hoc clarè D. Ioannes: *1. Ioan. 4.* In hoc cognoscitur spiritus Dei: omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est: & omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus, de quo audistis quoniam venit, & nunc iã in mundo est. Quis autem soluit Christum, nisi qui eius diuinitatem ab humanitate aliquando separari posse putat? Rectè igitur Aethiopes in ea adoratione, quæ ad eleuationem huius sacramenti fit, profitentur: Verè hoc est corpus & sanguis Emanuel Dei nostri Amen. Credo, credo, credo, & nũc & vsq; in secula: Et mox ter item, credo, credo, credo, addunt, quòd diuinitas non sit separata ab humanitate, ne hora quidem, ne per ictũ oculi.

Vltimum est huius causæ firmamentum; sub speciebus panis & vini verum & totum Christum contineri. Quis hoc docet? Ille, qui peccatum
1. Pet. 2. Ioan. 6. non fecit, & dolus non est inuentus in ore eius: qui est via, veritas & vita: cui omnis difficultas cedit: qui stultam fecit huius mundi sapientiam: cuius verbum & manus est omnipotens: qui nos supra etiam captum nostrum sed & Angelicum, adamauit: & de quo Paulus illud pronunciauit:
1. Cor. 1. 2. Cor. 1. Dei enim filius Iesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me, & Syluanum, & Timotheum, non fuit in illo est, & non; sed est, in illo fuit. Hoc est, qui nihil vnquam ambiguè, nihil perplexè, nihil fictè, nihil simulatè dixit aut pronunciauit; sed cuius sermo ille fuit, qualem ipse suos docuerat discipulos; est, est, non, non. Neque simpliciter & vtcunque docet, sed sub quatuor fide digniſsimis testibus, vt omne constet verum: tribus, inquam, Euangelistis, & quarto gentium Doctore Paulo: qui rem totam sic exponunt. Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit ac fregit, dedítque discipulis suis, & ait: Accipite & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis dicens: Hic est sanguis noui testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Ita autem hoc testimonium quatuor isti præstantissimi explicant viri, vt quod vnus prætermisit, vel saltem minus distinctè, ac quasi in toto genere dixit, hoc alter (quod in vniuerso decursu Euangelici testimonij eos facere videmus) compleat, interpretetur, distinctius ac magis præcise dicat, atque explicet; vt omnis similitudinum, troporum, ac aliarum hæreticarum fraudium auferatur occasio. Nam cum D. Matthæus, cum D. Marco, dicta Christi retulissent, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus: idne aliquis per similitudinem vel tropum aliquem, quæ à testamentis vltimísque voluntatibus, præsertim vbi cum ipsis tutoribus ac hæredibus res agitur, alienissima esse solent, dictum esse putet? quod huius seculi nouatores autumant, D. Lucas, cum D. Paulo clariorem eiusdem testatoris verborum interpretationem addiderunt: Quod pro vobis tradetur: qui pro vobis effundetur; vt omnis dubitandi auferatur causa & ratio. Traditus est enim pro nobis Deus & homo, traditur & nobis Deus & homo: Effusus est pro nobis sanguis Dei & hominis, datur item nobis sanguis Dei & hominis. Quid illa quam magnifica est Pauli collectio, atque totius loci explanatio? quandoquidem hoc est corpus illud, quod pro nobis traditum
Hebræ. 10. est, & hic sanguis qui pro vobis effusus est: itáque quicunque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit, non panis aut calicis, neque figuræ alicuius aut similitudinis, sed ipsius corporis & sanguinis Domini, quod sub speciebus panis & vini continetur; quod ille pollutum duxerit, & sanguinem testamenti conculcauerit; reus erit amplissimæ maiestatis: vt qui non diiudicet corpus & sanguinem Domini à simplici & quotidiano cibo; & ob id iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Quid hac oratione clarius? quid explicatius? quid verius dici potest? Quod si vberiorem adhuc interpretationem

nem eorum verborum habere vis, audi ipſummet teſtatorem, apud Ioannem latius ſuum teſtamentum interpretantem. Caro mea verè eſt cibus,& ſanguis meus verè eſt potus. Qui manducat meam carnem,& bibit meum ſanguinem,in me manet & ego in eo. Sicut miſit me viuens pater,& ego viuo propter patrem: & qui manducat me,& ipſe viuet propter me. Hic eſt panis qui de cœlo deſcendit, non ſicut manducauerunt patres veſtri manna in deſerto,& mortui ſunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Audis, in me manet, & ego in eo? ipſe igitur eſt, qui in nobis manet, & in quo nos manemus. Audis,qui manducat me, viuet propter me? ille igitur ipſe manducatur, qui viuificat. Audis, qui de cœlo deſcendit? Deum autem verum deſcendiſſe, negare non potes,niſi Arianus aut Ebionita eſſe velis. Húcque illud pertinet, longè ſecius quàm iſti interpretantur: Verba quæ ego loquutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt,caro non prodeſt quicquam. Non quòd hic nõ ſit vera caro,ſed quod cum ſpiritu & vita,hoc eſt vero Deo coniuncta: vt quemadmodum ille viuit propter Patrem, ita & nos viuimus propter illum, vt rectè interpretatur Cyrillus. Ex quibus locis præclarè concludit magnus ille Hilarius: De veritate, inquit, carnis & ſanguinis Chriſti non relictus eſt ambigendi locus. Præclarè item Cyrillus Hieroſolymitanus: Cum igitur ipſe de pane pronunciauerit, ac dixerit, Hoc eſt corpus meum, quis audebit deinceps ambigere? Et cum idem ipſe tam aſſeueranter dixerit, hic eſt ſanguis meus, quis vnquam dubitauerit, vt dicat non eſſe eius ſanguinem? Aquam olim in vinum conuertit in Chana Galilææ, quod cùm quandam habeat cum ſanguine propinquitatem, facilè in illum tranſmutatur: & eum parum dignum exiſtimabimus cui credamus, quòd vinum in ſanguinem tranſmutet? Ad eas nuptias, quibus corpora copulantur vocatus, præter opinionem omnium hoc fecit miraculum: & non multò magis ſic eum corpus & ſanguinem ſuum fruenda nobis donaſſe, perſuaſum firmiter habebimus; vt ea cum omni certitudine tanquam corpus ipſius & ſanguinem ſumamus? Nam in ſpecie panis dat nobis corpus,& in ſpecie vini dat nobis ſanguinem:vt cùm ſumpſeris,guſtes corpus & ſanguinem Chriſti, factus eiusdem corporis & ſanguinis particeps. Sic enim efficimur Chriſtiferi, hoc eſt, Chriſtum in corporibus noſtris ferentes, cùm corpus eius & ſanguinem in membra noſtra recipimus. Sic ſecundùm beatum Petrum diuinæ naturæ conſortes reddimur,vt vel iam hic in hac vita illud compleatur: Et videbit omnis caro ſalutare Dei; quamùis in ænigmate, quamùis in ſpeculo, quamùis in ſacramento.

Ioan. 6.

Ioan. 6.

Li. 8. de Tri.

Catecheſi 4.

Hactenus fundamenta: ex quibus illud euidentiſsimè concluditur, Chriſtum in hoc ſacramento venerandum eſſe. Nam ſi in omni loco,omníque ſpecie Deus adorandus eſt: Chriſtus autem verus Deus & verus homo eſt,quem in hoc ſacramento eſſe euidenter demonſtrauimus: neceſſariò concluditur adorandũ eſſe: ídq; vi & natura ſua ex illis propoſitionib⁹ conſequitur. Quod ipſe Paulus primùm euidentiſsimè collegit conclusítque. Nam cùm vniuerſi cultus diuini,quem Græci latriam appellant,duę

partes sint: interior, inquam, cultus, & exterior: Interioris cultus illæ sunt partes: fides, spes, erga Deum & proximum charitas, discretio, atq; diiudicatio creatoris à rebus quæ creatæ sunt, sui probatio, puritas mentis, offensi proximi placatio. Exterior cultus illis partibus constat: ieiunio, sobrietate, omníque corporis mundicia, locorum, temporum, discrimine, omni denique honesta & submissa totius situs nostri compositione, vtramq; hanc partem cultus diuini ex his, quæ diximus fundamentis, ad hoc sacramentum adferendũ esse docet Paulus, illúdque omni parte adorandum, ídq; cum graui salutis discrimine. Quod ita esse vt melius animaduertatur, ipsius Pauli doctrinam audiamus: Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. Primùm quidem conuenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos; & ex parte credo: nam oportet & hæreses esse; vt qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. Conuenientibus ergo vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare. Vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum: & alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? laudo vos? In hoc non laudo. Et paulò post: Itáq; quicunque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indignè: reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autẽ seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Ideò inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Quòd si nosmet ipsos diiudicaremus, non vtique diiudicaremur. Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc damnemur mundo. Itáq; fratres mei, cùm conuenitis ad manducandum, inuicem expectate. Si quis esurit, domi manducet; vt non in iudicium cõueniatis. Cætera autem cùm venero disponam. Et Pauli quidem doctrina hæc est, quæ vel illas partes cultus diuini, Christo Domino in sacramento constituto, hoc quidem modo, vt audistis, tribuit, modò non surda aure audiueritis. Eadem est doctrina Patrum, eadem totius Ecclesiæ. Quo enim spiritu loquutus est Paulus aut Petrus, eodem spiritu loquitur Augustinus, Chrysostomus, & cæteri Sancti Patres. Cùm autem omnium sententias referre vnius orationis modus non ferat, quatuor solis testibus locupletissimis contenti erimus; duobus, inquam, occidentalis & duobus orientalis Ecclesiæ Patribus.

1. Cor. 10.

1. Cor. 11.

Ambr. lib. 3. de Spiritu S. cap. 12.

Primus igitur testis sit Ambrosius: Non mediocris igitur quæstio, & ideò diligẽtiùs cõsideremus, quid sit scabellum. Legimus enim alibi: Cœlum mihi thronus, terra autem scabellum pedum meorum. Sed nec
" terra adoranda nobis, quia creatura est Dei. Videamus tamen, ne terrã
" illam dicat adorandam Propheta, quam Dominus Iesus in carnis assum-
" ptione suscepit. Itáque per scabellum terra intelligatur, per terram au-
" tem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, & quam

Apostoli

Apoſtoli in Domino Ieſu (vt ſupra diximus) adorârunt. Neque enim diuiſus Chriſtus, ſed vnus. Neque cùm adoraretur tanquam Dei filius, natus ex Maria negabatur.

Auguſtin. in Pſalm. 98.

Secundus Auguſtinus, qui eundem ſimiliter locum tractans, eadémque verba expendens, inquit: Et adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt. Quid habemus adorare? ſcabellum pedum eius. Suppedaneum dicitur ſcabellum. Quod dicunt Græci ὑποπόδιον, dixerunt Latini ſcabellum: alii dixerunt ſuppedaneum. Sed videte fratres, quid nos iubeat adorare. Alio loco ſcriptura dicit: Cœlum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum. Ergo terram nos iubet adorare, quia dixit alio loco, quòd ſit ſcabellum pedum Dei. Et quomodo adorabimus terram, cùm dicat apertè ſcriptura: Dominum Deum tuum adorabis: & hîc dicit: Adorate ſcabellum pedum eius? Exponens autem mihi, quid ſit ſcabellum pedum eius, dicit: Terra autem ſcabellum pedum meorum. Anceps factus ſum, timeo adorare terram, ne damnet me qui fecit cœlũ & terram. Rurſum timeo non adorare ſcabellum pedum Domini mei, quia Pſalmus mihi dicit: Adorate ſcabellum pedum eius. Quæro, quid ſit ſcabellum pedum eius, & dicit mihi ſcriptura: Terra ſcabellum pedũ meorum. Fluctuans conuerto me ad Chriſtum, quia ipſum quæro hîc, & inuenio, quomodo ſine impietate adoretur terra, ſine impietate adoretur ſcabellum pedum eius. Suſcepit enim de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipſa carne hîc ambulauit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, niſi prius adorauerit: inuentum eſt quẽadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolùm non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando. Numquid autem caro viuificat? Ipſe Dominus dixit: cùm de ipſa commendatione eiusdem terræ loqueretur: Spiritus eſt qui viuificat, caro autem nihil prodeſt. Ideò & ad terram quamlibet cùm te inclinas atque proſternis, non quaſi terram intuearis, ſed illum ſanctum, cuius pedum ſcabellum eſt, quod adoras; propter ipſum enim adoras; ideò & hic ſubiecit: Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt.

Chryſoſt. Ho. 24. in 1. ad Cor

Ex orientalibus Chryſoſtomus: Hoc corpus, inquit, in præſepi reueriti ſunt Magi, & viri impii & barbari, longo itinere confecto, cum timore & tremore plurimo adorauerunt. Imitemur igitur ſaltem barbaros, nos, qui cœlorum ciues ſumus. Illi enim, cùm id præſepe & tuguriũm tantùm, neq; eorum quidquam, quæ tu nunc intueris, viderunt, ſumma acceſſerunt reuerentia & horrore. Tu verò non in præſepe id, ſed in altari, non mulierem quæ in vlnis teneat, ſed ſacerdotem præſentem & ſpiritum perabundè ſuper propoſito diffuſum ſacrificio vides. Nec ſimplex, vt illi, corpus intueris, ſed & eius potentiam & omnem cognoſcis adminiſtrationem, & nihil eorum, quæ per ipſum facta ſunt ignoras, & diligenter initiatus es in omnibus. Excitemur igitur, horreſcamúsque, & maiorem, quàm barbari illi præ nobis feramus pietatem, vt non ſimpliciter

„ter neque frigidè accedentes vehementiori igni caput obiiciamus. Hæc
Homil. 61. ad populi. Anti. & Hom. 3. ad Ephe. autem non dico, vt non accedamus, sed ne temerè accedamus. Et in alio loco idem Chrysostomus. Per id tempus, & Angeli sacerdoti assident, & cœlestium potestatum vniuersus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, angelorum choris plenus
Idem libr. 6. de sacerdotio. „est. Id quod credere abundè licet, vel ex tanto illo sacrificio, quod tum peragitur. Ego verò & commemorantem alium quendam audiui, cùm di-
„ceret, senem quendam virum admirabilem, ac cui reuelationum mysteria multa diuinitus fuissent detecta, sibi narrasse, se tali olim visione dignum habitum à Deo esse, ac per illud quidem tempus de repente angelorum multitudinem conspexisse, (quatenus humanus aspectus ferre poterat) fulgentibus vestibus indutorum, altare ipsum circumdantium: denique sic capite inclinatorum, vt si quis milites præsente rege stantes videat: id quod facilè mihi ipse persuadeo. Item & alius quidam mihi narrauit, non ille quidem ab alio edoctus, sed dignus habitus, qui id & vidisset ipse, & audisset, quòd qui de vita hac emigraturi sunt, si mysteriorum huiusmodi cum pura & munda conscientia fuerint participes spiritum efflaturi, ab angelis illorum, corpora satellitum more stipantibus, propter assumptum illud sacrum, hinc recta in cœlum abducuntur.

Damascenus. Chrysostomum Damascenus sequitur. Proinde cum omni timore „& conscientia pura, & indubitata fide accedamus: veneremur ipsum omni puritate corporis & animi: accedamus ad eum desiderio ardenti, manus in crucis modo figentes, crucifixi corpus suscipiamus, Amplissimũ „& illud est Nicenæ Synodi testimonium, quæ dicit, Non esse attendendam eam humilitatem specierum, sed fide attende agnum tollentem peccata mundi in mensa positum, & pretiosum & honorandum eius sanguinem, eúmque honora, mirare, & mente continge. Cui quidem vniuersæ vetustatis consensui, adiungendus est omnium Ecclesiarum, quæcunque in orbe nunc sunt & fuerunt semper, consensus ac conspiratio: orientalium (inquam) occidentalium, Africanarum, nostrarum item septentrionalium: in quarum autem omnium Liturgiis, statim post consecrationem, magno cultu & reuerentia, hoc ipsum sacramentum populo adorandum proponitur. A quo perpetuo omnium temporum atque locorum consensu recedere, vniusque & alterius hominis male feriati conuitiis & maledictis adhærere, an non extremæ est dementiæ? Continere hoc loco me non possum Stephane Rex, quin apud te Imperatorem maximum, hósque tuos milites, inusitato quidem exemplo, sed huic loco maximè accommodato, cuiusdam militis Gregorii Sanocei, breuem dehortationem recitem: qua post deuictos Turcos Wladislao Regi militibúsq; suis religioso furore percitus dissuadet, ne prolato sacramento Eucharistiæ iurent: néue illud prophanis Turcarum oculis subiiciant. Hoc enim Turcæ ad firmandam pacem, quam hac ratione sanctissimam putabant fore, à Rege Wladislao exposcebant, vt vel inde verè & simpliciter cognosci posset, quo loco hoc sacramentum fieret, quàm sanctè tam à

Chri-

Christianis quàm à Saracenis coleretur & adoraretur: Deus, inquit ille, Deus tam execrabile scelus auertas, vt qui paulò antè contra impios pugnantes, omnia tristia, difficiliáq, perpessi sumus, dum vinceremus; nunc rursus pro religione armati, & propemodum victoriam manu tenentes, sacrosanctum diuini mysterii arcanum sub prophanorum oculos sponte proferamus. Quid prima, quid hac secunda expeditione à nobis petitum? quid adeò ingentem belli molem, ex tam diuersis inter se regionibus Italia, Burgundia, Thracia euocare? quid denuò arma induere? quid hucusque progredi oportuit, si sacra nostra prodenda erant? minori nostro facinore per ignauiam domi inermes sedendo, pati potuimus illa prophanari, quàm nunc simus armati prodituri. Pudeat nos gratulationum, quibus nuper victores accepti: pudeat laudum, quibus vt Christianæ rei seruatores prope in cœlum modò elati sumus: pudeat denique obnoxios adeò nefariis cogitationibus, nos dignos haberi, aut in quibus totius Europæ Reges, & Principes spes suas collocauerint, aut pro quibus innumerabiles populi, & nationes, omnibus in templis ad Deum supplices manus tendant, pro victoria nostra vota nuncupando. Quanto sanctius prisci Romani, qui, capta à Gallis vrbe, ne sacra sua conspici possent, terræ infodêre? Nos victores nostra vltrò impiis prodere cogitamus: committemúsque, vt religiosius ab illis inanes quædam diuinorum persuasiones seruatæ dicantur, quàm à nobis sacrosanctum immortalitatis nostræ pignus, ac mysterium; & publicè nos eo facinore contaminabimus, quod si vnusquispiam sacrilega audacia perpetraret, seueriſsimè vindicaremus! Omitto, quantum piaculi à Deo contrahemus, qui non modò ab ipsius causa defecerimus, sed ipsum etiam testem, ac pignus defectionis nostræ impiis exhibuerimus: quid de nobis hostes sentire poterunt, videntes nos tanti pacem æstimasse, vt non minus sacrilegè iurauerimus, quàm ipsi impudenter postulauerint? Sed vt hæc pacis vtilitas leuiora videri faciat; omnia quæ aut in nostra, aut aliorum secta, religiosa altius elata sunt, quàm quæ humanis sensibus attingi queant, cæremoniarum velamento, sanctóque arcano mortalium animis infunduntur. Quæ si nuda in medium protrahantur, quia nullo humanæ rationis argumento subsistunt, & temerè asseuerari, & impudenter peti, vt credantur, apparet. Audiuêre dudum hostes, Deum à nobis præsentem coli, asseruaríque in sacrariorũ penetralibus: & quia ignorant, quo id pacto contingat, cùm de eo cogitant, nihil simile his, quæ terrena & momentanea cognoscunt; sed quicquid extra mortalitatis sortem positum putant, mentibus eorum occurrit: & id, quod quale sit nesciunt, tantæ nostræ de eo asseuerationi par figurant. Nos hanc ipsorum persuasionem, patefactis arcanis nostris corrumpemus, elatásque ad diuina, & cœlestia de sacris nostris mentes, ad caduca, & terrena reuocabimus, specie panis in conspectum exhibita, qua verum corpus Christi contineri, vt nos quidem scienter credamus, efficit diuina institutio, gratiáque in qua nati sumus! Quibus illi orbati, cùm res per se fidem non faciat, restant vt nos irrideant, veluti minimè possibilia cre-

Phili. Calima li. 3. de Wlad. Rege Poloniæ & Vngariæ.

„ lia credamus. Nolite per Deum committere, vt aboleatur ſacer ille hor-
„ ror, quo ipſorum animi perſtringuntur in bello, cùm ſecum reputant, ini-
„ turos ſe prælium contra nos, quibus adeò propitius ſit Deus, vt prope-
„ modum videndus nobis coràm pariter inter nos verſetur. Quantum de
„ noſtra, déq; religionis noſtræ maieſtate hoc facto minuetur, tantum cre-
„ ſcet apud illos audaciæ; crediturosſubinde, vt ipſis quidem videbatur, ex
„ ſpecie, quam intuebuntur, nos non modò in veri Dei tuitione non eſſe, ſed
„ nec in alterius cuiuſpiam. Multis modis ſtabilitati conuentorum caueri
„ poteſt (quamùis fidei pignus, regium verbum ſatis eſſe deberet) alíæq;
„ inter priuatos cautiones, aliæ inter principes exhibentur. Ad extremum,
relicturum ſe prophanata caſtra aſſerebat, ſi eo modo Rex iurare perge-
ret. Itáq; cùm videretur tam verè quàm è religionis, æque ipſorum, quos
alloquebatur vſu, & maieſtate dixiſſe, conſtitutum eſt, in confirmanda pa
ce, vt quiſq; proferret in medium ſacram hiſtoriam ſuam, quod Euange-
lium noſtri, Alcoranum illi vocant: quibus vbi ſuæ quiſq; dextram admo-
uit, religioſè iuratum eſt, conuenta ſeruata iri & ſancta, atq; inuiolata per-
manſura. Conferte hunc militem cum noſtris huius ſeculi, ſi diis placet,
glorioſis thraſonibus, qui hoc tale ſacramentum pedibus calcare, ac be-
ſtiis obiicere non verentur. Proh ſcelus, digna poſteritas genere Æacida-
rum. Verùm hæc hactenus.

Neq; ſolùm antiquitus adorabatur hoc ſacramentum, ſed omnes item gratiarum actiones, immortali Deo pro eius immenſis beneficiis ad eius oblationem, tanquam primi & ſummi beneficii habebantur. Itáq; & nũc antequam in omnibus Eccleſiis conſecratur atque offertur, primùm populus ad gratiarum actionem prouocatur: Gratias, inquit, agamus Domino Deo noſtro, &c. Recenſebantúrq; deinceps omnia Dei beneficia, ab iuſto Abel vſque & hanc diem, mundo præſtita, vt quidem ex Liturgia D. Clementis, Iacobi, & aliorum patet, pro illísq; gratiarum actiones fiebant. Memoriam enim fecit in hoc myſterio Deus omnium mirabilium ſuorum, quæ à ſeculo operatus eſt. Hoc, inquit, facietis in mei recordationem, id eſt, meorum erga vos beneficiorum memoriam ſempiternam. Indéque ſacramentum hoc Euchariſtiæ nomine, id eſt, gratiarum actionis, vocatur: cuius rationem exponit magnus ille Cabaſilas. Et hoc ſciens beatus Paulus, iuſsit pro omnibus gratias agere, ſcribens: Sẽper gaudete: in omnibus gratias agite. Hac de cauſa perfectiſsimã & exa-

Nico. Cabaſi. in expoſit. liturgiæ. ca. 25.

„ ctiſsimã noſtram cum Deo collocutionem, myſteriicõmunionis celebrati-
„ onẽ in quo mentionem facimus, non huius vel illius gratię; ſed omniũ, vt
„ ſemel dicam, Dei bonorum, & quæ actu nobis ſunt, & futura ſunt, Eucha-
„ riſtiam, hoc eſt, gratiarum actionem, nominare erat conſentaneum: non
„ ex iis, quæ in miſeria verſantes, & eam implorantes rogamus; ſed ex iis,
„ quæ Deus in nos confert, beneficiis: nec ex noſtra paupertate, ſed ex di-
„ uitiis illius benignitatis. Quia enim in ea Deo ſupplicamus, & gratias a-
„ gimus; ſed gratiarum quidem actio, Dei opus eſt, vt dictum eſt; ſupplica-
„ tio verò humanæ imbecillitatis: & gratiarum quidem actio propter plu-

ra; ſup-

ra; ſupplicatio verò pro paucioribus. Illa enim propter omnia, vt ſemel dicam bona; hæc verò in nonnullis: propterea oportebat ex melioribus & pluribus ei nomine impoſito, appellare Euchariſtiam. Ita enim etiam homo dicitur animal ratione præditum, licet ſit alicuius particeps, quod caret ratione, vt qui à meliori & maiori parte vocetur. Et maximè, quia primus, qui id oſtendit, Dominus noſter Ieſus Chriſtus; non ſupplicans, ſed ſolùm patri agens gratias, hoc myſterium porrexit & tradidit; & ea de cauſa, quod illud eſſe accepit, hoc vocat, Euchariſtiam nominans. Et hæc præclarè quidem Cabaſilas.

Neque gratiarum actiones tantùm ad eam ſacroſanctam arcam ſummo parenti reddebantur, ſed & omnes gratiæ omnésq; res neceſſariæ etiam ab angelis, ipſis hoc loco impetrabantur. Narrat hæc Chryſoſtomus. Tempore illo, mi frater chariſsime, non ſolùm homines clamorem illum horribilem reddunt, ſed etiam angeli Domino genuflectunt, & Archangeli rogant, habent ſibi tempus id idoneum, habent ſacram illam oblationem in fauore. Itáque vt homines ramos olearum gerentes mouere reges conſueuerunt: eóque arboris genere miſericordiam commemorant & humanitatẽ: ſic angeli tunc pro ramis oleaginis corpus Domini ipſum protendentes, rogant pro genere humano, quaſi dicant: Pro his Domine rogamus, quos tu adeò dilexiſti, vt pro eorum ſalute mortem obires, animam in cruce efflares: pro his ſupplicamus, pro quibus ipſe tuum largitus es ſanguinem: pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolaſti. Agitatos quoq; ob eam rem Diaconus tempore illo adducit, & iubet caput inclinare, cùm eos vnà cum fratribus orare non liceat: adducit eos, vt tu miſeratus, & quia tam acerbè vexantur, & quia vocem reddere nequeunt, tua facultate ad eorum vtaris defenſionem & auxilium. Et alio loco: Gratiam reddam, ſi vos docuero, quamobrem illa præ cæteris oratio ſolet fieri, & cur homines dæmone agitatos, & furore cõcitos teterrimo, adduci tempore illo, & capita inclinare iubet Diaconus. Qua de cauſa igitur ita agitur, dicam. Vincula perquàm praua & grauia, agitatio dæmonum eſt; vincula enim ferro validiora. Vt itáque tempore inſtante, quo iudex prodire, & pro tribunali ſedere ſolitus eſt, cuſtodes carceris, homines quos in vinculis tenent, omnes carcere educunt, & pro cancello ſeptísque fori collocant ſqualentes, ſordentes, coma expletos nimia, pãnis miſerrimè obductos: ſic patres ſtatuerant, vt cùm breui Chriſtum velut pro tribunali ſedere, in ipsísque ſacramentis apparere, futurum eſſet, homines dæmone agitati illi tanquam vinculis quibusdam retenti adducerentur; nõ vt rerum quas commiſiſſent examen ſubirent, modo eorum, qui in vinculis ſunt, nec vt luerent pœnas, & ſupplicio afficerentur; ſed vt populo vniuerſáque ciuitate præſente, communes pro his fierent ſupplicationes, vt omnes iugi concordia Dominum communem orarent pro his, & quod miſereretur, magno clamore contenderent. Teſtatur Nazianzenus hoc idem: Ægro erat corpore (ſoror erat videlicet) peſsiméq; affecto, ac morbus inſolens erat & prodigioſus, &c. Deſperatis aliorũ om-

Homilia 3. de incomprehenſibili Dei natura cõtra Anomœos.

Homil. 4. cõtra eoſdem Anomœos.

Grego. Nazi Orat. in laud. ſoror. ſuæ Gorgoniæ.

„ nium auxiliis,ad mortalium omnium medicum confugit, noctísq; intem-
„ pesta caligine obseruata, cùm leuiùs aliquantò morbus vrgeret, ad altare
„ cum fide procumbit, eúmque qui super illud colitur, cum magno clamo-
„ re obtestans, omnibúsq; nominibus appellans, atq; omnium rerum,quas
„ vnquam mirificè gesserat, commonefaciens (nam vtriusque testamenti
„ historias callebat) tandem pia & præclara quadam impudentia effertur:
„ eam, quæ Christi fimbria sanguinis profluuium compressérat, imitatur.
„ Quídque fecerit, audite. Caput cum pari clamore vberrimísq; lacrymis
„ (mulierculæ illius instar, quæ olim Christi pedes irrigârat) altari admo-
„ uens, nec se antè ab eo discessuram minitans, quàm sanitatem conse-
„ quuta sit, ac deinde hoc suo pharmaco totum corpus perungens,ac sic v-
„ bi quidpiam signorum pretiosi corporis aut sanguinis manus condiderat,
„ id lacrymis admiscens (ô rem admirandam) protinus liberatam se mor-
„ bo sentit, atque & corpore, & animo, & mente leuis abscedit: hanc spei
„ mercedem consequuta; vt quod sperauerat,obtineret,animæque firmita-
te,corpori firmitatem compararet. Memorabilis est illa Bernardi,his ta libus armis de Comite reportata,victoria.Peracto homo Dei Missæ sacrifi cio,& pace data & diffusa in populum, iam non se agens vt hominẽ, corpus Domini super patinam ponit, & secum tollit, atq; ignea facie, & flam meis oculis, non supplicans, sed minax foras egreditur, & verbis terribilibus aggreditur Ducem. Rogauimus te, inquit, & spreuisti nos: Suppli cauit tibi in altero, quem iam tecum habuimus conuentu seruorum Dei, ante te adunata multitudo, & contẽsisti: ecce ad te processit filius virginis, qui est caput & Dominus Ecclesiæ, quem tu persequeris: adest iudex tuus, in cuius nomine omne genu curuatur cœlestium, terrestrium, & infernorum: adest iudex tuus, in cuius manus illa tua anima deueniet. Numquid & ipsum spernes? numquid & ipsum sicut seruos eius contemnes? Lacrymabantur vniuersi qui aderant: & orationibus intenti, præstolabantur exitum rei, & omnium suspensa expectatio, nescio quid diuinum cœlitus fieri expectabat. Videns Comes Abbatem,in spiritu vehementi procedentem, & sacratissimum Domini corpus ferentem in manibus. expauit & diriguit: membrísque tremebundis metu, & dissolutis, quasi amens solo prouoluitur. Eleuatus à militibus,rursum in faciem ruit: nec quippiam alicui loquens, aut intendens in aliquem, concidit. Tum vir Dei excitat Comitem,& Dei sententiam audire iubet. Præsens,inquit, est Pictauiensis Episcopus, quem ab Ecclesia sua expulisti. Vade & recõciliare ei. Audiens hæc Comes, autoritate Spiritus sancti, & sanctorum Sacramentorum præsentia victus, nec audebat respondere, nec poterat. Sed statim occurrit, & in pacis osculo recepit Episcopum: & eadem, qua eum adiurauerat manu, cum totius exultatione ciuitatis, ad propriam sedem reduxit. Deinceps Bernardus cum Comite iam familiarius & suauius loquens, paternè eum monuit, ne tam impios & temerarios ausus amplius aggrederetur,& ne pacem factam in aliquo violaret. Et de Comite quidem hæc. Mitto cætera innumera eius generis, quæ indies his, qui

rectam

rectam fidem sequuntur, euenire videmus. In huius enim Christi nomine, qui in hoc est altari, omnia à Patre impetrari ipse filius docet: Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. *Ioan. 14.*

Quæ omnia cùm ita sint, restat, vt supra dicta scandala, conuitia, accusationes sua sponte ruant. Negat Caluinus adorandum esse hoc sacramentum: primùm, quòd hinc absit præsentia Christi: deinde, si adsit, tamen an hæc cum diuinitate coniuncta sit, nobis non constare. Negat Caluinus, ait Christus Dominus: tu vide, seruóne potius credas, an hero. Qua in re videre est, miras diaboli artes, miram inconstantiam, qui quanquam callidus sit artifex, peruersus veterator, non tamen sibi cohæret. Dum Caluinus vult auferre præsentiam corporis Christi, dicit: quia Caro non prodest quidquam: Verba quæ dixi, spiritus & vita sunt. *Ioan. 6.* Dum idem deinde vult negare adorationem, carnem commendat, Deum & spiritum negat. Sic falsum nunquam sibi cohæret. Figura est, non res ipsa, dicit Caluinus: negat Christus, negant sancti Euangelistæ. Non sicut Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt: qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Patres, inquit, vestri manducauerunt figuras, & mortui sunt. Hæc, est veritas: & ideò qui manducat me, viuet propter me. Periculum esse dicebat Lutherus atque Melancthon, ne simul panis, vel saltem eius accidentia adorentur. Nihil nũc dico de istorum impanatione: neque enim res præsentis est negotii: & ipsa veritas dicit: Hic est panis qui de cœlo descendit, non de terra. Illud quæro, cur non item timeant, quando Christum super omnes cœlos constitutum (siquidem hoc aliquando faciunt) sublatis oculis adorant, ne simul cœlos cœlorúmque orbes adorare videantur? Aut quomodo Moyses non timebat, ne rubum simul ardentem: Ioannes, ne vterum matris: hæmorrhousa, ne vestimenta quæ tangebat, adoraret. Nam & hæc accidentia panis & vini, nihil aliud sunt, quàm inuolucra quædam & vestimenta intus latentis Iesu Christi. Nugæ igitur hæ sunt, non argumenta. Extra, inquit, vsum, sacramentum non est. Quis hoc docet? Lutherus fortasse, aut Philippus. Quis alius? nemo. Qua scriptura suffulti? nulla. Quo ex antiquis autore? nemine. Quod ergo verbo affirmatur, verbo reiicitur. Atqui contrarium dicit Vna, Sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesia, quę est columna, & firmamentum veritatis. Vt enim inter Israëliticum illum populum, tam in deserto, quàm in ipso Salomonis templo, habitabat gloria Domini super Cherubin, quæ præcedebat & deducebat populum illum: vnde cùm eleuabatur arca, cantabat populus: Surge Domine & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te à facie tua: cùm autem deponebatur, canebat: Reuertere ad multitudinem exercitus Israël. Ita nunc in hac peregrinatione nostra, gloria Iesu Christi atque adeò ipse Iesus Christus, is hac arca templi nobiscum perenniter commorari credendus est: Verbum enim Dei manet in æternum: vsus noster momentaneus est. *Num. 10.*

Alia dicunt, Sacramenta non adorantur. Quia Dominum sacramentorum

torum non continent, ſed ſolam eius gratiam præſeferunt: nec in materias eorum verba feruntur, ſed potius in perſonas quas ſanctificant: Ego te baptizo: &, Ego te abſoluo, & ſimilia. at hic illud ſuper ſpecies viſibiles panis & vini exauditur, Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus. Præclarè ſiquidem in diuinis magnus ille Dionyſius, hoc ſacramentum tri plici ex parte alia ſacramenta ſuperare docuit: vel quòd in illo ipſe Chriſtus præſens contineatur, commune bonum totius Eccleſiæ, in aliis autem virtus quædam participata ab ipſo Chriſto Domino: vel quòd alia omnia comparata ſunt ad illud tanquam ſuum finem: vel quòd omnia in illo cõſumantur: indéque finis & conſumatio omnium ſacramentorum ab eodem dici ſolet. Sed iſti rerum modos & differentias non norunt.

Manducatione eſt colendum, non veneratione, aiunt: Hoc oportebat facere illud non prætermittere, dicebat in ſimili cauſa Chriſtus Dominus: imò ipſe Deum hominésque teſtor, non melius nec efficacius coli, quàm vſu & frequenti cõmunione. In quo equidem ſummè reprehendenda eſt noſtra vel ignauia, vel ingratitudo. Vſq; adeò Dominũ noſtrum non amamus, adeò illi non ſubiicimur, vt ne ad menſam quidem eius ſpontè venire velimus, niſi pœnis & excommunicationibus adacti. O ſupinam negligentiam: ô animos beneficii tanti immemores!

Non, inquiunt, cauſa eſt in ſacramento, vt colatur, ſed vt manducetur. Neque ea item cauſa aut inſtituto fuit in vtero, in præſepio, in naui, tamen colebatur & adorabatur.

At nonnunquam in fœdis & fœtulentis, tam locis, quàm animantibus reperitur. Veſtro vitio & impietate: Deo vero nihil fœdum, nihil fœtulentum eſt, præter ventrem peccatoris, & tuum iſtud os impudens.

Surſum, inquis, corda tenenda. Quis dubitat? idem enim Chriſtus qui ſurſum eſt, hic colitur.

Nuſquam, inquiunt, ſcriptum, nuſquam imperatum eſt vt colatur. *Deut. 6.* Imperatum verò: Dominum Deum tuum adorabis, illi ſoli ſeruies. Sed *Luc. 24.* neque Apoſtolis ſimiliter imperatum fuit, vt aſcendentem in cœlos: neq; *Luc. 2.* paſtoribus, vt in præſepio iacentem: non Magis, vt in cunis poſitum illum *Matt. 2.* venerarentur. Sed iſti ignauorum ſeruorum more, ex præſcripto Deo ſeruire volunt.

Progreſsi ſunt demùm quidam ex illis ad illud impietatis & impudentiæ extremum, vt tantum donum Dei, quod ſacramentum ſacramentorum tremendũ arcanum vniuerſa vocat antiquitas, fœdiſsimo Maozim Idolo, quòd ipſum Antichriſtum adoraturum falſo Danielem docere autumant, comparare non erubeſcant; imò ipſum Idolum eſſe dicant. Verba Dani- *Daniel. 11.* elis ſunt: Et Deum patrum ſuorum non reputabit: & erit in concupiſcẽtiis fœminarum: nec quanquam Deorum curabit, quia aduerſum vniuerſa conſurget: Deum autem Maozim in loco ſuo venerabitur: & Deum quem ignorauerunt patres eius, colet auro, & argento, & lapide pretioſo, rebúsq; pretioſis. Et faciet vt muniat Maozim cum Deo alieno, quem cognouit: & multiplicabit gloriam, & dabit eis poteſtatem in multis, & ter-

ram

ram diuidet gratuitò. Hæc Daniel. Quem locum illi absurdissimè interpretantes, Maozim Idolum dealbatum, auro, argento, gemmis, lapidéq; pretioso inclusum vocari, à nullo magistro docti,& ex non scriptis discentes falsissimè putant. Indéque colligunt, summum Pontificem Antichristum esse, qui hunc ipsum Deum in hoc mysterio adoret. Quàm autem verè hæc illi comminiscantur, quantáque hæc sit calumnia, inimici nostri sint iudices, Iudæi, inquam, & Gentiles. Prodeant primò Iudæi, ex quibus Aquila, ex Christiano factus Iudæus: hic Maozim interpretatur, Dei fortitudinem. Theodotio ex Christiano Martionista, transtulit præsidia, hunc in modum: Et aget hæc, vt muniat præsidia cum Deo alieno: & cùm eis ostenderit, multiplicabit honorem,& dominari eos multis faciet, & terram diuidet gratis. Symmachus ex Samaritano Iudæus, pro præsidiis confugia interpretatus est. Septuaginta exponunt, Deum fortissimum, &c. Prodeant Gentiles. Ex his vnus pro omnibus Porphyrius,homo ad religionem Christianam sugillandam natus,is in hunc modum locum totum interpretatur, vt dicat, in vico Modin (vnde fuit Matathias & filii eius) Antiochi duces, Iouis posuisse statuam, & compulisse Iudæos,vt ei victimas imolarent, id est,Deo Modin faciet,inquit,hęc,vt muniat arcẽ Hierusalem, & in cæteris vrbibus ponat præsidia, & Iudæos doceat adorare Deum alienum; haud dubium,quin Iouem significet. Quem cùm illis ostenderit, & adorandum persuaserit; tunc dabit deceptis honorem, plurimam gloriam: & faciet cæteris qui in Iudæa fuerint dominari,& pro præuaricatione possessiones diuidet, & dona distribuet. Antichristus quoq; multa deceptis munera largietur, & terram suo exercitui diuidet; quósq; terrore non quiuerit, subiugabit auaritia. Hæc Porphyrius. Vnde,vel inimicis ipsis testibus,clarum est,per Maozim nõ tam Deum,quàm locũ intelligi,arcémq; ipsam, quã Antichrist⁹ Hierosolymę habebit,quam eo nomine insigniet. Clarè enim dicit Daniel: Et faciet vt muniat Maozim cũ Deo alieno,quem cognouit.Vbi Maozim,non esse Deum,sed locũ potius,in quo adorabit Deũ suum Antichristus auro,argento,gẽmis,lapidibúsq; pretiosis inclusũ,disertè docetur. Ita istę araneę,ex optima quaq; herba exitiosa suę blasphemię venena sugũt: illísq; voculis,quas neq; ipsi, neq; isti qui eos mirãtur,diuinósq; homines prædicãt,norunt,stultę impo nũt plebeculę. Theodoretus certè longè alio modo hũc locum intelligit, cũ in hunc modum scribit: Cùm enim parẽtes illius agnita propria natura,Deum qui omnibus præest, seipsos nominare non ausi fuerint; iste Deum fortem & potentem, hoc enim significat Maozim, seipsum appellat: illud enim, in loco suo, pro, seipsum, posuit: eriget enim ipse sibi templa, & argento, & auro, & lapidibus pretiosis ipsa exornabit, & subiiciet ipsis multos, deceptos videlicet donis,vel suppliciis mollitos,sed etiam terram diuidet in donis: subiectis enim sibi populis, qui impietati consenserint, regionem plurimam largietur. *Theod.in Da.*

Obstructum est igitur os loquentium iniqua: blasphemiæ contra domum Dei sublatæ: pudor & fides vnicæ sponsæ Iesu Christi vindicata: ac

ille cultus qui idololatria esse putabatur, vera Christi latria atq; adeò Theosebia esse demonstrata est; istorum autem malicia, improbitas, calumnia, ac mera erga Christum & eius sponsam impietas, conuicta & retusa, qui non tantùm ipsi hoc sacramentum non adorant, sed etiam alios, qui hoc agunt maximis conuitiis incessunt: parum est hoc, sed vltrà fœdissimis maledictis tantum mysterium proscindunt. Neque hic consistunt, sed ex altaribus, quæ antiquitas Sancta Sanctorum, Cathedras Christi, thronum Dei, requiem, propitiationem, Magni sacrificii officinas, Christi monimenta, eius gloriæ tabernacula appellare solebant, effræni & perdita audacia deiiciunt, pedibus nefandis conculcant, canibus etiam proiiciunt. O tempora, ò mores! Aspicisné hæc æquis oculis Iesu Christe? & si aspicis, cur non vindicas? an benignitate & longanimitate tua eos ad pœnitentiam prouocas? an iam amplius illos, qui extremus furor tuus est, quæ summa pœna, hîc illos punire non vis? Tuæ enim illæ sunt voces:

Osee. 4. In quo amplius percutiam vos, amplius non percutiam vos. Et: Non visitabo, inquit, super filias vestras, cùm fuerint fornicatæ, & super sponsas vestras, cùm adulterauerint. Nam quorum aliquando misereri vis, de his

Psalm. 88. illud dicis: Visitabo in virga filios eorum, verùmtamen misericordiam meam non auferam ab eis. An indignos cœlesti miraculo putas, ne fortè conuertantur & viuant? An præstolaris vt compleatur mensura malitiæ eorum? An illud expectas, dum hic Rex Stephanus, aliíque Christiani Principes tuam aliquando ex istis vindicent iniuriam?

Verùm quæ tandem causa est, cur tantopere eam huius sacramenti adorationem impugnat diabolus? an vt Christi cultu sublato, ipse in manu facto aliquo colatur idolo? homo enim semper re sensui subiecta, in qua oc cupetur, opus habet. An quod facilè videt, quãdiu publicè Christ⁹ in hoc sacramento colitur, tamdiu veritatem corporis & sanguinis Christi cõtra omnes hæreticos vindicari posse: neque alio modo ea efficacius asseri, & demonstrari, ac quasi oculis subiici solet? Vnde isti vbi primum eam adorationem sustulerunt, statim eodem tempore veritatem ipsam corporis & sanguinis amiserunt. An quòd rectè cernit, stante adorationis fide: cõfessionem humanitatis & diuinitatis Christi contra omnes hęreticos permansuram semper? Vt cùm dixerint nobis filii nostri, quæ est ista religio, cur hic panis circumfertur, cur adoratur? Respondeamus illis, corpus & sanguis Iesu Christi verus hic adest: hic autẽ Iesus Christus, verus Deus & homo est; ita vt nunquam pereat eius rei memoria de ore hominum. Vnde isti excluſa tantorum mysteriorum adoratione, Dei & hominis item cõfessionem excluserunt. Exoriuntur denuò noui Porphyrii, Iuliani, Celsi, Luciani etiam, non quidem doctrina & eruditione, à qua longissimè absunt, sed malitia, impietate, temeritate, impudentia, odio Christi ac eius religionis, qui specie magis Philosophiæ, quàm ipsa Philosophia imponũt hominibus. Vera enim Philosophia, hæc dico, quæ foris est, Trismegisto, Pythagora, Archita Tarentino, Platone, Xenophonte, Aristotele, Theophrasto, Proclo, Plotino, Philone, Psello, Iamblico, Cicerone, Seneca, Epicteto,

ćteto, Plutarcho, & aliis, qui horum fuerunt interpretes, continetur: quos isti, ne à prima quidem fronte salutarunt, sed ipsos solos nescio quos scholæ cursus cucurrerunt, potius quàm institerunt in illis, moréque vtris pauca quædam grana continentis suam diuinam iactantes sapientiam mortalibus circumstrepunt. Hac, inquam, specie Philosophiæ paucísque Sophismatibus inde petitis, maléque intellectis, freti, summam Trinitatem, in cuius nomine baptizati sunt, blasphemare non erubescunt: Christum æterni patris hæredem sua diuinitate, cuius ille particeps eos fecerat, ipsi perditi & ingrati spoliare non reuerentur. Quos dum stultis & blasphemis suis paradoxis adorationem huius sacramenti impugnabant, isti, qui nunc se cœlum digito contingere putant, libenter audierunt, & riserunt, in cœlósq; sustulerunt, nunc perferre non possunt. Placuerunt tunc cortices Aristotelis, nunc displicent: serò medicina paratur: quibus rectè illud Poëtæ obiici potest: Vestra est progenies, vestro de sanguine creti. Videt denique diabolus in hoc beneficio omnia Christi contineri beneficia, quorum memoriam ille extinguere, penitúsque abolere nititur. Magna igitur hæc sunt arcana, magna mysteria, sed homo animalis non intelligit ea quæ sunt spiritus.

Non ipsum autem solùm diuinæ Eucharistiæ sacramentum in eo honore, quo dictum est, antiquitus habebatur, sed vasa etiam ipsa sacra atq; altaria, pro sanctissimis colebantur, atque instar reliquiarum honorabantur. Patet hoc ex cõstitutionibus Apostolicis, patet ex infinitis locis Diui Chrysostomi, patet ex Optato, cuius illa pulcherrima verba sunt: Quid, inquit, tam sacrilegum (reprehendens Donatistas) quàm Dei altaria, in quibus & vos aliquando obtulistis, frangere, radere, remouere, in quibus & vota populi, & Christi membra deportata sunt? *Homil. 36. in 1. Epi. ad Cor. Ho. 20. in posteriorem. Homi. 24. ad Ephe. Ho. 53. & 65. ad popul. An. Opt. li. 6 cõ. Parmenia.*

Quæ autem mensura, & quis modus laudis & adorationis huius mysterii esse debeat, præclarè docet Magnus ille sacramenti huius amator & assertor D. Thomas: cuius ego ingenium, iudicium, eruditionem, vitæ sanctitatem, omnium nouatorum qui sunt, fuerunt, nascentúrque ex illis ingeniis, iudicio, eruditione, vitæ denique integritate libenter antepono. Quantum potes, inquit, tantum aude, Quia maior omni laude, Nec laudare sufficis. Sit laus plena, sit sonora, sit iucunda, sit decora Mentis iubilatio. &c.

Modum verò & rationem eius cultus & adorationis, habent suum orientales Ecclesiæ, habent & occidentales. Occidentales illum amplexæ sunt, qui & sacræ scripturæ vicinior, & Christo in eius vita fuit charissimus, & pro quo ipse aliquando mirum in modum contra inuidos Scribas & Pharisæos pugnauit: eum scilicet, quem in die Palmarum pueri Hebræorum magnificè illi in vrbem ingredienti, ac futuræ victoriæ triumphum deportanti, præstiterunt. Præcedebat ibi turba, & sequebatur aduenientem Dominum; præcedit, & sequitur hîc: vestimenta sua sternebat in via; sternit & nunc: ramos de arboribus in occursum eius proiiciebat; proiicit & nunc: flores fundebat; fundit & nunc. Adde Dauidicam

cytharam, tympanum, & chorum; vt omnis ſpiritus laudet Dominum. Adde Mariæ Magdalenę vnguenta & ſuffitus pretioſos. Lampades item ardentes cum prudentibus virginibus, quæ obuiam prodierunt ſponſo & ſponſæ. Non ſunt hæc, inquiunt, præcepta aut imperata à Domino. Ne pueris quidem illis tum præcipiebantur, quando fiebant, qui quantò magis ne id facerent arcebantur, tantò magis magísque effusè & alacriter id faciebant. Prohibebantur turbæ, ne miracula Chriſti prædicarent: at quantò magis prohibebantur, tantò magis laudabant. Nunquam decem leproſi redire iuſsi ſunt: gratum tamen Domino fuit, vnum rediiſſe. Verùm de cultu & adoratione huius ſacramenti, ita vt propoſueramus, hactenus.

Quo in loco duo hominum genera, priuſquam cauſam totam concludo, ſunt mihi ſeriò commonenda. Primùm iſtud modernorum religionis Chriſtianæ deformatorum aut potius euerſorum, vt ſecum diligenter etiam atque etiam cogitent, quid agant, vbi locorum ſint, quo tendant. Illúdque inprimis Pauli attentius ſecum perpendant: Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine vlla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur; quantò magis putabis illum mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit, ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit? Quomodo enim illi Chriſtum non calcant, quomodo ſanguinem teſtamenti non pollutum ducunt; dum tantũ ſacramentum irreuerenter habent: dũ tot blaſphemiis proſcindunt: dum toties ex altaribus deiiciunt: dum canibus etiam obiiciunt? Deinde expendant diligenter illud, quod à Salomone eſt dictum: Qui affligit patrem & fugit matrem, ignominioſus eſt & infelix. Oculum qui ſubſannat patrem, & deſpicit partũ matris ſuæ, effodient eum corui de torrentibus, & comedent eũ filii aquilæ. Qui maledicit patri ſuo & matri, extinguetur eius lucerna in mediis tenebris. Iſti verò non ſolùm matrem ſuam, ſponſam autem Chriſti affligunt, non ſolùm fugiunt, ſubſannant, atque deſpiciunt; ſed etiam, quod improborum filiorum eſt, pudorem eius in dubium vocant: ſpiritualem fornicationem atque adulterium illi obiiciunt. Quòd ſi illa adultera, qui tandem iſti filii? nam ex illa ſe natos eſſe negare non poſſunt, quamùis in illa non remanſerunt. Noli, inquit, gloriari in ignominia patris tui: neq; enim tibi tam gloria, quàm probrum eſt: & ſi ſenſum amiſerit, veniam habe. Ideò infames ſunt: ideò corui ſpirituales depaſcunt illos: ideò extinctum eſt lumen veritatis lucernæ eorum. Poſtremò illud ſecum reputent diligenter, grauem & inhumanam rem in honeſta fœmina eſſe, pudoris & honeſtatis, támq; ipſi quám ſponſo eius, contumelioſam & peracerbam calumniam eſſe: & quam Deus acer abſconditorum inſpector grauiter vindicare ſolet. Apparuit hoc in Suſanna honeſtiſsima fœmina, cuius illæ ſunt plenæ mœroris & acerbitatis voces: Deus æterne, qui abſconditorum es cognitor, qui noſti omnia antequàm fiant, tu ſcis quoniam falſum teſtimonium tulerunt contra me; & ecce ego morior, cùm nihil fecerim horum, quæ iſti malitioſè compoſuerunt aduerſum me. Exaudiuit autem hæc talia Dominus, & ſaluatus eſt ſanguis innoxi-

Heb. 10.

Prouerb. 19.

Ibidem 28.

Ibidem 2.

Eccle. 8.

Daniel. 3.

innoxius in die illa. Quòd si Susannæ iniuriam tantopere in perditis illis senibus vindicauit ille, qui iudicat æquitatem; quantò magis contumeliam sponsæ filii sui, matris autem quondam istorum Ecclesiæ suæ vindicabit? cuius quidem diuinæ vltionis ac vindictæ, iam magna in illis, non tàm vestigia, aut indicia obscura, quàm res ipsa conspicitur. Vt enim impudici & scelerati illi senes, nusquam sibi cohærere, nusquam secum conuenire in calumnia innocentis fœminæ potuerunt; ita isti nunquam aut inter se, aut ipsimet secum simul concordes esse possunt.

Secundum genus hominum est, nostri parum morati Catholici, qui in eo turpius delinquunt; quod cùm certò credant, sibíq; persuadeant, in hoc sacramento verum Deum & hominem contineri, veniunt tamen in conspectum Dei sui, mente, & animo incesto, corpore fœdo, oculis proteruis, ore ebrio, lingua effrena, ventre crudo, gestu & incessu tumido & perfracto, in vestitu scurrili & impudico, sonipedes, cum cohortibus, fustibus, gladiis & armis, vt quondam Iudæi ad capiendum eundem Christum Iesum veniisse leguntur: canibus, accipitribus, scurris denique, & histrionibus comitati, ac demum insalutato hospite, terga & latera contra altare obuertunt, ac variis sermonibus ac insolentiis cõplent omnia. Quod si hæc in populo ferenda non sunt; quantò minus in templi & eius sacramentorum ministris, in sacerdotibus, inquam, ferenda erunt? Quàm autem id præclarè fiat, audiant Chrysostomum: Cæterùm, vt his tunc succensui, qui orationem huiusmodi negligerent, foríq; tempore eo versarentur; sic in præsentiarũ his, qui intus circumstant, succensendum vtiq; reor: non quia intus manent, sed quod cum eo quo debeant maneant loco, nihilo melius afficiuntur, quàm qui foris euagantur. Disputant enim inter sese, & aut iocantur, aut negocia tractant tempore illo perhorrendo. Et paulò post: Haud illa Diaconi exhortatio recti constantísque fruſtra & sine causa instituta sancitáque est; sed vt nostras repentes humi cogitationes erigeremus, &c. Cogita apud quem proximè stas, quibus cum inuoces Deum, scilicet cum Cherubim, cum Seraphim, cum omnibus cœli virtutibus: animaduerte quos habeas socios: satis hoc tibi sit ad sobrietatem, cùm recordaris te corpore constantẽ, & carne coagmentatum, admitti cum virtutibus incorporeis cõmendare omnium Dominum. Hęc Chrysostomus. Antiquitus quidem certè longè secus quàm nunc videmus, hæc tractabantur mysteria: nam neque infideles, neque Cathechumeni, neque aliquo lethali peccato obnoxij, in eorum conspectum admittebantur: cúmque publicè proferri debebant, illi qui ex hoc genere hominum erant foras excludebantur, illúdque à Diacono magna voce pronunciabatur: SANCTA SANCTIS. De ipsis autem sacri arcani mysteriis, nemo nisi sacer mystes, atque sacerdos aut dicere, aut docere quicquam audebat: dúmque tàm sanctè tàm honorificè hoc fiebat, tùm & dona innumerabilia, curationum, inquam, linguarum, prophetiæ, aliáque plurima homines illi inde prolixè referebant, & cõsolationibus nouis quotidiè perfundebantur. Nunc ijdem eximus de templo, qui ingredimur, & vtinam ijdem & non deteriores. Cogi-

Hom. 4. contra Anom.

Cogitate igitur, vos nunc in conſpectu eius conſtitiſſe, ante cuius tribunal ſtabitis aliquando, omnium dictorum & factorum veſtrorum, & eius ipſius cultus & reuerentiæ rationem reddituri, & à quo vel æternam ſalutem pro rebus præclarè geſtis, vel damnationem pro ſecus admiſſis reportaturi eſtis. Aſpergite cinere capita veſtra; & adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt.

Ierem. 25.
Pſalm. 94.

Tu quoque Magnanime Rex, accipe hanc lucernam, teſtem caſtæ & intemeratæ fidei tuæ: hácque tua tibi innata modeſtia & manſuetudine comite, quæ te magis, quàm aut hæ ipſæ gemmæ, aut hæc purpura, omníſq; iſta ſtipatorũ manus exornat, Chriſto tuo qui te vnxit, participémq; Regni & Imperii ſui fecit, prodi obuiam, ſequere ſeruus Dominum, ſubditus Regem, creatura creatorem tuum. Ridebit tè credo filius Belial: riſit & Michol Dauidem ante arcam ſaltantem: at magnificè Dauid eum riſum contempſit: Viuit, inquit, Dominus, quia ludam ante Dominum, qui elegit me potiùs quàm patrem tuum, & quàm omnem domum eius; & præcepit mihi vt eſſem dux ſuper omnem populum Domini in Iſraël, & ludam & vilior fiam, plus quàm factus ſum, & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis de quibus loquuta es, glorioſior apparebo. Eundem ſenſum tu accipe: quantò enim abiectior & humilior in oculis tuis fueris, tantò maior ac illuſtrior apud Deum & mortales omnes apparebis.

2. Reg. 6.

Tu verò bone Paſtor, panis vere, Ieſu, noſtri miſerere: tu nos paſce, nos tuere: tu nos bona fac videre in terra viuentium. Amen.

AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. STANISLAVM KARNKOVIVM, Archiepiſcopum Gneſnen. Primum Regni Principem.

DE cœleſti Hieruſalem vnica ſponſa Ieſu Chriſti Eccleſia Dei, nuper ad Sereniſsimum Regem meum libros aliquot, nec dum à nobis editos, conſcripſimus; quænam, inquam, & qualis illa ſit, vbi inueniatur, quibus ſignis & indiciis à falſis & ementitis Eccleſiis diſtinguatur. Nunc de eius dote & hæreditate, quaſi continua ſerie ad te ampliſsimum Archipræſulem aliquid hoc tali tempore conſcribendum putauimus: id autem potiſsimum eo animo, quòd non ignoramus, vt quondã de veſtimentis Ieſu Chriſti in cruce pendentis, ita nunc in his Comitiis de ſorte & poſſeſsione illius, infinitas contentiones, pugnas atq; rixas futuras, ſortémque ſuper illam, cum militibus illis, auaros & egentes homines miſſuros, qua ſublata, religionem vniuerſam, fidem Chriſtianam, cultum diuinum, decorem domus Domini, doctrinam, ſcholas, humanitatem, elegantiam denique omnem publicè atque priuatim auferri opor-

oportebit,ipſámque Eccleſiam Dei in hac Repub. labefactari neceſſe erit: non altare ſacerdotem, non cathedra doctorem, non chorus cantorem, non ſchola magiſtrum,non aula ipſa ſcribam, non Reſpub. ſua ornamenta habebit, nam & iſti catelli de huius ſponſæ micis in hac Reipub. paupertate viuere & educari ſolent: ſed & iſti ipſi ſorte Domini non amplius ditabuntur, ex obſcurísq; clari euadent. Quod igitur præſentes viua voce, niſi aduerſa valetudine impediti fuiſſemus, facere debebamus; id abſentes iuxta Græcorum prouerbium κατὰ δεύτερον πλοῦν, hoc eſt, remis,vbi velis non licet, nauigantes,quod Iſocratem aliquando feciſſe legimus, ſcripto præſtare voluimus. Vbi quæ ſint partes eius compoſitionis, quæ dos Eccleſiaſtica, quod illius ius & æquitas, Verbo Dei, recta ratione, omnis vetuſtatis ac ſanctorum patrum teſtimoniis, rudiorum cauſa clarè & ſimpliciter docemus, ea quæ iuris legúmque paternarum ſunt in ea re peritioribus relinquentes. Ad te autem potiſsimum Reuerendiſsime Antiſtes, eam noſtram commentationem mittimus: vel quòd primus eius ipſius pulcherrimæ mulieris in regno hoc ſponſus & tutor ſis: vel quòd omne certamen,pro eius dote & hæreditate ad te primò & præcipuè pertineat; vt qui & in clero regni huius ſupremus ſis Pontifex, & in Repub. primus Princeps;vnáq; manu Eccleſiã Dei,altera Rempub. ipſam teneas,ac quaſi in complexum vtraq; adducas: vel quòd in tali tempore ſub tuum vexillum omnes qualiacunque arma & præſidia ferentes, ſe referre ac confugere oporteat: otioſum autem ea tempeſtate Eccleſiaſticum hominem eſſe, nullo modo conueniat. Hæc autem qualiacunque ſunt ad te mitto: non vt aliquid ſplendoris nomini tuo addam, quod & ſponte ſua clariſsimum eſt, & longè diſertiores præcones habet, & quod ſeipſum cum ampliſsimo magiſtratu, tùm præſtantiſsimis rebus geſtis, doctiſsimísq; ſcriptis ac cogitatis, abundè commendare poteſt; ſed vt debito officio meo ſatisfaciam, ac penſum quodammodo perſoluam. Tu enim ſtudiorum meorum aliquando magnam partem adiuuiſti: tu me vnà cum ampliſsimo Cancellario, magnóq; belli Duce Zamoiſcio,de manu tua Regi meo tradidiſti: tu vſq; adhuc amas & quantum potes ornas. Verùm non me ſolum, ſed & omnes alios, in quibus modò ſit aliqua ſignificatio virtutis atque induſtriæ. Itáque omnes boni,omnes artium bonarum ſtudioſi ad te currunt, te appellant,apud te virtutis & induſtriæ ſuæ,tutiſsimum portum & requiem conſtitutam eſſe putant,te parentem, patronum, Mœcenatem laudant. Verùm hæc ipſi illi melius prædicent. Nunc teipſum Antiſtes illuſtriſsime erige atque excita: ac quantum tibi certamen pro dote & hæreditate Eccleſiæ Ieſu Chriſti tali tempore incumbat, diligenter circumſpice. Nunc tuum tibi proprium campum apertum putes: nunc illud robur neruúmque inſuperabilem animi tui, induſtriæ, doctrinæ, vigilantiæ, ſtudii, diligentiæ, perennis cuiusdam animi ſolicitudinis, quibus quondam omnia cedere ſolebant, quibus omnia ſuperaſti, intende. Nunc te virum demonſtra,atque hac ratione ſempiternum monumentum gloriæ, ac immortalitatis tuæ, ad omnem poſteritatis memoriam erige.

Ad quam

Ad quam rem rectè perficiendam, mittat tibi Dominus auxiliũ de ſancto, & de Sion tueatur te: memor ſit omnis ſacrificii tui,& holocauſtum tuum pinguefiat: tribuat tibi ſecundùm cor tuum, & omne conſilium tuum cõfirmet. Vale diu felix, & viue Eccleſiæ Dei, & Reipub. tuæque immortalitati; ſed & Socolouio.

STANISLAI SOCOLOVII

ORATIO ECCLESIASTICA SEXTA,

Pro dote Eccleſię Dei, & hæreditate Chriſti.

Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Matt. xxij.

COmpoſitionis pacis & concordiæ diu multúmque à vobis laudatæ & appellatæ cauſa, inter vos, Deum ordinémq. ſacrum, quæ tot annis, errore, malicia, inexplebili hominum improborum cupiditate turbabatur; vos tãdem aliquando huc frequentes confluxiſſe video, atque etiam gaudeo. Si enim verè & ex animo ſine fuco & fallaciis id facitis, rem magnam & pulcherrimam aggredimini, vt, qua nulla neque vtilior, neque iucundior, neque magis aut Eccleſiæ Dei, aut ipſi Reipublicæ ſalutaris magísque neceſſaria eſſe poteſt. Ecce enim quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vnum. Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron. Quod deſcendit in oram veſtimenti eius; ſicut ros Hermon, qui deſcendit in mõtem Sion. Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem & vitam vſq; in ſeculum. Sin verò, quod non credo, fictè & ſimulatè id à vobis fit, vt ore quidem benedicatis, corde autem maledicatis, vt pacem quidem loquamini cum proximo veſtro, mala autem ſint in cordibus veſtris; vt molliti ſint ſermones veſtri ſuper oleum, ipſi autem ſint iacula, quò ordo Eccleſiaſticus labefactetur, ac corruat, religio Chriſtiana extinguatur, Deus ac Chriſtus eius ex ſorte hæreditatis ſuæ exturbetur, & de medio veſtrum tollatur, tum quanto mitiora & ſplendidiora vocabula vſurpatis, tantò turpius fallitis, vósque primum ipſos, deinde alios omnes decipitis: tantóque & apud Deum, & apud mortales omnes, maius impietatis & im-

Pſalm. 132.

& improbitatis iudicium referretis,vt filii defertores ſitis: vt faciatis con- *Iſaiæ. 30.*
ſilium, ſed non ex Deo, & ordiamini telam, & non per ſpiritum eius: vt addatis peccatum ſuper peccatum: qualia conſilia proſperari poterunt nunquam. Verùm cùm id de vobis gente illa, quæ nunquam in corde & corde loquuta eſt, ſuſpicari non liceat: apud quam mentiri crimen ſummum habitum eſt ſemper: vbi ſimulatio ſcelus eſt: quæ ſua ſimplicitate & veritate omnes ſuperabat gentes: cuius proprium decus & inſigne, ac veluti peculiare emblema, veritas fuit ſemper; ideò omiſsis ſiniſtris ominationibus, ad doctrinam nos referamus, ac in quo fundamentum & ſumma eius compoſitionis conſtituta ſit, propter rudiores, paucis & ſimpliciter doceamus. Eſt aũt totius huius cauſæ ſumma & fundamentum, illud ipſum Chriſti Domini ęterni & cœleſtis magiſtri, decretum: REDDITE IGITVR QVAE SVNT CAESARIS CAESARI, ET QVAE SVNT DEI DEO. Nã cum teſte Platone, omnis diſſenſio, pugna, bellũ, rixa, ex differentia illarum duarum vocum, Mei, inquam, atq; Tui naſcatur, qui eorũ diſcrimẽ ſuſtulerit, ille facilè pacem, tranquillitatem, & omnem quietem rebus reſtituet, omnémq; diſſenſionem componet, ad optatúmq; finem res deducet. Et quæ ſint quidem Cæſaris, non ignoratis: Dei item omnia noſtra eſſe, nemo eſt qui dubitet; quæ autem Antiſtitibus, ſacerdotibúsq; veſtris, cum quibus & in quibus cum Deo ipſo Eccleſiáque eius pax eſt facienda, debeatis, paucis accipite.

Primùm igitur nemo eſt veſtrum qui ignoret, Pontifices atque Sacerdotes Præpoſitos veſtros eſſe. Obedite, inquit Paulus, præpoſitis ve- *Hebræ. 13.*
ſtris, & ſubiacete eis. Ipſi enim peruigilant, quaſi pro animabus veſtris rationem reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes. Hoc enim non expedit vobis. Iidem ſunt parentes ſpirituales veſtri. Nam ſi, *1. Cor. 4.*
inquit Paulus, decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto; ſed non multos Patres. Nam in Chriſto Ieſu, per Euangelium ego vos genui. Reddite igitur illis amorem filiorum, reddite obedientiam ſubiectorum, cultum item ac reuerentiam: & ſic erit opus iuſtitiæ, pax, & cultus iuſtitiæ, ſilentium, & ſecuritas vſque in ſempiternum. Cur ita? reddẽtur enim quę *Iſaiæ. 32.*
Cæſaris ſunt Cæſari; quæ Dei Deo.

Deinde, omnem Pontificem atq; Sacerdotem ex hominibus electum, pro hominibus conſtitui, vt ſit in his quæ ſunt ad Deum, docet Paulus, vt *Hebræ. 5.*
offerat dona & ſacrificia pro peccatis. Qui condolere poſsit iis, qui ignorant & errant: quoniam & ipſe circundatus eſt infirmitate: & propterea debere quemadmodum pro populo, ita etiam pro ſemetipſo offerre pro peccatis. Reſtituantur ergo Antiſtitibus & Sacerdotibus templa domúſque orationis, reſtituantur ſacra item vaſa atque veſtes, quæ impietate & auaritia hominum occupata ac profanata, per furtúmque & ſacrilegium conflata & conuaſata ſunt: & ſic compoſitio cohærebit. Ita enim quæ ſunt Cæſaris reddentur Cæſari, quæ ſunt Dei Deo. His non reſtitutis, non modo Compoſitionem aliquam vobiſcum facere, ſed neq; ſacerdotes aut pontifices vllo modo eſſe poterunt vnquam, niſi fortè tales quales in Co-

mœdia aut Tragœdia fieri ſolent.

Ad hæc Pontifices atque Sacerdotes Doctores ſunt, vtque populum
Mar. 16. Dei doceant, eorum eſt officium. Euntes,inquit,in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit,ſaluus erit: qui verò non crediderit,condemnabitur. Euntes ergo do-
Matt. 28. cete omnes gentes,baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis. Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſumationem ſeculi. Reſtituantur ergo doctoribus ſuæ cathedræ,atque pulpita,quæ nunc homines profugi atque extorres, cerdones, ſutores item, omniſq; officina occupauit: & ſic reſtituentur Cæſari quæ ſunt Cæſaris,quæ Dei Deo: pax erit, tranquillitas tanquam ſidus exorietur.

Præterea, Pontificum & Sacerdotum munus eſt, paſcere populum:
1. Petr. 5. docet hoc Petrus. Seniores ergo, qui in vobis ſunt obſecro, conſenior & teſtis Chriſti paſsionum, qui & eius, quæ in futuro reuelanda eſt, gloriæ communicator: paſcite qui in vobis eſt gregem Dei,prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundùm Deum: neque turpis lucri gratia; ſed volũtariè: neque vt dominantes in cleris,ſed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit Princeps paſtorum, percipietis immarceſsibilem gloriæ coronam. Reddantur ergo paſtoribus ſuæ oues, reddantur paſcua, reddatur paſcendi autoritas, quæ quidem oues vel ſine paſtoribus ſunt, vel
Gene. 14. lupis paſcendæ commiſſæ & concreditę ſunt:& vt cum rege illo dicamus: Date nobis animas, cætera tollite vobis: & ſic Compoſitio fiet. Tunc enim reſtituentur ea, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, quæ Dei Deo.

Demum Pontificum atque Sacerdotum officium eſſe, iudicare inter
Deut. 17. lepram & non lepram, inter ſanum & ægrum, docet ſcriptura. Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & non lepram, & iudicum inter portas tuas videris verba variari; ſurge & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus: veniésque ad Sacerdotes Leuitici generis,& ad iudicem qui fuerit illo tempore: quærésque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem. Et facies quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, ſequerísque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Reſtituatur ergo Antiſtitibus, ac Presbyteris ſua iuris dictio, reſtituatur ſuum tribunal: qua leproſos à mundis, ſanos ab ægris, peccantes ab innoxiis ſegregent & excommunicent: & ſic pax cohærebit. Tunc enim reſtituentur ea, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, quæ Dei Deo,

Denique Pontifices & Sacerdotes de ſorte ſunt Ieſu Chriſti, indéque Clerici vocantur, quaſi ſortis Ieſu Chriſti homines: atque vbi conſecran
Pſalm. 15. tur atque initiantur,illa vſurpant verba: Dominus pars hæreditatis meæ: tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi. Reddatur ergo illis ſors & hæreditas Domini: hoc autem eſt, bona Eccleſiaſtica, decimæ, ſacra ſupellex,quæ per auaritiam & cupiditatem iniquiſsimorũ hominum hactenus

nus distracta sunt: & ita pax & concordia pulchrè cohærebit. Tunc enim restituentur quæ sunt Cæsaris Cæsari; & quæ sunt Dei Deo. Satísne simpliciter vobiscum ago?

Atq; hic non reddendarũ decimarum sortísq; Domini articulus, cùm latissimè pateat, cúmq; omnibus hæresibus, quantũùis inter se diuersis & pugnantibus, oculósq; sibi confodientib⁹, sit cõmunis: & cùm in hoc loco Catholici ipsi, hæretici quodãmodo sint, cùm hæreticísq; conueniant; vt Christũ scilicet ex bonis suis exuant; vt Sacerdotum victũ auferant; vt ne quid cuiquã reddant; cõmixti enim sunt inter gentes, & didicerunt opera eorũ: ideò quod sit ius, quæ æquitas decimarum, vniuersæq; sortis Domini ex priuilegiis & rationib⁹ paucis expẽdam⁹. Priuilegia primùm videamus. *Psalm. 105.*

Primùm igitur constat, decimas, aliásque partes dotis Christi, neque Imperatorum, neque Regum, neque cuiusquam mortalium donum, aut sancitum esse, sed ipsius Dei præpotentis, primi & summi rerum omnium Domini & possessoris, inuentum atque largitionem, qui eas seruis atque ministris suis, cultus & seruitii sui causa, æternis addixit temporibus. Priuilegia verò decimarum, non in vllis primo humanis legibus aut institutis contineri, sed neque in aliqua vna legis diuinæ parte, sed in omnibus eius partibus, naturę, inquam, lege primùm, deinde veteri scripta, pòst in ipso Iesu Christi Euangelio.

Primum priuilegium in lege naturæ fuit, in primis filiis Adæ, Abele, inquam, & Caino: quam rem in hunc modum narrat scriptura. Fuit, inquit, Abel pastor ouium, & Cain agricola. Factum est autem post multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino, Abel quoq; obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum: & respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Ad Cain autem, & ad munera illius non respexit. Vbi cùm non plenè nec ex animo ea quæ debebantur Domino reddidisset Cain: sic enim dicit scriptura: Nónne si benè egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit? ideò reprobatus & reiectus est; ideò illud audit: Maledictus eris super terram: cùm operatus fueris super terram, non dabit fructus suos. Hæcqúe prima post originis peccatum præuaricatio, primáq; pœna & damnatio fuit. Quod ita esse vetustissimus docet Irenæus. Ab initio enim respexit Deus ad munera Abel, quoniam cum simplicitate & iustitia offerebat; super sacrificium autem Cain non respexit, quoniam cum zelo & malitia, quæ erat aduersus fratrem, diuisionem habebat in corde: quemadmodum occulta eius arguens Deus, ait: Nónne, si rectè offeras, rectè autem non diuidas peccasti? quiesce: quoniam non sacrificio placatur Deus. Si enim quis solummodo secundùm quod videtur, mundè & rectè & legitimè offerre tentauerit; secundùm aũt suã animam non rectè diuidat eam, quæ est ad proximum communionem; neque timorem habeat Dei, non per id quod rectè foris oblatum est sacrificium, seducit Deum, intus habens peccatũ: nec oblatio talis proderit ei aliquid; sed cessatio mali, quod est intus conceptum, ne per assimulatam operationem, magis aũt peccatum ipsum sibi homicidã faciat hominem. *Gene. 4.* *Irenæ. lib. 4. cap. 34.*

Secundum priuilegium in eadem naturę lege, in primo Patriarcha nostro Abraham legimus, de quo scriptura: At verò Melchisedech rex Salem, proferens panem & vinum (erat enim sacerdos Dei altissimi) benedixit ei, & ait: Benedictus Abraham Deo excelso, qui creauit cœlum & terram: & benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt. Et dedit ei decimas ex omnibus. *Gene. 14.*

Tertium in eadem lege fuit priuilegium in Iacob Patriarcha, Vouit etiam votũ Iacob, inquit scriptura, dicens: Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescẽdum, & vestimentum ad induendum, reuersúsque fuero prosperè ad domum patris mei; erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei: cunctorúmq; quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. *Gene. 28.*

Quæ eadem naturæ legis priuilegia, & monumenta, longè clarius & prolixius in lege scripta explicantur.

Recitetur primum de decimis legis scriptæ Priuilegium.

Decimas tuas & primitias tuas non tardabis reddere, primogenitum filiorum tuorum dabis mihi. De bobus quoque & ouibus similiter facies. *Exod. 22.*

Recitetur secundum priuilegium de eodem.

Filiis Leui, dedi omnes decimas Israëlis in possessionem pro ministerio, quo seruiunt mihi in tabernaculo fœderis: vt non accedant vltra filii Israël ad tabernaculum, nec committant peccatum mortiferum, solis filiis Leui mihi in tabernaculo seruientibus, & portantibus peccata populi, legitimum sempiternum erit in generationibus vestris. *Numeri. 8.*

Recitetur tertium priuilegium de eodem.

Oblatio iusti impinguat altare, & odor suauitatis est in conspectu altissimi. Sacrificium iusti acceptum est, & memoriam eius non obliuiscetur Dominus. Bono animo gloriam redde Deo: & non minuas primitias manuum tuarum. In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas. Da altissimo secundùm datum eius, & in bono oculo adinuentionem facito manuum tuarum, quoniam Dominus retribuens est, & septies tantum reddet tibi. *Eccle. 35.*

Recitetur priuilegium de decima ex hostili præda.

Tollite summam eorum quæ capta sunt ab homine vsq; ad pecus, tu & Eleazar sacerdos & principes vulgi, diuidésque ex æquo prædam inter eos, qui pugnauerunt: egressíque sunt ad bellum, & inter omnem reliquã multitudinem; & separabis partem Domino ab his qui pugnauerunt & fuerunt in bello, vnam animam de quingentis, tàm ex hominibus quàm ex bobus, & asinis, & ouibus, & dabis eam Eleazaro sacerdoti, quia primitiæ Domini sunt. Ex media quoq; parte filiorum Israël accipies quinquagesimum *Nume. 31.*

gesimum caput hominum, & boum, & asinorum, & ouium, cunctorúmq; animantium, & dabis ea Leuitis, qui excubant in custodiis tabernaculi Domini. Tradidítq; Moyses numerum primitiarum Domini Eleazaro sacerdoti, sicut fuerat ei imperatum, ex media parte filiorum Israël, quam separauerat his, qui in prœlio fuerant. De media verò parte, quæ contigerat reliquæ multitudini, id est, de ouibus trecentis triginta septem millibus quingentis,& de bobus triginta sex millibus,& de asinis triginta millibus quingentis, & de hominibus sedecim millibus, tulit Moyses quinquagesimum caput, & dedit Leuitis qui excubabant in tabernaculo Domini, sicut præceperat Dominus.

Recitetur priuilegium de modo reddendarum decimarum.

Non facietis ita Domino Deo vestro; sed ad locũ quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, vt ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis, & offeretis in loco illo holocausta & victimas vestras, decimas & primitias manuum vestrarum, & vota atque donaria, primogenita boum & ouium. Et comedetis ibi in conspectu Domini Dei vestri: ac lætabimini in cunctis ad quæ miseritis manum, vos & domus vestræ, in quibus benedixerit vobis Dominus Deus vester. Non facietis ibi quæ nos hic facimus hodie, singuli quod sibi rectum videtur. Neque enim vsque in præsens tempus venistis ad requiem & possessionem, quam Dominus Deus vester daturus est vobis. Transibitis Iordanem & habitabitis in terra, quam Dominus Deus vester daturus est vobis, vt requiescatis à cunctis hostibus per circuitum: & absque vllo timore habitetis in loco, quem elegerit Dominus Deus vester, vt sit nomen eius in eo. Illuc omnia, quæ præcipio, conferetis holocausta,& hostias,ac decimas & primitias manuum vestrarum: & quicquid præcipuum est in muneribus quæ vouistis Domino. Ibi epulabimini coram Domino Deo vestro,vos & filij ac filiæ vestræ, famuli & famulæ atque Leuites, qui in vrbibus vestris commoratur, neq; enim habet aliam partem & possessionem inter vos. *Deut. 12.*

Recitetur priuilegium de eodem.

Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis, quæ nascuntur in terra per annos singulos, & comedes in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit, vt in eo nomen illius inuocetur, decimam frumenti tui, & vini, & olei, & primogenita de armentis & ouibus tuis; vt discas timere Dominum Deum tuum omni tempore. Cùm autem longior fuerit via, & locus, quem elegerit Dominus Deus tuus, tibíque benedixerit, nec potueris ad eum hæc cuncta portare,vendes omnia,& in pretium rediges, portabísq; manu tua, & proficiscéris ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus: & emes ex eadem pecunia quicquid tibi placuerit,siue ex armentis,siue ex ouibus, vinum quoque & siceram, & omne quod desiderat anima tua: & comedes coram Domino Deo tuo, & epulaberis tu & domus tua, & Leuita qui intra portas tuas est, caue ne derelinquas *Deut. 14.*

eum,quia non habet aliam partem in poſſeſsione tua.Anno tertio ſeparabis aliam decimam ex omnibus quæ naſcuntur tibi eo tempore; & repones intra ianuas tuas. Veniétque Leuites, qui aliam non habet partem nec poſſeſsionem tecum, & peregrinus ac pupillus & vidua, qui intra portas tuas ſunt, & comedent, & ſaturabuntur, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus, in cunctis operibus manuum tuarum quæ feceris.

Recitetur priuilegium de redemptione decimarum.

Omnes decimæ terræ, ſiue de frugibus, ſiue de pomis arborum, Domini ſunt, & illi ſanctificantur. Si quis autem voluerit redimere decimas ſuas, addet quintam partem earum. Omnium decimarum bouis & ouis & capræ, quæ ſub paſtoris virga tranſeunt, quicquid decimum venerit,ſanctificabitur Domino. Non eligetur nec bonum nec malum,nec altero commutabitur: ſi quis mutauerit, & quod mutatum eſt, & pro quo mutatum eſt ſanctificabitur Domino, & non redimetur. Hæc ſunt præcepta, quæ mandauit Dominus Moyſi ad filios Iſraël in monte Sinai.

Vltimum priuilegium.

Eccle. 7. In tota anima tua time Deum, & ſacerdotem illius ſanctifica. In omni virtute dilige eum qui te fecit,& miniſtros eius ne derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua & honorifica ſacerdotes & propurga te cum brachiis,da illis partem ſicut mãdatum eſt tibi, vt perficiatur propiciatio & benedictio tua.

Quæ quidem priuilegia omnia, quo meliùs intelligantur, adnotat D. Hieronymus, quatuor decimarum genera in veteri lege fuiſſe. Primum, quæ Leuitis ex præcepto legis dabantur. Secundum, δευτερο δεκάδας, hoc eſt ſecundas decimas, quas Leuitæ, id eſt, inferior miniſtrorum gradus, ſacerdotibus dabant. Tertium, quas ſpontè ſua quilibet in horreis ſuis ſeparabat,vt comederet eas in veſtibulo templi,cùm Hieruſalem iret,& Sacerdotes ac Leuitas inuitaret ad conuiuia. Quartum,quas vt pauperibus darent ſeparabant, quæ decimæ pauperum vocabantur. Quorum omnium hîc mentionem fieri videmus. Verùm naturæ & veteris legis priuilegia hactenus.

Quantò autem plura fuerunt priuilegia decimarum,ſortísq; Domini, in naturæ veteríque lege;tantò minus oportuit hæc eadem multis in Euã gelica lege repetere: cùm quemadmodum tetragono trigonum; ita lege Euangelica, lex naturæ atque Moyſis, exceptis vmbris, figuris, & iudici-
Pſal. 61. & 88 is,contineatur. Semel enim loquitur Deus, & non repetit,inquit ſcriptura; in his præſertim, quæ eandem cauſam, eundem vſum,eandem neceſſitatem, eundem denique finem habent ſemper.

Matt. 4. Ad eadem igitur priuilegia ſe refert lex Euangelii,dum Saluator monet: Niſi abundauerit iuſtitia veſtra, plus quàm ſcribarum & phariſæorũ, non intrabitis in regnum cœlorũ. Quæ autem iſta iuſtitia Phariſæorum, qua noſtra abundantior eſſe debet? nimirum illa: Decimas do omnium

quæ

quæ posſideo. Et illa : Decimatis mentham & anethum & cyminum, & reliquiſtis quæ grauiora ſunt legis iudicium & miſericordiã & fidem. Hęc oportuit facere, & illa non omittere. Tum: vt quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quę Dei Deo reddãtur. Dignus eſt enim operarius mercede ſua. Docet hoc idem D. Paulus : Quis militat ſuis ſtipendiis vnquam ? Quis plantat vi- *1. Cor. 9.*
neam, & de fructu eius non edit ? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat ? Nunquid ſecundùm hominem hæc dico ? an & lex hæc non dicit? Scriptum eſt enim in lege Moyſi : Non alligabis os boui tritu ranti. Numquid de bobus cura eſt Deo ? An propter nos vtique hoc dicit ? Nam propter nos ſcripta ſunt. Quoniam debet in ſpe; qui arat, arare : & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi. Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus : magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus ?

Huc pertinent Canones atque conſtitutiones Apoſtolicæ : ſanctiſſimorum item Imperatorum leges atque ſanctiones.

Recitetur conſtitutio Apoſtolica.

Epiſcopum diligere debetis, vt patrem : timere, vt regem : honorare, *Ex li. 2. cõſt. S. Apo. ca. 34*
vt dominum. Fructus veſtros & opera manuum veſtrarum in veſtram benedictionem illi offerentes : primitias veſtras, decimas partes, dona veſtra dantes ei vt ſacerdoti Dei : primitias, inquam, frumenti, vini, olei, pomorum, atque omnium quæ Deus præbet vobis. Et erit oblatio tua accepta in odorem ſuauitatis Domino Deo tuo, & benedicet Dominus operibus manuum tuarum, & multiplicabit Dominus bona terræ tuæ, quoniam benedictio in caput impartientis.

Alia item.

Intelligendum eſt autem, quòd quanquam Dominus liberauit vos à *Capit. 39.*
ſeruitute adiectorum vinculorum, & eduxit vos in refrigerium, non amplius ſinens vos ſacrificare bruta animalia pro peccatis, ſolutos illis expia- *Leuit. 16.*
tionibus, emiſſariis, aſsiduis lotionibus, & aſperſionibus: non tamen oblationibus vos liberauit, quas ſacerdotibus debetis, & beneficentiis erga eos, qui egent : ait enim Dominus noſter in Euangelio : Niſi abundauerit veſtra iuſtitia, plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Ita ergo abundabit iuſtitia veſtra, ſi de ſacerdotibus, orphanis, viduis, maiorem curam ſuſcipietis, vt ſcriptum eſt. Diſperſit de- *Pſalm. 3.*
dit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. Et rurſum per elee- *Prouerb. 19.*
moſynam & fidem delentur peccata. Et rurſum : Anima benedicta om- *Prouerb. 11.*
nis ſimplex. Ergo ita facies, quemadmodum Dominus præcepit; & dabis Sacerdoti iuſta ſua, primitias de area & torculari pro peccatis tanquam mediatori, atq; internuncio poſito inter Deũ & eos, qui expiationibus & deprecationibus opus habent. Te enim dare oportet, illũ diſtribuere tanquã œconomum, & diſpenſatorem rerum Eccleſiaſticarum. Neq; enim ab Epiſcopo tuo rationẽ petere debes, neq; eius diſpenſationem obſeruabis, quo modo eam peragat, quando, cum quibus, vbi benè, vel malè, vel cõ-

uenienter. Habet enim iudicem Deum, qui in eius manus hanc diſpenſationem commiſit, & dignum eum effecit ſacerdotio tanti loci.

Tertia.

Clem. Ro. li 7. Conſ. cap. 30. Dabis Sacerdotibus omnes primitias torcularis, & areæ, vindemiæ, & meſsis, boum atq; ouium: vt apothecæ cellarum tuarum penuariarum & fructus agri tui benedictione afficiantur: vt firmeris in frumento, & vino atque oleo, augeantúrque armenta boum tuorum, & tuarum ouium greges. Dabis omnem decimam pupillo, & viduæ, pauperi, & proſelyto: dabis etiam Sacerdotibus omnes primitias panum recentium, vini ex dolio, olei, mellis, pomorum ſiue baccarum, vuæ, aut aliorum fructuum: primitias verò argenti, aut indumenti, cæterarúmque rerum, quas poſsides, tribues pupillo & viduæ.

Recitentur leges & conſtitutiones Imperatorum, pro dote & hæreditate Ieſu Chriſti.

Lex & Conſtitutio Imperatorum Valentis & Marci.

C. de ſacroſan Eccl. l. priui. Priuilegia, quæ generalibus Conſtitutionibus vniuerſis ſacroſanctis Eccleſiis orthodoxæ religionis retro principes præſtiterunt, firma & illibata, & in perpetuum valitura decernimus cuſtodiri. Omnes ſanè pragmaticas ſanctiones, quæ contra Canones Eccleſiaſticos interuentu gratiæ vel ambitionis elicitæ ſunt, robore ſuo & firmitate vacuatas, ceſſare præcipimus. Et quia humanitatis noſtræ eſt egenis proſpicere, ac dare operam, vt pauperibus alimenta non deſint; ſalaria etiam quæ ſacroſanctis Eccleſiis, in diuerſis ſpeciebus, de publico hactenus miniſtrata ſunt, iubemus nunc quoque inconcuſſa, & a nullo prorſus imminuta præſtari, liberalitatíque huic promptiſsimæ, perpetuam tribuimus firmitatem.

Conſtitutio Leonis & Antonij de eodem.

Ibidem l. iub. Iubemus nulli poſthac Archiepiſcopo in hac vrbe regia ſacroſanctę orthodoxę Eccleſiæ præſidenti; nulli œconomo cui res Eccleſiaſtica gubernanda mãdatur, eſſe facultatẽ, fundos, vel prędia (ſiue vrbana, ſiue ruſtica) res poſtremò immobiles, aut in his prędiis colonos vel mancipia cõſtituta, aut annonas ciuiles cuiuſcũq; ſuprema vel ſuperſtitis voluntate, ad religioſas Eccleſias deuolutas, ſub cuiuſcũq; alienationis ſpecie, ad quãcunq; transferre perſonam: ſed ea etiam prædia diuidere quidem, colere, augere, & ampliare nec vlli iiſdem prædiis audere cedere. Verùm ſiue teſtamento quocunque facto iure, ſeu codicillo, vel ſola nuncupatione legato, ſeu fidei commiſſo, aut mortis cauſa donatione, aut aliquo quocunque vltimo arbitrio, aut certè inter viuentes habita largitate, ſiue contractu venditionis, ſiue donationis, aut alio quocunq; titulo quiſquam ad prędictam venerabilem Eccleſiam, patrimonium ſuum, partémue certam patrimonij, in fundis, prędiis, ſiue domibus, vel annonis, mancipiis & colonis, eorúmq;

eorúmque peculiis voluerit pertinere, inconcussa ea omnia, sine vlla penitùs immutatione conseruentur. Sciẽtes nulla sibi occasione, vel tempore ad vicissitudinem beneficii colorati, aut gratiæ referendæ donandi, vel certè hominibus volentibus emere, alienandi aliquam facultatem permissam, nec, si omnes, cum religioso Episcopo & Oeconomo, Clerici, in earum possessionum alienatione consentiant. Ea enim, quæ ad beatissimæ Ecclesiæ iura pertinent, vel posthac fortè peruenerint, tanquam ipsam sacrosanctam Ecclesiam & religiosam intacta, conuenit inuiolabiliter custodiri: vt sicut ipsa religionis & fidei mater perpetua est; ita eius patrimonium iugiter seruetur illæsum.

Constitutio Iustiniani, de vasis & supellectili Ecclesiastica.

Sancimus nemini licere sacratissima atque arcana vasa, vel vestem, cæteráque donaria, quæ ad diuinam religionem necessaria sunt (cùm & veteres leges, ea, quæ iuris diuini sunt humanis nexibus non alligari sanxerunt) vel ad venditionem, vel hypothecam vel pignus trahere; sed ab his, qui hæc suscipere ausi fuerint, modis omnibus vindicari; tam per religiosissimos Episcopos, quàm Oeconomos, nec non & sanctorum vasorum custodes, nulla eis actione relinquenda, super recipiendo precio, vel fœnore exigendo, pro quo res pignoratæ sunt: sed omnibus huiusmodi actionibus respuendis, ad restitutionem eorum, omnibus modis coartari. Sin autem vel conflata sint vel fuerint, vel alio modo immutata vel dispersa; nihilominus vel ad ipsa corpora, vel ad ipsa precia eorum actionem cõpetere, siue per in rem, siue per condictionem, siue per in factum actionem. *Ibid. l. Sanci.*

Quis igitur erit tam audax qui hæc auferre aut violare velit? quæ partim ipse fundauit altissimus, primúsque rerum omnium possessor Deus; partim sempiternus eius confirmauit hæres Christus Dominus: quæ sancti Apostoli fieri præceperunt: quæ piissimi Imperatores suis legibus & constitutionibus promulgârunt: quæ tantis priuilegiis communita, tot sanctionibus firmata sunt. Et priuilegia quidem decimarum ex omnibus partibus legum tam diuinarum, quàm humanarum hæc sunt.

Sed quæ causæ tot priuilegiorum? Multæ equidem & maximæ, graues & necessariæ, quas qui non admitteret: eum religionem vniuersam auferre; hominémque ipsum homine exuere, nec amplius illum cœli animal, sed brutũ, & ipsam solã terram ventrémq; spectans, facere oporteret.

Quarum prima est, Deũ Opt. Max. ea lege & conditione hominẽ creasse, ac produxisse, vt sit ad laudem & nomen eius, vtq; se, omniáq; sua, ad eum tanquam primum & vltimũ principium rerum suarum omniũ referat, omnia ex manu sua poscat; vt prouidentiã eius & agnoscat, & cõfiteatur, neq; id verbis tantùm, sed reipsa magis etiam; vt partem & sui & omnium bonorum suorũ, in recognitionem Domini & parentis sui adiiciat, & cõsecret. Animi, primum: Diliges, inquit, Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut teipsum. Corporis deinde: Benedic anima mea *Matt.* 22. *Psalm.* 102.

mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius. Fortuna-
Prouerb. 3 rum ad extremum & facultatum omnium: Honora Dominum Deum tu-
um de ſubſtantia tua. Pulchrè hæc tanquam in compendio explicat ſcri-
Deut. 26. ptura. Faciet te Dominus excelſiorem cunctis gentibus, quas creauit in laudem & nomen & gloriam ſuã: vt ſis populus ſanctus Domini Dei tui ſicut loquutus eſt. Honora igitur Dominum Deum tuum, de tuis iuſtis laboribus: deliba ei de fructibus iuſtitiæ tuæ, vt repleantur horrea tua frumento: vino quoque torcularia tua redundent. Qui igitur non honorat illum ex ſubſtantia ſua, qui decimam partem bonorum ſuorum illi non cõſecrat; hic eum creatorem, principium & finem ſuum non agnoſcit: hic ab eo ſe omnia ſua habere non vult recognoſcere: hic illius voluntate & mandato, terram germinare herbam virentem, ſibíque fructus ferre non profitetur: hic prouidentiæ eius ſenſum non habet: hic cum diuino pſalte
Pſalm. 144. non confitetur; Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Dante te illis colligent, aperiente te manum tuam,
Pſalm. 103. omnia implebuntur bonitate. Auertente autem te faciem, turbabuntur: auferes ſpiritum eorum & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur. Hic Gigas & vnus de genere Aloidarum eſt; ídq; non verbis, ſed re ipſa profitetur. Libertas, inquis, iſta Chriſtiana eſt; libertas gentis liberæ: nihil Deo, nihil proximo reddere. Mihi verò libertas hæc ſimilis illi eſſe vi-
Iſa. 14. detur: Ponam in Aquilone ſedem meam, & ſimilis ero altiſsimo. Nam ſi ideò, vt præclarè quidam dixit, legibus ſeruimus, vt liberi ſimus; quantò magis nos Deo ſeruire oportet, & quod debemus illi reddere, ne hominibus, quibus non debemus, ſeruiamus? Deo ſeruire, præclarè dixit Auguſtinus, non modò liberum eſſe, ſed regnare eſt. Noua verò hæc libertas & ante hunc diem inaudita. Qui igitur hæc omnia, quæ dicta ſunt, nõ modò ipſe non confitetur, ſed qui vltra ab his, quos illi Deus ſubiecit, & parere iuſsit, eam partem quam Deo conferre debebant, extorquet, ſibíq; per vim & iniuriam conferre iubet; hic nefario ſcelere Dei honorem in ſe transfert, Deum ſe facit, ſacrificium ſibi offerri iubet: quod neminem etiam fœdiſsimum tyrannum ſibi fieri paſſum eſſe, docet Diuus Auguſtinus. Nam ſi nihil Deo tu tuíque debeant coloni; cur tu ab illis, quod illos accipere oporteat, extorques? cur eadem Chriſtiana libertate, qua te liberum eſſe iactas, eos gaudere non pateris? Verùm non libertatis, ſed auaritiæ & cupiditatis cauſa hæc eſt. Nam ſi libertatis & charitatis cauſa eſſet, tu tam inhumanè à tuis ea quæ Deo debentur non exigeres. Et teneri te non putas, & patere conſilia tua non ſentis: & cum Euãgelii nomine nequitiam tuam tegas, hypocritam te eſſe negabis? dic palam, quæ vis, ne fingas, ne ſimules. Quid ſi amplius ex his donariis, quæ Deo debebantur, ad te per vim, & iniuriam tranſlatis, Deum atque templum eius, tributa tibi Reiq; publicæ ſoluere iubes; an poteſt eſſe crudelitas tanta, quæ cum hac immanitate, & inſolentia tua rectè comparari poſsit?

Proxi-

Proxima illa cauſa ius & æquitas decimarum eſt: Deum patrem, filium ſuum, pro eo, quòd poſuit animam ſuam, & factus eſt obediens vſq; ad mortem, nec habuit vbi caput, dum hic verſabatur nobiſcum, reclinaret ſuum, conſtituiſſe regem excelſiorem præ cunctis regibus terræ: conſtituiſſe eum hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſecula. Confitetur hoc apud Dauidem magnificè, ipſe filius Dei: Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo, ſuper Sion montem ſanctum eius: prædicans præceptum eius. Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. Et ideò hunc ipſum regem & hæredem ſuum, in omni gente & natione, poſſeſsionem ſuam, Regiam ſuam, tabernaculum item ſuum habere voluit. Iuxta illud: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Vt agnoſcatur hic Ieſus Chriſtus, vnicus eſſe filius Dei, verus & æternus hęres vniuerſorum: vt cognoſcatur excelſior eſſe prę cunctis regibus terrę: vt in nomine eius flectatur, omne genu cœleſtium, terreſtrium, & infernorum: vt ſit caput ſuper omnem Eccleſiam. Neque nunc primum, ſed iam ab ipſo rerum initio, eam ſuam Chriſtíque ſui partem, Deus inter homines habere voluit; itáque & in paradiſo arborem vnam, in partem & poſſeſsionem quodammodo ſuam, ſegregauit: Ex omni, inquit, ligno paradiſi comede, de ligno autem ſcientię boni & mali ne comedas: in qua enim die comederis ex eo, morte morieris. Et in lege ſimiliter naturæ primogenita omnia cunctorum viuentium ſibi conſecrauit: &, ex omnibus gentibus vnum populum, de quo dixit: In Iacob habitabo, hæc hæreditas mea vſque in ſeculum. In populo vniuerſo, vnam tribum, omniáque illa, quæ ſuperiùs diximus. Quam ſortem eius qui tangit, qui inuadit & occupat, hunc pupillam oculi ſui tangere ipſe docet. Solúsne igitur populus Chriſtianus adeò infelix & infauſtus, Deóque inuiſus erit, vt nullam partem ſuam in illo habere velit Deus: aut adeò impius & ab omni nomine auerſus, vt Deum inter ſe nullam partem habere patiatur? nequaquam id veriſimile eſt.

Pſalm. 2.

Apoc. 21.

Gene. 2.

Zach a. 2.

Quam quidem ſortem & partem ſuam multos ad fines inter mortales retulit Dominus. Primum, non vt genus humanum ſeruitute aliqua premeret, ſed vt potius tanquam colonos & agricolas ſuos hoc pacto honoraret, inter quos partẽ habere non dedignaretur, & cum quibus habitare non erubeſceret. Deliciæ meæ, inquit, eſſe cum filiis hominum. Deinde, vt omnes eum regem & Dominum vniuerſorum, cuius aulam ac Regiam apud ſe conſpiciunt, laudent & confiteantur. Per munus enim, inquit Irenæus, erga regem, & honos & affectio oſtenditur, quod in omni ſimplicitate & innocentia Dominus, volens nos offerre, prædicauit dicens: "Cùm igitur offers munus tuum ad altare. &c. Non eget, inquit Auguſtinus Dominus Deus, non præmium poſtulat; ſed honorem. Demùm, vt ſit cibus in domo Dei, vt ſit vnde miniſtri & ſerui eius viuant: amici item & cognati, pauperes, inquam, orphani, viduæ, peregrini, quos mundus ple-

Prouerb. 8.

Irenæus:

Au. Ser. 219.

plerumque odit, ac fame & penuria, nisi ille sua benigna cura & liberalitate illis prouideat, consumere ac conficere vellet, quod nunc fieri clarè
Deut. 12. videmus: vnde diligenter monet: Caue derelinquas Leuitem in omni tempore, quo versaris in terra, quando dilatauerit Dominus Deus termi-
Matt. 10. nos tuos, &c. Et, qui vos accipit, me accipit. Et: Quod vni ex his minimis feciſtis, mihi feciſtis. Et, qui accipit prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet, hoc est, in partem remunerationis &
Aug. Serm. 9. mercedis Prophetæ veniet. Vnde Diuus Augustinus: Decimæ, fratres chariſsimi, sunt tributa egentium. Redde ergo tributa pauperibus, offer libamina sacerdotibus. Denique vt inde partes cultus eius, cęremonię, inquam, sacra doctrina, sacramenta, meliùs ac decentiùs, illustriùs item, magnificentiúsque administrentur; magni enim regis magnam & illustrẽ
Mala. 1. familiam, magnificum & illustrem cultum & apparatum esse oportet. Quę plerumque vt videmus, ab hominibus auaris & ingratis negliguntur. Vnde illa querela apud Prophetam: hominem se non inuenire, qui gratis aperire vel occludere templum suum velit. Hanc igitur partem sortis Domini qui non restituit, hanc regiam eius qui inuadit, hanc hęreditatem qui sibi vsurpat; perduellis est, summam maiestatem lędit, ęterni Dei patris hęredem exautorat, ac ex sua turbat possessione, Christum regem su-
Psalm. 2. um cum impiis non agnoscit, illúdque occinit: Dirumpamus vincula eius, & proiiciamus à nobis iugum ipsius. At, qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eis. Hic Deũ nullam partem habere in rebus humanis vult: hic seipsum Christum facit: hic antichristus est. Parúmne diximus? an aliquid amplius ad extremam impietatem addendum est? Hócne est christianum esse? hócne Euangelici nomen sibi vsurpare? hócne est lumen veritatis frustra insolenter iactare?

Tertium caput sit eius, de qua disputamus, æquitatis. Bona Ecclesiastica, dotem Ecclesiæ Dei, sponsæ Christi esse. Qua dote illa se magnifi-
Psalm. 15. cè apud Dauidem effert: Dominus, inquit, pars hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es qui restitues hæreditatem meam mihi. Funes ceciderunt
Isa. 60. mihi in præclaris; etenim hæreditas mea præclara est mihi. Et quam ipse sponsus apud Isaiam munificè illi addicit: Pro eo, quod fuisti derelicta & odio habita, & non erat qui per te transiret, ponam te in superbiam seculorum, gaudium in generationem & generationem. Et suges lac gentium, & mamilla regum lactaberis: & scies quia ego Dominus saluans te, & redemtor tuus fortis Iacob. Pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum, & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum, & ponam vi-
Isa. 61. sitationem tuam pacem, & præpositos tuos iustitiam. Et alio loco: Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini, Ministri Dei nostri, dicetur vobis. Fortitudinem gentium comedetis, & in gloria earum superbietis. Pro cõfusione vestra duplici & rubore, laudabunt partem eorum. Propter hoc in terra sua duplicia possidebunt, lætitia sempiterna erit eis. Quia ego Dominus diligens iudicium & odio habens rapinam in holocaustum. Et
Matt. 19. ipse ore suo similiter: Amen dico vobis, quòd vos qui secuuti estis me,

in re-

in regeneratione, cùm ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres aut ſorores, aut patrem aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum; centuplũ accipiet in hoc tempore,& vitam æternam poſsidebit. Quod promiſſum, cùm in primis Eccleſiæ Dei fundatoribus, qui egentes anguſtiati nihil in hac vita poſsederunt,qui nudi nudam Chriſti crucẽ ſequuti ſunt, completum non ſit; in eorum ſucceſſoribus compleatur oportet; vt promiſſorum certa & fixa fides maneat. Qui igitur,ea quæ Eccleſiæ dicata ſunt,aufert: hic dote ſuam Eccleſiam Dei vnicam Ieſu Chriſti ſponſam ſpoliat: hic annulum eius nuptialem detrahit: hic eam veluti viduam nudam & mendicantem oberrare vult.

Magna & illa eſt decimarum dotiſque Eccleſiaſticæ, non tam æquitas, quàm ipſa planè neceſsitas: quòd his ſublatis, vniuerſum externum cultum diuinum, omnem domus Domini decorem, totum miniſterium verbi, ipſam denique religionem labefactari & extingui oporteat: ita vt qui eam ſortem hæreditatis Domini aufert, aut apud ſe retinet, vniuerſa hæc,quantum in illo ſitum eſt,demoliatur;ac demum populum Dei,ad vltimam barbariem, omnémque numinis diuini obliuionem pertrahere conetur. Nam religio, cultúsque diuinus, ſine miniſtris ſeruíſque templi, Doctoribus item, atque paſtoribus nullo modo eſſe poteſt; miniſtri autem ſine victu, ac rebus aliis neceſſariis, munere ſuo rectè fungi nullo modo poſſunt: cùm ipſorum Apoſtolorum teſtimonio, non ſolùm *Act. 6.* menſas quærere, eos qui præſunt verbo & doctrinæ, non conueniat, ſed ne illis quidem miniſtrare, aut eas diſpenſare. Nemo enim militans Deo, *2. Timot. 2.* inquit Paulus, implicat ſe negotiis ſecularibus, vt poſsit placere ei, cui ſe probauit. In quo loco addit Diuus Cyprianus: Quod cùm de omni-„ bus dictum ſit, quantò magis moleſtiis & laqueis ſecularibus obligari „ non debent, qui diuinis rebus & ſpiritualibus occupati, ab Eccleſia re-„ cedere, & ad terrenos & ſeculares actus vacare non poſſunt? Cuius or-„ dinationis & religionis formam, Leuitæ prius in lege tenuerunt: vt cum „ terram diuiderent & poſſeſsione partirentur vndecim tribus, Leuitica „ tribus, quæ templo, & altari, & miniſteriis diuinis vacabat, nihil de il-„ la diuiſionis portione perciperet; ſed aliis terram colentibus, illa tantùm „ Deum coleret, & ad victum atque alimentum ſuum ab vndecim tribubus „ de fructibus qui naſcebantur, decimas perciperet, quod totum fiebat de „ autoritate & diſpoſitione diuina:vt qui operationibus diuinis inſiſtebant, „ in nulla re auocarentur,nec cogitare,aut agere ſecularia cogerentur:quę „ nunc ratio & forma in clero tenetur; vt qui in Eccleſia Domini ordinati-„ one clerica promouentur, in nullo ab adminiſtratione diuina auocentur, „ ne moleſtiis & negotiis ſecularibus alligentur;ſed in honore ſportulantiũ „ fratrum, tanquam decimas ex fructibus accipientes,ab altari & ſacrifici-„ is nõ recedant, & die,ac nocte cœleſtibus rebus & ſpiritualibus ſeruiant. „ Qui igitur victum ac quaſi demẽſum ſacerdotum ac miniſtrorum templi

aufert,hic ſimul ea omnia, de quibus diximus ſublata eſſe cupit, atque adeò ipſa aufert,vtq; homines Domini Dei ſui obliuiſcantur autor eſt. Docet hoc Iuliani apoſtatæ exemplum,qui vt religionem Chriſtianam extingueret, omnémq; Ieſu Chriſti memoriam aboleret, illis artibus vſus eſſe legitur, quas Sozomenus, Nicephorus, & alii Eccleſiaſticæ hiſtoriæ vetuſtiſsimi ſcriptores referunt. Clerum,inquit,omnem muneribus & miniſteriis militaribus in ea regione attribuit; quod cùm ſumptibus oneroſum,tùm ignominia contumelioſum exiſtimatum eſt. Annonam & immunitatem,quam Conſtantinus pro ſua erga Deum obſeruantia clericis conceſſerat,ipſe abrogauit, & in publicos prouentus retulit. Quæ verò viduis & virginibus,propter inopiam cleri,alimenta è publico largienda deſtinata erant, ægrè & difficulter exigebantur. Conſtantinus námque, cum Eccleſias conſtitueret atque ordinaret, ex cuiuſq; vrbis prouentibus toti clero, quantum ad vitam tolerandam ſatis eſſet, rerum neceſſariarum tribuit, eámque rem ſanctione legis confirmauit, quæ hucuſque conſeruatur.Sub Iuliano exactio eorum prouẽtuum dura admodum & grauis fuit, ſicuti id exactorum ipſorũ teſtantur monumenta. Cæterùm parũ fuit tyranno,tam hoſtili eſſe erga nos animo,niſi ſuũ aduerſus Eccleſiam odium, ad excidium eius prorſus conuerteret. Quæcunq; enim ei ſuppetebant ſacra vaſa & donaria, ea abſtulit, & in idolorum delubris repoſuit. Vim etiam illam eis adhibuit, qui ſub Conſtantino & Conſtantio templa deorum euertiſſent, vt vel ea celeriter reſtaurarent, vel æſtimationem ſtructuræ eorum perſoluerent. Sin hoc minus facerent, vt durius acciperentur & in vincula coniicerentur, mandauit. Vnde illud ſatis coniicere licet, in eo quidem illum veteribus perſequutoribus quod corpora cum cõ tumelia non excruciauerit, moderatiorem fuiſſe, rebus autem aliis modis omnibus illos exuperaſſe. Omni namque ex parte Eccleſiam affligere, manifeſtè eſt viſus: & vno tantum modo humanior iudicatus, quòd Epiſcopos ſub Conſtantio exilio mulctatos reuocauit, & in vrbes ſuas redire permiſit. Atque id ille non miſericordia fecit,ſicut colligere eſt, ſed vt Epiſcopos inter ſe committens, ad inteſtinum armaret bellum, & ſuis ipſa diſsidiis Eccleſia labefactaretur. Et Iulianus quidem hæc. Nos autem quid? Similia omnia.

Niceph. li.10 cap. 4.

Ibidem. ca. 5.

Qui dotem Eccleſiæ aufert, qui decimas non ſoluit, hic Iuliani ſpiritu agitur: hic religionis Chriſtianæ inimicus eſt: hic à Chriſto fidéq; illius apoſtatauit: eadem enim agit, eadem ſpectat, eadem molitur, quãùis non eadem loquitur. Sed & res ipſa idem, quod ſuperiùs diximus, abundè probat. Ex eo enim tempore.ex quo hæreditas Chriſti ab ipſis occupari cœpta eſt,quanta ſit paucitas ſacerdotum,quanta miniſtrorum tẽpli raritas, videmus: turbæ primum eorum hominum conſpiciebantur, nunc pauci admodum vbiq; apparent. Memini ego, cùm Polocia cum Sereniſsimo Rege meo de bello redirem, vnum ſolum me in tota illa regione Catholicum ſacerdotem vidiſſe,eúmq; excommunicatum. Sícq; fames adducta illa eſt ſuper populum Chriſtianum, de qua prædixerũt Prophetæ:

phetæ. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & emittam famem in terram: non famem panis, neque ſitim aquæ; ſed audiendi verbum Domini. Et commouebuntur à mari vſque ad mare,& ab Aquilone vſq; ad orientem, circumibunt quærentes verbum Domini, & non inuenient. Et Ieremias: Filii Sion inclyti,& amicti auro primo: quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli? Sed & lamiæ nudauerunt mammam,lactauerunt catulos ſuos. Filia populi mei crudelis,quaſi ſtruthio in deſerto. Adhæſit lingua lactentis ad palatum eius in ſiti: paruuli petierunt panem,& non erat qui frangeret eis. Qui veſcebantur voluptuosè,interierunt in viis: qui nutriebantur in croceis,amplexati ſunt ſtercora. Quod idem nũc reipſa experimur. Vagatur populus Chriſti,tanquam oues ſine paſtore:ex hæreſibúsque in hæreſes tranſit, ac in lupos pro paſtoribus incidit. Quæ autem deinceps ſequentur, quis non videt, quis non intelligit? Inimicus homo fecit hæc omnia, vt facilius ſuperſeminet zizania, ſéq; ipſum Deum pro Chriſto conſtituat.

Amos. 8.

Thren. 4.

Matt. 13.

Poſtremò, qui illud quod Deo patri & alumno ſuo debet,non reſtituit, ille omnem cœli clementiam, terræ fœcunditatem,ac felicitatem, frugum item vbertatem, omnémque Conditoris ſui benedictionem auertit: calamitatem autem, ſterilitatem, ſtragem, famem, egeſtatem, omnémq; iram Dei tàm priuatim, quàm publicè, in ſe,liberóſq; ſuos, accerſere atq; manibus ſuis trahere videtur. Docet hoc ſcriptura: Reſpexiſtis,inquit,ad amplius, & ecce factum eſt minus: & intuliſtis in domum, & exſufflaui illud: Quam ob cauſam,dicit Dominus exercituum? quia domus mea deſerta eſt, & vos feſtinatis vnuſquisque in domum ſuam. Propter hoc ſuper vos prohibiti ſunt cœli ne darent rorem, & terra prohibita eſt, ne daret germen ſuum: & vocaui ſiccitatem ſuper terram, & ſuper montes, & ſuper triticum, & ſuper vinum, & ſuper oleum,& quæcunque profert humus, & ſuper homines, & ſuper iumenta, & ſuper omnem laborem manuum. Et Malachias: Reuertimini ad me, & ego reuertar ad vos, dicit Dominus exercituum. Et dixiſtis. In quo reuertemur? Si affiget homo Deum, quia vos configitis me? Et dixiſtis. In quo configimus te? In decimis & in primitiis. Et in penuria vos maledicti eſtis,& me vos cõfigitis gens tota. Inferte omnem decimam in horreum meum, vt ſit cibus in domo mea, & probate me ſuper hoc, dicit Dominus: ſi non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem vſq; ad abundantiam, & increpabo pro vobis deuorantem,& non corrumpet fructum terræ veſtræ, nec erit ſterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum. Addit Diuus Hieronymus: Si quando fames, & penuria, & rerum omnium egeſtas opprimit mundum; ſciamus hæc ex ira Dei deſcendere, quòd ſe in pauperibus fraudari dicit ſua poſſeſsione. Et ſcriptura quidem hæc. Sed & res ipſa atq; clariſsima rei exempla,hoc idem teſtantur. Quàm potens fuerit Germania quõdam, quàm bello clara,quàm opibus abundans,quis neſcit? nunc poſtquam Principes eius omnia tam diuina, quàm humana ad ſe tranſtulerunt, ac in vnum cõflauerunt,quid præclarum pro re Chri-

Aggæ. 1.

Mala. 3.

ſtiana opibus ſuis geſſerit non videmus. Nulla vicinarum gentium fuit vn quam, quæ in perſoluendis decimis aliísque partibus Deo debitis liberalior atque munificentior fuerit, his ipſis vicinis noſtris Hungaris, qui non ex agris tantùm & vineis, auro item & reliquis, quibus abundant metallis, ſed ex minutiſsimis etiam rebus, Deo miniſtrísq; eius magnificentiſsimè decimas perſoluebant. Nulla tamen ditior, nulla vberior temporibus illis gens exſtitit, ita vt Aureum pomum regio illa diceretur. Diſceſſum eſt poſtea Lutheri & aliorum dogmatibus ab ea pietate atque munificentia: résq; eò perducta eſt, quò videtis: exaggerare alienam miſeriam nolo, ne exprobrare fortunam, quæ communis eſt, videar. Quid ego de maioribus noſtris dicam? non fuerunt illi quidem homines immenſis illis & monſtroſis opibus diuites, locupletes tamen ſatis, lautíq; fuerunt: hi manibus ac ſinubus propemodum ſuis, decimas ac reliqua templo addicta in domum Domini deportabant, hi conſilia, fortunas, conſuetudinem, menſam, arcam, & omnia planè habuerunt cum Leuitis communia: ædes ſacras, monaſteria ampliſsima, pauperum domos, ſcholas ædificabant, magnificas donationes faciebant, eodem tempore tamen, diuturna bella cum potentiſsimis hoſtibus gerebant: prouincias vicinas ſibi adiungebant, publica ædificia erigebant, filios educabant, filias elocabant, hæreditates ſtabiles & liberas poſteritati ſuæ relinquebant: nec tamen indigebant ſpoliis, non mendicitate, non ſacrilegiis, non peculatu, non vſuris, non ſimoniis, non mercatu, & cauponariis artibus, non aliundè accerſitis œconomiis, hoc eſt, emungendæ pecuniæ fraudibus, quibus nunc in hac iſtorum egeſtate & mendicitate plena ſunt omnia. Quid ita? Benedi-
Prouerb. 10. ctio Domini diuites illos faciebat. Non relinquebant poſt ſe filios vagos, egentes, obæratos, extorres, capite diminutos. Cur ita? reddebat eis Dominus bonum & non malum omnibus diebus ſuis. Quare? quia & illi reddebant ea quæ ſunt Cæſaris Cæſari, quæ Dei Deo. Reddite igitur & vos quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ Dei Deo. Et cùm iſta, quæ Deo & templo debentur fuerint reddita, tùm itidem & vos Sacerdotes reddite vos ipſos animabus huius populi: reddite templis & aris religionem, & miniſterium veſtrum: cathedris & pulpitis, quæ nunc deſerta & puluere obſita iacent, doctrinã veſtram: reddite tribunali & iurisditioni, iudiciũ veſtrum: reddite ſorti veſtræ ſolicitudinẽ veſtram: relinquite militias, aulas, cauponas, venationes, ſuperfluã œconomiam, tantò magis bacchanalia, ſcurras, lenones; & tũc, vbi ſic mutuò vobis inter vos quę cuiq; debentur reddideritis, pax erit, trãquillitas reſtituetur, cõpoſitio cohærebit. Nam alia ratione ſyncretiſmus quidẽ vt Demoſthenis verbo vtar, ad tempus inter vos cõ poni poterit; pax tamen certa, fixa, ſtabilis, ſolida, ſecundùm Deũ, & leges eius nunquam cohærebit, ex arena funiculos nectetis, laterem lauabitis. Neque enim reddentur quæ ſunt Cæſaris Cæſari, quæ Dei Deo.

Non fuit hoc, dicent iſti, antiquitus. Decimæ in primitiua Eccleſia non pendebantur: decimare quempiam, Iudaicum quid eſt. Videamus an hoc idem docuerint vetuſtiſsimi per totum orbem terrarum diffuſi ſancti

patres,

patres, an idem sentiant. Primùm igitur videamus Orientis Patres.

In his est vetustissimus Origenes ille magnus, qui vt cætera omnia, ita & hoc magnificè tractat, omnésq; eius rei difficultates explicat. Primitias omnium frugum omniúmq. pecudum sacerdotibus lex mandat offerri: ita vt omnis qui possidet agrum, vel vineam, vel oliuetũ, vel etiam hortum, & si quid est, quod exercetur in terris, sed & si quis peculia cuiuscunque pecoris nutriat, offerat ex iis Deo omne quod primum est, id est, ad sacerdotes deferat. Deo enim offerri dicit, quod sacerdotibus datur. Et hoc est quod docemur ex lege: quia nemo licitè nec legitimè vtatur fructibus, quos terra produxit, nec animantibus, quæ pecudum protulit partus; nisi ex singulis quibusque Deo primitiæ, id est, sacerdotibus offerantur. Hãc ergo legem obseruari etiam secundùm literam, sicut & alia nonnulla, necessarium puto. Sunt enim aliqua legis mandata, quæ etiam noui testamenti discipuli necessaria obseruatione custodiunt. Et si videtur prius de iis ipsis, quæ in lege quidem scripta, sed tamen in Euangeliis obseruanda sint, sermo moueatur: & cùm hæc patuerint, tunc iam quid in iis etiam spiritualiter sentiri debeat, requiremus. Sunt enim qui ita dicant, quia si aliquid Domino obseruandum est secundùm literam, cur non & cuncta seruentur? Si verò ad spiritualem intelligentiam, quæ lex continet, referenda sunt, nihil omninò secundùm literam, sed spiritualiter debent vniuersa discerni. Ostendimus ergo esse quædam, quæ omninò non sunt seruanda secundùm literam legis, & esse quædam, quæ allegoria penitùs immutare non debet; sed omnimodè, ita vt scripturæ de iis continent, obseruanda sunt: nunc requiro, si sunt aliqua, quæ & secundùm literam quidem stare possint; necessariò tamen in eis etiam allegoriam requirendam. Sicut & in hoc sermone, quem habemus in manibus, arbitror conuenire. Decet enim, & vtile est, etiam sacerdotibus Euangelii offerri primitias. Ita enim & Dominus disposuit, vt qui Euangelium annũciant, de Euangelio viuant: & qui altari deseruiunt, de altari participent. Et sicut hoc dignum & decens est: sic è contrario, & indecens, & indignum existimo, & impium; vt is, qui Deum colit, & ingreditur Ecclesiam Dei, qui scit sacerdotes & ministros assistere altari, & aut verbo Dei, aut ministerio Ecclesiæ deseruire, vt de fructibus terræ (quos dat Deus, solem suũ producendo, & pluuias suas ministrando) non offerat primitias sacerdotibus. Non mihi videtur huiusmodi anima habere memoriam Dei, nec cogitare, nec credere, quia Deus dederit fructus, quos cepit, quos ita recõdit, quasi alienos à Deo. Si enim à Deo sibi datos crederet, sciret vtique (munerando sacerdotes) honorare Deum de datis & muneribus suis. Et adhuc, vt amplius hæc obseruanda etiam secundùm literam, ipsius Dei vocibus doceantur, addemus ad hæc: Dominus dicit in Euangeliis: Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentam, hoc est, decimam datis mentæ, & cymini, & anethi, & præteritis, quæ maiora sunt legis. Hypocritæ, hæc oportet fieri, & illa non omitti. Vide ergo diligentius, quomodo sermo Domini vult fieri quidem omnimodè, quæ maiora

Orig. in Num cap. 18. Homil. 11. de primi. offer.

1. Cor. 9.

Matt. 23.

„ sunt legis, non tamen omitti & hæc, quæ secundùm literam designantur?
„ Quòd si dicas, quia hæc ad Pharisæos dicebat, non ad discipulos, audi ite-
Matt. 5. „ rum ipsum dicentem ad discipulos: Nisi abundauerit iustitia vestra, plus
„ quàm Scribarum & Phariseorum, non intrabitis in regnum cœlorũ. Quod
„ ergo vult fieri à Pharisæis, multò magis, & maiore cum abundantia vult
„ à discipulis impleri: quod autem fieri à discipulis non vult; nec Pharisæis
„ imperat faciendum. Quomodo autem plus velit fieri à discipulis, quàm
Ibidem. faciunt Pharisæi, in eo declarat, vbi dicit: Dictum est antiquis, non
„ occides, hoc obseruant & Pharisæi: discipulis autem dicit: Ego autem
„ dico vobis, quia si quis iratus fuerit fratri suo, reus erit iudicio. Simi-
„ liter & de eo, quod scriptum est: Non adulterabis: suorum discipulo-
„ rum in eo vult amplius abundare iustitiam; vt ne mulierem quidem vide-
„ ant ad concupiscendum. Igitur ex his quæ protulimus paucis, si qui studi-
„ osi sunt in scripturis diuinis, perfacilè colligere poterunt etiam cæterorũ
„ distinctiones. Sapiens enim si audiat, inquit, verbum, non solùm lauda-
„ bit; sed & adiiciet ad illud. Quid adiiciet? vt discutiat & discernat in sin-
„ gulis quibúsque capitulis legis, vbi fugienda sit legis litera, vbi amplectẽ-
„ da, vbi etiam narratio historiæ cum mystica expositione conueniat. Chri
„ stus enim nos redemit de maledicto legis: non nos redemit de maledicto
„ mandati, nec de maledicto testimonii, nec de maledicto iudiciorum; sed
„ de maledicto legis: id est, ne subiecti essemus circumcisioni carnis, nec
„ obseruationi sabbathorum, aliísque horum similibus, quæ non in manda-
„ tis, sed in lege dicenda sunt contineri. Quomodo ergo abundat iustitia
„ nostra, plus quàm Scribarum & Pharisæorum; si illi de fructibus terræ suę
„ gustare non audent, priusquam primitias sacerdotibus offerant, & Leui-
„ tis decimæ separentur; & ego nihil horum faciens, fructibus terræ ita abu
„ tar; vt sacerdos nesciat, Leuites ignoret, diuinum altare non sentiat?

Epip. 80. Hæ. hb. 3. Tom. 2. Hũc secutus est Epiphanius Cypri Episcopus. At verò Apostolis dictũ est vt cõtenti sint prędicatione verbi, vt ne occupati sint iter facientes à ci uitate ad ciuitatem, & à loco ad locum ad prædicandum: Dignus est e-
Lucæ. 10. nim operarius mercede sua: &, Sufficit operanti alimentum suum. Sed &
„ pastoribus similiter propter assiduam occupationem circa populos, & Ec
„ clesiasticam administrationem, & frequens ministerium dicit diuina scri-
1. Cor. 9. ptura: Quis pascit gregem ouium, & de lacte ipsius non edit? aut quis
2. Tim. 2. plantat vineam, & de fructu ipsius non participat? Et dicit: Laborantẽ
„ agricolam oportet primùm fructuum participem fieri: quo Presbyterum
„ aut Episcopum non quotidiano alimento destitutum constitueret, inhor-
„ tans populos, vt ex iustis laboribus tribuant sacerdotibus, quæ ad alimen
„ tum pertinent, per primitias & oblationes, atque alia. Quorum potesta-
„ tem habentes hi, qui ex Deo constituti sunt ad deducendum populos, neq;
Chryso. in Act. Apo. cap 8. Ho. 18. „ his vtuntur ad satietatem, qui Deo perfectè complacere volunt.

Eadẽ docet D. Chrysostomus, qui pulcherrimè ex omnibus de ea tota cura & prouisione ministrorũ templi ita scribit. Nũ opus est, vt vnusquisq; „ fidelium ædificet Ecclesiam? & vt credat, simul etiam Doctor sit? Num-

quid

quid ante omnia hoc considerandum,vt omnes sint Christiani? Quomodo, dic mihi, Christianus erit agricola, videns te sic suam negligere salutem? Non potes facere signa, & persuadere iis, quibus illi persuaserunt, misericordia vtere, cura, mansuetudine, affabilitate, aliisq; omnibus. Ac fora quidē ac balnea faciunt multi,Ecclesias aūt non item, & omnia magis quàm has.Ideò oro ac supplico, & gratiā peto,imò & legem pono; vt nullus qui habet villam, appareat carere Ecclesia. Ne mihi dixeris propè est, in vicinia est; magnus est sumptus,non magnum commodum: si quid habes insumendum in pauperes,illuc insume; meliùs illuc,quàm ibi: educa magistrum, educa Diaconum, & sacerdotalem ordinem. Quasi ducta vxore vel sponsa, vel data virgine, sic erga Ecclesiam affectus sis: dotem adscribe illi; ita tibi benedictione prædium multiplicabitur. Quid enim non erit illic bonorum? Parúmne est,oro,torcular benedici? parúmne est Deum ex omnibus frugibus ac decimis priùs partē ac decimas accipere? Ad pacem agricolarum hoc vtile. Venerabilis erit & Presbyter postea,& ad securitatem agri conducet. Preces illic perpetuæ propter te, laudes & synaxes propter te,oblatio per singulos dies Dominicos. Quid magis mirandum, quòd alii exstruunt clara sepulcra, vt posteri audiant quod ille construxit, an quòd tu Ecclesias excitas? Cogita quòd vsq; ad Christi aduentum mercedem habiturus sis, qui altare Dei excitaturus es. Dic enim oro,si rex tibi præcepisset domum extruere,vt illic habitet,nónne omnia fecisses? Nunc igitur Regia est Christi Ecclesiæ constructio: ne sumptum spectes,sed fructum computa. Illi colunt terram, tu cole illorum animas: illi tibi ferunt fructus, tu illos infer in cœlos. Qui initium dedit,hic & omniū aliorum causa est.Igitur & te autore illic erudientur initiandi ii, qui agro tuo vicini, cùm balnea quidem molliores reddant agricolas, institoriæ officinæ delicatiores;attamen facitis hæc propter gloriam. Forum & prætoria publica faciunt impudentes: hic autem omnia secus fiunt. Quale enim fuerit, videre senem, ad exemplum Abrahæ incedentem, canum,accinctum,& fodientem & ipsum operantem? quid illo agro desiderabilius? Hic maior est virtus. Non est lasciuia illic,sed abacta est: non est ebrietas ac voluptas,sed eliminata est:non est vana gloria,sed extincta est: plus illic fulget beneuolentiæ propter simplicitatem. Quanta res est abire & ingredi in domum Dei, & videre quòd ipse illam exstruxerit, & quiescere in villa securum, & habere deambulationem seruientem corpori,& matutinis vespertinísque hymnis esse præsentem,ac simul prandentem sacerdotem, simul conuersantem, benedictione frui, & alios videre illuc venientes? Hoc fuerit in murum ac securitatem agri. Hic est ager,de quo dicit: Odor agri pleni,cui benedixit Dominus: quāuis & præter hoc bona sit villa, propter quietem, propter abundantiam ocii: quòd si templum accesserit, quid illi comparabitur? Villa enim habens Ecclesiam, paradyso Dei comparatur: non est illic clamor, non est turbatio, non varii inimici,neq; sectæ: omnes licet videre amicos & participes eorundem dogmatum. Ducit te in philosophiam:ab hac philoso- *Gene. 27.*

„ phia accipiens te presbyter curabit facilè: nam hic quæcunq; dixerimus,
„ forum excutit: illic autem quæcunq; audieris,fixa habebis in mente. Ali-
„ us in agro eris per illum, & illis præſidebit,ac erit cuſtos,& vt adſint,& vt
„ componant ſeipſos. Vnde autem eſt & ſumptus, dic mihi? Fac iam par-
„ uam domum pro templo: qui ſequetur te faciet porticum: qui poſt illum,
„ aliam adiiciet, & ſic tibi imputabitur totum. Tu das parum, & totius ac-
„ cipis mercedem. Igitur initium facito, fundamentum iacito, imò mutuũ
„ adhortemini, vt certetis in hac re. Nunc autem domus,in quibus paleam
„ & frumentum, & omnia talia reponi oportet,facilè exſtruunt: vbi autem
„ colligere oportet animarum fructus, minimè curant; ſed coguntur mul-
„ tis ſtadiis ire,& magnas profectiones facere,vt in Eccleſiam abeant.Quã-
„ tùm autem eſt bonum, cùm multa quiete in Eccleſiam ſacerdotem veni-
„ re, vt accedat Deum, & pro ea quotidiè oret ad Dominum? Parum eſt,
„ dic oro, in ſanctis oblationibus nomen tuum ſemper referri, & quotidiè
„ pro villa preces ad Deum fieri?quantum tibi & ad alia hoc conducit? Cõ-
„ tingit quosdam in vicinia habitare,& habere curatores. Ad te igitur pau
„ perem non dignabitur vllus horum venire:acPresbyterum fortaſsis voca-
„ bis,& menſæ participem facies. Vides quanta erunt inde bona? Erit tunc
„ villa ab omni ſuſpicione libera: nullus homicidii, nullus furti accuſabit,
„ neque aliquid ſuſpicabitur. Habent & aliam conſolationem,ſiue morbus,
„ ſiue mors accidat. Non ſimpliciter neque fortuitò etiam amicitiæ fiunt
„ eorum, qui illuc eunt, & congregationes erunt multò aliis cœtibus ſua-
„ uiores: non ſolùm autem congregationes,ſed & illi qui prẹſunt per Pres-
„ byterum ſunt magis reuerendi. Omninò audis quod Hieruſalem olim a-
„ liis ciuitatibus honoratior fuerit; ſed non ſimpliciter, verùm propter im-
„ pietatem,quæ tunc præualuerat. Propterea ibi colebatur Deus. Nihil eſt
„ mali,multa ſecuritas erit & apud Deum & apud homines. Etiam oro, ne
„ obiter, ſed alacriter opus in manus ſuſcipiatis. Qui enim educit pretio-
„ ſum à vili, quaſi os Dei erit, qui tot animabus tàm præſentibus, quàm fu-
„ turis,vſq; ad aduentum Chriſti prodeſt;quantam gratiam apud Deum ha
„ bebit? Præſidium exſtrue contra diabolum. Hoc eſt enim Eccleſia. Illinc
„ impetum faciant manus ad laborem: priùs extendantur in precibus; &
„ tunc abeant ad opus,vnde erit corporis robur:ita erit multa agricolatio,
„ ita omnia mala erunt foris: non poteſt voluptas verbis tradi, quamdiu
„ opere non fuerit ſuſcepta. Ne hoc videris quod nullam habeat acceſsi-
„ onem ac commodum: nam ſi hoc feceris, nihil facies, ſi non putas tibi
„ vtilitatem prædio maiorem accedere: ſi non ſic affectus es, non opera-
„ beris,ſi non opus hoc cogitas tuis omnibus præferendum. Quid hac vti-
„ litate maius, animas in aream quæ eſt in cœlo,inducere? Hei mihi,quòd
„ neſcitis,quantum ſit lucrifacere animas. Audi quid dicat ad Petrum Chri
Ioan. 21. ſtus: Si diligis me paſce oues meas. Si oues regias videns, vel equorum
„ armentum apud ſtabulum non habere, quæ proponantur, accipies ipſe,
„ & exſtrues ſtabulum & equile, vel præficies paſtorem,quantis te remune
„ raturus eſt rex? nunc ouile Chriſti congregas,& paſtorem præficis;& nõ

putas

putas magnum quiddam te facere? Quid dico? Si quis ſcandalizauerit etiam vnum, tantas pœnarum minas audit: qui tot ſeruat non ſeruabitur? nam quale poſtea habebit peccatum? etiamſi habuerit non delebit illud? A pœna eius, qui ſcandalum dederit, diſce præmium eius qui ſeruat. Si non curæ eſſet Deo etiam vnius animæ ſalus; non tam iraſceretur ob illius perditionem. Hæc igitur ſcientes, curam habeamus operis ſpiritualis, & me vnuſquisq; vocet, & nos pro viribus ſimul operabimur. Et ſiquidem tres fuerint domini, in commune conferant: ſi autem vnus, & aliis vicinis ſuadeat: tantum vt hoc corrigat, ſoliciti ſitis, vt vbiq; beneplacentes Deo, æterna bona cõſequamur, gratia & miſericordia Domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo Patri & Spiritui ſancto gloria, honor, imperium, nunc & ſemper, &c. In meridie ex Aphricanis patribus, primus eſt beatiſsimus martyr, & pontifex Cyprianus, qui hac de re hunc in modum ſcribit. In nobis verò ſic vnanimitas diminuta eſt, vt largitas operationis infracta eſt. domos tunc & fundos venundabant, & thelauros ſibi in cœlo reponentes, diſtribuenda in vſus indigentium pretia, Apoſtolis offerebant. At nunc de patrimonio nec decimas damus. Et cùm vendere iubeat Dominus, emimus potiùs & augemus. Sic in nobis emarcuit vigor fidei: ſic credentium robur elanguit. Et idcircò Dominus tempora noſtra reſpiciens, in Euangelio ſuo dicit: Filius hominis cùm venerit, putas inueniet fidem in terra? Videmus fieri, quod ille prædixit. In Dei timore, in lege iuſtitiæ, in dilectione, in opere, fides nulla eſt. Nemo futurorum metum cogitat, diem Domini, & iram Dei: & incredulis ventura ſupplicia, & ſtatuta perfidis æterna tormenta, nemo cõſiderat: quod metueret conſcientia noſtra, ſi crederet: quia non credit omninò; nec metuit: ſi autem crederet, & caueret: ſi caueret euaderet. Excitemus nos quantùm poſſumus, dilectiſsimi fratres, & ſomno inertiæ veteris abrupto, ad obſeruanda & gerenda Domini præcepta vigilemus.

Cypri. de vnitate Eccleſiæ.

Luc. 18.

Cyprianum ſequitur Diuus Auguſtinus. Vnuſquisque de quali ingenio vel artificio viuit; de ipſo decimam Deo in pauperibus, vel in Eccleſiis donet: conſideret, quia omnia Dei ſunt, per quæ viuit: ſiue terra, ſiue flumina, ſiue ſemina, vel omnia quæ ſub cœlo ſunt, vel ſuper cœlos. Et ſi ipſe non dediſſet, nihil vtique haberet. Nam Deus, qui dignatur totum dare; decimam de ſuo dignatur à nobis repetere, non ſibi penitùs, ſed nobis profuturam: ſicut ipſe promiſit per Prophetam, dicens: Inferte, inquit, omnem decimationem in horreis meis & probate me in his, dicit Dominus: ſi non aperuero vobis * Nolite de cũcta ſubſtantia veſtra fraudare decimã, ne vobis nouem partes auferantur, & ſola decima remaneat. Conuertimini adhuc, dicit Dominus, vt aperiam vobis cataractas cœli, & effundam ſuper vos benedictionem meam. Si igitur dederitis voluntariè, plus ſemper Dominus dabit vobis. Si non dederitis, quanticunque pauperes, in quibus locis habitatis, fame mortui fuerint, tantorum homicidiorum rei eritis. Inſuper immittet vobis Dominus peſtilentiam & famem, & perdetis totum quod habetis, nec non & ani-

Auguſti. de rectitud. catholicæ cõuerſationis Tra. 20. Tom. 9.

Mala. 3.

„ animas veſtras. Vt autem hæc vobis non veniant, feſtinate cum bono ani-
Ibid. Aug. Ser. mo dare, vnde animas veſtras poſsitis redimere. Et alibi. Pro-
219. Tom. 10. pitio Chriſto, fratres chariſsimi, iam propè ſunt dies, in quibus meſses collige-
„ re debeamus, & ideò gratias agentes Deo qui dedit, de offerendis, imò
„ reddendis decimis cogitemus. Deus enim qui dignatus eſt totum dare,
Mala. 3. „ decimam à nobis dignatur repetere, non ſibi, ſed nobis ſine dubio profu-
turam. Sic enim per Prophetam ipſe promiſit, dicens: Inferte, inquit, om
„ nem decimam in horreis meis, vt ſit cibus in domo mea, & probate me in
„ his, dicit Dominus; ſi non aperuero vobis cataractas cœli, & dedero vo-
„ bis fructum vſq; in abundantiam. Ecce probauimus, quomodo nobis de-
„ cimæ magis quàm Deo proficiant. O homines ſtulti, quid mali imperat
Exod. 22. Deus, vt non mereatur audiri? Sic enim dicit: Primitias areæ tuæ, & tor
„ cularis tui, non tardabis offerre mihi. Si tardius dare peccatum eſt, quan-
„ tò peiùs eſt non dediſſe? Et iterùm dicit. Honora Dominum Deum tu-
„ um de tuis iuſtis laboribus, deliba ei de fructibus iuſtitiæ tuæ, vt replean-
„ tur horrea tua frumento, vino quoq; torcularia tua redundabunt. Non
„ præſtas hoc gratis, quod citò recipies magno cum fœnore. Ex occidẽ-
tis patribus vetuſtiſsimus fuit; & qui ipſa tempora Apoſtolorũ ſecutus eſt
Irenæus, qui inde probat contra Valentinianũ & Martianum, Ieſum Chri-
ſtum verũ Deum, & veri Dei filium eſſe, quòd illi primitias atq; decimas
fideles offerant: & ſi alio modo quàm in veteri lege. Verba eius ſunt hęc.
Matt. 5. *Deut. 16.* Offerre igitur oportet Deo primitias eius creaturæ, ſicut & Moyſes
Ire. li. 4. ca. 34 ait: Non apparebis vacuus ante conſpectum Domini Dei tui: vt in qui-
„ bus gratus extitit homo, in his gratus ei deputatus, eum, qui eſt ab eo,
„ percipiat honorem. Et non genus oblationum reprobatum eſt, obla-
„ tiones enim & illic, oblationes autem & hic: ſacrificia in populo, ſacrifi-
„ cia & in Eccleſia; ſed ſpecies immutata eſt tantùm: quippè cùm iam non
„ à ſeruis, ſed à liberis offeratur: vnus enim & idem Dominus: proprium au
„ tem character ſeruilis oblationis, & proprium liberorum, vti & per obla-
„ tiones oſtendatur iudicium libertatis. Et decimas quidem vnde tunc
„ Chriſtiani ſoluerent, non planè habebant: omnia tamẽ ſua ad pedes Apo-
Ambr. apud Gret. cauſa 16 q. 7. in ſer quadrigeſ. ſtolorũ eos detuliſſe, idem teſtatur Irenæus. Sequitur hunc D. Ambroſius.
Quicunque, inquit, recognouerit in ſe, quòd fideliter non dederit
decimas ſuas; modò emendet, quod minus fecit. Quid eſt fideliter da-
re, niſi vt nec peius minus aliquando offerat de grano, aut de vino, aut
„ de fructibus arborum, aut de pecoribus, aut de horto, aut de negotio,
„ aut de ipſa venatione ſua. In Septẽtrionem verſis adeſt D. Hieronymus,
Grat. in dec. cauſa 16. qui affert Epiſt. Hiero. ad Damaſum Pap. qui inquit: Quoniam quicquid habent Clerici, pauperum eſt: & do-
mus illorum, omnibus debent eſſe communes: ſuſceptioni peregrinorum
& hoſpitum inuigilare debent: maximè curandum eſt illis, vt de decimis
& oblationibus, cœnobiis, & xenodochiis, qualem voluerint & potue-
„ rint ſuſtentationem impendant. Liberum eſt enim monachis & ſpiritu-
„ alibus viris, Deum colentibus & timentibus, decimas, & oblationes, cun-
„ ctáque remedia concedere, & de iure ſuo in dominium illorum & vſum

trans-

transferre: nec tàm in pauperibus paupertatem,quàm religionem atten- „
dere. Quòd autem beatitudo tua quæsiuit,vtrum vsus decimarum & ob- „
lationum secularibus prouenire possit, nouit vestra Sanctitas, omninò nõ „
licere; protestantibus hoc diuinis autoritatibus paternorum Canonum. „
Quamobrem si aliquando fuerint ab his malè detenta,quæ diuini iuris es- „
se noscuntur, & in vsum transierint monachorum & seruorum Dei, Epi- „
scopo tamen loci illius præbente consensum; constabunt eis omnia per- „
petua firmitate & stabilitate subnixa. Clericos autem illos conuenit Ec- „
clesiæ stipendiis sustentari; quibus parentum & amicorum nulla suffragã- „
tur stipendia. Qui autem bonis parentum & opibus sustentari possunt, si „
quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profectò incurrunt & com- „
mittunt, & per abusionem talium, iudicium sibi manducant & bibunt. „
Hæc Hieronymus. Quòd si consensus omnium Ecclesiarum, præsertim earum, quæ matrices appellantur, certa nota Apostolicæ traditionis est, decimarum profectò ius, tot tantísque testibus, ab ipso Christo eiúsque Apostolis profectum erit.

Non idem tunc erant, inquiunt isti, sacerdotes, nec tales, nec ijsdem moribus præditi, nec in eas res bona conferebant Ecclesiastica. At idem est Deus, idem Christus Dominus, cui hæc debentur omnia,cuius hæc hę reditas, hæcq; possessio propria existit. Num autem in eum modum de Pontificibus, patribus,ac præpositis vestris iudicare conueniat nec ne,di- scamus ab Ecclesia (vt Pauli voce vtar) primitiuorum,discamus à sanctis Dei patribus. Post Deum, inquit Cyprianus, iudicem, qui sacerdotes facit, te velle, non dicam de me, quantus enim ego sum? sed Dei & Chri sti iudicio iudicare: hoc est, in Deum non credere: hoc est, rebellem ad- „ uersus Christum,& aduersus Euangelium eius existere: vt cùm ille dicat: „ Nónne duo passeres asse veneũt, & neuter eorum cadit in terram sine pa „ tris voluntate? & probet maiestas eius, & veritas,sine conscientia & per- „ missu Dei,etiam minora nõ fieri; tu existimes sacerdotes Dei sine consci- „ entia Dei eius in Ecclesia ordinari? Nam credere, quòd indigni & ince- „ sti sint, qui ordinantur, quid aliud est, quàm credere, quòd non à Deo, „ nec per Deum sacerdotes eius in Ecclesia constituantur? An putas, ma- „ iùs esse de me meum, quàm Dei testimonium? cùm Dominus ipse doce- „ at & dicat, testimonium non esse verum, si quis ipse de se testis existat, „ eò quòd vnusquisque vtiq; sibi faueat, nec contra se aliquis infesta & ad- „ uersa depromat; fides verò sincera sit veritatis, si in prædicationibus no- „ stris alius sit prædicator ac testis. Si testimonium, inquit, dixero de me, „ testimonium meũ non est verum:alius est enim,qui testis est de me. Quod „ si ipse Dominus omnia postmodum iudicaturus, noluit de testimonio suo „ sibi credi, sed maluit de iudicio ac testimonio Dei patris probari: quantò „ magis hoc seruos eius obseruare oportet, qui iudicio ac testimonio Dei „ non probantur tantùm, sed etiam gloriantur? Quis autem nostrum lon- „ gè est ab humilitate? vtrúmne ego, qui quotidiè fratribus seruio, & veni- „ entes ad Ecclesiam singulos benignè,& cum voto & gaudio suscipio? an „

Cypri. lib.4. Epist. 9.

Matt. 10.

Ioan. 5.

Et paulò infe.

non tu,qui

„ tu, qui te Epiſcopum Epiſcopi, & iudicem iudicis, ad tempus à Deo dati
Deut. 17. conſtituis? cùm Dominus Deus in Deuteronomio dicat: Et homo, qui-
„ cunq; fecerit in ſuperbia, vt non exaudiat ſacerdotem, aut iudicem, qui-
„ cunque fuerit in diebus illis; morietur homo ille: & omnis populus, cùm
1. Reg. 8. audierit, timebit, & non agent impiè etiam nunc. Et iterùm ad Samue-
„ lem loquitur, & dicit: Non te ſpreuerunt, ſed me ſpreuerunt. Et adhuc
Ioan. 18. Dominus in Euangelio, cùm ei dictum eſſet: Sic reſpondes Pontifici? cu-
„ ſtodiens & docens ſacerdotalem honorem ſeruari oportere, contra Pon-
„ tificem nihil dixerit, ſed innocentiam ſuam tantummodo purgans, reſpõ-
„ derit dicens: Si malè loquutus ſum, exprobra de malo; ſi autem benè quid
Act. 23. me cędis? Item B. Apoſtolus, cùm ei dictum eſſet: Sic inſilis in ſacerdo-
„ tem Dei maledicendo? cùm nihil contumeliosè loquutus ſit aduerſus ſa-
„ cerdotem: quando & poterit ſe conſtanter exerere aduerſus eos, qui Do-
„ minum crucifixiſſent, & qui iam Deum & Chriſtum, & templum, & ſacer-
„ dotium perdidiſſent: ſed quamùis in falſis & ſpoliatis ſacerdotibus, vm-
„ bram tamen ipſam inanem ſacerdotalis nominis cogitans dixerit: Neſci-
Exod. 20. ebam fratres, quia pontifex eſt; ſcriptum eſt enim: Principem plebis tuę
„ non maledices. Hactenus Cyprianus.

Chryſ. 2. Epi. ad Tim. ca. 1. Hom. 2. Eadem, & iisdem ferè verbis docet D. Chryſoſtomus. Qui honorat, inquit, ſacerdotem, Deum quoq; honorat; qui verò ſacerdotem ſpernit, ad id ſenſim prolabitur, vt in Deum ipſum aliquando contumelioſus euadat.
„ Qui vos, inquit, ſuſcipit, me ſuſcipit; & qui vos ſpernit, me ſpernit. Et ſa-
„ cerdotes eius, ait ſcriptura, in honore habete. Hinc Iudæi Deum ſperne-
„ re didicerunt, quia Moyſen contempſerunt, quia lapidibus illum impete-
„ bant. Nam qui piè ſacerdoti afficitur, longè maiore pietate Deum reue-
„ rebitur. Etſi enim malus fuerit ſacerdos quiſpiam, attendit Deus, quòd
„ ſui gratia, illum etiam, qui dignus honore non eſt, obſequiis foues, ipſéq;
Matt. 10. „ tibi præmia exſoluet. Si enim, qui prophetam in nomine prophetæ ſuſci-
„ pit, mercedem prophetæ accipiet: profectò & qui cedit & obtemperat
„ ſacerdoti, eúmque propter Dominum honorat, & ipſe à Domino benedi-
„ cetur, mercedéque ſua non deſtituetur. Super cathedram, inquit, Moyſi,
„ ſederunt ſcribæ & Phariſæi: omnia ergo, quæcunque dixerint vobis face-
„ re, facite; ſecundùm autem opera eorum, ne faciatis. An ignoras quid ſit
Mala. 2. „ ſacerdos? Angelus vtique Domini eſt: non ex ſeipſo loquitur: ſi deſpicis,
„ non illum deſpicis; ſed Deum, qui illum ordinauit. Sed vnde, inquies,
„ conſtat, Deum fuiſſe illius ordinationis autorem? Niſi enim tu hanc ha-
„ beas fidem & opinionem, ſpes tua inanis facta eſt. Nam ſi nihil per il-
„ lum operatur Deus, neque lauacrum habes, neque myſteriorum parti-
„ ceps es, neque benedictionibus frueris. Non ergo Chriſtianus es. Quid
„ ergo? Deus omnes ordinat, æquè dignos & indignos. Non omnes qui-
„ dem ille ordinat, per omnes tamen ipſe operatur, ſalutem populi moliens,
Num. 22. & 24. non illorum intuens merita. Nam ſi per aſinæ os, ſi per Balaam, ſceleſtũ
hominem, populi cauſa loquutus eſt; multo magis loquitur per ſacerdo-
tem, plebis ſuæ gratia. Quid enim non agit Deus ſalutis noſtrę cauſa? quid

non

non loquitur? per quem non operatur? Si enim per Iudam operatus est, & per Prophetas, quibus dicturus est: Non noui vos, discedite à me, qui operamini iniquitatem: si igitur vel hi etiam dæmones in nomine eius eiecerunt; non magis per sacerdotes, diuino ministerio famulantes operabitur? Námq; si præpositorum vitas discutere pergimus; ipsi quoq; doctores nostros ordinare debemus: peruersóq; ordine naturali, quæ supra sunt, infra constituentur, vt superiùs pedes, inferiùs verò sit caput. Audi quid Paulus dicat: Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Et iterum: Tu, quid iudicas fratrem tuum? Si fratrem iudicare non expedit; quantò minus magistrum? Nam siquidem hoc statuit Deus, bene facis, peccásque ni facias; sin verò contraria præcepit, noli præsumere, neque ea coneris, quæ super te sunt, neque limites tibi positos transilias. Insurrexerunt aduersus Aaron, post vituli formatam effigiem, Chore, Datan, & Abiron. Quid ergo? nónne illi periêre? Quilibet quæ ad se pertinent, solicitè curet. Nam siquidem fidei dogma peruertat, etiam si angelus sit, obaudire noli: sin verò recta docet, noli vitæ, sed verbis intendere. Habes Paulum, verbis te, operibúsque ad id, quod rectè & honestè est, informantem. Non distribuit pauperibus, inquies, non benè dispensat Ecclesiæ res. Vnde id tibi constat? Noli illum damnare, antequam discas: reatum caue, plurima quippè ex simplici suspicione iudicantur. Imitare Deum tuum, audi ipsum dicentem: Descendens videbo, si secundùm clamorem suum consumantur, an non; vt rectè sciam. Quod etsi didicisti, & examinasti, & vidisti, expecta iudicium: noli præripere Christi iudicis ordinẽ: illius est munus ista discutere, non tuũ; tu seruus vltimus es, non Dominus; ouis ipse es, pastorem noli discutere; ne eius quoq; criminis reus tenearis, quòd illum accusare præsumis. Et quomodo, inquies, id mihi dicit, quod ipse non facit? Non tibi ipse dicit: nam si illi obtemperas, mercede priuaris: Christus hæc admonet. Plus aliquid dicam. Ne Paulo quidem obedire oportet, si quid dixerit proprium, si quid humanum, sed Apostolo Christum in se loquentem circumferenti. Non igitur mutuò iudicemus nos: sua quisque discutiat, vitámq; diiudicet suam. At debet ille, inquies, melior esse quàm ego. Cur, te obsecro? quia sacerdos est. Et quid non habet ille amplius quàm tu? non labores? non pericula? non angores? non ærumnas? Furatur, inquies, & sacrilegus est. Vnde hoc nosti, ô homo? cur te ipsum per præcipitia impellis? sunt verba ista plena arrogantiæ: nempè si quis dixerit, ille purpuram habet: quãùis id scias, aures obstrue. Quid ergo hoc in loco periculum minimè necessarium suscipis. Non carent reatu hæc verba. Audi quid dixerit Christus: Dico autem vobis, quòd omne verbum otiosum, quodcunque loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii. Cur teipsum arbitraris esse meliorem? cur non ingemiscis magis, ac pectus tundis, atque in humum respicis imitando publicanum? Etsi enim melior sis; hac fœda existimatione tua, cuncta perdidisti. Melior es, tace, vt persistas esse melior: quod si loquaris, omnia exinanisti. Tuam igitur & non

Matt. 7.
1. Cor. 4.
Rom. 14.
Num. 16.
Genes. 18.
Rom. 14.
Matt. 10.
Luc. 18.

„ alienam examina vitam. Tu de ſacerdote dicis: non ſum ſicut iſte ſacri-
„ legus, & non omnia prorſus amittes? Iſta neceſſariò dicere, ac plurimis
„ verbis proſequi cogor, non ſacerdotum tantùm gratia, ſed veſtri: nam ve-
Galat. 6. reor, ne hac elatione, virtus exhauriatur veſtra, in iudiciúmque decidatis.
„ Audi denique, quid dicat admonens Paulus: Opus autem ſuum probet
„ vnuſquisque; & tunc in ſemetipſo tantùm habebit gloriam, & non in alte-
„ ro. Nam, dic oro, ſi ſaucius proficiſcaris ad medicum, num omiſſa cura
„ vulneris tui, ſtudioſè medicum percunctaris, vulnus ille habeat, nécne?
„ Numquid enim ſi ſacerdos malus ſit, inde ſolatium capiet ſubditus? nihil
„ minus. Cæterùm, dabit ille quidem ſcelerum ſuorum debitas pœnas, da-
„ bis etiam & tu tuorum criminum pœnas. Cuius ergo rei gratia, inquies,
„ præſidet? cur præpoſitus eſt? Ne quæſo, doctores noſtros maledictis im-
„ petamus, vti ne noſmet potius lædamus. Noſtra, vt dixi, omnia diſcutia-
„ mus, & neminem penitùs maledicemus. Reuereamur diem illam, qua il-
Eccleſ. 3. luminati ab illis ſumus. Patrem qui habet, & ſi mille patiatur incommo-
„ da, omnia patris reuerentia conteget. Noli enim, inquit, gloriari in igno-
„ mia patris tui, neque enim tibi tàm gloria, quàm probrum eſt. Et ſi ſen-
„ ſum amiſerit, veniam habe. Longè hæc magis in patre ſpirituali dicenda
„ ſunt: reuerere illum, quòd tibi diebus ſingulis diuina miniſtrat: ſcriptu-
„ ras relegi facit tui gratia: exornat domum: propter te vigilat: propter te
„ vota perſoluit: pro te Deum precaturus adſtat: tui cauſa preces exſoluit.
„ At malus ille eſt: & hoc ad te quid? Numquid enim qui malus non eſt,
„ ipſe tibi magna iſta & diuina largitur? abſit. Fides enim tua ad omnia va
„ let, neque tibi iuſtus quiſpiam proderit, niſi ipſe fidelis ſis: neq; nocebit
„ malus, ſi fueris ipſe fidelis. Per vaccas in arca operatus eſt Deus, cùm po-
„ pulum ſaluare vellet. Num enim ſacerdotis vita, num virtus tantum con-
„ ferre potuiſſent? Non poſſunt, quæ Deus ipſe largitur, velut ſacerdotali
„ virtute perfici: omnia quippè diuinæ ſunt gratiæ: ſymbolum iſte tantum-
Matt. 3. modo implet. Intuere quantum inter Ieſum & Ioannem intereſt: & au-
„ di dicentem Ioannem: Ego opus habeo à te baptizari, & tu venis ad me.
„ Sed tamen, cùm tantum intereſt, deſcendit Spiritus, quem non habebat
„ Ioannes, neque Ioannes ipſum deſcendere facit. Cur ergo iſtud fit? Vt
„ ſcias, ſacerdotem ſymbolum implere tantummodo: Deum autem omnia
„ operari, Deum omnia perficere. Sacra ipſa oblatio, ſiue illam Petrus, ſi-
„ ue Paulus, ſiue cuiusùis meriti ſacerdos offerat; eadem eſt, quam dedit
„ Chriſtus ipſe diſcipulis ſuis; quámq; ſacerdotes modò quoq; cõficiunt. Ni-
„ hil habet iſta, quàm illa, minus. Cur id? Quia non hãc ſanctificant homines,
„ ſed Chriſtus, qui illam antè ſacrauerat. Qui autem hancilla minus aliquid
„ habere putat, ignorat Chriſtum eſſe, qui nunc etiam adeſt, atq; operatur.
„ Hæc igitur ſcientes (neq; enim abſq; certa ratione hæc omnia dicta ſunt,
„ ſed vt ſententiam veſtram, ſenſúmq; corrigamus, cautioréſq; in poſterũ fa
„ ciamus) omni ſtudio & diligentia cõſeruate. Hæc Chryſoſtomus.

Sed qualeſcunque iſti ſunt ſacerdotes quos accuſatis, veſtri ſunt, pro-
genies veſtra, veſtro ex ſanguine creti, ex vobis nati, à vobis educati, per

vos

vos Ecclesiæ Dei eiúsque antistitibus commendati, importunéque, coactè, violenter, toties contra omnem morem maiorum, omnémque Ecclesiasticam disciplinam intrusi. Homines plerumque ignari, inertes, inepti, quibus ipsis patrono opus est, vt fœdiora prætermittam. Qua causa commendati? Quæstus & priuatæ vtilitatis gratia: síque vobis in illis non paretur, cœlum & terram clamoribus completis: quorum causa vobis aliquando difficilima apud Deum ratio reddenda erit. Nam & illos hoc modo perditis, & Ecclesiam Dei magno afficitis incommodo: tamen vultis vt delicta personarum, contra magnum illum Gregorium in damnum Ecclesiæ conuertantur, cùm sanctus scribat Leo: Si fortasis (quod non credimus) apud vos inutiles iudicamur; Ecclesia tamen, cui (permittente Deo) præsumus, non inutilis, sed caput principiúmque omnium meritò simul ab omnibus vocatur. Quod igitur intriuistis, ipsis vobis deuorandum est. Vbique vos ingeritis, omnia esse vultis, Doctores, Episcopi, summi Pontifices. Permittite obsecro disciplinam Ecclesiasticam valere atque vigere; & cognoscetis, quia isti sunt populus, cui benedixit Dominus. Sed vos, neque morbos, neque morborum remedia ferre potestis. *Grat. caus. 16 quæst. 6.*

Atqui, inquiunt, isti tui sacerdotes falsi Prophetæ sunt, falsam doctrinam adferunt, plebem seducunt. Vtrum igitur vos de sacerdotum fide & doctrina, an sacerdotes de vestra iudicare, & statuere conueniat, videamus. Ad ipsiúsq; Dei in hac re incorruptam sententiam & iudicium appellemus. Quid igitur dicat Dominus, audiamus. Si difficilè & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram, & iudicium intra portas tuas videris verba variari: surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniésque ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, querésq; ab eis, qui iudicabunt tibi iudicii veritatem. Et facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerísq; sententiam eorum, nec declinabis ad dextram, neque ad sinistram. Et in noua lege. Super cathedram Moysi, sederunt scribæ & pharisæi: quæcunque dixerint vobis, facite, secundùm autem opera eorum nolite facere. Et: Sic nos existimet homo, vt ministros Dei, & dispensatores mysteriorum eius. *Deut. 17.*

Leuitas dices aliam sortem in populo Dei non habuisse, præter decimas: nos autem multos agros, ditia rura, amplas possessiones habere. Verum est, Leuitas & Sacerdotes in prima illa terræ sortitione, non accepisse aliam partem in populo Dei, præter decimas & primitias: eò quòd ad legem tradendam, docendúmq; populum eos per omnes tribus sparsos, non vno aliquo terræ illius angulo concluso esse oportebat. At sortitione terræ in vndecim tribus facta, præcipit Dominus, vt in omni tribu, vrbes & suburbia assignẽtur Leuitis & Sacerdotibus: vrbes ad habitandum, & suburbana earum, ad alenda pecora & iumenta. Itáque ciuitates vniuersæ leuitarum, inquit scriptura, in medio possessionis filiorum Isra- *Num. 35. Iosuæ. 21*

el fuerunt quadraginta octo cum ſuburbanis ſuis ſingulæ, per familias diſtributæ. Omnis item poſſeſsio ex vrbe conſecrata Domino, ad ius pertinebat ſacerdotum. Liberum etiam fuit priuata emptione ſacerdotibus agros comparare. Sic Abiatharem in agrum ſuum diſcedere, iubet Salomon: Sic Ieremias iubente Deo emit agrum à propinquo ſuo: & ſcribit librum poſſeſsionis ſignatum & ſtipulationes, & rata, & ſigna forinſecus. Quæ omnia in noua lege munificentiora futura, ex Prophetis demonſtrauimus. Sed qua ratione, & quorum cauſa, & in quales vſus, diſce non ex me, ſed ex beatiſsimo martyre atque Pontifice Vrbano Primo, qui ante mille & quadringentos annos vixit: illúdque ſcriptum reliquit. Scimus vos non ignorare, quia hactenus vita communis inter bonos Chriſtianos viguit, & adhuc gratia Dei viget: & maximè inter eos, qui in ſortẽ Domini ſunt electi, id eſt, clericos, ſicut in actibus legitur Apoſtolorum: Multitudinis autem credentium, erat cor vnum, & anima vna: nec quiſquam eorum quæ poſsidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat; ſed erant illis omnia cõmunia. Et virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti: & gratia magna erat in omnibus illis. Neque enim quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſsores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Diuidebatur autem ſingulis, provt cuique opus erat. Ioſeph autem, qui cognominatus eſt Barnabas ab Apoſtolis, quod eſt interpretatum, filius conſolationis, Leuites & Cyprius genere, cùm haberet agrum vendidit illum, & attulit pretium ante pedes Apoſtolorum. Et reliqua. Videntes ergo ſacerdotes ſummi & alii, atque leuitæ, & reliqui fideles, plus vtilitatis poſſe afferre, ſi hæreditates & agros quos vendebant, Eccleſiis, quibus præſidebant Epiſcopi, traderent, eò quòd ex ſumptibus eorum, tàm præſentibus, quàm futuris temporibus, plurima & elegantiora poſſent miniſtrare fidelibus communem vitam ducentibus, quàm ex pretio eorum: cœperunt prædia & agros quos vendere ſolebant, matricibus Eccleſiis tradere, & ex ſumptibus eorum viuere. Ipſæ verò res in ditione ſingularum Parochiarum, Epiſcoporum, qui locũ tenent Apoſtolorum, erant, & ſunt vſque adhuc, & futuris ſemper debent eſſe temporibus. E quibus Epiſcopi, & fideles diſpenſatores eorum, omnibus communem vitam degere volentibus, miniſtrare cuncta neceſſaria debent, prout melius potuerint, vt nemo in eis egens inueniatur. Ipſę enim res fidelium oblationes appellantur, quia Domino offeruntur. Non ergo debent in aliis vſibus, quàm Eccleſiaſticis & prædictorum Chriſtianorum fratrum vel indigentium conuerti: quia vota ſunt fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum, atque ad prædictum opus explendum Domino traditæ. Hæc fratres valdè cauenda ſunt & timenda: quia res Eccleſiæ, non quaſi propriæ, ſed vt communes, & Domino oblatæ, cum ſummo timore nõ in alios, quàm in præfatos vſus ſunt fideliter diſpenſandæ: ne ſacrilegii reatum incurrant, qui eas inde abſtrahunt, vbi tradítæ ſunt: ne pœnam & mortem Ananiæ & Saphiræ incurrant, & (quod peius

Leuit. 17.

3. Reg. 2.

Ieremi. 2.

Ex lib. D. Vr Pap. Pri.

Act. 4.

peius est) anathema maranatha fiant: & si non corpore, vt Ananias & Saphira, mortui ceciderint; anima tamen, quæ potior est corpore, mortua & alienata à consortio fidelium cadat, & in profundum barathri labatur. Vnde attendendum est omnibus, & fideliter custodiendum, & illius vsurpationis contumelia depellenda, ne prædia vsibus secretorum cœlestium dedicata, à quibusdam irruentibus vexentur. Quod si quis fecerit, post debitæ vltionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos iure promenda est, perpetua damnetur infamia, & carceri tradatur, aut exilio perpetuæ deportationis vratur. Quoniam, iuxta Apostolum, tradere oportet huiusmodi hominem satanæ; vt spiritus saluus sit in die Domini. Memoratis ergo augmentationibus ac cultibus, in tantum Ecclesiæ, quibus Episcopi præsident, Domino adminiculante, creuerunt: & tantis maxima pars earum abundant rebus; vt nullus sit in eis, communem eligens vitam, indigens: sed omnia necessaria ab Episcopo suisq; ministris percipit. Ideò, si aliquis exstiterit modernis aut futuris temporibus, qui hæc auellere nitatur, iam dicta damnatione feriatur. Hactenus beatus martyr.

Eleemosyna, dicunt isti, hæc est, opus misericordiæ & charitatis non debiti ad quod obligatur nemo, nisi quando vult, cui vult, & quãtum vult. Hic verò est error maximus. Non enim decimæ, sórsque possessionis Domini eleemosyna est, nec charitatis tantopere, sed iustitiæ, debitíque opus: & eius debiti, quod primum & maximum est omnium, Aristotelis etiam & Platonis testimonio: illius nimirum, quod Deo ipsi debetur. Nisi fortè debitum non est, Deum creatorem, & datorem rerum omnium recognoscere, prouidentiam & gubernationem eius laudare: Iesum Christum, summum Regem, & iudicem vniuersorum confiteri: sortem & partem eius restituere. Nam qui opus charitatis prætermittit, peccat quidem ille ad mortem, ad restitutionem tamen eius rei, quam abstulit, non obligatur. At qui opus iustitiæ & debiti non facit, non tantum lethaliter peccat, sed ita peccat, vt non prius delictum eius auferatur, quàm illud ipsum, quod ex iure & officio debet, restituat. vt si mendico petenti in eius summa necessitate munus non conferas, peccasti tu quidem, sed vt id eidem restituas nullo teneris iure: at si per furtum, aut peculatum, aut sacrilegium aliquid abstuleris, ita peccasti, vt nisi illud, quod apud te retines, restituas, à peccato liber esse nullo modo possis. Nisi fortè ille, qui vestem sacram, aut vas sacrum abstulit, sacrilegus esse putabitur: hic qui necessarium victum, omniáq; illa, quæ sorti Domini addicta sunt, vitam deniq; ipsam sacerdotum aufert, sacrilegus non erit. insanæ mentis est iudicium. Qua de re, quid statuat Magnus Augustinus, audiamus. Decimæ enim ex debito requiruntur: & qui eas dare noluerit, res alienas inuasit: & quanti pauperes in locis, vbi ipse habitat, illo decimas non dante, fame mortui fuerint; tantorum homicidiorum reus, ante tribunal æterni iudicis apparebit: quia à Domino pauperibus delegatum, suis vsibus reseruauit. Qui ergo sibi aut præmium comparare, aut peccatorum desiderat indulgentiam promereri; reddat decimam, & de nouem partibus, studeat eleemosynam

Augustſ. ser. 219. Tom. 10.

„ ſynam dare pauperibus: ita tamen, vt quicquid, excepto victu mediocri,
„ & veſtitu rationabili ſuperfuerit, non luxuriæ reſeruetur; ſed in theſauro
„ cœleſti per eleemoſynam pauperũ reponatur. Quicquid enim nobis De-
„ us plus quàm opus eſt dederit; non nobis ſpecialiter dedit, ſed per nos a-
„ liis erogandum tranſmiſit: quòd ſi non dederimus, res alienas inuaſimus.

Nolo, inquis, alium in bonis meis, præter me, & hæredem meum Dominum habere. Nolo cum vicino in vno eodémque agro eſſe. Neque igitur Deum, atque Chriſtum eius, qui te, & hæredem tuum cuſtodiat, tibíque benedicat, in bonis tuis tecum habitare vis? Quid ſi ille viciſsim, & te, & hæredem tuum, itidem ex bonis ſuis, quæ tu tua appellas, atq; adeò æterna illa & cœleſti patria exhæreditabit, vt ſit habitatio tua deſerta: Fiant filii tui orphani, & vxor tua vidua: Nutantes transferantur filii tui, & mendicent, & eiiciantur de habitationibus ſuis: Scrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam tuam, & diripiant alieni labores tuos: Non ſit illis adiutor: nec ſit qui miſereatur pupillis tuis? Quid, ſi idem Deus te nouem ſuarum partium dominum eſſe nollet, atque iuſto & vero iudicio ad decimam illam ſolam partem, quam tu illi negas, reuocabit? Quid dices? aut quo iure cum illo contendes? Docet hoc ita plerumque euenire Diuus Auguſtinus. Audi, inquit, indeuota mortalitas. Noſti, quia

Pſalm. 108.

Eu. ſer. 219.

” Dei ſunt cuncta quæ percipis, & de ſuo non accommodas rerum omnium
” conditori? Non eget Dominus Deus, non præmium poſtulat, ſed hono-
” rem: non de tuo aliquid exigit, quod refundas. Primitias rerum & deci-
” mas dignatur petere, & negas auarè. Quid faceres, ſi nouem partibus ſi-
” bi ſumptis, tibi decimam reliquiſſet? Quod certè iam factum eſt, cùm
” meſsis tua pluuiarum benedictione ſubtracta ieiuna defecit, & vindemiã
” tuam aut grando percuſsit, aut pruina decoxit. Quid auidè ſupputas?
” Nouem tibi partes retractæ ſunt, quia decimã dare noluiſti. Conſtat qui-
” dem, quòd ipſe non dederis, ſed tamen Deus exigit. Hæc enim eſt Domi-
” ni iuſtiſsima conſuetudo; vt ſi tu illi decimam non dederis, tu ad decimam
” reuoceris. Scriptum eſt enim: Hæc dicit Dominus. Quia decima agri
” tui primitiæ terræ vobiſcum ſunt, vidi autem, & fallere me exiſtimaſtis, in-
” tus in theſauris veſtris, & in domibus veſtris erit direptio. Dabis impio
” militi, quod non vis dare ſacerdoti. Conuertimini quoque ad me, dicit
” Dominus omnipotens, vt aperiam vobis cataractas cœli, & effundam vo-
” bis benedictionem meam deſuper; & non corrumpam fructus terræ ve-
” ſtræ, neque languebit vitis in agro veſtro, & beatos vos dicent omnes gẽ
” tes. Benefacere Deus ſemper paratus eſt, ſed hominum malícia prohibe-
” tur: quia à Domino Deo ſibi vult dari omnia, & non vult ei, quæ poſsi-
” dere videtur, offerre. Quid ſi diceret Deus: Meus eſt homo, quem feci:
” mea eſt terra, quam colis: mea ſunt & ſemina, quæ ſpargis: mea anima-
” lia, quæ fatigas: mei ſunt imbres & pluuiæ, & ventorum flamina mea ſunt:
” meus eſt ſolis calor: & cùm omnia mea ſint elementa viuendi; tu qui ma
” nus accommodas, ſolam decimam merebaris. Sed quia piè nos paſcit om
” nipotens Deus, ampliſsimam tribuit minùs laboranti mercedem: ſibi tã-

tum

tum decimam vendicans,nobis omnia condonauit. Ingrate fraudator ac perfide, diuina te voce conuenio. Ecce annus iam finitus est, redde Domino pluenti mercedem. Redime te homo, dum viuis: redime te ipse, dum potes: redime, inquam, te,dum pretium in manibus habes: redime te, ne, dum te mors auara prȩuenerit, & vitam simul, & pretium perdas. Sine causa hoc dimittis vxori, quæ forsitan alterum habebit maritum: sine causa hoc marito dimittit mulier, quia aliam sine mora cupit habere vxorem.Frustra parentibus ac propinquis curam tuam iniungis: nemo te post mortem tuam fideliter redimet, quia in vita tu te redimere noluisti. Depone iam auaritiæ sarcinam de ceruicibus tuis: contemne crudelissimam dominam, quæ dum te iugo durissimo premit, iugum Christi suscipere non permittit. Sicut enim iugum auaritiæ in infernum premere; ita iugum Christi in cœlum leuare consueuit. Et hæc quidem Augustinus. Sed longè clarius hoc idem res ipsa probat. Quis enim non videt ex istis vestris præsentibus fortunis,vos vix ad decimam partem eorũ fructuum,quos maiores vestri totos à Deo percipiebant,reuocatos esse? Itaque ipsa decima quodãmodo parte vos contentos necessariò esse oportet. An nescitis, quod Deo dicatum quid apud se retinere, domíque suæ conseruare, anathema sit,quod & domum dominúmq; & omnem possessionem eius exurat? Quid autem & quale hoc ipsum anathema sit,discite ex scriptura: Filii autẽ Israël prævaricati sunt mandatum & vsurpauerunt de anathemate. Nam Achan, filius Charmi, filii Zabdi, filii Zare de tribu Iuda,tulit aliquid de anathemate: iratúsque est Dominus contra filios Israël. Cúmque mitteret Iosue de Iericho viros contra Hai, quæ est iuxta Bethauen,ad orientalem plagam oppidi Bethel,dixit eis:Ascendite,& explorate terram. Qui præcepta complentes,explorauerunt Hai. Et reuersi dixerunt ei: Non ascendat omnis populus, sed duo vel tria millia virorum pergant, & deleant ciuitatem: quare omnis populus frustra vexabitur contra hostes pauciſsimos? Ascenderunt ergo tria millia pugnatorũ. Qui statim terga vertentes, percusi sunt à viris vrbis Hai, & corruerunt ex eis triginta & sex homines; persecutíq; sunt eos aduersarii de porta vsque ad Sabarim, & ceciderunt per prona fugientes: pertimuítq; cor populi, & ad instar aquæ liquefactum est. Iosue verò scidit vestimenta sua, & pronus cecidit in terram coram arca Domini vsque ad vesperam, tàm ipse, quàm omnes senes Israël: miserúntque puluerem super capita sua,& dixit Iosue: Heu Domine Deus, quid voluisti traducere populum istum Iordanem fluuium,vt traderes nos in manus Amorrhæi,& perderes? vtinam, vt cœpimus, mansissemus trans Iordanem. Mi Domine Deus, quid dicam, videns Israëlem hostibus suis terga vertentem? Audient Chananæi,& omnes habitatores terræ,& pariter conglobati circumdabunt nos, atq; delebunt nomen nostrum de terra:& quid facies magno nomini tuo? Dixítque Dominus ad Iosue: Surge, cur iaces pronus in terra? Peccauit Israël, & prævaricatus est pactum meum: tulerúntque de anathemate, & furati sunt, atque mentiti, & absconderunt inter vasa sua. Nec poterit Israël stare ante hostes suos, eósque fugiet: quia pollutus est anathemate, *Iosue. 7.*

non ero vltra vobiſcum, donec conteratis eum, qui huius ſceleris reus eſt. Surge ſanctifica populum, & dic eis: Sanctificamini in craſtinum: hæc enim dicit Dòminus Deus Iſraël: Anathema in medio tui eſt Iſraël: non poteris ſtare coram hoſtibus tuis, donec deleatur ex te, qui hoc contaminatus ſcelere. Accedetíſque mane ſinguli per tribus veſtras: & quamcunq; tribum ſors inuenerit, accedet per cognationes ſuas, & cognatio per domos, domúſque per viros. Et quicunque ille in hoc facinore fuerit deprehenſus, comburetur igni cum omni ſubſtantia ſua: quoniam præuaricatus eſt pactum Domini, & fecit nefas in Iſraël. Surgens itáque Ioſue mane, applicuit Iſraël per tribus ſuas, & inuenta eſt tribus Iuda. Quæ cùm iuxta familias ſuas eſſet oblata, inuenta eſt familia Zare. Illam quoque per domos offerens, reperit Zabdi: cuius domum in ſingulos diuidens viros, inuenit Achan filium Charmi, filii Zabdi filii Zare, de tribu Iuda. Et ait Ioſue ad Achan: Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſraël, & confitere, atq; indica mihi, quid feceris, ne abſcondas. Reſpondítque Achan Ioſue, & dixit ei: Verè ego peccaui Domino Deo Iſraël, & ſic & ſic feci: vidi enim inter ſpolia pallium coccineum valdè bonum, & ducentos ſiclos argenti, regulámq; auream quinquaginta ſiclorum: & concupiſcens abſtuli, & abſcondi in terra contra medium tabernaculi mei, argentúmq; foſſa humo operui. Miſit ergo Ioſue miniſtros: qui currentes ad tabernaculũ illius, repererunt cũcta abſcondita in eodem loco, & argentum ſimul. Auferentéſque de tentorio, tulerunt ea ad Ioſue, & ad omnes filios Iſraël, proiecerúntque ante Dominum. Tollens itáque Ioſue Achan filium Zare, argentúmque & pallium, & auream regulam, filios quoque & filias eius, boues, & aſinos, & oues, ipſúmq; tabernaculum, & cunctam ſupellectilem (& omnis Iſrael cum eo) duxerunt eos ad vallem Achor, vbi dixit Ioſue: Quia turbaſti nos, exturbet te Dominus in die hac. Lapidauítq; eum omnis Iſraël: & cuncta quæ illius erant, igne conſumpta ſunt. Congregauerúntque ſuper eum aceruum magnum lapidum, qui permanet in præſentem diem. Et auerſus eſt furor Domini ab eis. Vocatúmque eſt nomen loci illius Vallis Achor, vſq; hodie. Et de anathemate quidem hæc ſcriptura. An neſcitis Eccleſiaſtica bona, vel aquilarum, vel luporum, pennis aut pellibus ſimilima eſſe, quę permiſta aliis, ſe primùm, deinde omnes alias pennas atque pelles, cum quibus miſcentur, conſumere ſolent. Sic Dei peculium permiſtum humano, vtraque ſimul conſumit. Vel ipſius Cleri quàm infirmæ & inſtabiles ſint ex bonis Eccleſiaſticis comparatę, vbi aliò quàm opus ſit auertuntur, facultates, videtis: ita vt vix vnquam tertium ex his gaudere hæredem videamus: in primo vel ſecundo plerumq; deficiunt. Abuſus enim & prophanatio rerum, Deo dedicatarum, exitioſa ſemper mortalibus fuit. Vbi arca Domini ad Philiſtæos fuit perlata, quæ & qualia mala ſecum attulerat, quas clades & turbas dederat, tradit ſcriptura. Aggrauata autem eſt manus Domini ſuper Azotios, & demolitus eſt eos: & percuſsit in ſecretiori parte natium Azotum, & fines eius. Et ebullierunt villę & agri, in medio regionis illius, & nati ſunt mu-

1. Reg. 5.

res, &

res, & facta est cofusio mortis magnæ in ciuitate. Et iterum. Percussit au- 1. Reg. 6.
tem Dominus de viris Bethsamitis, eò, quòd vidissent arcam Domini: & percussit de populo septuaginta viros,& quinquaginta millia plebis.Luxítq; populus eò,quòd Dominus percussisset plebem plaga magna.Et dixerunt viri Bethsamitæ: Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti huius? & ad quem ascendet à nobis? Miserúntq; nuncios ad habitatores Cariathiarim dicentes: Reduxerunt Philistini arcam Domini,descendite, & reducite eam ad vos. Profanatio sacrorum vasorum, quam exitiosa fuerit Balthazari Regi, testis est eadem scriptura. Balthazar Rex fe- Daniel. 5.
cit grande,inquit, conuiuium optimatibus suis mille:& vnusquisq; secundùm suam bibebat ętatem.Præcepit ergo iam temulētus,vt afferrentur vasa aurea & argentea,quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius de tẽplo,quod fuit in Hierusalem;vt biberent in eis rex & optimates eius,vxorésque eius, & concubinæ. Tunc allata sunt vasa aurea, quæ asportauerat de templo, quod fuerat in Hierusalem: & biberunt in eis rex, & optimates eius,vxores,& concubinæ illius. Bibebant vinum,& laudabant deos suos aureos & argenteos, æreos, ferreos, ligneósque, & lapideos. In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis, contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ: & rex aspiciebat articulos manus scribentis. Tunc facies regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum: & compages renum eius soluebantur, & genua eius ad se inuicem collidebantur. Et eadem nocte interfectus est Balthazar rex Chaldæus, & Darius Medus succesit in regnum,annos natus sexaginta duos. Hactenus scriptura. Est enim & dicitur Deus zelotes, id est,qui in societatem rerum suarum non facilè admittit quenquam: Qui vel de ipso vnguento & thymiamate, quod templi sui causa confici voluerat, re vt videtur parua, illam fert legem: Caro hominis non vngetur ex eo, & Exod. 30.
iuxta compositionem eius non facietis aliud,quia sanctificatum est,& sanctum erit vobis. Homo quicunque tale composuerit,& dederit ex eo alieno,exterminabitur de populo suo. Non erat etiam illis,qui foris fuerunt obscurus hic ipse diuinus sensus,cum rebus Deo dicatis scilicet societatem periculosam esse. Itáq; Alexander Macedo,ne aspicere quidem templum, résque templi voluit. Artaxerxes autem summo cum honore vasa templi, quæ maiores sui inde asportarant,remitti curauit: qua de re scribit ad Esdram sacerdotem, cui hoc totum commiserat negotium,in hunc modum. Omnia, inquam, secundùm legem Dei fiant Deo altissimo,ne fortè exsur- 3. Esdræ. ca. 8
gat ira in regno regis,& filii & filiorũ eius. Offerantur libationes summo & 6.
Deo pro rege & pueris eius: oretur pro vita ipsorum. Idem igitur & nos faciendum esse putemus: excutiamus domos nostras,horrea nostra,arcas nostras, & videamus, num anathema aliquod in eis non delitescat: num hic ignis omnia consumens, ac vsq; ad perditionem deuorans & eradicãs genimina, alicubi non lateat; num aliquid per rapinam,aut sacrilegium, aut simoniam quæsitum non sit. Si enim ille non putat se veniam consequuturum, etiam si salutem ipsam in domum suam recipiat, qui dicit: si-

quidem

quem defraudaui,reddo quadruplũ,niſi ſua iuſtis dominis reſtituat;quantò minus nobis ſperandum, qui Deum ipſum, templúmque eius defraudauimus. in quod, vt vel vnum teruncium cum vidua illa paupere inferre, magnæ laudis, magníque meriti eſt; ita vel vnum denarium auferre ex eo, res plena ſacrilegii & impietatis.

Tuam, inquis, cauſam, dum hæc defendis, agis. Non meam verò: nam me quidem Deus immortalis, & hic rex meus,dare potiùs,quàm accipere decimas fecit. Ergò iſtorum Pontificum principúmque ſacerdotum? Ne iſtorum quidem tantopere. Quanquam ius ſuum cuique reddere conuenit. Quorum igitur? illorum,inquam,ſacerdotum ac presbyterorum potiſsimum, qui peccata veſtra quotidiè comedunt: qui aliam partem,vt inquit Dominus,inter vos non habent: qui in ſudore vultus ſui quærunt panem ſuum, quibus ſua non reddere, hominem occidere eſt.

Oſee. 4.
Deut. 12.
Gene. 3.

REDDITE IGITVR QVAE SVNT CAESARIS CAESARI, ET QVAE DEI DEO. Et tum pax, atq; compoſitio cohærebit. Nec Aloidæ duri, qui cum diis aliquando pugnaſſe dicuntur,eſſe velitis: néue ſitis immaniores cũctis gentibus, babariſsimis etiam,quæ ſemper diis ſuis quantumùis falſis, partem & portionem ſuam reddiderunt. Nota eſt illa Herculis decima, quam qui reddebant, ditiores eos fore putabant. Quin in hoc potiùs Dei gratiam recognoſcat quiſque, illíque immortales gratias agat, quòd illum dare potiùs, quàm ab aliis petere dignatus ſit; quòd locupletes & fixas ſedes habentem potiùs, quàm vagum & mendicum; ſanum ac aliis mutuantem potiùs, quàm ægrum & obæratum, benigna ſua miſericordia eſſe voluerit. Cogita quanti te redimere iuſtum eſſet, ne illam triſtiſsimam ſimul & iuſtiſsimam ſententiam iudicis audias: Diſcede à me ſerue nequam & ignaue. Et illam: Auferte ab illo talentum. Et illam: Ligatis manibus & pedibus eius. Et illam: Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem, neſcio vos. Quanta item pecunia illud comparet libenter quis, vt illam vocem audiat: Venite benedicti patris mei. Et illã: Euge ſerue bone & fidelis,quia ſuper pauca fuiſti fidelis,ſuper multa te conſtituam,intra in gaudium Domini tui: Recumbe cum Abraam, Iſaac, & Iacob in regno cœlorum?

Matt. 21.
Mat. 7. & 25.
Matt. 25.
Matt. 8.

Neque tantùm ea, quæ Dei ſunt, Deo eiúsque miniſtris reddatis; ſed læti etiam & alacres, perfecto corde & animo,cum illa pulcherrima profeſsione in eius domum inferatis. Profiteor hodie coram Domino Deo tuo,quod ingreſſus ſum in terram,pro qua iurauit patribus noſtris, vt daret eam nobis. Syrus perſequebatur patrem meum,qui deſcendit in Ægyptum,& ibi peregrinatus eſt in pauciſsimo numero: creuítque in gentem magnam, ac robuſtam,& infinitæ multitudinis. Afflixerúntq; nos Ægyptii, & perſequuti ſunt, imponentes onera grauiſsima,& clamauimus ad Dominum Deum Patrum noſtrorum, qui exaudiuit nos,& reſpexit humilitatem noſtram, & laborem, atque anguſtiam: & eduxit nos de Ægypto in manu forti, & brachio extento, ingenti pauore, in ſignis atq; portentis:& introduxit ad locum iſtum,& tradidit nobis terram,lacte & mel-

Deut. 26.

le ma-

le manantem. Et idcircò nunc offero primitias frugum terræ, quam Dominus dedit mihi. Quod eo pleniore ac perfectiore animo, & profeſsione populus Chriſtianus facere debet, quò maiora hic, quam illi, à Deo ſuo accepit beneficia: vt qui non de manu Pharaonis, hoſtis mortalis & iamiam perituri, ſed de manu diaboli: non ex Ægyptiaca, ſed ex mortis & damnationis æternæ ſeruitute liberatus, in æternam hęreditatis ſortem aſcitus, ac in regni cœleſtis partem, vt hæres quidem Dei, cohæres autem Chriſti ſit, vocatus. Nam etſi nos quidem miniſtri templi, digna factis noſtris, dum à vobis diuexamur, reportamus, qui his bonis quæ vos per vim & inſidias auertitis, ſæpiùs profusè ac inſolenter abuſi ſumus, atq; etiam nunc abutimur; qui ea plerumque in prophanos vſus conuertimus; qui denique in luxum & libidinem, in vóſque ipſos, in præiudicium pauperum & orphanorum, cultúſq; diuini, conferimus. Hic tamen Ieſus Chriſtus, qui ante oculos veſtros in cruce hac pendet, quid fecit? quid commeruit? qui vos his manibus pro vobis transfixis creauit: qui ſanguine ſuo pretioſiſsimo redemit: qui in gentem magnam creſcere fecit: qui per tot periculoſiſsima tempora, & interregna cuſtodiuit: qui Regem nobiliſſimum, & cui in diebus ſuis non eſt ſimilis, vobis præeſſe voluit: qui tot victorias, arces, portus, integras prouincias vno tempore adiecit: qui pacem optatiſsimam, ac ex omnibus, quæ in orbe Chriſtiano hoc tali tempore exſtiterunt, pulcherrimam vobis donauit: qui vos in brachiis iſtis ſuis portat; & vtinam æternum portet: iſte inquam, quid promeruit, aut quid mali fecit, vt eum parte ſua, hæreditate ſua, ſorte ſua inter vos priuatum eſſe velitis? Aut hæc ipſa, quæ ex hoc ipſo latere eius profluxit, ſponſa eius Eccleſia, quæ vos regno cœleſti, vítæque æternæ, in lauacro fontis regenerauit; quæ in fide Chriſtiana inſtruxit, in qua, quàm diu manetis, Chriſtiani eſtis; quæ, cibo & potu corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti, ſponſi ſui, quotidiè reficit, quæ ſacramentis condit, orationibus Deo commendat, doctrina fouet, mortuos denique intra ſinus & brachia ſua ſuſcipit, ac planè humeris ſuis in cœtum ſanctorum deportat: hæc ipſa inquam quid commeruit, vt ei dotem ſuam ereptam eſſe velitis?

Et fuit quidē in veteri more apud omnes ferè gentes poſitum, vt parta victoria, profligatis hoſtibus, pace reddita, ſpolia in templa deorum ſuorum inferrent: aras, & templa eorum, præda exornarent: trophæa erigerent. Quod & Deo verò illa nobiliſsima pectora, feciſſe leguntur, de quibus ſcriptum eſt: Cúmque acceſsiſſent principes exercitus ad Moyſen, & tribuni, centurionéſque, dixerunt: Nos ſerui tui, recenſuimus numerum pugnatorum, quos habuimus ſub manu noſtra: & ne vnus quidem defuit. Ob hanc cauſam offerimus in donariis Domino, ſinguli, quod in prę̨da auri potuimus inuenire, periſcelides, & armillas, annulos, & dextralia ac murænulas, vt depreceris pro nobis Dominum. Suſceperúntque Moyſes, & Eleazar ſacerdos, omne aurum in diuerſis ſpeciebus, pondo ſedecim millia, ſeptingentos quinquaginta ſiclos, à tribunis & centurionibus. Vnuſquisque enim, quod in præda rapuerat, ſuum erat. Et ſuſceptum *Num. 31.*

ptum intulerunt in tabernaculum testimonii, in monimentum filiorum Israël, coram Domino. Vos soli adeò inhumani, adeò ab omni sensu numinis diuini remoti eritis; vt post tot bella, post tot nobilissimas victorias, post tantas res gestas, post tot Dei immortalis beneficia, pro eo, quod aliquid in templum Dei & Christi sui inferre debebatis, altaria eius spoliabitis? templa & fana ad vastitatē reuocabitis? sacerdotes eius, fame & inopia extingui patiemini? quæ aliorum pietate & munificentia sunt donata, ipsi cupidè auferetis? hæccíne est pietas? hiccíne gratus animus? hoccíne Euangelium docet? Verùm hæc hactenus.

Sic igitur eam compositionem vtrinque aggrediamini, non tanquam earum rerum, de quibus inter vos componere debetis, domini & hæredes, sed tanquam ministri atque dispensatores sitis: non tanquam de re vestra, aut possessione vestra componatis, sed tanquam de sorte & parte Dei viuentis; de hæreditate Christi Domini, de dote Ecclesiæ sanctæ, matris vestræ, de cultus diuini ac Christianæ religionis instrumentis ac subsidiis, de victu pauperum; de vltimis item voluntatibus, ac pietate maiorum vestrorum constituere debeatis: & tanquam eius ipsius pacis & compositionis exactam aliquando rationem ante tribunal iudicis viuorū & mortuorum Christi, maiorum vestrorum, totiúsque posteritatis, reddituri sitis: quomodo apud posteros quidem vestros æternum decus & gratiarum actionem, non infamiam, apud Deum autem præmium sempiternum, non pœnam referre mereamini: & prout ipsi vultis, vt item ille ipse summus & nouissimus procurator & executor, rerum omnium Deus, de vestra item hæreditate, hæredibúsque vestris post mortem vestram statuat. Et videte ne transferatis terminos antiquos, quos cōstituerant patres vestri: omnémq; innouationē suspectam habete. Néue eas decimas partémq; hæreditatis Christi, quam nunc Deo vestro, Christo vestro, pendere recusatis, illi reddere cogamini, cui minimè velitis: non ex aliqua frumentorum vestrorum parte tantùm; sed ex ipsis charissimis pignoribus, filiis, inquam, & filiabus vestris, vt seruiant in mendicitate & ferro, vt pertranseat ferrum animam eorum, vt robur & præsidium contra vos patriámq; vestram potentis tyranni sint: quod quidem iam multa Christiana regna, multas prouincias, ob eandem impietatem experiri, gemit populus Christianus, vt seruiatis Regi Nabuchodonosor, & sciatis distantiam seruitutis Dei, & seruitutis regis terrarum. Diligit enim Dominus iudicium, & odio habet rapinam in holocausto. Quod ne oculi nostri videant vnquam, Deum immortalem, Christúmque eius, supplex deprecor.

AD IL-

AD ILLVSTREM AC MAGNIFICVM VIRVM, IOANNEM ZAMOISCIVM, SVPREMVM Regni Poloniæ Cancellarium, Exercituumque Ducem.



VI tibi inuident, Ioannes Zamoiſci, ſunt autem nō pauci, vbique illi inuidiæ ipſius naturam ignorare mihi vidētur. Inuidiam enim illos propriè ſequi, qui cùm nihil eximium ante alios ad Rempub. attuliſſent, nullis rebus præclaris vel priuatim vel publicè geſtis, ſubitò ex paruis magni, ex obſcuris clari, nulla de cauſa euadunt, docet grauiſsimus autor Ariſtoteles. Tu verò omnia ſumma, & eximia ad hanc Rempublicam attuliſti. Nam primùm genus patre ſenatore ac fortiſsimo duce, familiáque cùm aliis virtutibus, tùm militari laude clariſsima, ex Koſlorogorum indigenarum Polonorum antiquiſsima ſtirpe profecta fers eiuſmodi, quod & quale pleriſque ſine aliis ornamentis ſatis eſſe videtur ad deſpiciendas eas, quas in te orbis Chriſtianus miratur præſtantiſsimas virtutes. Deinde naturam ad omne genus virtutis, réſque gerendas eam habes, quæ ſine omni doctrina ſe abundè tueri poſsit; ea autem doctrina, cultus, & ſtudium adhibitum eſt, quod tardiſsimam etiam naturam excitare, ac expolire ſoleat. Et cùm plerique omnes ad vnum aliquod genus ſtudii animum adiiciant ſuum, alii ad linguas, alii ad philoſophiam, ad iuris cognitionem, & hiſtoriam alii, ad forum alii, quidam ad militiam: tu hæc omnia ſimul ita complexus es; vt in quo magis excellas, vel docti ipſi ſtatuere non facilè poſsint. Quæ qui non norunt, aut conſequi ſe poſſe diffidunt; extenuant, & contemnunt: qui autem cognoſcunt, ac partem aliquam eorum ornamētorum conſequuti ſunt; laudant, atq; mirātur: ita vt loco admirabilis cuiusdā viri, in hoc regno ab externis quibusdā, iísq; magnis hominibus aliquando habitus fueris, atq; nunc habearis. Quibus magnis, illa addo longè maiora: Catholicam (in qua reliquæ continentur virtutes) religionem, ſapientiam, fidem, continentiam, ſobrietatem, aſsiduitatem, & vigilantiam, in adeundis periculis animi magnitudinem, in dicenda ſententia autoritatem, in iudicando æquitatem, in decernendo & expediendo miram celeritatem & facilitatem, in animis hominum tractandis ſingularem prudentiam cum veritate coniunctam: erga autem Rempu. Principémq; tuum incredibile ſtudium, & amorem. Nullos ego parentes de liberis ſuis tantum ſolicitos vidi, quantum te de Rege, Réq; publica ſolicitū in illis fluctibus Comitiorum, cùm vobiſcum eſſem, videre ſolebam; ita vt planè extra te rapi, tuíque ipſius oblitus eſſe videreris: in quo ἐνθουσιασμόν illum Platonis politicum facilè recognoſcebā. Quibus ingentibus virtutibus tuis comitem ſe adiunxit benignus quidam diuinæ prouidentiæ afflatus (quem ſtulti fortunam vocare ſolent) qui &

valetudinem, viréſque pares tanto animo dedit, & opibus ampliſsimis locupletauit, amicitiis, clientelis, affinitatibúſque muniuit, honoribus ſummis ac magiſtratibus ornauit. Addo ætatem, temporáq; ipſa gerendis rebus accómodatiſsima, occaſiones, victorias, & quod caput rei eſt, Regem ac Principem incomparabilem, eóq; iudicio, ac prudentia præditum, qua tantas virtutes & noſſe poſsit, & illis vti, eáſq; prouocare ac remunerari ſciat: ita vt longè magis mirandum eſſet, ſi hæc tua virtus in aliquibus tenebris incluſa, deliteſceret, quàm quòd in hac luce & dignitate verſetur. Vtere igitur, mi Zamoiſci, diu felix his diuinis bonis, & vtere ſanctè & reuerenter, vtere ad laudem Dei & Reipub. ſalutem. Inuidos autem atq; adeò inuidiam ipſam, quæ ſe ipſa quid ſit, & qualis, vt vides, ignorat, léq; ipſam conficit, ac ſui animi anguſtos limites prodit (qui enim ſuæ virtuti confidit, alienæ non inuidet) magno contemne animo, quin potius inuidiam virtute partam, gloriam eſſe exiſtima. Quòd ſi fortè ex inuidia pœnas ſumere vis, tum id potiſsimùm Romani hominis exemplo facias, cuius illa ſunt: Sic, inquit ille, vlciſcar ſingula genera, quemadmodum à quibuſq; ſum prouocatus: malos ciues, Rempub. benè gerendo: inuidos, virtuti & gloriæ ſeruiendo: mercatores prouinciarum, rationem repetendo. Verùm enimuerò cùm cruciandæ inuidiæ facilior ſit ratio, longè magis tibi cogitandũ erit, maioríq; curæ eſſe debet, quomodo amantes redames, de téq; optimè meritos diligas, quàm vt aliquem oderis; benéque potiùs omnibus faciendo, omnes vincas. Verùm ne multis tua tempora morer, lucubrationem hanc noſtram perpetuæ meæ erga te obſeruantiæ teſtem, in qua veræ libertatis limites quærimus, ad te ampliſsimum libertatis vindicem & cuſtodem mitto. Quam tu, autorémq; ipſum, cuius ſtudiorum ipſe quondam inſpector, fautor promotórq; beneuolentiſsimus fuiſti, grato accipe animo, tuóq; πολιτικωτάτῳ iudicio hãc totam cauſam comproba, ampliſsimóq; nomine tuo illuſtra, & exorna.

VOS IN LIBERTATEM VOCATI ESTIS, FRATRES, TANTVM NE LIBERTATEM IN OCCASIONEM DETIS CARNIS, SED PER CHARITATEM SERVITE INVICEM.
GALAT. V.

STA-

ORATIO ECCLESIASTICA SEPTIMA,

Pro vera & Catholica libertate.

Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam. Ioan. viij.

QVantis malis laboret Christianus orbis, quantis incendiis discordiarum deflagret, quibus seditionũ bellorúmq; intestinorum iactetur procellis, qui tumultus & cædes mutuæ indies exoriantur, quomodo inter se integræ committantur prouinciæ, quid in Flandria, Hybernia, Gallia, quid alibi fiat, videmus omnes. Vbi verò tantorum malorum fontes & origines quæruntur; libertas eiúsq; studium plerumq; incusari, tantorúmq; malorum causa dici solet. Quod mihi non videtur: longéq; alia mens, alius sensus noster est. Est enim libertas eximium quoddam, & naturæ humanæ accommodatissimum bonum, matérq; & alumna potiùs omnium nobilissimarũ virtutum, & artium, quàm inimica, pacis ornamentum, iustitiæ autem pulcherrimus campus, & officina. Vbi enim libertas est nulla, ibi iustitia nulla, ibi virtus perfecta nulla, ibi artes ac reliqua ornamenta facilè conticescunt, ibi homines ipsi, vt Plato dicere solebat, dimidium animi perdunt, quod in ista ipsa miserrima Turcica seruitute euenire videmus: testis est eius rei Græcia, omnium quondam bonarum artiũ mater, nunc planè rudis, & inculta: testis Thracia: testis Hungaria, florentissimæ & populosissimæ quondam gentes, quę seruitute ad extremam planè solitudinem, & vastitatem redactæ sunt. Quę igitur & qualis tantorum malorum causa, non alia certè, quàm quòd hęc quam plerumque libertatem hæretici, hominésq; licentia ebrii putant aliquam esse, illa nulla est libertas: & quòd vt cætera Rerumpub. ornamenta, sic & hoc pulcherrimum libertatis decus, à sua sinceritate & veritate, ad falsum tantummodo nomen & speciem rei sit passim deductum: ita vt nisi ratione, & consilio corrigatur, ac iterum ad suum modum propriámq; rationem & naturam reuocetur, illam in fœdum licentiæ vitium commutari sit necesse. Quod ita esse, paucis mecum sobria, & ab omni perturbatione vacua mẽte recognoscatis, ac de libertate differentem me, meámq; orationem liberam esse velitis, ac in spatia veterum sapientum nos paululum diuertere patiamini.

Præstans quoddam & diuinum libertas bonum est, & quod omne viuens expetit: & sine quo nihil iucundum, nihil suaue, nihil charum cui-

quam esse potest, ac ne ipsa quidem vita planè vitalis esse videtur; pro qua
Cicero. nemo vnquam bonus mori dubitauit. Ita vt meritò magnum illud populi Romani lumen duo sola sibi tantùm in vita contingere optaret. Primũ vt moriens populum Romanum liberum relinqueret; quo nihil maius à diis immortalibus posse dari dicebat: alterum vt ita cuiq; eueniret, vt de Repub. esset meritus. Magnum igitur libertas bonum, magnum generis humani ornamentum. Sed ea rerum est natura, vt quanto aliqua res in suo modo, & ratione constituta est pulchrior, quanto nobilior, quanto magis salutaris, & necessaria, tanto ea nihil fœdius, nihil vilius, nihil nocentius esse soleat, vbi à modo & mensura sua ad extrema prolapsa fuerit, & vbi à sua vera forma, & natura discesserit. Quid sano homine & vigente pulchrius? quid venustius? quid magis gratum, maioréq; dignitate præditum? quid eodem mortuo aut aliqua ratione afflicto fœdius? quid tristius? quid vilius? Quid ita? quanto res natura sua pulchrior, tanto ab ea prolapsio deformior est. Homine iusto, & liberali quid dignius? quid naturæ accõmodatius? quid & sibi & aliis magis vtile? quod si idem ad summum ius, & summam iniuriam prolabatur, quæ feritas est tanta, quæ cum eius immanitate rectè comparari possit? quid sole hoc præstantius? quid aqua & igne vtilius, magísq; necessarium? quid ipso vitali spiritu & calore salubrius, si intra limites suos se contineant? at si eadem fines & metas suas transiliant, quid his nocentius, quid calamitosius? Idem est in omnibus aliis rebus: vt quarum mediocritas expeti maximè soleat, earum rerum excessus sit exitiosissimus. Hac eadem ratione libertas, si in suo modo & ratione consistat, res quædam omnium pulcherrima ac planè cœlestis existimanda est: contrà, si ab his discesserit, nihil illa nocentius, nihil magis confusum, nihil violentius fieri solet. Nunc igitur eum modum, eámq; rectè libertatis rationem, limites item, & terminos illius quęramus, vt veráne an falsa libertate Respub. passim fruantur, & num eorũ malorum, de quibus diximus, libertas, an alia potius causa sit, melius perspicere possimus. Verùm cùm nimis sit liberum, vel audax & temerarium potius, priuato iudicio verę libertatis terminos ac limites statuere velle; non abutar in hac re vestris grauissimis auribus, vt aliquid ex meo sensu potius, quàm ex re ipsa à me dictum esse videatur. Quod hac ratione facilimè & verisimè consequemur, si trium principum populorum libertatem (quos constat ex omnibus maximè liberos fuisse, húncq; solum finem & scopum, ad quem leges, iura, imperium, ac omnia sua referrent, sibi præfixisse) pro norma, ac lege veræ libertatis nobis proposuerimus; vt illorum libertas, sit veræ libertatis mensura, regula, & modus. Imitatur in hac parte Heracleoten Zeuxim, qui excellentem muliebris formæ puchritudinẽ picturus, virgines formosissimas sibi præbere iussit, & harũ quinque delegit, quæ eius iudicio essent pulcherrimæ, ex eísque formam & speciem perfectæ pulchritudinis excerpsit. Neque enim putauit omnia quæ quæreret ad venustatem, vno se in corpore reperire posse, ideo quòd nihil simplici in genere, omni ex parte natura expoliuit. Itáq; tan-

quam

quàm cæteris non sit habitura quod largiatur, si vni cuncta concesserit, aliud alii commodi, aliquo adiuncto incommodo muneratur. Idem igitur & nos in specie & dignitate veræ libertatis pingenda faciemus. Tres populos atq; Respub. verè liberas, libertatísq; maximè studiosas fuisse, suáque omnia ad eam retulisse, ex omni constat antiquitate. Populum Hebræum primùm, cuius illa vox est: Nos semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam: quantum autem ab illa gente, vel legum, vel libertatis causa, dictum & factum fuerit, quantum pugnatum, alibi copiosè explicauimus. Ex Græcis deinde acerrimi defensores, & vindices libertatis Lacedæmonii fuerunt. Refert Plutarchus, Laconem quendam interrogatum, quid artis sciret? respondisse liberum esse. Et alium, à quo capta Lacedæmone, dum quæsiuisset Philippus: Quid nunc facietis Lacedæmonij? Nihil, inquit, aliud, nisi quòd fortiter moriemur, quando soli Græcorum liberi esse didicimus. Ea gens nec disciplinis curiosis vllis, nec philosophiæ, nec ambitioni vacabat, nec vlli voluptati multum indulsit; sola arma artémq; tuendæ libertatis tractabat, ipsíq. quodammodo libertati viuebat. Postremò populus Romanus, qui vnus pro omnibus in hac causa sufficere posit, non modo liber fuit, verùm etiam liberorum populorum dominus, quibus legem viuendi & disciplinam dedit: quam vnam Rempub. in omnibus terris domicilium fuisse virtutis, imperii & dignitatis, testis est Cicero. Et alias quidem nationes seruitutem pati posse, populi Romani proprium esse libertatem. Fixa igitur sit veræ libertatis norma & regula, eorum populorum exemplum, cædant hæresi & licentia infecta ingenia, cædant priuata iudicia.

Prima igitur eius, quam quærimus libertatis, sit lex & conditio; illam veram libertatem esse, quæ cum recta ratione sit coniuncta: illum verè liberum, qui rectam rationem ducem in omnibus sequitur. Nam cùm, teste Cicerone, libertas sit facultas viuendi vt velis, certè homo, quàm diu homo est, non potest alio modo velle, quàm secundùm rectam rationem, & eam optimam viuere. Itáq; ipsa virtus, recta ratio dici ac definire solet. Nam vt eius libertatis, quæ brutorum est, norma & regula est ipse appetitus; ita humanæ libertatis lex est, recta ratio, à qua vbi quis discedit, liber primò, deinde homo esse desinit. Indéq; illud sapientissimorum hominum axioma natum est: Posse velle malum, non esse libertatem, neq; vllam partem libertatis. Nam talis libertas; insanorum, mentéque captorum potius, quàm sanorum est, qui ea tantùm expetunt, quæ illis nocitura sunt maximè: quos maiori beneficio affeceris, si vincias, quàm si soluas: si intra claustra contineas, quàm si dimittas. Itáq; neq; in diuinam, neq; in angelicam libertatem, quantumùis sit maxima, velle malum cadere potest: nam cum libertas sit, secundùm rectam rationem facultas viuendi, vt velis: malum autem pugnat cum recta ratione: posse velle malum; nullo modo libertas, nec vlla pars libertatis esse potest. Ideò igitur populus Hebræus liber, quia ducem in omnibus ordinem, rectámq; rationem sequutus est: cui propter admirabilem rebus in omnibus modum,

& ordinem, ne inimicus quidem homo malè precari potuit, quin benedi-
Num. 24. xit potius. Quàm pulchra, inquit, tabernacula Iacob, & tentoria tua Isra
ël: vt valles nemorosæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula quę
fixit Dominus, quasi Cedri propè aquas. Pluet aqua de situla eius, & semẽ
illius erit in aquas multas. Tolletur propter Agag Rex eius, & auferetur
regnum illius. Deus eduxit illum de Ægypto, cuius fortitudo similis est
rhinocerotis. Deuorabunt gentes hostes illius, ossáq; eorum confringent,
& perforabunt sagittis. Accubans dormiuit vt leo, & quasi leæna, quam
nullus suscitare audebit. Qui benedixerit tibi, erit & ipse benedictus: qui
maledixerit, in maledictione reputabitur. Quis dinumerare potest puluerem Iacob, & nosse numerum stirpis Israël? Moriatur anima mea morte
iustorum, & fiant nouissima mea horum similia. Ideò Sparta libera, quòd
eandem rectam rationem in omnibus sequuta est. Ideò populus Romanus liber, quòd eidem magistræ paruit semper, de cuius legibus illud testatur magnus senator: Fremant omnes licet, dicam quod sentio: Bibli-
" othecas me herculè omnium Philosophorũ vnus mihi videtur duodecim
" tabularum libellus, si quis legum fontes, & capita viderit, & autoritatis
" pondere, & vtilitatis vbertate, superare. Quicquid igitur pugnat cum
recta ratione, pugnat cum libertate, cum humanæ libertatis recta ratio sit
modus & regula: secundùm quam qui viuere non vult, hic belua vaga
potiùs, quàm homo ratione præditus censendus est. Vbi enim non modo ratio non imperat, sed eò amplius cupiditas, ambitio, inuidia, odium,
deprimendi alterius studium, vindictæ appetitus, popularis auræ, & acclamationis libido regnat, ibi quam tu libertatem dices? nisi fortè eam, quã
aut ebrii, aut mente capti repræsentant, vbi nullus ordo, vbi nullum genus hominum certa vtitur lege & ratione. Primus igitur veræ libertatis
limes & terminus est, secundùm rectam & perfectam rationem viuere.

Verùm enim verò cum vnius hominis ratio vel propter adiũctas perturbationes, vel propter educationem prauam, vel propter ipsam vitæ, & vsus breuitatem fallax, & imperfecta sit, sæpiúsq; decipiatur, ob ídq; nullum priuatum sensum mensuram rerum dici posse dicebat Plato. Negat item Aristoteles, illam libertatis definitionem veram esse, vt quisq; faciat quod voluerit: viuit enim, inquit ille, in huiuscemodi statibus populi, vnusquisque vt vult, & ad quod libido fert, vt ait Euripides. Ideò non secundùm quamùis rationem viuere, est liberum esse, cùm hominis proprium sit errare, decipi, falli; sed secundùm eã solam, quæ perfectissima sit. hęc autem non alia est, quàm lex ipsa, quæ vniuersalis quædam ratio est recta iubens, prohibens autem contraria; & ea lex, quæ maximè communis, ex vberioréque rationis fonte promanat. Talis autem inprimis lex est diuina, & ea omnis, quæ ex illa aliquomodo profluxit, ad eámq; se componit. Lex enim Dei, inquit Cicero, præclara & diuina semper, quæ recta & honesta iubet, vetat praua & turpia: cui parentem sanctissimæ, ac rectissimæ legi, iustè ac legitimè necesse est viuere. Erit igitur veræ libertatis hęc secunda lex, & conditio; vt neque ad nostrum, neque ad vllius mortalium

arbi-

arbitrium & voluntatem,ſed ad rectæ & perfectę rationis (hoc autem eſt legis, ídq; maximæ diuinæ,& eius omnis,quæ ab ea promanat,& cum ea non pugnat) præſcriptum viuamus. Illéq; verè liber, qui neq; ad ſuum, neque ad alterius ſenſum viuit; ſed ad perfectam, & communem quandam & vniuerſalem rationem, quæ neque aberrare, neque decipi, neq; deprauari vllo vnquam tempore poteſt. Hócq; eſt illud,quod docet magnus orator: Ideò, inquit, legibus ſeruimus, vt liberi viuamus, id eſt, vt neque noſtræ neq; alienæ voluntati, & cupiditati pareamus, ſed iudicio rectæq; rationi, atq; adeò Deo ipſi obediamus. Qui enim homini paret, eum beluæ parere; qui legi, Deo ipſi rectæque rationi, docet Ariſtoteles. Hícq; ſecundus eſt & veriſimus libertatis limes. Eo genere libertatis liber fuit populus Hebræus quondam, qui quantum patriis legibus obediuerit, abundè docent illi nobiliſimi iuuenes à Nabuchodonoſoro Rege in ardẽtem rogum miſsi,qui prius in medias flammas ſe coniici paſsi ſunt, quàm vt contra leges paternas aliquid delinquerent. Teſtantur hoc idẽ 4. Macha. 6. ſeptem illi præſtantiſsimi adoleſcentes Machabæi,variis tormentis pro lege patria excruciati, atq; enecti: venerandúſq; ille ſenex, cui cùm ſuaſum eſſet, vt in fraudem legis neſcio quid in vetito illicitóq; cibo cõmitteret, reſpondit, remitti ſe velle potius in infernum, quàm aliquid turpe indignúmq; ætate ſua, contra leges paternas admittere. Non enim, inquit, ætati noſtræ dignum eſt fingere; vt multi adoleſcentes, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum tranſiſſe ad vitam alienigenarum, & ipſi propter meam ſimulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, & per hoc maculam, atq; exſecrationem meæ ſenectuti conquiram: nam etſi in præſenti tempore ſuppliciis hominum eripiar;ſed manus omnipotentis nec viuus nec defunctus effugiam. Quamobrem fortiter vita excedẽdo,ſenectute quidem dignus apparebo,adoleſcentibus autem exemplum fortè relinquam,ſi prompto animo ac fortiter pro grauiſſimis,ac ſanctiſsimis legibus honeſta morte perfungar. His dictis confeſtim ad ſupplicium trahebatur. Quam gentis illius conſtantem pro patriis legibus moriendi voluntatem,magnificè celebrat Philo: Omnes qui-„
dem, inquit ille, gentes libenter ſeruant ritus patrios, ſed Iudæi præ cæte-„
ris. Cùm enim leges ſuas credant oraculis proditas, eáſq; diſcant à pue-„
ritia,in animis circumferunt harum expreſſas imagines,& ſemper intuen-„
do admirantur, & honeſtiſsimos quoq; alienigenas harum obſeruatores „
amplectũtur pro ſuis viribus; oſores autem,aut vituperatores habent pro „
hoſtibus. Et in tantum abhorrẽt à quaùis re ſuis legibus vetita, vt omni-„
bus fortunis felicitatibúſq; humanis ad præuaricationem adduci neque-„
ant. Sed nihil religioſius, quàm templum, colunt, vel hoc argumento, „
quòd certiſsima mors proponitur, vltra ſeptum interius penetrantibus; „
nam intra exterius recipiunt vndecunque venientes ſuæ gentis homines. „
Non alio item genere libertatis, quàm eo quo diximus,liber fuit populus Spartanus: apud quem,ſi quis contra veteres leges dicere quid voluit,nouámq; legem ſuadere, ſuſpenſo de fune collo id eum facere oportuit, vt ſi

fortè id quod vellet non obtineret, ſubitò eodem laqueo periret. Hácq; ratione, à veterum legum impugnatione, ciues reliqui deterrebantur. Itáque Ageſilaus Xenophonti Athenienſi ſuaſit, vt filios Lacedæmonem mitteret, ad ediſcendam omnium artem pulcherrimam, legibus obtemperare. Et Demaratus percontanti cuidam, cur exularet, quamùis Rex eſſet: Quoniam, inquit, Spartæ ſunt leges potentiores Regibus. Quod item cum illo Chilonis optimè conuenit, qui dicebat tyrannidem ibi exerceri non poſſe, vbi leges ſeruantur antiquæ. Quid ego de populo Romano dicam? qui cum reliquis omnibus gentibus imperaret, ipſe ſolis legibus paruit. Indignum eſt, inquit Romanus orator, in ea ciuitate, quæ legibus teneatur, diſcedere à legibus: hoc enim eſt vinculum huius dignitatis, qua fruimur in Repub. hoc fundamentum libertatis, Verùm in re clara, omnibúſq; nota, ſuperfluis argumentis opus non eſt. Apud noſtram quidem ætatem potentioris libido, lex eſt: & tum primum leges compellamus, cùm alicui ſub illarum prætextu nocere, eúmq; opprimere volumus. Riſerat aliquando Ariſtoteles Athenienſes, quòd cum & fruges & leges inueniſſent, frugibus quidem vterentur, legibus non item: quaſi non legum magis neceſſarius eſſet vſus, quàm frugum.

Cicero de Legibus.

Porrò cum leges ſenſu careant, inanimes ſint, mutæ ſint, inermes ſint, cùm neq; ſibi, neq; alteri opem ferre poſsint, cùm nullam temporis, loci, nullam perſonarum rationem habeant, cùm pro tempore moderationis in illis nulla inſit ratio, quòd omnes vna voce ſine omni reſpectu damnent vel abſoluant: cùm denique omnia in eis comprehendi non poſsint, fiántq; veluti medicina vniuerſalis quædam, ſingula non attingens: ideò magiſtratus à Deo & recta ratione inſtitutos, legibúſque adiunctos, quaſi viuas quasdam leges habemus, quorum ſenſu & anima leges viuant, quorum viribus vtantur, lingua loquantur: qui legum adminiſtri & propugnatores ſint: qui pro legibus cognoſcant, decernant, pugnent: qui eas interpretentur, exequantur item: qui ſontes puniant, bonos ornent, & remunerentur: qui ſeueritatem legum æquitatis ratione temperent: qui veluti medicus quidam, ex communi legum regula, ſingulis morbis accommodata adhibeant remedia, illíſq; medeantur: qui ea quæ legibus deſunt compleant, nouáſque nonnunquam ferant. Magiſtratus hæc eſt vis, inquit Cicero, vt præſit, præſcribátq; recta, & vtilia, & coniuncta cum legibus; vt enim magiſtratibus leges, ita populo præſunt magiſtratus: veréq; dici poteſt, magiſtratum eſſe legem loquentem, legem autem mutũ magiſtratum. Eam igitur tertiam veræ libertatis Deus ipſe fixit legem, Vt omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: Non eſt enim poteſtas, inquit Paulus, niſi à Deo: quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt. Itáq; qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit; qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt: nam principes non ſunt timori boni operis, ſed mali: vis autem non timere poteſtatem, bonum fac, & habebis laudem ex illa: Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time, non enim ſine cauſa gladium portat: Dei enim miniſter eſt, vindex

in iram

in iram ei qui malum agit. Ideo necessitate subditi estote: non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam: ideo enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Vtq; obsecrationes fiant pro Regibus atque principibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, hortatur idem Paulus; vt quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & castitate: néue aut nostræ, aut alienæ insanæ cupiditati pareamus. Quod qui non facit, ille non modò liber non est, sed ne homo quidem. Eos homines filios Belial, hoc est sine iugo, scriptura vocare solet; Dei, naturę, rectæq; rationis inimicissimos, vt qui genus humanum, ac Respub. ad pristinam reuocant vastitatem. Nam illam libertatem, vbi οὐδεὶς οὐδενὸς ἀκούει, libertatem Cyclopum dicit esse Græcus Poëta potiùs, quàm hominum sanorum & moderatorum. Liber erat populus Hebræus: hic tamen idem magistratibus paruit semper. Anima, inquit scriptura, quæ non obedierit aut sacerdoti aut iudici anni illius, siue sit ciuis, siue aduena, delebitur de medio populi sui. Spartanorum quæ fuerit ad suos magistratus obseruantia & subiectio, docet Theopompus. Cùm enim quidam diceret, Spartam stare, quòd haberet Reges imperandi peritos: respondit ille, imò verò quòd haberet ciues principibus parere doctos. Apud Romanos mira magistratuum senatúsq; autoritas fuit. Non habere autem magistratus, aut si habeas illis non parere, hæc talis libertas extremæ iræ, & vindictæ Domini, nota est. Itáq; cùm Israël derelinquebat Dominum, hac plectebatur pœna: In diebus illis, inquit scriptura, non erat Rex in Israël, sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur faciebat. Quam plagam, ne populus ille sustineret vnquã, diligenter deprecatur Moyses. Prouideat, inquit Dominus Deus spiritum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc, vt possit exire & intrare ante eos, & educere eos, vel introducere, ne sit populus Domini, sicut oues absque pastore. Quam tamen calamitatem, vera libertate abusus populus ille, non effugit, quin etiam nunc sustinet.

1. Tim. 2.

Deut. 17.

Num. 27.

Quoniam autem multi sunt, qui spontè probi, & beati esse nolunt, qui contra suas vtilitates pugnant, aliósque inficiunt, ac in simile exitium protrahunt: ideo Deus idem, rectáq; ratio eisdem legibus & magistratibus in sontes animaduertendi potestatẽ addidit, vt qui spontè legibus ac magistratibus, rectè & legitimè imperantibus, parere nolit, hic saltem coactus obediat: Oderunt enim peccare boni, virtutis amore: Oderunt peccare mali, formidine pœnæ. Et hoc est, quod dicit Paulus: Non frustra gestant gladium, sed ad vindictam malorum, laudem autem bonorum. Ideò scriptura monet, vt nemo quærat fieri iudex, nisi valeat virtute irrũpere iniquitates: ne fortè extimescat faciem potentis, & ponat scandalũ in agilitate sua. Eãdémq; ob causam Aristoteles eũ, qui princeps Reipub. futurus sit, illis præsidiis munitum esse vult, quæ ad reprimendam improborum malitiam sufficiant, nihílq; prodesse aureas leges, si non item ferro

Rom. 13.

Eccle. 7.

& præ-

& præsidiis communiantur. Quibus quidem pœnis & animaduersionibus quemq; subiectum debere esse, non tantùm propter metum, sed propter conscientiam quoque, non nostri tantùm homines, sed etiam illi, qui foris sunt, docuerunt. Extat ea de re apud Platonem grauissima disputatio; quam libet hoc loco, vtpote totam causam veræ libertatis continentem, adferre: vbi leges ac omnis disciplina ciuilis, hunc in modum in carcere compellant Socratem. O Socrates, nónne inter nos & te illud conuenit, vt iudiciis stares, quæ constitueret stabilirétq; ciuitas? Si hoc dictum „ mirum nobis videretur, fortasse dicerent: ne quod diximus, mirum tibi ô „ Socrates, videatur. Sed responde, quandoquidem interrogationum re- „ sponsionúmq; alternis vicibus vti consueuisti. Agedum eccuius rei tanto- „ pere nos accusas, vt nos perdere aggrediaris? nónne primum te nos ge- „ nuimus: & per nos, matrem tuam accepit pater tuus, & generauit te? „ Dic ergo, an de iis legibus, quæ sunt in nuptiis, conquereris, quasi non re- „ ctè constitutis? Non conqueror, dixerim ego. An de iis, quæ de libero- „ rum educatione & institutione perscriptæ sunt, in quibus & tu educatus „ es; num rectè leges hac de re latæ patri tuo imperarunt, vt te in Musica, „ & gymnastica instituendũ curaret? præclarè dicerem. Esto. Postquàm „ & natus es, & educatus, institutúsque, in constantem ætatem perueniſti, „ possésne primum negare, te nostrum alumnum seruúmq; fuisse, vt & pa- „ trem maioréſq; tuos? Quæ cùm ita se habeant, arbitrarísne tibi ex æquo „ tantum esse iuris ac nobis, & quæcunq; facere nos tibi aggrediamur, tu „ idem nobis iustè facere arbitrare? An cum aduersus patrem aut dominum „ (si habeas) minimè sit ex æquo iustum, vt quæ ab illo patiaris, ei vicissim „ rependas, neq; conuitianti conuitia regeras, aut verbera verberibus op- „ ponas, neq; alia huiusmodi tibi factitare fas sit: aduersus patriam verò, & „ leges hoc tibi liceat? Itáque si nos aggrediamur te perdere, ita iustum „ esse ratæ, tu verò contrà quantum in te situm erit, conarere nos vicissim „ perdere? & dum hæc vicissim ageres, affirmaresne te iustè agere, tu, inquã, „ qui veram germanámq; virtutis præ te fers curam? itáne fueris sapiens, „ vt ignores patriam, & matre & patre, & maioribus omnibus pretiosiorem, „ augustiorem, sanctiorem, & maioris cuiusdam sortis pretio, atq; reueren „ tia & apud deos, & apud prudentes homines esse colendam, & veneran- „ dam: iratæq; adeò patriæ & excandescenti potiùs cedendum, & quasi as- „ sentandum, quàm ipsi patri? & ipsi persuadendum, aut quicquid impera- „ rit faciendum, & quicquid nos pati voluerit patiendum, patientérq; acqui „ escendum, licet grauiora imposuerit: seu subeunda verbera, seu vincula, „ seu ad bellum, id est vulnera, præsentémq; adeò mortem proficiscendũ, „ hæc omninò facienda, & æquum iustúmq; ita postulare? itáne non detre- „ ctandum aut declinandum, neq; deserendam stationem; sed & in bello, „ & in foro, & vbiq; illud faciendum, quod Respub. patriáque mandarit: „ aut quidem illi esse persuadendum, quatenus iusti patitur natura: vim au „ tem inferre, neque patri, neque matri fas esse, multò profectò minus pa- „ triæ? Quid ad hæc dicemus Crito? verúmne dicere leges an non? CRITO: Mihi

Plato in fine Critonis.

Mihi quidem videntur. SOCRAT. Perſpice igitur Socrates (dicerent for- »
taſſe leges) an nos hæc iuſtè ſtatuamus,te nimirum non iuſta aggredi, cũ »
hæc nõ aggrederis?nos enim quę te genuimus, educauimus,inſtituimus, »
omnia quæ potuimus, & tibi, & aliis ciuibus bona tribuimus; nihilomi- »
nus tamen prædiximus cuilibet Athenienſium, poſtquam ciuitatis noſtrę »
ſtatum, nóſque adeo leges explorauerit, niſi illi placeamus,rebus ſuis col »
lectis quo voluerit diſcedendi facere poteſtatem. Nec verò ex nobis vlla »
legibus impedit, aut vetat, vel ſi quis veſtrum voluerit in coloniam pro- »
ficiſci (niſi nos & ciuitas ei placeamus) aut incolendi cauſa aliò commi- »
grare, quo voluntas nimirum reclinarit, eò illum comportatis rebus ſuis »
proficiſci. Qui verò nobiſcum permanſerit,perſpiciens qua ratione & iu- »
dicia moderemur,& aliis in rebus ciuitatem gubernemus, hunc iam dici- »
mus reipſa confiteri atq; promittere, ſe ea quæ iubemus præſtiturum. Eũ »
verò qui non pareat, trifariam peccare dicimus, tum quòd nobis genitri- »
cibus non pareat,tum quòd nutricibus; tum quòd pollicitus,ſe nobis ob- »
temperaturum, neque paret, neque perſuadet nobis, ſi quid minus hone- »
ſtè facere videamur: cùm nos res ipſas tantum proponamus,non verò fe »
roci imperio res peragendas præcisè conſtituamus; ſed duorum alterum »
permittamus, aut vt nobis perſuadeatur, aut vt mandata noſtra dentur »
effectui: quorum ille neutrum facit. His ergo criminibus futurum vt te- »
nearis affirmamus, ſi quæ cogitas præſtiteris: tu inquam inter cæteros »
Athenienſes, non quidem leuiſsimè, ſed grauiſsimè, atq; maximè. Si er- »
go dicerem quibus de cauſis me præter cæteros reprehenderent, parata »
eſſet reſponſio: quòd videlicet præter cæteros omnes hæc pacta, háſque »
conditiones veras eſſe agnouerim. Et magna,dicerent nobis, harum re- »
rum, Socrates, ſunt argumenta, nos nimirum vniuersámq; ciuitatem pla- »
cuiſſe, non enim & ſingulari quadam, aut eximia quadam ratione, præ- »
ter cæteros Athenienſes, incoluiſſes illã conſtanter, niſi ſingulari quadam »
atque eximia ratione tibi placuiſſet. Neq; enim ad publicorum ludorum »
ſpectacula vnquam vrbe egreſſus es,niſi ſemel in Iſthmũ: neq; vſpiam vn- »
quam niſi ad bellicas expeditiones: neque vllam aliquam peregrinationẽ »
ſuſcepiſti, quemadmodum ſolent cæteri: neque vnquam te cepit cupidi- »
tas alterius neque ciuitatis,neq; aliarum legum cognoſcendarum, verùm »
& nos, & vniuerſa ciuitas eramus tibi ſatis. Adeò nos eras complexus: »
& præ te maximè ferebas,te ex noſtræ regulæ præſcripto tuam vitam cõ- »
poſiturum atq; conformaturum, vt aliis argumentis, ita & hoc maximè, »
quòd liberos in illa ſuſcepiſti,vt quæ tibi omninò arrideret. Iam & in ipſo »
iudicio licebat exilii mulctam ſubire, ſi voluiſſes. Et quod nunc nolente »
Repub. conaris,tunc volente tibi facere integrum erat. Tu verò tunc ven »
ditabas te, tanquam minimè indignaturus, etiamſi mors eſſet ſubeunda, »
ſed potius mortem quàm exilium te velle dictabas: nunc verò neque illos »
tuos ſermones reuereris, neque noſtri etiam te mouet pudor, quin nobis »
peſtem perniciémque moliare. Idem verò agis,quòd nequiſsimus ageret »
ſeruus,qui nimirum effugere coneris,prẹter pacta conuentáq; ex quorum »

tamen

„ tamen formula te vitam instituturum conueneras. Primum ergo illud
„ nobis respondè, verum nec ne dicamus, cùm affirmamus pollicitum esse,
„ ex nostri mandati formula, & re ipsa quidem, non verbo, vitam tuam in-
„ stituturum? Quid ad hæc dixerimus, Crito, aliud, nisi vt vera confiteamur?
„ CRIT. Necesse est Socrates. SOCRAT. Iã verò quid aliud dixerint, quàm
„ pacta conuenta inter nos instituta transgrederis? in quæ quidem nec ne-
„ cessitate consensisti, nec circumuentus, nec exigui temporis termino co-
„ actus, hac de re deliberãdi rationes inire, sed annorum septuaginta spatio,
„ intra quod tibi discedere licebat, si minimè tibi placeremus, neque iustæ
„ hæ pactæ conditiones tibi esse viderentur. Nihilominus tamen tu neque
„ Lacedæmonem neque Cretam, quas commodis legibus constitutas ais
„ quotidiè, neq; etiam vllam aut Græcarũ aut Barbararum ciuitatum hu ic
„ nostræ prætulisti, imò ex hac minus peregre abfuisti, quàm claudi, & cœ
„ ci, & alii muti. Adeò tibi, inter cæteros Athenienses, placuit hæc ciuitas:
„ & nos etiam leges videlicet tibi placuimus. Eccuinam enim ciuitas sine
„ legibus placeret? nunc verò pactis conuentis minimè stas. Sed stabis pro-
„ fectò, si meis verbis, Socrates, fidem adhibueris: nec ex hac ciuitate egre
„ diendo, cæteris te hominibus deridendum præbebis. Vide nimirum, si in
„ hac re officium transgressus fueris, & ita peccaueris, ecquod tibi tuisque
„ necessariis bonum paries? Nemini enim dubium esse potest, quin illi in
„ hoc discrimen tua causa coniiciantur, vt & ipsi solum vertant, & ciuitatis
„ iure destituantur, aut fortunarum faciant iacturam. Ipse verò primus, si
„ ad proximarum ciuitatum quandam perueneris, aut Thebas, aut Mega-
„ ram (bonis enim legibus vtraque vrbs regitur) hostis venies, Socrates,
„ ciuitatum illarum legibus & institutis, & quotcunq; suarum ciuitatum cu
„ ram gerunt, te toruis oculis aspicient, legum corruptorem rati, illámque
„ de tuis iudicibus existimationẽ confirmabis, quasi iustum iudicium de te
„ statuisse videantur. Quisquis enim legum corruptor est, continuò ille cẽ-
„ sebitur & iuuenum & imperitorum hominum corruptor. Quomodo &
„ ciuitatum bene moratarum, & hominum moderatissimorum iudicia effu-
„ gies? Tibi autem ista molienti, putásne consentaneum esse, vt viuas? an
„ ita eris impudens, vt perfricta fronte homines adeas, & præclaros illos,
„ cum ipsis colloquendo, seras sermones, quos eò hic de more habebas, vir-
„ tutem nimirum vniuersam ipsam, ipsámque singulatim iustitiam plurimi
„ apud homines æstimandam esse, & leges & quæ illarum instituto fiunt,
„ omni studio ac reuerentia coli oportere? Nec verò arbitraris futurum, vt
„ Socrates, factum indecorum videatur? Ita certè euenturum existiman-
„ dum est. At ex iis ciuitatibus emigrabis, vt venias in Thessaliã ad amicos
„ & hospites Critonis: ibi enim magna intemperies atque impunitas va-
„ gatur. Atque fortasse libenter te audirent commemorantem, quam ridi-
„ cule ex carcere aufugeris, nouo quodam vestitu pelle aliqua circumuolu-
„ tus, vt alio quopiam modo commutata veste indutus, vt solent qui con-
„ uasant, fugámque moliuntur. Quòd autem senex, cui sit parum reliqui,
„ ausus es, ita sordidæ vitæ desiderio teneri, maximas leges prætergressus,

an si-

an ſilentio prætermittetur? Fortaſſe id quidem ſilebitur, ſi nemini moleſtus ſis: ſin minus, Socrates, multa te indigna audies, viues autem omnibus omnium ordinum hominibus addictus ac quaſi famulans. Quid facies? an conuiuia agitabis in Theſſalia, tanquam conuiuiorum cauſa in Theſſaliam profectus fueris? Illi autem ſermones de iuſtitia, & aliis virtutibus vbinam erunt? verùm liberorum tuorum cauſa vis viuere, vt illos & educes & inſtituas: quid verò, illóſne in Theſſaliam comportabis, vt illo more educatos & inſtitutos efficias peregrinos, vt hoc etiã à te beneficium percipiant: an in illa quidem re nullam operam impendes? Nónne ſi in hac vrbe liberi tui, te adhuc ſuperſtite, nutrirentur, melius & educarentur, & inſtituerentur, quàm ſi adeſſes? minimè enim dubitare potes, quin tui neceſſarii de illis curam gerant. Vtrum verò, ſi in Theſſaliam profectus peregrinaueris, curam de illis gererent? ſin vero ad inferos profectus fueris, non illi de tuis liberis curam gerent? Si quod videlicet penes tuos amicos, atq; neceſſarios adiumentum eſt ſtatuendum, ſanè eſt illos hac de re rationes inituros. Verùm, Socrates, nobis nutricibus tuis fidem adhibe, & ne liberorum, ne vitæ, ne deniq; cuiuslibet alterius rei, ratio iuſta prior antiquiórq; tibi ſit, vt cùm ad inferos perueneris, poſsis hæc omnia apud Prætores illos excuſare, quandoquidem nec ſi hæc egeris, in hac quidem vita neque tibi, neq; tuorum cuiquam melius, ſanctius, iuſtiúſue quid contigerit: vbi autem illò perueneris, nec melius quidem fuerit. Verùm nunc iniuſtè violatus quidem diſcedis (ſi diſcedas) non à nobis quidem legibus, ſed ab ipſis hominibus: quod ſi hinc egrederis, ita turpiter iniuria damnóq; repenſis, pactas inter nos conditiones tranſgreſſus, & illis quos minimè oportebat iniuria affectis, nimirum & te, & amicis, & patria, & nobis ipſis: nos quidem tibi ſuperſtiti indignabimur: tum verò leges eæ, quæ ſunt apud inferos germanæ noſtræ, te mortuum minimè libenter excipient, cùm intellexerint, te, quantum in te fuit, exitium nobis eſſe molitum. At ne Crito maiorem apud te, ad hæc ſuſcipienda, impellendum, quàm nos ab illis reuocandum habeat autoritatem. Hæc quidem Socrates diuinitus. Nos autem vnde digreſsi ſumus, redeamus.

Non ideo populum Hebræum liberum fuiſſe, quòd apud illum in ſontes non animaduerteretur: quos vel ipſe, ex lege, manibus ſuis extra portas eductos lapidibus obruebat: non ideò Spartam liberam, quòd nemo plecteretur, cuius ob nimiam ſeueritatem leges ferreæ eſſe dicebantur: non ideò populum Romanum liberum, quòd puniret neminem, cuius Reipub. diſciplina præcipuum decus & ſtabilitas fuit; & in quo patres in liberos, inquit Valerius, aui in nepotes, dictatores in magiſtros equitum publicè animaduertebant, ſiue quis Bruti filius fuit, ſiue qui Grachi filii, aut nepotes Africanorum fuerunt, quorum ſumma nobilitas ac ſpes ampliſsima erat, ſed quia ſtatum ciuitatis conati erant conuellere, inſepulta cadauera eorum iacuerunt, ſupremúſq; humanæ conditionis honos filiis Grachi, & nepotibus Africani defuit: quin etiam familiares eorum, ne quis Reipub. inimicis amicus eſſe velit, de robore præcipitati ſunt, ſiue quis magnificus

triumphator Torquati filiusrecenti victoria ſuperbus: ſiue Manilius, ſiue Coriolanus, ſiue Lentulus, ſiue Cetegus quiſpiam. Quid ego hic de illa tota diſciplina militari dicam? quid de legibus ſumptuariis? quid de cenſoribus, déq; illa cenſoria nota? quid de capitis diminutionibus? Non igitur, vt dixi, eam ob cauſam hæ ipſæ Reſpublicæ, & aliæ omnes liberæ dicuntur, quòd in illis puniretur nemo: ſed quia non niſi ex his legibus, quarum ipſi autores fuerant, in earum ciues animaduertebatur. Quid enim eſt liberum eſſe, niſi viuere vt velis? quis autem viuit vt vult, niſi ille, qui & ornatur & plectitur ex legibus illis, quas ipſe ſanciuit, & voluit? libertatis enim, dicit quidam, rigidus eſt cuſtos, & vindex, ſeueritas. Præclarè autem ante omnia eius rei cauſam reddit Ariſtoteles: Non enim, inquit, decet arbitrari, ſeruitutem eſſe, viuere ad Rempub. verùm ſalutem: inde enim, niſi id fiat, Reſpub. mutantur & intereunt.

Verùm enimuerò etſi libertas magnum quoddam, & præſtans ſit bonum, ſummum Reipub. ornamentum: non tamen aut ſolum aut vnum. Ideò illa erit alia eius lex, vt ita quæratur, ſeruetur & defendatur, ne alia ornamenta & præſidia Reipub. eius cauſa negligantur, néue alia bona hoc vnum bonum auferat, aut extinguat; ſed vt potiùs ſimul cum aliis ornamentis, tanquam pulcherrima gemma luceat atq; ſplendeat, illa ornet, foueat illa: hoc eſt, religionem, virtutem, honeſtatẽ, iuſtitiam, diſciplinam, obedientiam, rectum in rebus ordinem: opes, & facultates, & (vt ad minora deſcendam) artes, opificia, merces, vectigalia, ſeruitia denique, ac omnem rerum neceſſariarum vſum & copiam, non modo non impediat, ſed augeat etiam defendat ac promoueat, ſi humana & non beluarum libertas dici debet: quę ideò liberæ non cẽſentur, quòd ſine aliis ornamentis vagæ potiùs quàm liberæ quaquauerſus feruntur & aguntur. Nam & in Muſicis ita vna vox excellit atq; laudatur, ne ſi non alias tamen voces auferat aut obſcuret, ſed vt vnicuiq; ſuus modus, ſuúsq; relinquatur locus: ita vt nonnunquam ea, quæ pulcherrima vox eſt, ſpontè conticeſcat, vt aliæ ſeſe exerant. In picturis item atq; texturis eodem modo, non ſoli auro, aut purpuræ locus datur, relinquitur alternatim aliis quoq; coloribus ſedes & ſpatium. Sic libertatis vox & color eſt pulcherrimus quidem ille, ita tamen vt non tabellam occupet totam, ſed vt reliquis quoque ornamẽtis, atq; præſidiis Reipub. de quibus ſuperiùs dictum eſt, ſuus relinquatur locus & ſedes. Talis fuit populi Hebræi libertas, de cuius opibus, ornamentis & præſidiis alias diximus. Talis Lacedæmoniorum, de quorum virtute, moderatione, pietate, aliíſque ornamentis quid attinet dicere? opes certè eorum Æſopico leonis antro comparat Plato, vt ingredientia quidem auri & argenti veſtigia in eam Rempub. apparerent multa, egredientia nulla. Populi Romani ornamenta quis melius ipſo Romani eloquii principe explicet? Cuius illa ſunt: Nam mores, inquit, & inſtituta vitæ, réſq; domeſticas ac familiares, nos profectò & melius tuemur, & lautius; Rem verò publicam noſtri maiores certè melioribus temperauerunt & inſtitutis & legibus. Quid loquar de re militari? in qua cum virtute

De cauſ. ſuppr. excid. Hiero.

tute noſtri multùm valuerunt,tum plus etiam diſciplina. Iam illa quæ natura non literis aſſequuti ſunt, neque cum Græcis, neque vlla cum gente conferenda ſunt. Quæ enim tanta grauitas,quæ tanta conſtantia,magnitudo animi, probitas, fides, quæ tam excellens in omni genere virtus fuit in illis, vt ſit cum maioribus noſtris comparanda? Non tantùm autem cum aliis ornamentis vera libertas coniuncta eſſe debet, eáq; tueri; ſed vel imprimis cum ipſa diuturnitate, neq; ſolùm quæri, ſed etiam defendi: quod ſine ſudore & ſanguine,diſciplina item, ſobrietate, ac omni vitæ moderatione fieri non poteſt. Quid enim prodeſt aliquo tempore liberum eſſe, vt in poſterum & ipſe & poſteritas tua æternùm ſeruiat? Ita autem potiſsimum hęc ipſa libertas diuturna erit,ſi ratione regatur,ſi prę-ſidiis ſuis non careat, ſi extrema non ſequatur, ſi in modo & menſura conſiſtat: nihil enim immoderatum diuturnum. Itáq; Theopompus Lacedæmoniorum Rex, centum & triginta annis à Lycurgo, eius vrbis primo legiſlatore, admiſerat in partem regni ſui Ephoros,popularem magiſtratum, ad refrenandam oligarchiam, quam effrenem nimis, & validam, ferocémq; ac feruidam videret,vt ait Plato. Cui cùm ab vxore obiiceretur, quòd eſſet humilius regnum filiis traditurus, quàm à maioribus ſuis acceptiſſet, reſpondiſſe fertur: eò igitur maius quantò diuturnius: nam inſolentia cum inuidia ſublata,periculum nullum ſupererat. Vt enim regnum abſolutæ poteſtatis,paucorúmq; dominatus,diuturnus eſſe non ſolet; ita populi inſolentia effrenis diu in eodem ſtatu permanere non poteſt. Græciam quidem hoc vno malo concidiſſe, libertate immoderata, & licentia concionum, docet Cicero. Adhæc, ſi libertas diuturna eſſe debet, inermis profectò non ſit oportet,ſed cum præſidiis coniuncta: nihil enim imbelle diuturnum: nec tantum contra domeſticos inſultus, ſed multò etiam magis contra externam vim communita ſit; ne dum alteri parti cauet, alteri latus aperiat. Quid enim illa iuuabit libertas, quæ vno momento cum vita etiam ipſa atq; chariſsimis pignoribus ab externa aliqua vi auferri poteſt, & cum qua vel auicula iners auolare poſsit? Et fuit quidem populus Hebræus liber:ſed idem habuit ærarium diues & opulentum,cenſum per capita pependit, militem dedit, vrbes & præſidia contra hoſtes muniuit. De quibus præſidiis illud Ieremiæ: Non crediderunt reges terræ & vniuerſi habitatores orbis,quoniam ingrederetur hoſtis & inimicus per portas Hieruſalem. Stupebat Pompeius, inquit Hegeſippus, primo ſuo ingreſſu, acres virorum animos, muri decorem & magnitudinem. Idem Lacedæmonios, idem Romanos feciſſe legimus: apud quos ille qui liber fuit, quin imò liberorum populorum Dominus, ſtipendia merebat, cenſum ſoluebat, militabat, pilum & commeatum, vbi vſus tulit, ferebat, foſſam fodiebat, aggerem & vineas excitabat, munitiones erigebat, liber tamen erat. Cur ita? eas enim leges ipſe ſibi dederat: ſic ipſe ſibi imperârat. Neque enim ſolis verbis aut iurgiis domeſticiſque clamoribus libertas defenditur, ſed legum imperio, iudiciorum ſeueritate: Magiſtratuum autoritate, ſed conſiliis grauiſsimis, opibus & ærario, armis & viribus,

Thren. 4.

ribus, labore & sudore, vita & sanguine denique ipso. Quæ qui non adfert, imò declinat, Demagogus est, Zelota est, assentator populi est, libertatis proditor est. Præclarè enim Lacon: Nemo seruire cogitur, qui mori paratus est. A nullo autẽ magis munienda est ea ipsa, de qua disputamus, libertas, quam ab imperitis, & ambitiosis eius patronis & defensoribus, qui specie veræ libertatis imponere, seruitutémq; pro libertate inducere solent. Tales autem sunt homines populares: ex quo genere Periclem fuisse testatur Aristoteles. Qui cùm Solonis instituto, ex optimatum popularíque administratione temperatam Rempub. Athenienſium accepisset, assentator plebis factus, senatus autoritate diminuta, totam ad populum transtulit, eámq; perdidit. Et quàmdiu quidem ipse homo acer & prudens præfuit, florebat vtcunq; ciuitas illa: at vbi ad alios imperitiores duces, ipsúmq; adeò populum eius gubernatio deducta est, funditus interiit. Sic Cęsar & Pompeius Romanũ perdiderunt imperium: dominationem enim ab vtroq; quæsitam fuisse; non id actum, vt beata, libera, & honesta ciuitas esset: ac vtrumque regnare voluisse docet prudentissimus senator Cicero. Sic Hierosolymam libertatis nimii assertores (vt alias diximus) hac eadem ratione ad vltimum exitium perduxerunt. Multis enim, dum libertas quæritur, seruitutem accersiri, dicebat Agrippa. Hoc idem magistratus populares, si se intra certum non continent modum, efficient. Quomodo Iudæam Zelotæ, Spartam Ephori, pro libertatis vindicibus tyranni facti: Romam Tribuni plebis, dum se tyranno adiungunt, perdiderunt.

De causis supremi excidij Hierosolymitani.

Sed & ille non vulgaris est veræ libertatis limes, notáque propria, vt omnibus communis & par sit; vt non vna parte Reipub. intráque paucos contineatur, sed inter omnes modo & ratione sua diuisa sit: vt sic quisq; appellet, & tueatur libertatem suam, ne eius libertas impediat & auferat libertatem cæterorum. Totius corporis ista possessio est: omnibus igitur membris pro cuiusque portione communis sit oportet: nam nisi hoc sit; tunc hæc non libertas, sed mutua seruitus censenda est. Ita ciui Hebræo, Spartano item, atque Romano conseruabatur eius libertas, vt sua tamen Pontificibus, Sacerdotibus, Regibus, Senatui aliísq; magistratibus, conseruaretur dignitas atque maiestas Ita eques tuebatur ius suum, ne plebi grauis esset. Ita igitur tuam superstitionem colas (si tamen hoc vlla permittat libertas) ne meam religionem & pietatem turbes: ita tuas opes iactes, ne meam paupertatem despicias: ita tua arma tuíque animi robur exerceas, ne meam quietem impedias: ita tuæ libidini & ebrietati indulgeas, ne meæ tranquillitati & moderationi obsis: ita vigiles, ne meum somnum excites: ita tuam rem locupletes, ne meas fortunas exhaurias: ita exercitus tuos ducas, ne meos agros depopuleris: ne domi meæ hyberna tua instituas: ne tantum tibi commeatus, quantum tua cupiditas fert, dari imperes: ne tributum à me meísque exigas colonis. Quod si facis, rex es, tyrannus es, quoquo tandem nomine appellari velis. Neq;

item

item intelligere possum, quæ sit illa libertas, quæ multis stipatoribus domi se tuetur, foris nuda est. Qui liber est, nullum metuit: solus incedit, tutus vbique est, exercitibus domi suæ opus non habet. Aut in qua Repub. vnus quidem ordo leges omnes pro se, nullas contra se habet. & vbi nemo putat se suam retinere posse, nisi alterius inuadat libertatem: alius dominatur, alius ne tribunal quidem, quod appellet habet, alius pro libito facit omnia, aliis autem ne ingemiscere quidem liberè licet: contra illud commune societatis humanæ æternum axioma: Vis habere tuum, red de alienum. Ideò sibiipsis homines graues sunt, ideò de commutandis sedibus cogitant, ideo aliò commigrant, ideo locupletes mercaturæ sublatæ, nauigationes desierunt, omnia denique ornamenta Reipub. quodammodo aruerunt.

Vltimò eam libertatem veram esse dicimus, in qua bonis quidem omnia, præter id ne mali sint, liceat: improbis autem nihil penitus, nisi id vt boni esse velint permittatur. Misera enim illa est libertas, in qua improbis quidem omnia: bonis autem nihil penitus licet. Talem libertatem Agesilaus sapientissimus Rex præposteram libertatē vocare solebat. Virtus enim, inquit Tullius, ius suum & impunitam omnium rerum libertatem tenere debet. Sensus autem eius legis est, vt libertas bonos quidem tueatur, defendat, illisque patrocinetur: improbos autem arceat, puniat, omnibúsque eorum conatibus obsistat. Nam si secus fit, tum ea libertas erit similis illi, de qua interrogata apud Plautum muliercula quædam, in qua vrbe, & inter quos ciues educata esset, respondit: vbi malis benè fit, vbi boni premuntur, vbi sceleratum non solùm liceat, verùmetiam expediat esse. Legantur iura & leges populi Hebræi, Spartanæ item, videantur leges Romanæ: & nihil aliud continere inuenies, quàm præsidia quædam & defensiones bonorum, malorum autem pœnas, & coërciones. Lex enim iustorum iniustorúmque, inquit Tullius, distinctio, ad illam antiquissimam & rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quæ supplicio improbos afficiunt, & defendunt ac tuentur bonos. Marcus Manlius vnde Gallos depulerat, inde ipse præcipitatus est; quia fortiter defensam libertatem, nefariè opprimere conatus fuerat. Cuius iustę vltionis nimirum hæc præfatio fuit: Mã lius eras mihi, cùm prȩcipites agebas Senones: postquam imitari cœpisti, vnus factus es ex Senonibus. Huius supplicio æternæ memoriæ nota inserta est, proptérque ipsum lege sanciri placuit, ne quis patritius in arce, aut Capitolio habitaret: domum enim ibi habebat, vbi quondam ædes Monetæ fuit. Nunc quidem illud vltimum sceleris refugium est: ciuis sum, liber sum. Adulteratur quis, liber sum: homicidium patrat quis, liber sum: sacrilegus est, liber sum: peculatum admisit, liber sum: quasi nihil aliud sit liberum, aut ciuem vocari, quàm adulterum, homicidam, sacrilegum, peculatus reum esse. Vel puerum ergo septem annorum (quod Plato in rebus clarissimis facere solebat) accersamus: qui communi naturæ luce & notione, non aliam, quàm dicimus, veræ libertatis vim & natura esse recognoscet.

Formam igitur & tanquam ſpeciem veræ libertatis, Chriſtiani habemus: quæ ſi oculis cerneretur, mirabiles in vobis excitaret ſui omníſque virtutis ac honeſtatis amores. Ad cuius exemplum quæ Reſpub. ſe compoſuerunt, illæ veræ liberæ ſunt, libertatem caſtiſsimam virginem complectuntur: contrà, quæ ab hac forma diſcedentes, licentiam inſidioſam meretriculam conſectantur, ſeruiunt miſerè. Et illæ quidem, quæ veram ſequuntur libertatis formam, verè liberæ ſunt, felices ſunt, veram religionem, iuſtitiam, pacem, concordiam, rectum ordinem, diſciplinámq; colunt, diuturnæ ſunt: ſeruient nunquam, imperabunt potiùs, diuites, & illuſtres erunt, manus ad earum felicitatem homines in cœlum ſufferent. Illæ ſine fuco externo, ſe ſuo commendant colore: timebunt nunquam, trepidabunt ad ſubitas incurſiones hoſtium nunquam. Probauit hoc quõdam Iudæa, probauit Sparta, probauit Reſpub. Romana, probat nunc populus Venetus, probat Hiſpania, probat (& vtinam probet ſemper) Polonia. Ex aduerſo quæ cum his legibus pugnant, & neque rectæ rationi, quæ eius prima lex eſt, parent, neq; legibus ſubſunt, neq; magiſtratibus obtemperant, diſciplinam excludunt, ornamenta admittunt nulla, præſidiis neceſſariis carent, vni parti ciuium aſſentantur potiùs quàm illis fauent, malos tuentur, bonos deſerunt, aut produnt potiùs, hæ inopes miſeræque ſimul, miſerabile (vt Poëtæ verbis vtar) tranſigent ævum, domi diſcordes & turbulentæ, foris nullæ, fluctuabunt, tumultuabuntur diſcordiis, ac diſſenſionibus ciuilibus conficientur, tantò fœdiùs ruent, quãtoq; magis diutiúsq; libertate abuſæ fuerint: extremam enim licentiam, extremã conſequi ſeruitutem ſapientiſsimi docuerunt homines. Tales Reſpub. vindicis omnis ordinis & diſciplinæ Dei decretũ audient: Seruies inimico tuo in fame, & ſiti & nuditate, & omni penuria, & ponet iugum ferreum ſuper ceruicem tuam, donec te conterat, & gloriam tuam in cinerem cõuertat. Veram igitur libertatem ſequamur omnes, pro hac laboremus ac dimicemus, vitam etiam & ſanguinem, ſi ſit neceſſe, profundamus. Licentiam inſidioſam Sirenem fugiamus. Deus autem pacis & totius libertatis, ex hac terrena & adumbrata libertate ad illam veram & cœleſtem nos transferat, in eáque felices collocet.

Deut. 28.

AMEN.

NVNCIVS SALVTIS,

Siue

De Incarnatione, ad laudem Domini nostri Iesu Christi, eiúsq. gloriosissimæ matris honorem.

AD SERENISS. SIGISMVNDVM III.

Regem Poloniæ. &c. Præfatio.

DVplex fuit semper in omni religione ac Repub. sacrorum ac cæremoniarum ratio, dupléxq; modus; aut enim publica sacra erant, aut priuata. Publica illa, quæ passim à toto & pro toto populo, publico sumptu, vno & simplici ritu peragebantur: priuata, quæ singularum gentium ac familiarum erant, indéq; gentilitia dicebantur; vnde illa duplicia sacrorum iura: duplices ritus ac cæremoniæ, priuatorum, inquam, & publicorum; de quibus cùm aliâs, tum in Pontificalibus libris plurima. Quod idem est, fuítq; semper obseruatum, in ciuitate Dei, ac vniuerso Christiano populo. Sequitur enim hic sacra, religionísq; modum publicum: vbi vna communi forma & regula, eodem ritu, vno corde, vno ore, totus populus per vniuersum orbem fusus, ex eadem ab Apostolis profecta formula, locis & temporibus statutis, circumstantiis item, cantu, hymnis, psalmis, ac verbis conceptis, Deum colit ac veneratur, nihil de suo addens, detrahens nihil. Officium id publicum, sacris ac ritualibus libris consignatum & notatum, vocant. Habent item singulæ prouinciæ ac gentes, suos quosdam priuatos & peculiares ritus, priuata sacra & cæremonias, quas certis & definitis, quæ à publicis sunt sacris libera, temporibus, nihil de publico cultu immutantes, aut contaminantes, sanctè & piè obeunt ac conseruant; vt ita & vna sit sponsa Christi: vna dilecta eius: vna columba eius: vnica matri suæ; & nihilominùs circumdata varietate, vnus cantus: vna pictura; sed variis coloribus & sonis distincta. Sunt hæc eadem omnia in hac ipsa nostra Sarmatia, hócq; ipso regno; quod tu diuinitus, cùm propter alias præstantissimas tuas virtutes, tùm præcipuè propter eximiam pietatem, auitæq; studium religionis, quam paternis regnis, ipsíq; paternæ charitati, toties maximo animo antetulisti, nunc prehendis: & vtinam diutissimè teneas. Amplectitur

enim communem Eccleſiæ Catholicæ cultum, ab ipſis Apoſtolis inchoatum: à ſanctis Patribus auctum & locupletatum: à ſacroſancta Tridentina Oecumenica Synodo confirmatum & reſtitutum: & vtinam conſtanter & concorditer ſequatur. Sunt enim quidam homines inobedientes, ſuíq; ipſorum amantes; qui omnia contaminant, omnia miſcent, ac niſi quid de ſuo addant, morituros ſe putant: quibus id demùm placet, quod publica autoritate damnatur: id diſplicet, quod catholicum eſt, quod cũ publica religione coniunctum, quod à ſummis Eccleſiæ capitibus iubetur: qui frugibus inuentis, glande veſcuntur, qui ad ollas Ægypti iterum reſpiciunt: qui dum veram & ſynceram antiquitatem impugnant, maximos ſe antiquitati zelatores eſſe putant: qui, quod antea priuſquam interdictum eſſet, deſpiciebant; hoc demùm vbi publica autoritate abrogatum eſt, ſequuntur, laudant, hácq; potiſsimùm ratione, ſi inobedientes ſint, obſequium ſe Deo præſtare putant. Verùm miſſos faciamus iſtos. Vt autem nos eum ipſum publicum cultum, de quo dixi, ſecuti ſumus; ita & priuata quædam ſacra, & cæremonias à maioribus noſtris ſanctiſsimis & pientiſsimis viris inſtitutas amplexi, firmiter perſequimur, ac obſeruamus. Multa quidem illa & varia, prout pietas gentis tum temporis tulit: maximè tamen ea, quæ ad beneficium incarnationis & conceptionis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſpectant, honorémque beatiſsimæ matris illius pertinent, incredibili quadam deuotione complexi ſumus: ac vſq; adhuc conſtantiſsimè inter tot hæreſum ac impietatis fluctus tuemur. Summa illa vtraque: nam incarnationis Saluatoris noſtri beneficium illud eſt, in quo (vt inquit Damaſcenus) ſummè demonſtratur, ſimul bonitas & ſapientia, iuſtitia & potentia Dei atq; virtus. Bonitas quidem, quoniam non deſpexit proprii plaſmatis operiſq; ſui infirmitatem, ſed miſertus illius cadentis, ei benignam porrexit manum. Iuſtitia verò, quòd homine victo, non per alium, quàm per hominem, fecit vinci tyrannum. Sapientia, quòd rei difficilimæ curandæ inuenit modum ac remedium conuenientiſsimũ. Adhæc potentia, ſiue virtus infinita: quid enim maius eſt, quàm Deum fieri hominem? Per eandem quoque incarnationem omnium creatarum partes in diuina perſona eleuari voluit. Nam, cùm in vniuerſa natura quatuor rerum gradus atq; ordines reperiantur: primus, non habentium vitam, vt lapidum: ſecundus, habentium quidem vitam, ſed ſine ſenſu tamen, vt plantarum & virgultorum: tertius, viuentium vitam, ſed ſenſitiuã tantùm, vt brutorum: quartus, viuentiũ vita mentis & intellectus, vt angelorum, & hominũ. hęc omnia in vno eodémq; inueniũtur homine, & ideò à quibusdam μικρόκοσμος, id eſt, minor ac in compendium redactus mundus, appellari ſolet. Homo ipſe, inquit Gregorius, nomine omnis creaturæ intelligitur. Dum igitur Deus homo fit, carnémq; aſſumit; omnium creaturarum partes & ordines in ſua perſona extollit. Verùm in hoc loco omnis oratio infans & muta eſt. De virgine autem ſancta, quid amplius dicã, quàm illam ipſam matrem Dei eſſe, eámq; benedictam prædicari ab omnibus generationibus debuiſſe? Quod futurum longè antè plena Spi-

ritu

ritu ſancto ipſa prædixit: Fecit enim illi magna, qui potens eſt,& ſanctũ nomen eius. Cuius orationes & merita, huius regni, contra tot feras & barbaras gentes, à quibus vndiq; cinctum & obſeſſum eſt, propugnaculum ac peculiare quoddam præſidium eſſe, pius & acer quidam dixerat Hiſpanus: quam tamen non vt deam, quod falsò hæreſis iactat: ſed vt matrem Dei colimus ac veneramur. Docti enim ſumus cœlitùs ab Angelo, eam benedictam eſſe inter mulieres, & benedictum fructum ventris eius. Memores illius Hieronymi: Nulli dubium eſſe, quin totum ad laudem & gloriam pertineat Dei, quicquid dignè genitrici ſuæ impenſum fuerit. Et Bernardi ſimiliter: Quicquid in laudibus matris proferimus, ad filium pertinere. Et rurſum: Cùm filium honoramus, à gloria matris nos non recedere. Et quamùis hanc ipſam ſacrorum partem de qua dixi, quotidie ſanctè & piè obeamus, eáque vtamur; maximè tamen, & præcipuo quodam cultu, illo ipſo ſacro aduentus tempore, quo idem argumentum tractat ac recolit vniuerſa Eccleſia, id factitamus. Idq; ea ratione & modo. Noctu ante lucem congregatur in Eccleſiam frequens populus; noctis illius & tenebrarum, in qua ante incarnatum Verbum verſabamur omnes, rationem omnem, & conditionem deſignans. Accenduntur varia & multiplicia lumina, lumen naturæ, philoſophiæ, & legis ſcriptæ referentia: quæ, etſi vtcunq; in ea regione vmbræ mortis lucebant, diem tamen non efficiebant; nondum enim erat orta lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Etſi enim, inquit Clemens Alexandrinus, omnes ſtellæ luceant; dies tamen non eſt, vbi ipſe ſol non exoritur neque luceſcit. Prophetiæ item, deſideria ac gemitus patrum leguntur, ac recenſentur, roris cœleſtis irrigatio (vnde ſacro Rorate nomen eſt) Iſaiæ verbis cœlitus imploratur. Non, quòd nouum (vt impudenter hæreſes calumniantur) cum Iudæis Meſsiam expectemus; ſed vt pro præteritis beneficiis æterno Patri gratias agamus: &, vt nunquam tanti beneficij ex animis & ore hominum decus ac memoria excidat. Lectiones tã noui quàm veteris teſtamenti, quibus ſumma incarnationis verbi continetur, clara & illuſtri voce ad populum recitantur: Hymni, & pſalmi cantantur; eodem ferè modo, quem iam Traiani temporibus vſitatum fuiſſe populo Chriſtiano, ipſe non Chriſtianus Plinius minor refert: qui eos ſtato die ante lucem conuenire, carménq; Chriſto, quaſi Deo dicere ſecum inuicem; ſéq; ſacramento, non ad ſcelus aliquod, obſtringere; ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerentur, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent, Traiano ſcribit. Ad quam tàm raram, tam illuſtrem, tam piam Panegyrim exornandam, cùm alii alia conferant: aurum alii: ſacras veſtes alii: thus & cereos nonnulli; ipſe pro mea tenuitate, hácque afflicta valetudine, flores fero: in honorémq; Chriſti incarnati, eiúſq; beatiſsimæ matris, quaſi ex voto, hoc ipſum ex doctiſsimorum patrum hortis decerptum ac contextum ſertum, & coronam, illi dico: hanc tabulam & anathema in templo eius religiosè ſuſpendo; precibus & meritis illius me, capútq; meum afflictum commendans. Te autem

tẽm, SereniſsimeRex, potiſsimùm compellandum cum talibus donis eſſe duxi. Primùm, ne ad tantum regnum prehendendum venientem, vacuis manibus ſalutem: ſed vt, vel flores,& ramos ipſos in illius occurſum ſpargam. Deinde, quòd hæc talia munera, regem adoleſcentem maximè exornent, atque commendent, ſi tali corona ſe, temporáq; ſua redimiat, ac in lege Domini meditetur die ac nocte.Et quod rei caput eſt,quòd eorum ſacrorum cùm multos alios præclaros duces, tùm præcipuè maiores tuos viros diuinos habeamus; ac inprimis illum immortalis memoriæ virum Auum maternum tuum D. Sigiſmundum Primum: qui & ipſe beatiſsimæ virginis Mariæ ſtudioſiſsimus, honoríſq; illius obſeruantiſsimus fuit: qui in ſummo ac principe Regiæ ſuæ templo, pro ampliſsimis ex multiplici genere hoſtium, Moſcis, inquam, Tartaris, Moldauis, Pruſsis, victoriis, aliísque feliciſsimis regni ſui ſucceſsibus, varia monimenta, & quaſi trophæa quædam ad omnem poſteritatem erecta, reliquit. Inprimis autem illud admirabili opere, marmore vario, auro & gemmis pretioſis, incredibili ſumptu, celeberrimum ſacellum, in honorem eiusdem beatiſsimæ virginis extruxit; quod inter ſeptem illa,quæ mundus dilaudat miracula, referri iure poſsit: honeſtiſsimum collegium ſacerdotum fundauit: cantores ac muſicos omnis generis inſtituit:ad Mauſoleúmq; & vrnam ſuam quotidie pérpetuis temporibus hoc ipſum, de quo diximus, ſacrum, antelucano tempore, variis ac multiplicibus ſonis, & concentibus celebrari iuſsit. Eiusdem deuotionis habemus ducem etiam hanc ipſam Annam Iagelloniam Materteram tuam, fœminam lectiſsimam ac pientiſsimam; quam Deus omnipotens regni huius temporibus neceſſariis vſque adhuc ſeruare dignatur,& vtinam quàm diutiſsimè ſeruet:quod regnum illa precibus continuis,ſtudio & meritis ſuis,iuuare nunquam deſinit: quam Deus in eum honorem creſcere fecit, vt regis filia, & ſoror, & coniunx ſimul eſſet;& nunc duplici regno auctum nepotem videat. Neque quorumque regum; ſed illorum,ex quibus pater quidem illud aliquando teſtimonium retulit: Non ſurrexiſſe maiorem Regem in diebus ſuis. Maritus autem propter virtutis & induſtriæ magnitudinem,nedum quidem par dignitati ſuæ elogium inuenit. Quæ quidem Anna, Deum immortalem, quantum eundem ipſum locum, de quo loquuti ſumus, auxit & exornauit! Magnã partem fortunarum ornatúſque ſui regii ad eum illuſtrandum contulit: latum & diuitem fundum addixit:vaſa pretioſiſsima intulit: veſtes,in quibus ars cum materia certat,admirandas comparauit;vt quod apud externas gentes in hoc genere miremur, nihil nobis amplius reliquiſſe videatur. Te quoque ipſum præſtantiſsime Adoleſcens, miro ſtudio matris Dei teneri ab omnibus audimus,& gratulamur: quod vt porrò etiam atq; etiam facias, ac quemadmodum regni, ita & ſacrorum hæres ſuccedas, in eadémq; ſacra tranſeas,obſecramus. Quod tamen iã à primis cunabulis te feciſſe,ac etiam nunc omiſsis hæreticorũ fraudibus,conſtantiſsimè tueri cognouimus.Quod reliquum eſt pietatẽ ante omnia colas:bona ſtudia, eorũq; cultores diligas: voluptatẽ,in cuius regno nullus eſt locus virtuti, fugias: res gere, intende proſperè, procede, & regna.

NVNCII SALVTIS, SIVE DE INCARNATIONE, Sermo Primus.

Missus est Angelus Gabriel a Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen Ioseph, de domo Dauid, & nomen virginis Maria. Lucæ 2.

VErtamus ergo aratrum, idémque iteremus nouale, ac nouam inchoëmus vertētis anni agriculturam. Redit enim hoc tali tempore Ecclesiæ populóque Christiano nouum ver, noua aratio, noua cultura, vnde ille solet inchoare sua omnia. Hinc rem diuinam, sacrosanctúmq; altaris cultum: hinc sacerdotum preces ac supplicationes: hinc cæremonias: hinc denique eam, quæ ad populum fit doctrinam, orditur. Cuius quidem sui instituti idem facit fundamentum, quod & totius salutis initium est; Incarnationem scilicet, ac descensum de cœlo Domini nostri Iesu Christi: qui, cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed formam serui accepit: & habitu inuētus vt homo. Et merebatur quidem hoc tale beneficium, quod tantum est, vt nullo vnquam temporis spatio satis laudari ac prædicari possit, vt solùm toto celebraretur anni decursu: nisi cætera quoque, quæ ex primo hoc & summo promanant, beneficia, aliquam sibi meritò eiusdem temporis vendicarent partem. Quemadmodum enim nulla pars præteriti, ante incarnatum verbum, æui fuit, quo non tot signis, figuris, cæremoniis, vaticiniis, votis, ac desideriis, hoc tantum testatum, ac repræsentatum arcanum esset; sic eodem modo, & longè magis, sequenti omni ætate, in omnem æternitatem nunquam eius memoria ac veneratio ex piis pectoribus debuit aboleri. In huius spe ac expectatione Adam & Eua, primi parentes nostri, æuo & laboribus fessi, quietè & iucundè dormierunt. in huius desiderio Noë aquas diluuii superauit: in huius fide, pater omnium credentium Abraham, contra spem in spem credidit, filium suum obtulit, in eiúsq; die exultauit: in huius amplexu Iacob collectis pedibus suis mortuus est, illo vitæ suæ epilogo facto: Expectabo salutare tuum Domine. addit Rabbi Ionatan in suo Thargumo: Non expectabo salutare Gedeon filii Ioas, quæ est salus temporalis; neq; salutare Samson filii Manuë, quæ est salus transitoria; sed expectabo salutare Messiæ filii Dauid: hunc expectat anima mea, donec veniat desiderium collium æternorum. Huius aduen-

Exod. 13. aduentum desiderat Moyses: Mitte Domine quem missurus es. Et Dauidis quidem illa violentiora vota sunt: Inclina cœlos tuos Domine, & descende, id est, sublimitatem tuam, quæ humiliari non potest, magnificè humilia: Deúsque perfectus existens, perfectus efficiaris homo. Vtinam disrumperes cœlos (si ea vis illorum est, vt te arceant) & descenderes. *Psa 84. & 79.* Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Excita potentiam tuam, & veni, vt saluos facias nos: Deus conuerte nos: *Psalm. 101.* ostende faciem tuam, & salui erimus. Tu exurgens misereberis Sion, quia *Isa. 45.* tempus miserendi eius, quia venit tempus. Isaiæ similiter: Rorate cœli desuper. id est, benignum rorem fundite, illum, inquã, de quo paulò post: *Luc. 1.* Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. & nubes pluant iustum, aperiatur terra & germinet saluatorem. Vbi est zelus tuus & fortitudo tua? vbi multitudo viscerum & miserationũ tuarum? *Daniel. 9.* Daniel eodem modo: Exaudi Domine, placare Domine, attende, & fac ne moreris propter temetipsum. Vt igitur nulla pars præteriti, vt diximus, temporis fuit, quo non tantum beneficium coleretur; ita certè nulla eodem modo in posterum esse debet, in qua pro tam eximio munere nõ suæ instituantur gratiarum actiones. Quod fecit facítque semper, non vno aliquo die, sed omni planè, potissimùm autem hoc sanctissimo, huic ipsi rei dicato, aduentus tempore, Christianus populus: non quòd cum Iudęis, vt hæresis mentitur, nouum Messiam expectet, nouáque pro venturo instituat vota; sed vt pro quæsito iam beneficio gratias agat: eiúsque sempiternam memoriam reuocet: desideria patrum repræsentet, indéque se ad maiorem gratitudinem excitet. Quod Ecclesiæ sanctæ institutum sequuti, & nos hoc idem agemus: in eodémque incarnationis argumento, quantum homini licebit, cum timore tamen & tremore, versabimur. Quid enim aut sublimius, aut vtilius, tali tempore tractari possit, non videmus: namque hoc argumentum, fert Dei cum hominibus coniunctionem: adoptionis nostræ dignitatem: imaginis reformationem, ac in melius profectum: in cœlos exaltationem, atque ascensionem. Verùm cùm hæc humeris mortalium sublimiora sint, nefásque tanta mysteria homini curiosè scrutari: nefas seruum arcana secretioris cubiculi ingredi; ideò & nos ea sola in medium adferre in hoc genere duximus, quæ cœlitus ab ipso Deo, per summum angelum matri Dei, quæ tanti operis instrumentum, & arca sanctissima fuit, ex superna curia allata ac explicata, nobísque hoc tempore ab Ecclesia proposita sunt. Quis enim aut maiora aut certiora tentare ausit? nullus locus hîc humano relinquitur ingenio, nullus experimento; ex sola diuina pendent hæc omnia operatione atque virtute: parúmque pudici pectoris est, plura velle posse in hoc genere cognoscere, quàm aut cœlesti nuncio, aut ipsi matri impertitum est. Quod his creditum non fuit, credetur profectò nemini: aut quod isti non capiunt, quis
» capiet? Quod natura, inquit Hieronymus non habuit, vsus nescíuit, i-
» gnorauit ratio, mens non capit humana; pauet cœlum, stupet terra, cre-
» atura etiam miratur omnis cœlestis, hoc totum est, quod per Gabrielem

Mariæ

Mariæ diuinitus nunciatur, & per Christum adimpletur. hácque cœlesti legatione ac nuncio tota redemptionis summa, vt inquit Beda, continetur: cœlum aperitur: terra regem vniuersi clanculum excipit: miserationum Pater humanam deformitatem vnico filio suo despondit: Pater omnis gloriæ humani generis misertus, corruptam in Adamo naturam, propitius intuitus est: Misericordia & veritas obuiauerunt sibi mutuò, iustitia & pax osculatæ sunt. Neque tamen hoc solùm nunc cœlitus adfertur, quod tamen ipsum per se ingens est, matrem virginem, verbum carnem, Deum hominem factum esse; sed summa simul totius fidei nostræ (quæ adhuc orbem latuit) cœlitus ab Angelo mundo credenda admirandaq; proponitur, vnius, inquam, & trini Dei clara & distincta confessio, illis Angelicis verbis: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: ideóq; & quod nascetur ex te sanctũ, vocabitur filius Dei. Vbi cernis virtutem altissimi, spiritum sanctum, filium Dei, clarè & distinctè, vt nunquam antea, nominari, ac toti orbi terrarum, vnius & trini Dei fidem & doctrinam cœlitus promulgari. Magni igitur nuntij tempus, summæ legationis mysterium est: tamen ad maiestatem tanti argumenti illud sufficit, quod Athanasius caput negotij esse dicit, nempè, hîc de filio Dei, eiusque de cœlis in terram descensu agi. Quo loco liceat mihi poëtæ christiani verbis, Spiritum sanctum tanta mysteria & obumbrantem, & aperientem alloqui. *Psalm. 84.* *Lucæ 1.*

Qui mare, qui terras, qui cœlum numine comples
Spiritus alme, tuo liceat mihi munere regem
Bis genitum canere, è superi qui sede parentis
Virginis intactæ gnuidam descendit in aluum,
Mortalesq; aurus hausit puer; vt genus vltus,
Humanum eriperet tenebris, & carcere iniquo
Morte sua, manesq; pios inferret Olympo.

Te verò sancta parens, principis veteris Græciæ Theologorum Gregorij verbis alloquar.

Venerãda, ô virgo casta, felicissima,
Quando beata nunc beatorum in polo,
Exuta quicquid fecis humanæ, sedes
Æternitatis pallio ornata, vt Dea
Habita, senectæ expers; supremo ex æthere
Benigna adesto vocibus meis: preces
Admitte, virgo ô inclyta, hîc quando tibi
Verbi parenti, sed supra modum tamen,
Legemq; solus inter omnes contigit
Honor. Ego fretus his, tibi me audentius
In verba supplex offeram, & suauissimo
Contextam ab horto, qua tuum exornem caput
Coronam, ô domina proferam; vt quæ gnitia
Modum supra omnem, me tua semper leuans,

Gregorius in Christo patiente.

Me genere quouis casuum eruis omnium:
Hostes apertos, quodq; longè maius est,
Illos latentes, machina qui me petunt
Auertis.

Septuaginta igitur hebdomadibus notissimis illis, super genus mor-
Daniel. 9. tale abbreuiatis, vt inquit Daniel, vbi tempus cunctis desideratum seculis, atque gentibus aduenisset: vt consumaretur præuaricatio: vt finem acciperet peccatum: vt deleretur iniquitas: vt adduceretur iustitia sempiterna: vt impleretur visio & prophetia,& vngeretur sanctus sanctorum (quod quidem totum tempus pædagogum ad conuersionem vocat Damascenus; vt cognosceret mundus,quanta vis sit peccati: quanta iræ diuinæ grauitas: quanta seueritas vindictæ.) designat pater omnipotens nuntium & legatum, cum tot desideriis expectato nuntio, ad virginem Iessæo semine oriundã, nouam scilicet progeniem cœlo demittendã alto, Deum ex cœlo:Deum hominem: Deum super terram: Deum inter homines futurũ; eius autem cœlestis germinis,non aliam quàm eam ipsam,ad quã nuntius mittitur,virginem futuram matrem.Cuius tàm inusitati,tàm noui nuntij, ac legationis, Lucas Euangelista, rationem ac seriem hũc in
M modum describit; vt primùm ipsius legationis, atque nuntij expeditio, ac circumstantiæ describantur omnes; deinde ipsa legatio, eiusque perfunctio; demùm effectus ipse. Quibus partibus tribus vniuersa huius legationis ratio concluditur, quod totum quale sit, paucis expendamus. Primùm igitur summam omnesque circumstantias ipsius legationis consideremus, in quà nulla pars relinquitur eorum adiunctorum,quibus maximæ legationes constare solent; temporis, inquam, loci, personarum, mittentis, & eius qui mittitur, & ad quam fit missio: quæ singula qualia sint, diligentius videamus.

In mense igitur sexto, postquam prægnans effecta Elizabeth, Ioannesque futurus præcursor domini conceptus est: postquam venit plenitudo temporis, mense Martio, quo item totam vniuersitatem rerum constitutam, hominemque primum creatum esse, testatur Athanasius: quo mense renouari incipiunt omnia,quo eodem tempore,sexta diei hora, hic ipse nasciturus Emmanuel, vt ita vltima respondeant primis, mor-
Lucæ 1. tuus est: mittitur Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen erat Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Iozeph, de domo Dauid, & nomen virginis Maria: vt quondam missus est serpens ad desponsatam Adæ, cui nomen erat Eua. Mittitur autem Angelus, non seipsum ingerit, quod malignorum spirituum & hæreticorum est proprium: Mittitur autem non quiùis Angelus, sed Irenæo quidem Archangelus Dimiurgi: Andreæ Ierosolymitano, vnus è præcipuis Angelis: Cedreno,Angelorum princeps,maximam diuinitatis lucernam, & totius orbis non occidens luminare, ad arcanorum futura mysteria introducens: Pantalæoni, diuinissimus Angelus ab omnipotente missus, pronubus verbi, gerẽdi belli præpositus: Gregorio, summus Angelorum

summa

ſumma nuncians: Bernardo, nuncius cum Deo & homine: Theophilacto, Deum & hominem ipſo nomine ſonans. Seruum ſeniorem domus ſuæ, mittit Abraham accipere vxorem Iſaac filio ſuo. Dignum autem erat, inquit Gregorius, ad hoc myſterium ſummum Angelorum venire, qui ſummum omnium venire nuntiabat. Mittitur Gabriel, id eſt, fortitudo Dei; qui dominum virtutum, potentem in prælio, accinctum gladio, venire nunciabat: & qui eam generationem prædicebat; quæ omnem vim naturæ excedens, ipſius virtutis & fortitudinis diuinæ opus eſſet. Idcircò enim, inquit Gregorius, Angeli priuatis nominibus cenſentur; vt ſignetur per vocabula, etiam quod in operatione valeat. Neque enim in illa diuina ciuitate vllis nominibus opus habent; in qua ex natura & luce diuina, non ex nomine, cognoſcuntur. Itaque ille, qui curandi Tobiæ cauſa miſſus fuerat, Raphaël, hoc eſt, medicina Dei dicitur: quemadmodum hic, qui virtutis partum nuntiat, virtus & fortitudo appellatur Dei. Mittitur autem, à Deo ipſo, non ab aliquo ſuperiore Angelo, (quod tamen aliquando factum eſſe legimus) ne cui vel beatorum ſpirituum, antè quàm virgini ſuum Deus reuelaſſe putetur conſilium; vt noua gratia, noua liberalitas & munificentia ſoli virgini primùm declaretur. Mittitur autem à tota trinitate hic nuntius, cuius omnia opera, in his quæ extra operatur, communia ſunt. Nam & patri incumbebat prouidentia, de filio ſponſaque ac genitrice eius: & ipſi filio de templo & tabernaculo ſuo: & Spiritui ſancto tanquam paranympho & obſtetricanti de nouo & inuſitato partu. Sed quomodo mittitur à Deo, ſi Dominus (vt paulò poſt dicet Angelus) cum illa eſt? Quia quę à Deo ſunt, ordinata ſunt: & quæ ipſe poteſt per ſe præclarè perficere; illa per media facere ſolet. Ille ipſe ægros curat; ſed manu medici: ille terras fœcundat; ſed opera agricolæ: ille victorias dat; ſed ſudore & labore militis: ne eorum tantùm quæ alienæ actioni ſubiecta ſunt, & non agunt; ſed & eorum: idq; multò magis, quę agendi vi ſunt prædita (quod docebat Plotinus) ſit Deus & Dominus; quod hæretica Babylon, vel non videt, vel videre non vult. Mittitur autẽ in ciuitatem Galilææ, quæ confinis tàm Iudææ quàm gentibus fuit: quia vtriq; genti, hic ipſe puer ſalutẽ allaturus, adueniebat. In ciuitatem, cui nomen Nazareth: quod nomen à ſeparatione, cuſtodia, ſanctificatione, flore deducunt docti. Conueniebat enim eum qui natura ſanctus eſt, in loco ſanctificationis concipi: florem campi ex radice Ieſſæa, ex virga rectiſsima, & ſine omni nodo fœcundiſsima oriundum, in florem cœlitùs demitti; florem, inquam, pulcherrimum: florem ſuauiſsimum: florem ſaluberrimum: florem cordis ipſius omni lilio nitidiorem: omni roſa pulchriorem: omni balſamo fragrantiorem. Qui quidem flos, in conceptione floruit: in natiuitate apparuit: in paſsione emarcuit: in reſurrectione refloruit: fructum dabit in gloria. Voluit autem Deus nuntium præcurſoris Ieroſolymis in templo, filij autem ſui in Nazareth vili oppido, in abdito virginis conclaui explicari; non quòd in ea legatione aliquid ſtultum mundi contineretur, vt putat rei tantæ deprimendæ ſtudio Cal- *Geneſ. 24.*

uinus, (ſunt enim hîc ampliſsima omnia) ſed Oeconomiæ potius cauſa. Prius enim aurora exoritur, quàm ſol ipſe in publicum ſe profert: prius vox ſonat, quàm verbum prodit: prior & notior præcurſor & προάγορος ſuo rege: teſtis, illo, cui teſtimonium reddit. Tum quod tanta eius legationis ſublimitas eſſet; vt eius cognoſcendæ populus ſubitò capax eſſe non poſſet. Nam ſi Zacharias ad nuntium de ortu Ioannis filij obſtupuit; ſi virgo nunc turbatur; quid multitudo imperita in tam incredibili ac inopinato feciſſet nuntio? Mittitur autem Angelus, ad angelicam vitam ducentem; vt ſit conueniens noſtræ reparationis principium noſtræ perditionis principio: vt ſcilicet Angelus à Deo ad virginem partu conſecrandam diuino mitteretur: quemadmodum olim à diabolo ſerpens miſſus fuit ad virginem Euam, noſtri fundi calamitatem, ſpiritu ſuperbiæ decipiendam. Proinde illa ſerpenti credens libidine corrupta eſt; hæc Angelo credens virgo ſeruatur: vt filij Euæ, qui ex corrupta naſcerentur corrupti; per filium virginis, qui ex incorrupta natus eſt, ſaluarentur, liberarentur, & ſanctificarentur. Quod præclarè explicat Ire-
» næus: Seducta eſt male, inquit, illa, quæ iam viro deſtinata erat virgo
» Eua: per veritatem euangelizata eſt bene ab Angelo iam ſub viro virgo
» Maria. Quemadmodum enim illa per Angelicum ſermonem ſeducta eſt,
» vt effugeret Deum, præuaricata verbum eius; ita & hæc, per Angelicum
» ſermonem euangelizata eſt, vt portaret Deum, obediens eius verbo:
» & ſicut illa ſeducta eſt, vt effugeret Deum; ſic hæc ſuaſa eſt obedire Deo,
» vt virginis Euæ, virgo Maria fieret aduocata. Addit Epiphanius: Eua
» mortis cauſa facta eſt hominibus; per ipſam enim mors ingreſſa eſt in
» mundum: Maria verò cauſa vitæ, per quam genita eſt nobis vita, & per
» hanc filius Dei acceſsit in mundum: & vbi abundauit peccatum; ibi ſu-
» perabũdauit & gratia; vt vita pro morte fieret: & qui per mulierem no-
» bis vita factus eſt; mortem ex muliere inductam excluderet: & quoniam
» illic Eua, cùm adhuc eſſet virgo, per inobedientiã tranſgreſſa eſt; è con-
» trario per virginem obedientia gratia facta eſt, annuntiato aduentu in
carne de cœlo, & vita æterna. Mittitur autem ad virginem hic talis nuntius, non fruſtra, ſed magnas & graues ob cauſas: partim vt priùs mens virginis verbo inſtrueretur, quàm illud carne conciperet; felicior enim fuit virgo percipiendo fidem Chriſti, quàm concipiendo carnem eius, inquit magnus Auguſtinus: partim vt poſsit eſſe certior teſtis tanti ſacramenti, de quo eſt diuinitus inſtructa: partim propter ſpontaneum & voluntarium conſenſum, ſine quo nec bonum nec malum quidquam poteſt eſſe, & ſine quo Deus nihil in homine operari ſolet: contra quàm falsò iudicat hęreſis: partim vt oſtenderetur hoc ipſum eſſe quoddam ſpirituale matrimonium, inter filium, inquam, Dei, & humanam naturam, cuius per hoc & tale nuntium expectabatur conſenſus, virgine, loco totius humanæ naturæ, cõſentiente, ac beneficium cœleſte ſubmiſsè, ac reuerenter amplectente. Mittitur ergo Angelus ad virginem: virginem, inquam,

mente,

mente, & animo: virginem affectu & propoſito: virginem voto: virginem corpore & ſenſu: virginem ſermone: virginem moribus, ac omni vita & opere. Cuius dotes & laudes, cum vna aliqua, aut oratione, aut imagine; neque ſcriptura, neque eccleſia, neque ſancti patres, digne exprimere potuiſſent: illa multiplici imaginum, adiunctorum & ſimilitudinum congerie exprimere conantur; dum illam matrem pulchræ dilectionis, propter excellentiam & dignitatem vocant: electam vt ſolem, pulchram vt lunam, propter ſingularitatem atque claritatem: cupreſſum, cedrum, palmam, lignum paradiſi, aciem ordinatam, propter robur, diuturnitatem & ſtabilitatem: lilium, roſam, florem campi, propter candorē & odoris fragrantiam: puteum aquarum, fontem ſignatum, hortum concluſum, virgam Aaron, propter fœcunditatem: rubum ardentem, nuſquam tamen aduſtum, ſpeculum ſine macula, vellus Gedeonis, arcum fœderis, portam clauſam, ſoli Deo apertam, propter puritatem & integritatem: ciuitatem Dei, portam cœli, thronum & arcam Dei, domum excelſi, templum ſanctum, aulam regis, thronum Salomonis, cœlum gaudij, montem obumbrantem, montem Dei pinguem, coagulatum, montem iucundum, montem in quo Deo habitare placuit: candelabrum aureum ſeptem lychnorū, turrim Dauid, propter Dei in ea habitationem: arcam Noë, præſidium ac portum ſalutis, ſtellam maris, propter confugium. Adde illam innumerabilem, quæ à ſanctis patribus ei tribuuntur epithetorum copiā: triclinium trinitatis: ſacrarium ſpiritus ſancti: cœleſte tabernaculū Dei: myſticarum ſecretarium nuptiarum: ſponſam Trinitatis: parentem parentis: fontem fontis viui: originem principij: creatoris matrem: incircumſcripti circumſcriptionem: nutricem omnia nutrientis: cuncta comprehendentis comprehenſionem: geſtatricem eius, qui ſuo verbo portat vniuerſa: paradiſum ſecundi Adami: ſanctam virginitatis tellurem, ex qua nouus Adam, noua fictione formatus eſt, qui veterem ſaluti reſtituit formam: matrem viuentium: gloriam luti noſtri: præclaram naturæ noſtræ coronam: ſolis gloriam: fontem lucis omnem hominem illuminantis: ſolis ortum, nullum ferentis occaſum: abyſſum gratiæ: mare curationū: mare ſpiritale: gratiarum pelagus: arcum fœderis: vitem veritatis fœcundiſsimam, & quoad virginitatem nunquam vindemiatam, nec vnquam manu humana foſſam: nubem cœleſtem Spiritu ſancto coruſcantem: ſacram & animatam arcam Dei viuentis, manna cœleſte continentem: aurum purum: thronum Cherubico ſplendidiorem: cathedram Cherubicam: lucernam ardentem: vrnam auream: animatum altare panis vitæ: clibanum intellectualem, qui panem vitæ peperit: ſacrum Dei fermentum: theſaurum diſpenſationis: armarium vitæ: Dei ſplendidiſsimum & luculentiſsimum vas: admirabile opus excelſi: purpuram regis: templum maius cœlo: volumen nouum, in quo ineffabile Dei verbum inſcriptum fuit: purificātis carbonis forcipem: hortum virentem ſalutis: pratum totius fragrantiæ Spirituſſancti: hortum deliciarum: agrum ampliſsimum: ſpecioſiſsimi floris radicem: Bethleemicam

„ micam illam ciſternam, quam veluti vitæ reductricem Dauid deſidera-
„ uit: telam, ex qua, & in qua ineffabili quodam modo admirabilis illius
„ vnionis tunica eſt contexta: Angelorum gloriam: mortalium vitam: fi-
„ delium facem: virginem virginum: matrem matrum: in mulieribus vir-
„ ginem beatiſsimam: reſtaurationem fœminei ſexus, quia per ipſam à rui-
„ na patriæ maledictionis ſunt ſubtractæ: pretioſam margaritam orbis ter-
„ rarum: coronam virginitatis: conſolationem infirmorũ: redemptionem
„ captiuorum: liberationem damnatorum: ſalutem vniuerſorum: dulce-
„ dinem credentium animarum: vnicum leuamen moleſtiarum: omnium
„ cordis dolorũ medicamentum: lętitiæ organum: immenſi cœleſtis gau-
„ dij genitricem: matrem filij vbique regnantis: matrem & virginem: ma-
„ trem vitæ: matrem gratiæ: matrem miſericordiæ: mundi reginã & do-
„ minam: regenerationis heram: ſceptrum rectæ fidei: magnum miracu-
„ lum eccleſiæ, decus, gloriam, & firmamentum: contemplatiuæ cogniti-
„ onis intellectuale ſpeculum: dioptram perſpectiuam, per quam Dei lu-
men perſpicitur. His illa epithetis & aliis multis ab Athanaſio, Ephręm, Cyrillo, Epiphanio, Auguſtino, Ambroſio, Gregorio, Bernardo, Andrea Hieroſolymitano, Epiphanio, Heſychio, Chryſippo Hieroſolymitano, Methodio martyre, Pantalęone, Damaſceno & aliis inſigniri ſolet. Sed & Rabini non obſcurioribus epithetis, hanc regis Meſsię matrem honorârunt. Hanc enim petram primariã vocant, ex qua veluti excidendũ eſſe Meſsiã, prædixit Daniel: hanc primam creaturarum in humano genere, primúmque hominem à peccato prorſus immunem: hanc prophetiſſam, quę cuncta præ cæteris norit, omniúmque prophetarum dominam & magiſtrã: hanc abacum Dei, in quo gloriam maieſtatis ſuæ mortalibus cunctis oſtenderet, appellant. Quorum quidem attributorum illam rationem ad-
„ fert magnus Athanaſius: Quandoquidem ipſe rex eſt, qui natus eſt ex vir-
„ gine, idémq; & Dominus & Deus, eapropter & mater, quæ eum genuit,
„ & regina, & domina, & deipara propriè & verè cenſetur: licebítque no-
„ bis ita congruenter dicere, dum ad ipſam, & ad eum, qui ex ea genitus
„ eſt carniferum filium, reſpicimus. Feneſtra cœli, quia per ipſam, addit
„ Fulgentius, Deus verũ lumen fudit ſeculis. Scala cœleſtis, quia per ipſam
„ Deus deſcendit ad terras, vt per ipſum homines mererentur aſcendere in cœlos. Nihil horum hæreſes, ſed contraria omnia; ſunt enim ex caſtris illius, de quo dictum eſt: Et tu inſidiaberis calcaneo eius. Ad eam igitur tot laudum plenam titulis virginem, Angelus paulò poſt Deo plenam futuram mittitur. Naſci autem Deum ex virgine debuiſſe; & prophetarum oraculis, & Sibyllarum carminibus denuntiatum eſt. Ex prophetis, primus Moyſes, ipſius ſummi creatoris decreta referens, Inimicitias, inquit, ponam inter te, & mulierem & ſemen tuum, & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius. vbi dicit ſemen mulieris, non viri, oſtendit futurum Meſsiam, ex incorrupta virgine, ſine virilis ſeminis commiſtione naſciturum. Salomon deinde, ſapiens dum ſapientiæ pandit conceptus, Lactantio referente inquit: Infirmatus eſt vterus virginis,

Geneſ. 3.

Lib. 4. de vera ſap. cap. 12.

ginis, & accepit fœtum, & grauata est, & facta est in multa miseratione mater virgo. Et ante Salomonem pater eius Dauid: Permanebit cum sole, & ante lunam, in generatione & generationem, descendet sicut pluuia in vellus, id est, sine omni strepitu ac contaminatione: & sicut stillicidia stillantia super terram, cum magna vbertate & fœcunditate. *Psalm. 71.* Sed longè clariùs post istos Isaias: Ecce, inquit, virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. *Esai. 7.* Daniel item: De monte abscissum iri lapidem sine manibus, id est, de virgine, sine omni opera viri, nasciturum cœli regem, ac omnia aurea, ærea, ferrea, testacea regna cõminuturum prædicit. *Daniel. 2.* Sibylla similiter:

Accipe virgo Deum gremio intemerata pudico.
Et paulò post, *Puer inde creatus*
Virgineo partu, mira est mortalibus hæc res.

Sed & veteres illi Rabini, qui ante Christum vixerunt, hoc idem præclarè docuerunt: dum virginem sanctam mundissimæ Sapphiro comparant: quo non solùm intemeratæ virginis gloriam; sed ipsius quoq; omnimodam puritatem designant. Quia sicut Sapphirus, licet ex elemento terreno, opaco & obscuro originem habeat; à sui tamen principio pellucida & clara est; ita immaculata virgo, etsi à parentibus peccato obnoxiis prodiit, à sui tamen initio, absque omni contagione atque macula libera fuit. Probant hoc idem sanctorum patrum conuenientissimæ rationes. Sicut enim lignum vitæ in paradiso natum fuit ex illa terra benedicta, quam nullum aratrum aut rastrum tetigit: ita vera vita Christus, secundùm carnẽ, ex vtero virginali & intemerato, nullo maritali aut virili amplexu intercedente, natus esse debuit. Et quemadmodum primus homo Adam, inquit Irenæus, de virgine, terra, in quam nondum pluerat cœlum, manu Dei ipsius formatus fuit; ita eodem modo alter Adam cœlestis, solo opere spiritus sancti, in vtero intemerato & inuiolato, ex purissimis sanguinibus, homo, virtute altissimi, factus est; vt sic omnes generationis partes compleantur. Nam prima generatio fuit in Adamo, sine viro & fœmina: secunda in Eua, ex viro sine fœmina: tertia in nobis, de viro & fœmina: vltima facta est in Christo, sine viro de fœmina. Quemadmodum enim ipse pater Deus origo & principium rerum, quoniam parentibus caret, & ex nullo est procreatus, ἀπάτωρ & ἀμήτωρ, à Trismegisto verissimè nominatur; ita etiam filium bis nasci voluit, vt ipse etiam fieret ἀπάτωρ atque ἀμήτωρ. Ac in prima quidem natiuitate diuina & spirituali ἀμήτωρ fuit; quia sine officio matris, à solo Deo patre progeneratus est: in secunda verò, humana & carnali ἀπάτωρ: quoniam sine patris officio è virginali vtero procreatus est. Vt enim certum esset à Deo missum, inquit Lactantius, non ita illum nasci oportuit, sicut homo nascitur ex mortali vtroque concretus: sed vt appareret etiã in homine, illum esse cœlestem, creatus est sine opera genitoris. Habebat enim spiritalem patrem Deum: & sicut pater spiritus eius Deus sine matre; ita mater corporis eius virgo sine patre. Conueniebat item, eum, qui in cœlis natus est sine

Anselmus in lib. 2. cur Deus homo.

Li. 4. Institu.

„ matre, hîc naſci in terra ſine patre; ne filius Dei alium patrem haberet
„ quàm Deum: ne dignitas Dei patris transferretur ad aliũ: ne vnus, vt ait
„ magnus Baſilius, duobus natus eſſe putaretur parentibus. Adde, quòd
„ nouo partui, noua debebatur generationis ratio: vt, ſi Deus concipi vel
„ naſci debuerat, inquit Bernardus, non niſi de virgine conciperetur & na-
„ ſceretur; & ſi virgo conceptura & paritura erat: non niſi Deum conci-
„ peret & pareret: vt ſic quaſi duobus teſtibus probaretur Chriſti diuini-
„ tas, matris virginitate, & patris diuinitate. Et quemadmodum primum
Contra Tryphonem. peccatum conceptum fuit in animo mulieris, vt dicit Iuſtinus martyr, ſi-
ne vlla opera, aut perſuaſione viri, ſolo inſtinctu ſpiritus inimici: ſic &
„ Chriſtus Dominus, primi peccati antidotum conuenientiſsimè concipi
„ debebat ex ſola muliere, ſolo ſpiritu Dei, ſine omni opera viri. Pulchrum
„ illud D. Thomæ verbum, abſque omni corruptione cordis concipi: quin-
„ imò cordis corruptionem, perfecti verbi conceptionem non admittere.
„ Quia ergò caro ſic fuit à verbo Dei aſſumpta, vt eſſet caro verbi Dei; cõ-
„ ueniens fuit, etiam ipſam ſine corruptione matris concipi, & eodem mo-
„ do naſci. Quo eodem illud Ambroſij ſpectat: Cuius membra myſtica ex
„ virgine eccleſia ſancta naſcitura erant, iuxta illud Pauli: Deſpondi vos
„ vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto, ipſum eius corporis caput
In Lucam. non niſi ex virgine naſci debuiſſe. Ita enim Ambroſius: Verè deſponſata,
„ ſed virgo, quia eſt eccleſiæ typus, quæ eſt immaculata, ſed nupta: con-
„ cepit nos virgo de ſpiritu, parit nos virgo ſine gemitu. Et ideò fortaſſe
„ ſancta Maria, alij nupta, ab alio repleta: quia & ſingulæ eccleſiæ ſpiritu
„ quidem replentur & gratia: iunguntur tamen ad temporalis ſpeciem ſa-
cerdotis. Et vt per Euam virginem adhuc, facta eſt humani generis per-
ditio; ita per Mariam perpetuam virginem, fieret eiuſdem reparatio. Vt
igitur à filiis, iræ mortiſque decretum in ſe ferentibus, diſtingueretur ille,
qui decretum mortis ſublaturus erat: iurè & meritò ob eas ipſas cauſas,
quas diximus, ex virgine virginitatis author & amator, ac remunerator
„ naſci debuit. Fas enim non erat, inquit Auguſtinus, vt per eius aduen-
„ tum violaretur integritas, qui venit ſanare corrupta. O ſancta igitur vir-
„ ginitas, quibus te laudibus efferam neſcio: quia quem cœli capere non
poterant, tuo gremio contuliſti: quæ Ioannem Baptiſtam, quo non ſur-
rexit maior inter natos mulierum, quæ matrem Dei, quæ filium ipſum al-
tiſsimi, ducem & authorem habes. Quam tamen virginitatem, frigidi iſti
ac humi repentes noſtri euangelici, non modò non mirantur, neque fo-
uent; ſed, quantum poſſunt, infamant, rident, ac extinctam eſſe volunt.
Hebræ. 13. Honorabile, inquit, connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Ve-
rùm ſi ea quæ ſequuntur ſpectes: Adulteros enim & fornicatores iudi-
cabit Deus. At, ſi ad virginitatem te referas, tum illud Pauli audies: Qui
elocat filiam ſuam, benè facit: qui non elocat, meliùs facit. Nam & ar-
gentum pulchrum & honorabile eſt, ſi illud cum plumbo & ſcoria com-
pares; at, ſi idem cum auro conferas, nihil eſt quod multùm argentum
laudes. Bonus eſt prouentus triceſimus; ſed melior quinquageſimus: &

vtroque

vtroque longè præclarior centesimus. Sed doctrina talibus authoribus orta, quid doceat aliud quàm ventrem, & ea quæ illi subiecta sunt? Verùm nos ad alia transeamus. Mittitur igitur Angelus ad virginem, sed desponsatam viro: Desponsatam, non tamen nuptam: Hanc enim nuptam Ioseph nunquam deserere cogitâsset. Desponsatam autem, non solùm propter ministerium, non solùm propter legem generísq; successionem: non solùm propter publica munera, ac tot laborum, tot fugarum solatium: non solùm ob integritatis virginalis testimonium: non solùm vt in matrimonij carnalis vmbra, mysteria redemptionis nostræ celarentur, vt docet Sanctus Ignatius, atque Ambrosius, vt quemadmodum Diabolus Euam sub fructu; ita Diabolum Maria sub connubio caperet: & qui spe diuinitatis seduxerat hominem, carnis prætextu deciperetur: non solùm propter firmitatem fidei nostræ; causam enim mentiendi sponsa non habet, cùm coniugij præmium & gratia nuptiarum partus sit fœcunditas: non solùm vt ordo vterque tàm virginalis, quàm coniugalis eodem partu consecretur & honoretur; sed multò magis, vt placet Ambrosio, ne temeratæ virginitatis mater adureretur infamia; vt sanctus sanctorum sanctè, non solùm quantum ad rem ipsam, sed etiam quantum ad opinionem nasceretur: néue vlla prauæ suspicionis, aut in matre, aut in filio macula relinqueretur: Maluit enim Dominus aliquos, inquit Ambrosius, *In Lucam.* de suo ortu, quàm de matris pudore dubitare. Sciebat enim teneram esse » virginis verecundiam, & lubricam famam pudoris: nec putauit ortus sui » fidem, matris iniuriis astruendam: & qui nascendo integritatem matris » non minuit, nec eius gloriam aliqua dedecoris labe aspersam esse voluit. » Nec enim in hoc venit; vt, quæ nostra essent, imminueret: sed vt ea no- » uis accessionibus aucta cumularet. Et ideò cõmentum Caluini non placet; qui promissam tantummodo sponsam fuisse Ioseph, & non etiam domum traditam docet. Quomodo enim grauida & plena vtero, in domo paterna infamiam effugisset; si promissa tantùm, & non etiam tradita marito fuisset? sed ille, dum casta ex mutuo consensu matrimonia euertere vult, virginem infamiæ, non ad dæmones tantùm, sed etiam ad homines, vel contra suam sententiam, quod ambitiosi facere solent, exponit. Seruatur itáque sanctæ Mariæ, sicut pudore integra, ita inuiolabilis opinione virginitas. Oportet enim sanctos, & ab iis testimonium habere, qui foris sunt: nec decuit siniſtra virginibus opinione viuentibus velamen excusationis relinqui: quod infamata quoque Domini mater videretur: & vt in omne reliquum tempus, detur exemplũ omnibus quidem, præcipuè tamen regibus, atque principibus domos suas, non solùm à facto, sed etiam ab omni suspicione facti, alienas habere. Multa enim, plerunque in principum ædibus eueniunt: quæ, etsi mala non sint, ac ioco nonnunquam fiant; seriò tamen nomina eorum & domos infamant, multísque malum exemplum præbent. Desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, Matthæus hunc virum iustum appellat. Apparet enim magnum fuisse virum magnæque virtutis & prudentiæ, qui non minus castè

cum ea

cum ea virgine verſaretur, nec minus prudenter, quam patriarcha ille in Ægypto. De domo Dauid, vt ex tribu Iuda eſſe intelligeretur: ex qua naſciturus erat Chriſtus in cuius generatione tametſi Ioſeph partem nullam habuit: decuit tamen eum qui Mariæ vir creditus erat ex tribu regia eſſe: ne qui ex Iudæis in eum credere voluiſſent, offenderẽtur in eo: quod non ex ea tribu eſſet, ex qua Chriſtus ab omnibus ꝓditurus expectabatur. Salutatur ergo ab Angelo, deſpõſatur lignario fabro. Pulchra virtutis corona pulchra permiſtio, inquit Bernardus, virginitatis & humilitatis, ſine qua ne virginitas quidẽ placuiſſet. Per humilitatẽ placuit: per virginitatẽ concepit: per hancque ſcalam Deus ad homines deſcendit. Vide autem rex Stephane, rerum humanarum miram viciſsitudinem ac conuerſionẽ, domus inclyta Dauid, diues opum, diues gloria, ad mercenarium fabrum eſt reuocata: ſic, *Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo:*

Et ſubito caſu, quæ valuere, ruunt.

Ex magnis parua; & rurſus ex paruis magna viciſsim exoriuntur. Nihil igitur hîc magnum, nihil diuturnum, nihil meritò cenſeri debet admirandum. Et nomen virginis Maria: quod quidem aliis domina, vt Teophilacto: aliis exaltata, vt Hieronymo: amaritudinis mare aliis: ſtella maris, periucundè Bernardo dicitur, quia ſicut ſydus ſine ſui diminutione emittit radium; ſic illa abſque ſui læſione parturiuit filium: nec radius ſyderi ſuam minuit claritatem; nec virgini filius integritatem. Stella clara in ortu conceptionis ſuæ: clara in ſummo cardine generationis Chriſti: clara in occaſu aſſumptionis ſuæ, ſtella maris, cuius vita inclyta cunctas illuſtrat eccleſias: & quæ ſuo exemplo, ſuffragio, & merito naufragantes ſeruat: quæ cui benigna apparuerit, eum in ſpem optimam portus & ſalutis erigi oportet. Quæ tamen ſtella, lumen, vim, & dignitatem, veri ſolis Ieſu Chriſti non aufert; ſed ab illo potius accipit, illíque inſeruit. Neque enim aut cum modernis Hagiomachis, matrem Dei contemnimus: neque cum antiquis Collyridianis, qui virginem ſanctam, tanquã Deam coluerunt, illíq; ſacrificia ſua offerebant, Deam putamus: ſed filium quidem, vt verum Deum colimus; matrem autem tanquam gratia plenam, & cum qua eſt Dominus, benedictam ſuper omnes mulieres prędicamus; ab illo opem, ab hac preces petimus: & illum quidem coronam primam & ſummam cum Hieronymo confitemur; hanc autem coronam ſub corona Chriſti. Et hic quidem apparatus legationis tantæ eſt; in quo nihil cernimus, quod non magnum ſit; & quod non digniſsimam, imò propemodum ſolam, eam legationem eſſe probet. Siue enim mittentem, vt diximus ſpectes, hic Deus eſt, ipſáque ſumma Trinitas, qua nihil maius, nihil ſublimius, aut eſſe, aut cogitari poteſt; ſiue eum qui mittitur, princeps eſt Angelorum, ſummus Archangelus; ſiue ad quem mittitur, mater Dei eſt; ſiue quò & quando mittitur, tempus quidem creationis & renouationis, locus redemptionis; ſiue qua de cauſa, inauditi connubij, inauditæ vnionis, inauditæ ſalutis gratia. Deum immortalem, hominúmne cauſa hæc tanta fiunt? aut quis modus diuinæ dilectionis & amoris erga nos?

aut

aut quo & quanto noſtro mutuo pro tantis beneficiis opus eſt? Hæccine huius luti ac cineris, tanta dignitas eſt? Quod ſi hic apparatus eius legationis tantus; quæ & qualis legatio futura? aut qua præparatione, non tàm aurium, quàm cordis, vt cum fructu hæc tanta arcana in animos noſtros influant, & ibidem remaneant, opus eſt? Huc igitur animos, huc mentem, huc aures conferamus.

NVNCII SALVTIS, SIVE DE INCARNATIONE, Sermo Secundus.

Et ingreſſus Angelus ad eam dixit. Aue Maria gratia plena, Dominus tecum benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui IESVS.

APparatum & expeditionem cœleſtis legationis vidimus: nunc ipſam legationem erectis mentibus & animis audiamus. Cuius, ex more aliarum legationum, duæ ſunt partes, ſalutatio, donorúmq; exhibitio, atque ipſa negotij explicatio: Vtrámq; ſuo ordine expendamus.

Ingreditur igitur in ſacrarium pudici cubilis Angelus ad virginem: ingreditur medius inter Deum & hominem, pignus reconciliationis ferens. Inuenit verè almam, id autem eſt abſconditam. Virginitas amat ſecretum, inquit Ambroſius: Nummi qui in manibus frequentes ſunt, appenſi in ſtatera inueniuntur minus habentes; vas vitreum ne frangatur, tectum ſeruari oportet. Nam & arca teſtamenti nunquam ab interiori templi parte efferrebatur. Clauſum erat cubile; ſed hominibus, non Angelis, quibus nihil clauſum eſt: facilè autem erat Angelo, id eſt miniſtro ſponſi, clauſis ianuis ingredi; ſponſo, vt putat hæreſis, difficile erat, aut planè impoſsibile? dementiæ hoc eſt. Sola autem virgo erat, in templo animi ſui commorans, ſed nunquam minus ſola; DEVS enim erat meritò ſolitudinis cum illa. Sola, ſed non otioſa, ſed lectioni atque contemplationi futurorum myſteriorum dedita. Beatam autem illam ſolitudinem omnibúſque celebritatibus anteferendam, cui cum Deo & Angelis contubernium eſt. Dominus enim vacuos complet, ſolitarios comitatur, plenos euacuat, comitatos à turba deſertos facit. Soli igitur aliquando ſimus, vt

Dominum

Dominum comitem habeamus. Accedit ergo Angelus ad angelicam vitam ducentem: ſtupet nouæ & nulli antea Angelorum commiſſæ legationis onere preſſus: & vnde in cauſam ingrediatur, meditabundo ſimilis factus, cogitat, quid primum, quid vltimũ eloquatur: num gratia plenam annuntiet: num Dominum cum ea: num benedictã inter mulieres: num Deum genitura̅m. Quid enim prius aut maius ſit, vel Angelico ingenio difficile eſt diſcernere. Illud igitur apud ſe ſtatuit, ſalutis hanc legationem eſſe, immenſi gaudij procœmium, inde ordiendum eſſe, inde auſpicandum reſtituendi generis humani negotium. In omni cogitat læſæ maieſtatis pacificatione, primam fieri infamiæ, quæ perduellem ſequitur, ſublationem oportet; cum infami enim non eſt tranſactio. Omne autem mulierum genus, propter Euam eiúſque tranſgreſsionem, infame eſt, dolori & moleſtiæ partus ſubiectum. Hoc igitur decretum, primò à virgine auferam, eámque gaudere & lætari, ſummæ Trinitatis nomine, iubebo. Aue igitur, inquit, Maria. Omne genus mulierum dolori & mœrori in ſuo partu obnoxium fuit; tu prima, in gaudio & lætitia, abſq; omni mœrore paries: nec tantùm in tua ſolius lætitia & gaudio paries, ſed commune hoc erit cunctis mortalibus gaudium; NASCETVR ENIM ILLIS EX TE SALVATOR. Omnes aliæ mulieres damnationi pariebant; tu ſaluti paries: nam ſi in Ioannis nuntij & prȩcurſoris ſalutis natiuitate multi gaudebunt; quantò magis in natiuitate ipſius ſalutis omnes gaudere debebunt? Gaude igitur, plenè ac ſuperplenè gaude. Pater miſericordiarum operis manuum ſuarum recordatus eſt; qua eadem manu nunc tecum reconciliatur. Nuntius Euæ, nuntius fuit doloris; nuntius tuus, nuntius gaudij. Sit noua ſalutatio, in noua gratia: in nouo partu, nouum exordium: in noua cauſa, gaudij vocabulo ſaluteris, quæ veri gaudij largitorem feres ab illo, qui veri gaudij munera fert. Duo autem verba eſſe, inquit Damaſcenus, orbi nunciata, qualia in terris nec aliquando dicta, neq; dicenda ſint, in quorum comparatione omnia muta debeant apparere. Primum verbum, quod ipſe rugitum altiſsimæ vocis appellat, in hoc Archangeli dicto ſtatuit; Aue gratia plena: eo enim incarnationem Dei, redemptionem hominum, & mundi renouationem, docet contineri. Alterum verbum Ioanni tribuit, qui, vt verè filius eſſet tonitrui, vocem illam tali aquila dignam protulit: In principio erat verbum.

Neque verò nudis ſolis verbis Angelus virginem gaudere iubet, ſed eò amplius cauſas, cur meritò gaudere debeat, ſubnectit; ac dona, quæ cœlitus fert, largè promit. Quarum prima hæc eſt, eam eſſe gratia plenam. Iram, inquam, primæ ſententiæ amplius ne metuas, ſublatum eſt Euæ decretum: tu non modò Deo grata, ſed gratiſsima: ſed & gratia plena & es, & vocaberis ſemper. Ac ſi diceret, omnes dotes, quæ gratiam Dei conſequuntur, affatim es conſecuta: tecum eſt fons vniuerſæ gratiæ.

„ Plena, inquam, illuminatione ſapientiæ, inquit Bonauentura: plena mun-
„ datione gratiæ: plena poſſeſsione bonæ vitæ: plena vnctione miſericor-
„ diæ: plena fœcundatione prolis piæ; plena perfectione eccleſiæ: plena

reſper-

reſperſione odoriferæ famæ: plena reſultatione diuinæ gloriæ: plena etiam fruitione æternæ lætitiæ. Aue, inquit Andreas Hieroſolymitanus, atque Heſychius, gratia plena, multis virtutibus exornata virgo, in lampade geſtans lucem inextinguibilem, ſole ſplendidiorem: gaude, inquam, vtpote inter omnes virgines in matrem Dei electa. Aue gratia plena, hame ſpiritualis eſcæ, in te ſiquidem hamus diuinitas. Aue gratia plena, lætitiæ organum, per quod ruinæ noſtræ ſunt reſtitutæ, & verè gaudij plena facta eſt compenſatio. Aue gratia plena, quæ ſitientes perennis fontis ſatias dulcedine. Aue gratia plena, mare ſpirituale, habens cœleſtẽ Chriſtum. Aue gratia plena, ſplendidum cœlum, quæ in cœlis incomprehenſum contines Deum. Aue gratia plena, quæ cherubicum thronum diuinitatis fulgore ſuperas. Aue gratia plena, quæ cœli circulum habes, & Deum incomprehenſum, anguſto potiſsimùm loco, in te ipſa contines. Aue gratia plena, nubis columnæ ſimilis, quæ Deum habes, qui populum deduxit per deſertum. Aue lux, aue pax, aue gaudium, & ſalus mundi; aue generis humani lætitia, patrum præconium, lignum vitæ, paradiſe deliciarum, liberatrix & auxiliatrix. Eſt autem affirmantis potius oratio hæc, quàm futurum beneficium prædicentis: magíſque de preſenti gratia gratulantis, quàm futurum quid denunciantis. Oblatio eſt muneris, non ſimplex ſalutationis officium, inquit Chryſologus, inquit Euthymius. Quæ quidem gratia, Dionyſio, eſt deificatio: quæ, cùm acceſſerit ſimilitudo, creaturã creatori amabilem & dilectam reddit. Gregorio Nyſſeno, puritas dicitur à fonte Chriſto in nos deriuata: vel ſicut Baſilius loquitur, Spiritus ſancti participatio. Chryſoſtomo, bonitas infuſa immenſa: Euſebio, puritas occulta: Cyrillo Alexan. ſanctitas, quæ nobis inſit à Chriſto cõmunicata: Proſper, virtutes, & Deum ipſum in nobis habitantem vocat: Macarius, arcana quædam cœleſtis pulchritudinis veſtimenta nuncupat: Auguſtinus verò, vt diligentiſsimus, ita integerrimus gratiæ vindex, vocat illam occultam quandam communicationem, & inſpirationem gratiæ ſpiritualis & dilectionis, quam Deus infundit & paruulis: vocat interioris hominis pulchritudinem, & pignus donúmque ſpiritus, per quod operamur iuſtitiam, & à præuaricationis damnatione liberamur. Eidem gratiæ tribuit nouitatem & virtutem tantam ſpiritus viuificantis, quæ iuſtificatos, non ſolùm à lege peccati & mortis liberet, ſed etiam intus hominem iuſtificet, ac legem vniuerſam doceat impleri; conuerſos enim à Deo gratia eius adiuuari, vt carnis vincant concupiſcentias; & in acceptа iuſtitia, tum proficiant, tum perficiantur. Benè autem ſola gratia plena dicitur, quæ ſola gratiam quam nulla meruerat alia, conſecuta eſt, vt gratiæ repleretur autore. Mirari autem hoc loco licet, eius ſpiritus, qui hæreticos vexat, & qui à principio genus humanum ſeduxit, malignitatem & inuidiam: cui non ſatis eſt legitimæ poteſtati, Pontificibus, inquã, regibus, ac aliis in ſublimitate poſitis, inuidere atque obtrectare: non ſatis eſt viris ſanctis, & probis ac religioſis detrahere: non ſatis ſpiritus ſanctorum qui perpetuo cœlo fruuntur, odiſſe; niſi ipſi matri Dei, hãc ipſam

De cœl. hier. cap. 1.
Lib. de perfecta hominis natura.
Lib. de Spiritu S.
In Pſalm. 118.
De corpore & ſanguine Domini.
Lib. 11. Theſ. cap. 3. & 5.
De libero arbitrio.
Lib. de perfectione ſpirit.
Lib. de pec. meri. et remi. cap. 9. & 10.
Itẽ lib. 4. contra duas epiſt. Pelagianorũ. ca. 5. epiſt. 65. ad Conſentiũ lib. de ſpirit. & lit. cap. 15. & 30.

plenitudinem gratiæ,quam illi nunc cœlitus Angelus nuntiat, inuideant. Itáque hunc ipsum locum,Gratia plena, miris modis deprauare ac inuertere moliuntur, iam ipsius vocabuli multiplici interpretatione, iam expositionibus variis, ac longissimè petitis, contra omnem omnium veterum sensum ac consensum, commentis potius, quàm commentariis. Alij igitur verbum Græcum κεχαριτωμένη exponunt,gratiosa,vt Bucerus: aut gratiam consecuta, vt Caluinus: aut gratis dilecta, vt Beza: alij gratificata & dilecta, vt Bulingerus: alij grata Deo, passiuè, quòd ipsa sit in gratia, sicut Sarcerius & Æmylius, interpretantur: alij, cui Deus faueat, vt Lossius: alij, accepta, vt Castalio: vel quæ in gratiam à Deo recepta sit, vt Hemingius, interpretantur: modò illud, quod Bernardus,quod Ambrosius & vniuersa vetustas sequitur, non imitentur. Vt autem verbi interpretatione tantum honorem virgini ereptum esse volunt; si multiplicibus loci expositionibus hoc idem efficere conantur. Quorum summa illa est: Virginem, nullo præcipuo, aut lumine,aut dote, aut ornamento,vel charitatis,vel humilitatis aliorúmque donorum,cœlitus illustratam,& dotatam; sed ipso solo vacuo fauoris,aut dignationis nomine, fallacis & egẽtis mundi more, compellatam fuisse. In qua gratia nihil plus reponunt, præter ipsam peccatorum remissionem, qualem publicanus,qualem Maria Magdalena, qualem latro in cruce, consecuti sunt. Quasi verò, vlla vnquam peccati labe contaminata fuerit illa; quam etiam à mentione peccati excipit Augustinus: qui non tantùm eius gratiæ, qua virgo singulari quodam priuilegio repleta fuit, sed omnis etiam omnium aliorum sanctorum gratiæ, cum Diuo Paulo, duas partes ponit: peccatorum inquam remissionem, & spiritus charitatis infusionem. Neq; enim satis est mori peccato,nisi resurgamus iustitię,vt peccato mortui iustitię viuamus: aliúdq; est ablui,aliud sanctificari. Et hæc,inquit Paulus,fuistis,sed abluti estis,sed sanctificati estis, &c. Quæ igitur hæc est impudentia, aut potius blasphemia,non plus tribuere matri, quã publicano, Magdalenæ, latroni (quanq̃ & isti suis gratiæ donis,& gradibus,id est,charitatis,humilitatis, pœnitentiæ,non caruerint)tributũ sit? Quasi verò,cùm inter alios omnes sanctos munificẽtissimus Dñs largè talenta sua distribuerit; solam matrẽ nudã & indotatam reliquerit! aut quasi nouũ sit, electos Dei specialibus donis exornari,ac priuilegiis! Sic Ioannes spiritu sancto repletus est in vtero matris suæ: sic Paulus gratiam Dei in se mansisse, nec vacuam fuisse profitetur: sic Stephanus protomartyr gratia & fortitudine plenus dicitur. Quid? nónne longè maius illud est: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit,& pater meus diliget eum; & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus? Sed serpens iste prodit se illum esse,de quo dictum est: Et tu insidiaberis calcaneo eius. Non igitur aut vana, aut ieiuna, aut aulica, aut hæretica, hæc gratia fuit; sed quæ omnes gradus plenitudinis in vniuersitate gratiarum omnium habuerit: siue illam plenitudinem gratiæ spectes, quæ sacramenta consequitur: siue quæ virtutes, tàm eas quæ Christianæ dicuntur, quàm eas quæ morum sunt: siue

1. Cor. 6.

Ioan. 24.

Genes. 3.

septi-

ſeptiformem plenitudinem donorum: ſiue beatitudines ipſas: ſiue fructus ſpectes à Paulo explicatos: ſiue reliquas dotes, etiam illas quæ gratis dantur, conſideres: vt prolixè & ſubtiliter ea ſingula probat & inueſtigat Albertus, illudque addit: eam omnibus modis gratia plenam dici: *In Luc. cap. 1.* Primò, quia omnes gratias generales & ſpeciales, omnium creaturarum, perfectè habuit. Secundò, quia illas gratias habuit, à quibus omnis vacua fuerit creatura. Tertiò, quia eius gratia tanta fuit, quòd pura creatura maioris gratiæ capax non fuerit. Quartò, quòd gratiam increatam totam in ſe continuit; & ſic eam per omnem modum gratia plenam fuiſſe. Tribus autem in omni ſcriptura tributum eſſe legimus, eos ſcilicet gratia plenos fuiſſe: ipſi Ieſu Chriſto ſaluatori noſtro inprimis, iuxta illud: Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre, plenum *Ioan. 1.* gratiæ & veritatis. Stephano protomartyri: Stephanus, inquit Lucas, *Actor. 6.* plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia & ſigna magna in populo. Et nunc virgini tribui audimus, Plena gratia: ſuo tamen modo cuique. Nam Chriſtus quidem plenus gratia dicitur; per naturam abſolutè, & vt ſcholaſtici loquuntur, propria, datiua, & effluxiua gratia, fontis inſtar, non receptiua, non ab vllo communicata: omni ex parte, ſiue eſſentiam gratiæ, ſiue operandi virtutem, ſiue primos & ſummos effectus ſpectes perfecta; eò quòd tota & vniuerſa, non capitis tantùm, ſed etiam membrorum omnium, ac vniuerſæ tàm militantis, quàm triumphantis eccleſiæ, gratia Dei, ſit & requieſcat ſuper illum. De eius enim plenitudine accepimus omnes: ſiue illa ſit mater Dei, ſiue Stephanus, ſiue alius quis ſanctus. quicunque aliquando placuerunt DEO, ipſius merito & eius gratia placuerunt, iuxta illud: Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit *Pſal. 122.* in barbam, barbam Aaron, quod deſcendit in oram veſtimenti eius. Stephanus autem, & Maria, pleni item dicuntur gratia; ſed iam longè diſpari modo: ille enim ſimpliciter vti dictum eſt, & per omnia gratia plenus fuit, ſuper quem inhabitauit plenitudo diuinitatis omnis; at iſti pleni gratia pro capacitate quiſque ſua, gratia ſuſceptiua, vt ſcholaſtici loquuntur communiter, riui & fluminis inſtar; & ad illud opus tantùm dignè exequendum, ad quod per Dei deſignabãtur prouidentiam. Quomodo item vas aliquod plenum liquore aliquo dicimus, non quod totum illum liquorem occuparit; ſed quod ita plenum ſit, vt amplius illius capere nihil poſsit. Quale quid de vaſis olei Eliſei legimus. Quam gratiam *4. Reg. 4.* alio modo ſcriptura, talenta, quæ cuique ad eius opus dantur, vocare ſolet. Et Stephanus quidem fuit gratia plenus, quantum ad inclytam illam & illuſtrem martyrij pugnam, & victoriam pertinebat: Virgo autem, vt digna mater Dei fieri poſſet ſingulari & proprio modo, gratia præeminentiæ & prærogatiuæ (vt aiunt ſcholaſtici) plena fuit. Neq; enim tantopere ſuis meritis (quanquam non ſine illis) quàm gratia DEI, eò tanto munere digna eſt effecta. Quantò igitur functio matris maior eſt omnibus functionibus, omnium quicunque aliquando DEO placuerunt ſanctorum: tantò præ omnibus aliis plenior gratia meritò fuiſſe dicitur, pro-

pinquiſsima fonti, præter vnionem cum Deo hypoſtaticam, Deo illam eligente & perficiente, per ſupereminentem quandam virtutem & operationem: & quòd propinquiſsima authori gratiæ, illum qui natura gratia plenus eſt, in ſe recepit, eúmque tanquam vitis quædam præſtantiſsima edidit: de quo illud: Erit fons patens domui Dauid, in ablutionem peccatorum, & menſtruatæ. de plenitudine enim illius (vt dictum eſt) accepimus omnes. Et gratia quidem Chriſti, gratia fontis eſt: gratia Mariæ, gratia fluminis, de qua illud: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: gratia autem ſanctorum, gratia riuorum: Riuos eius inebrians multiplica genimina eius. Gratia Dei balſamum eſt puriſsimum, puriſsimo vaſe indigens, inquit Bernardus. Quantò igitur vas ſanctius Maria fuit, tantò plus eius balſami cepit. Vnde Hugo de S. Victore, his verbis Mariam compellat: Rectè dicta es gratia plena, de qua ortus eſt fons gratiæ; ideò totum nobis quodammodo à te, quod per illum nobis eſt, qui natus eſt ex te. Benè enim dicta es gratia plena, & in tantùm plena, vt ex tuo redundante totus hauriat mundus. Si enim prudentes virgines acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus; tu prudentiſsima virgo virginum, non vnum tantùm vas habuiſti oleo gratiæ repletũ, quo lampadem tuam inextinguibilem ardentem nutrires; ſed aliud geſtabas vas redundans & indeficiens, ex quo effuſo oleo miſericordiæ omnium lampades illuminares, & vaſa omnium vſque ad ſummum repleres, & in illo nihil minueres: Prudens ergo fuiſti, vt tibi prouideres; nec timida, vt aliis ſubuenires: nec dixiſti, ne fortè non ſufficiat mihi & vobis; ſed ſciens quia ſufficeret & tibi & nobis, & ſufficienter retinuiſti, & ſufficienter tribuiſti; Lumen in lampade, in carne fuit virginitas: oleum in vaſe, in corde humilitas: & erat aliud vas humanitatis verbi, in vtero tuo gratia plenum; ex cuius plenitudine tu quoque accepiſti, & lumen virginitatis in carne, & oleum humilitatis in corde: poſtea partu intemerato, nobis propinans ipſum indeficiens tribuiſti, vt ex illius plenitudine effunderetur; quò & lampades noſtræ extinctæ illuminarentur, & vaſa vacua replerentur. Sic gratia plena fuiſti, cùm de terra carnis tuæ, fons gratiæ erupit, vt & manaret ſuper omnem terram, & irrigaret aridam, & ſterilem fœcundaret. Quomodo autem, id quod Chriſto proprium eſt, gratia eſſe plenum, hoc loco datur virgini, datur Stephano; ſed longè alio modo & ratione quàm Chriſto; ita ſimiliter & alia Chriſti attributa, matri Dei aliiſq; ſanctis dari ſolent; ſed longè diuerſo modo, quàm illi. Quod cùm hæreſis diſtinguere nolit, confundit & accuſat. Ita Moyſen mediatorem ſcriptura vocat: Cyrum, Chriſtum domini: Apoſtolos lucem, ipſe Chriſtus: fundamenta, Paulus: ſic eandem virginem cum vetuſtiſsimo Irenæo, aduocatam, reginam, & matrem miſericordiæ, & id genus alia vocare eccleſia ſolet. Quòd ſi in nobis eccleſiáque damnant; damnent primùm in ſcriptura: damnent in ipſo Saluatore, qui ſua cum ſuis largiſsimè cõmunicare ſolet: damnent in Angelo. Atqui ſpem, dicunt iſti, veſtram impiè Mariam vocatis. Vocamus equidem, & libenter, idq; cum Bernardo:

Zachar. 13.

Pſalm. 45.

Pſalm. 64.

Impius

Impius igitur Paulus, qui ſuos Teſſalonicenſes in hunc modum compellat: Quæ eſt enim noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ? nónne vos ante Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum eſtis in aduentu eius? vos enim eſtis gloria noſtra, & gaudium. Sic eodē modo Philippenſes: Fratres, inquit, gaudium meum, & corona mea, ſic ſtate in Domino chariſsimi. At in alio ſenſu dices, & nos eodem, vti dixi, modo in alio: Vocat Paulus Moyſen mediatorem, vocat & Chriſtum Dominum. At qua ratione, ipſe ſe explicat, Chriſtum nempe, quia dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus nobis: per cuius ſanguinem, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis ſunt, reconciliantur atq; pacificantur, quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ipſius ſanguine. Moyſen autem, quia legis ordinatio in manu eius facta eſt. Quod item ſimiliter de aliis intelligendum eſt. Porrò virginem (vt aliquando hunc locum concludamus) ſanctis aliis, atq; adeò Angelis, gratiæ plenitudine multis de cauſis antecelluiſſe, teſtatur ſcholæ theologicæ princeps D. Thomas. Primùm quidē, quòd animam omni gratiæ copia refertam haberet, cùm ad omne peccati fermentum euitandum, à quo illa quidem fuerit immunis, tota pulchra & ſine macula; tum ad omnia virtutum genera exercenda; in quibus illa velut viuum & abſolutum exemplar, ſe omnibus præbuerit atque præluxerit. Deinde, quòd plenitudo gratiæ ex anima eius ad corpus ſiue carnem, ſicut in nullo alio redundârit; adfuiſſe illi quippè Spiritum ſanctum, cuius amor, non modò ſanctificationis gratiam in pectus virginis infuderit; ſed etiam ſingulariter in eo arſerit: nec ſolùm in eius corde, ſed etiam in carne mirabilia fecerit: illudque potiſsimùm, vt ex illa Deus & homo procrearetur. Poſtremò, illam non ſibi tantùm, ſed ad cōmunem etiam totius humanæ gentis ſalutem, præ cæteris omnibus, & ſanctis, & Angelis; qui, neque à Deo ſic illuminantur, neque mundum adeò illuminare poſſunt; abundante gratia cumulatam fuiſſe. Accedit & maxima, quæ illi eſt cum Deo, familiaritas, ne Angelis quidem obtingens, quæ illam totius Trinitatis nobile triclinium, & omnium creaturarū quaſi dominam fecit. Atque hæc ipſa eſt illa corona duodecim ſtellarum, quæ circumdat caput mulieris: corona duodecim, inquam, priuilegiorum: duodecim gratiarū, ex quibus Bernardus texit eam ipſam pulcherrimam coronam: Gratiæ, inquam, mirificæ generationis: Angelicæ viſitationis: Sancti ſpiritus ſuperuentionis: filij Dei inenarrabilis conceptionis: gratiæ item virginitatis, incorruptæ fœcunditatis, ſine grauedine oneris, puerperij ſine dolore: gratiæ denique deuotæ humilitatis, pudoris, fidei, martyrij cordis. Non vacua igitur, neque donorum egens hæc fuit (vt hæreſis mentitur) gratia; ſed plena omnis vbertatis, atq; fœcunditatis: vt verè illud virgo dicere poſſet: Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei: in me gratia omnis viæ & veritatis: in me omnis ſpes vitæ & virtutis. Nos ergo egentes & vacuos faciat participes plenitudinis ſuæ.

1. Teſſa. 2.
Philip. 4.
1. Timot. 2.
Coloſ. 1.
Roman. 3.
Galat. 3.
Eccleſ. 24.

Sed vnde hoc illi, vt tanta gratia referta ſit, vt tantopere lætari de-

beat? num à natura? num ex genere Dauidico? num ab aliquo prȩcipuo merito? nequaquam: ſed quoniam Dominus cum ea. Qui ante te, inquit, eſt, hodie vnà tecum eſt, vt ex te paulò pòſt naſcatur: quem prius conceperas virgo mente, nunc vtero concipies: præcedo nuntius Deum, ſed à Deo non recedo. O vas mirabile, quod maius ſeipſo continet: idq; neque apertum, neque reſeratum vnquam. Dominus, inquit, tecum: tecum certè, tecum fuit, tecum eſt, tecum erit: quia tu cum eo, tu, inquam, cum eo, voto, ſtudio, moribus, & vita ſemper fuiſti. Dominus tecum, in via, Dominus in patria, Dominus in labore & in gloria; ille tecum, qui à patris ſinu auelli non poteſt: gaudium, veritas, via & vita tecum: omnipotens tecum, naturæ totius ac vteri tui Dñs tecum eſt: qui dixit, fiat lux, & facta eſt lux: fiat firmamentũ, & factum eſt. qui idem ad omnia illa perficienda, quȩ dicentur tibi, poterit abundè ſufficere. Nihil igitur tibi videatur nouum: nihil difficile, nihil impoſsibile: confidenter age: omnia poteſt, qui tecum eſt. Si hic veſter ſol cito terrã luſtrans, eam tam reddit fertilẽ fructibus extra, intra metallis præſtantiſsimis grauidam: quantò maiora in te ſol omnipotens tecum perpetuò exiſtens operabitur. Quid hac re maius? quid ſublimius? quid magnificentius eſſe poteſt, quàm Deum præſentem habere, quàm eius contubernio frui? dixerat Nathan Dauid regi: Quidquid in corde tuo eſt, vade, age, & perfice illud; tecum enim Dominus eſt. Pone me iuxta te, dicit Iob, & cuiusùis manus pugnet contra me: vbicunque ille eſt, cœlum & tota cœleſtis familia adeſt. Saul percuſsit mille, & Dauid decem millia, quia manus Domini erat cum eo. Et de Ioanne inquit ſcriptura: Puer creſcebat, & confortabatur ſpiritu: manus enim Domini erat cum illo. Vtinam autem tibi itidẽ Rex Stephane, in hoc principio huius tui ad nos aduentus, hoc idem contingat, quod Gedeoni aliquando precatus eſt Angelus: vt Dominus tecum ſit, fortiſſime virorum: vt Dominus non recedat ex corde tuo, non recedat ex ore tuo, non recedat ab opere tuo, & erit certè tecum, ſi cum illo tu eſſe volueris: neque enim amat & deſerit. Dñs tecum, inquit: ſicut flos, cum virga ipſum pducente: ſicut Rex cum regina ad illũ ingrediente: ſicut ſponſus, cum ſponſa in eius amplexus ruente. Dominus tecum, per amorẽ & concordiã voluntatis, cuius non tantùm voluntatẽ, ſed & carnem ſibi conIunxit: qui, etſi nec totus de Deo, nec totus de te; totus tamen Dei, & totus tuus eſt: nec duo filij, ſed vnus vtriuſq; filius eſt: nec tantùm filius tecũ, quem carne induis; ſed & pater, & Spiritus S. de quo, & per quem concipis, tecum eſt. Pater, inquã, tecum, qui filium ſuum, facit eſſe tuum: Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile ſacramentum miro modo & ſibi reſerat concluſum ſecretum, & tibi ſeruat virginale ſignaculum: Spiritus S. tecum, qui cum patre & filio tuum ſanctificat vterum. Dñs tecum, qui per te factus eſt Emmanuel, id eſt, nobiſcum Deus. Quòd ſi magnum eſt, eſſe cum Deo, quod de Enoch dictũ eſt, eum cum Deo ambulaſſe, hoc eſt, ex omni parte voluntati eius obtemperaſſe; quantò maius eſt, cum quo ipſe eſt Deus, hoc eſt, cuius paret voluntati? Qui igitur eſt dominus

2. *Reg.* 7.
Iob 17.
1. *Reg.* 18.

omnium

omnium per creationem, dominus hominum per redemptionem, dominus tuus per piam vocationem; qui in omnibus est per essentiam, cum omnibus per præsentiam & potentiam, erit tecum per inhabitantem gratiam, & per corporalem essentiam. Meritò igitur gratia plena & es, & esse diceris: meritò summo gaudio & summa illa lætitia gestire debes.

Cuius gaudij, non minor illa causa, quia benedicta es in mulieribus. Benedicta Dei benedictionibus primùm, deinde hominum. Neq; verò solo nomine es inter omnes benedicta, sed re etiam ipsa, propter eas dotes, quas habes ante omnes mulieres. Omnes enim omnium seculorum dotes ac benedictiones, siue illæ ante legẽ fuerunt, siue in lege, siue sub gratia, tua benedictione continentur: ac in eo filio, quem tu paries, & propter illum, in te complebuntur. Nam si propter Iacob benedixit Dominus domui Laban, si propter Ioseph benedixit domui Phutiphar, si propter arcam domui Obededom; quantò magis tu benedicta propter eum, in quo benedicendæ erant omnes gentes? Habet autem virgo septem præcipuas dotes, ac peculiaria ante omnes mulieres priuilegia, & prærogatiuas, ob quas meritò beata inter omnes mulieres & est & dicitur. Primùm tantæ matris priuilegium est, quòd nunquam vlli peccato obnoxia fuit: non in conceptione sua, non in partu, non in vita, non etiam in exitu suo: de qua illud dici potest; sed longè magnificentiùs, quod Iudith de se prædicat: Viuit autem ipse Dominus, quoniam custodiuit me Angelus eius & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertẽtem; & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati reuocauit me vobis gaudentem in victoria sua, in euasione mea, & in liberatione vestra. Secundùm, quòd ab omni maledictione fuerit alienissima, quod vel ipse Lutherus nolens volens agnoscit. Nam omne mulierum genus maledicto subiectum fuisse hinc patet: vel enim erãt illæ quę pariebant, vel quę steriles remanebant: quæ pariebant; illud maledictum ferebant: In dolore paries filios tuos: quæ non pariebant, illud reportabant; Maledicta sterilis & quæ non parit. Hæc prima talis mulier est, quæ ab vtroq; maledicto libera fuit; nam & sterilis non erat, mater enim: & sine dolore peperit; Virgo enim, instar amygdali, quæ suo modo habet virginitatem, & fœcunditatem, quæ sibi virorem floris cum partu fructificationis reseruat; vt dicere possit: Flores mei fructus honoris & honestatis: virgo cum fœcunditate, & mater cum virginitate. O quàm beata mater ista est, quæ sine contaminatione concepit, & sine dolore peperit medicinam, inquit Augustinus; ita vt in ea floreat virginea fœcunditas, & fœcunda virginitas. O quàm magnum & omnibus seculis inauditum priuilegium, quòd virgo in vtero concepit, & filium ab altissimo peperit. Meritò igitur benedicta inter mulieres, quæ sola omnium maledictum effugit. Singulare hoc priuilegium notauit in Canticis spiritus sanctus: Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis. Dum ventrem tritici aceruo comparat, maternitatis fœcunditatẽ significat: dum liliis vallari & muniri ait, virginitatis florem denotat. Tertium priuile-

Iudith. 13.

Eccle. 24.

Cant. 7.

gium, non ſolùm quòd omne maledictum effugit, quod ſimul mater & virgo; ſed longè magis, quòd eum peperit, qui omnem maledictionem ſuſtulit, omnémque benedictionem dedit: illum, inquam, peperit, in quo benedicendæ erant omnes gentes. O benedictum agrum qui hoc frumentum protulit: ô benedictum theſaurum, qui eam gemmam conſeruauit: ô benedictum campum, ex quo flos iſte prodiit: ô beatam ouem, quæ hunc agnum genuit. Verè igitur benedicta, vt quæ benedicti pueri Ieſu Chriſti ſeruatoris noſtri mater es nuncupata, propter quam gentes acclamant: Benedictus qui venit in nomine Domini, & benedictum nomen gloriæ eius ſempiternum; & implebitur gloria eius vniuerſa terra, fiat, fiat. Age vero, mulieris propria eſt laus, liberos parere; maxima poſt virginitatem dignitas, ſummum meritum ac benedictio. Vnde Ambroſius, coniugij præmium, & gratiam nuptiarum, partum eſſe fœminarum docet. Declarauit hoc aliquando Cornelia Scipionis ſoror, Gracho-rum mater: ad quam cum vicina ſua veniſſet, ac ſua ornamenta apud illam iactaret, expectaſſe dicitur, dum filij ſui è ſchola redirent; qui vbi adueniſſent, dixiſſe fertur: Atqui iſta ſunt mea ornamenta. De qua illud etiam ſcribitur, dum, ob orbitatem mœſtam, quidam ſolaretur, eam reſpondiſſe, ſe infelicem eſſe non poſſe, quæ Grachos generauerit. Quod idem longè ante quándam feciſſe Lacænam legimus, apud quam cum mulier quædam Ionica, quadam textura gloriaretur, quòd eſſet ſumptuoſa; Lacæna quatuor ei filios præclara indole præditos oſtendit: Talia, inquit, oportet eſſe bonæ probæque mulieris opera, & in his extolli atq; gloriari. Quod ſimiliter D. Paulus docet: Ornamentum & meritum mulierum liberos eſſe. Quæ igitur nobiliſsimũ ex omnibus partum in mundum edidit, eam inter omnes maximè benedictam eſſe oportet. Partus aũtem Mariæ quis & qualis? ipſa ſola filij eius mater eſt, quod nulli vnquam fœminarum contigit, cuius ſolus Deus pater eſt: Hócq; illud maximum creaturæ priuilegiũ eſt, inquit Bernardus, vt filium ſuum eundem cum Deo patre habeat communem, mater redemptoris & iudicis ſimul. Peruenuſte Eccleſia: Genuiſti, inquit, natura mirante, tuum ſanctum genitorem. Cui enim vnquam Angelorum aut beatarum mentium, illud vere licuit vſurpare: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et illud: Fili quid feciſti nobis ſic? ego & pater dolentes quærebamus te. Et illud: Fili vinum non habent. Sufficit angelis illud occinere: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabbaoth. Matris hæc eſt prærogatiua propria, matris decus. Verè igitur benedicta. Benedicta item in mulieribus, ex illo quinto priuilegio, quod ipſa ſuper omnes mortales Deo familiariſsima fuit. Nam, quòd nulli conceſſum eſt, nec concedetur vnquam, ipſa Deum nouem menſibus in vtero portauit: ipſa Deum vbere de cœlo pleno lactauit: ipſa Deum multis annis ſuauiter educauit: ipſa Deum ſibi ſubditum habuit: ipſa Deum in amplexibus & oſculis familiariſsimè contrectauit. Vnde Auguſtinus: Nec mirum Maria, vt dignetur tibi congaudere Deus regnans in cœlis, quem paruulum ex te hominem natum

toties

toties oſculata es in terris. Præclarè Anſelmus: Vnum filium ſibi conſubſtantialem, coæternum, omnipotentem, ex ſua natura ſine initio Deus pater genuit; & per eum, omnes creaturas, viſibiles & inuiſibiles ex nihilo fecit. Hunc igitur ſibi tàm vnicum, quam dilectiſsimum, & in omnibus omnino æqualem, non paſſus eſt remanere ſolummodo ſuum; ſed eundem ipſum voluit in rei veritate, eſſe beatæ Mariæ vnicum & dilectiſſimum, & naturalem filium, nec ita vt duo eſſent; vnus videlicet filius Dei alius filius ſanctæ virginis Mariæ: ſed vnus idem ipſe qui filius Dei, in vna perſona eſſet filius ſanctæ virginis Mariæ; & qui filius ſanctæ Mariæ, vnus & idem ipſe eſſet in vna perſona filius Dei. Cum autem amorem, quẽ pater & mater ſinguli debent filio ſuo; debet hæc fœliciſsima matrũ ſola filio ſuo: amorem etiam, quem debet quilibet filius ſimul ſuo patri & matri; debet hic dilectiſsimus filius ſolus matri ſuæ: Nam ſicut alij filij naſcuntur ex patre & matre; ita filius eius, natus eſt ex ea ſola matre. Excedit itaque omnes amores parentum in filios, aut filiorum in parentes, amor iſtius matris in filium ſuum; & iſtius filij in matrem ſuam. Quam verò retributionem ſui amoris ſit adepta, tota chriſtianitas nouit; quæ illam ſuper omnes cœlos exaltatam, & angelicis choris prælatam certiſsimè credit. Sexta dos tantæ matris eſt, quia omnes omnium ſeculorum & ordinum mulieres honorauit: Nam cum omnibus aliquid commune habuit. Et cum coniugatis quidem communem habuit partum prolis, cum continentibus votum caſtitatis, cum virginibus perſeuerantiam virginitatis: vt dum cõtinentes, coniugatas & virgines virgineo partu ſuo redimeret, ſimul fructus trigeſimus, ſexageſimus, & centeſimus ad eam proueniret. Benedicta igitur cum Rachel, ſed ſuprà Rachel; quia illa mater, ſed corrupta; hęc mater ſimul & integra: benedicta cũ Iahel, ſed ſupra Iahel: quia illã direxit Deus in caput Siſarę; hanc in contritionẽ capitis, antiqui ſerpentis, cõmunis totius humanæ naturæ hoſtis: benedicta cum Abigail, ſed ſupra Abigail: quia illa prohibuit Dauid, ne iret ad ſanguinem: hæc Deum, ne effunderet in nos iram ſuam: benedicta præ mulieribus cũ Iudith, ſed ſupra Iudith; quia illa vidua tu virgo fœcunda: benedicta ſuper omnes mulieres cum Eſter, ſed ſupra Eſter; quia illa inuenit gratiã & miſericordiã apud Aſſuerũ, hęc verò apud Deum. Vltimum eius priuilegiũ eſt, quia eam benedictã, non vnus aliquis populus, nõ vna generatio, ſed omnes generationes prædicãt. Benedicta æterno patri, cuius genuit filium: benedicta filio, cuius mater eſt: benedicta ſpiritui ſancto, ex quo concepit: benedicta vniuerſæ ſanctæ Trinitati, cuius inſtrumentum facta eſt: benedicta Archangelis, quam tàm ſanctè & magnificè ſalutãt: benedicta Patriarchis, cuius partum deſiderauerunt omnes: benedicta Prophetis, cuius generationem prædixerunt: benedicta Apoſtolis, cuius natum illuſtrârunt: benedicta martyribus, qui eius partus cauſa vitam cum ſanguine profuderunt: benedicta iuſtos quos auget virtutibus: benedicta peccatoribus, quibus peccatorum veniã impetrat: benedicta mulieribus, quas apud Deum honorat: benedicta virginibus, cuius caſtitatem ſequutæ ſunt:

tæ ſunt: benedicta coniungatis, quam in Elizabeth omnes beatam appellarunt: benedicta viduis, de cuius partu in Anna prophetarunt: benedicta cunctis gentibus, à qua ſalutem accipiunt: benedicta cunctis creaturis, quas renouat & à coinquinatione liberat: ſolis euangelicis minus benedicta, qui ſe ab illius fructu ventris ſponte ſeparârunt. Illa enim eſt, inquit S. Ephræm, ſpes patrum, gloria prophetarum, Apoſtolorum præconium, & honor martyrum, ſanctorum lætitia, & lumen ſtudioſorum, Abraam, Iſaac, & Iacob; decus Aaron, Moyſis, & Gedeon vellus, Hierarcharum cœtus, & omnium ſanctorum ac virginum corona ob fulgorem inacceſſa, acerra aurea, lucerna micantiſsima, vrna cœli manna geſtans, tabula ſcriptam legem ferens mortalibus, arca vera, charta diuiniſſima, omnium princeps circumſpecta & lucifera virgo, conſolatio ſanctiſſima, & omnium dux ſacratiſsima virgo; & ideò ſublimior cœlicolis, purior ſolis radiis, & ſplendoribus; honoratior Cherubim, & Polyommatis, id eſt, multoculis ſpiritibus; ſanctior Seraphim, & nulla comparatione cæteris omnibus ſuperis exercitibus glorioſior. Præclarè igitur concludit Andreas Hieroſolymitanus: Ac verè quidem benedicta; nam benedixit te ſibiipſi Deus in tabernaculum: quoniam paterna gloria ſuperabundantem hominem Chriſtum Ieſum, eundem quoque Deum perfectiſſimum, iis naturis, ex quibus & in quibus conſtitit, ineffabili quodam modo in vtero tuo geſsiſti. Benedicta tu in mulieribus, quæ cœleſtem theſaurum, in quo alij omnes ſapientiæ, & cognitionis theſauri ſunt reconditi, in tuto virginitatis tuæ velut promptuario liberrimè complexa es. Verè tu benedicta, cuius venter aceruus quidam areæ: quoniam fructum benedictionis, ſpicam immortalitatis, Chriſtum inquam, ſine ſeminantis ac coloni opera, perfectiſsimè produxiſti; meſſem copioſam, infinita millia congratulantium ſibi de ſalutis noſtræ operario adduxiſti. Tu verè benedicta, quæ ſola præ matribus omnibus digna es habita, quæ eſſes mater conditoris tui: ac ita quidem, vt quæ matribus contingunt ignorares; quippè quod ex te per partum prodiit, virginitatẽ tuam haud corrupit; nam qui formauit, idem quoque communiuit caſtitatis tuæ ſignacula. Reuera benedicta tu, quæ ſola ſine viro concepiſti, & in vtero eum geſsiſti, qui cœlos expandit, ac virginitatis tuæ terram cœleſtem reddidit. Benedicta tu in mulieribus, quæ ſola benedictionem es ſortita, quam Deus gentibus per Abraham promiſerat. Benedicta tu inter fœminas, quam beatam omnes generationes prædicant: reges glorificant: potentatus adorant: cuius in conſpectu ditiſsimi ex populo dona litant: quam & à tergo ſequentes & præeuntes virgines in regis templum comitantur. Meritò igitur dictum, meritò dicendum: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Verè benedicta, inquit Chryſologus, quæ & virginitatis poſsidet decus, matris & pertulit dignitatem. Verè benedicta, quæ & diuini germinis ſuſcepit gloriam, & regina totius extitit caſtitatis. Verè benedicta, quæ fuit maior cœlo, fortior terra, orbe latior. Nam Deum, quẽ mundus non cepit, ſola cepit: portauit eum, qui por-

In oratione de laud. beatæ virginis.

In Deiparæ ſalutationẽ.

Sermo. 143.

qui portat orbem: genuit genitorem ſuum: nutriuit omnium viuentium nutritorem. Quæ omnia euangelico fundamento nituntur: quoniam ſanctæ mulieris Elizabethæ tum verbis tum exemplo conſonant: quæ non humano, ſed prophetico ſpiritu permota, imò & ſpiritu ſancto repleta; non modò matrem domini reuerenter excepit; ſed illud etiam ingenuè proclamauit: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Non quia tu benedicta, ideò benedictus fructus ventris tui; ſed quia ille te præuenit in benedictionibus dulcedinis, ideò tu benedicta: Ex fructu arbor cõmendatur. Verè etenim benedictus fructus ventris tui, in quo benedictæ ſunt omnes gentes; de cuius plenitudine tu quoque accepiſti cum cæteris, etſi differentius à cæteris: ac propterea quidem tu benedicta, ſed in mulieribus; ille verò benedictus, non in hominibus tantùm, non inter angelos tantum; ſed in omnibus & ſuper omnia Deus benedictus in ſecula. Fructus, de quo comedens Adam protoplaſtus, euomuit veterem illam deuorationem, qua deceptionis eſcam ſumpſerat. Fructus ventris de quo Deus promiſit ponere ſuper ſedem Dauid. Benedictus ad quem mala naturæ noſtræ non acceſſerunt, quem nunquã captiuum duxit lex aliqua repugnans legi mentis in legẽ peccati: qui nunquam in errore, nunquam in ignorantia aliqua verſabatur, cuius ſanctum, quod natum eſt ex virgine, nunquam vidit corruptionem. Benedictus qui omnia naturæ noſtræ bona excellentiſsimè poſſedit: qui primitias humanæ maſſæ aſſumpſit, corpus puriſsimum nulla labe infectum ſibi conformauit: in ipſo conceptionis momento omnibus membris abſolutus in vtero matris apparuit: qui in omni vita plenus gratia & veritate aliiſque omnibus virtutibus extitit: qui quamuis viator eſſet gratiã comprehenſoris habuit. Benedictus ergo fructus ventris tui in cœlo & in terra, pleni ſunt cœli & terra maieſtatis gloriæ eius, quem laudant Angeli atque Archangeli, Cherubim quoq; ac Seraphim, qui non ceſſant clamare quotidie Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabbaoth. Benedictus qui venit in nomine Domini, & benedictum nomen gloriæ eius in ſempiternum. In quo impleta eſt illa benedictio patris. Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Seruiant tibi populi, & adorent te tribus: eſto Dominus fratrum tuorum & incuruentur ante te filij matris tuæ. Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus: qui benedixerit tibi benedictionibus repleatur. Benedicite ergo omnia opera Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Fructus arbor commendat

And. Hieroſolymitanus.

Atque hæc eſt illa ſummæ Trinitatis ſalutatio; hæc eſt virginis nulli communicata gloria, hoc primum totius euangelij procœmium: à quo meritò illi, qui verbo præſunt, in Catholica Eccleſia ſuas ordiuntur doctrinas, & hæc eius interpretatio longè diſpar ab illa à ſpiritu hæretico profecta, apud Brentium atque Caluinum, in qua nihil cœleſte, nihil diuinum reſonat; ſed proiecta omnia, atque humi repentia: & quæ aut Aſpaſiæ aut Corneliæ, ne quid durius dicam, rectè poſſent attribui: Aue gratioſa, inquiunt iſti, cuius conuictum & conſuetudinem pleriq; omnes ambiunt;

ambiunt; Benedicta seu prædicata præ omnibus mulieribus, vt de qua omnes omnia bona dicant,& quam laudent vehementer. Deprimere hoc potius quàm laudare est. Et multi quidem multa in laudem matris Dei, ita vti dignissima est, in medium adferunt; nihil tamen aut maius aut sublimius illi dari potest, quàm vt sit plena gratia, plena Deo, plena benedictione. Ac proinde ipsa ecclesia, nihil magis frequentat, nullis sæpius eam virginem compellat titulis, nihilque frequentius in ore suorum resonare vult, quàm eam ipsam tàm raram, tàm inusitatam, tàm honorificam salutationem. Hinc illæ coronæ, illi pinaces, & alia. Videt hoc Diabolus,videt & inuidet: ac ex aduerso,à nulla re suos magis arcet,nullam ex illorum manibus excutere magis conatur,variisque artibus eleuare,quàm eam ipsam salutationem. Torquent enim,vruntq; inuidissimum veteratorem tàm sublimia verba, tàm illustres tituli: hic naturæ humanæ honos: tanta matris Dei, quam ille summè odit, sublimitas: videt consilia sua consultori fuisse pessima: videt fraudes suas huc deductas esse. At quibus argumentis hoc efficere conetur,audiamus. Quod si (inquit Caluinus,alter post fœdum illum Copronymum beatę virginis impugnator) Mariæ felicitas, iustitia, & vita ex gratuito Dei amore fluunt; eius virtutes totáque excellentia, mera est Dei liberalitas: plusquam præposterè faciunt, qui ab ea petendum docent, quod aliunde nobiscum habet. Ter hoc loco contra id, quod verum est, loquitur Caluinus: Primùm virginem sanctam nihil suum ad tantam attulisse gratiam; Contrarium enim dicit Elizabeth: Beata, quæ credidisti. Sed & ipsa: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Secundò,illud falsum est,nos gratiam Dei ab illa petere. Quibus enim Ecclesiæ precibus id demõstrare potest? Tertiò dicit, præposterum esse, ab aliquo petere, quod aliunde nobiscum habet. Hac igitur ratione præposterè Paulus, se suósque labores ecclesiis commendaret: hac ratione frustra fieret pro Petro in carcere constituto oratio ab ecclesia: hac ratione tota communio sanctorum tàm cœlestis, quàm ecclesiasticæ Hierarchiæ præpostera esset, mutuaque purgationes, illustrationes, perfectiones beatarum mentium: hac ratione tota extingueretur charitas, quia præposterum est ab alio petere, quod aliunde nobiscum habet. Nec discipulus igitur aliquid à magistro petet, nec mendicus ab eo, qui aliquid habet. Nimis verò crassa inscitia, (fundit sapientiæ verba Caluinus)Papistæ salutationem hanc,quasi magico exorcismo,in preculam verterunt. Bis hoc loco sciens hallucinatur Caluinus: primò,quia non soli Papistæ, sed vniuersus tàm oriens, quàm occidens orbis, Græci, Armeni, Æthiopes, imò omnes, præter Iudæos,id faciunt: deinde quòd ea tanquam precula,ac non potius vt salutatione atque gratulatione vtamur, indéque salutationem Angelicam communiter appellamus: longè enim plura argumenta laudis,quàm orationis,teste magno Cabasilla,per eam virginem, eiúsque partum consecuti sumus, plura accepimus, quàm amplius impetrare possumus. Atque eo prorupit vesania, vt concionatoribus fas non sit, inquit ille, spiritus gratiam pro suggestu petere, nisi per

Lucæ 1.

In expositione liturgiæ cap. 52.

suum

ſuum Aue Maria. Hoc omninò falſum eſt, non licere alio modo concionatoribus ſermones ſuos ordiri: more tamen receptum eſt, vt hoc idem principium doctrinæ ſuæ conuenientiſsimè noſtri faciant, quod totius Euangelij initium fuit; vt ad quam ſalutationem, verbum æternum ſummi patris in vtero virginis incarnatum eſt, ad eandem in mentibus fidelium, verbum prædicationis concipiatur: Deinde addit: Atqui præterquam, quod ſola gratulatio hîc habetur, temerè ſibi alienum officium vſurpant, quod Deus non niſi Angelo iniunxit. Temerè igitur fecit Elizabeth, dùm in eadem verba prorupit: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. temerè ipſa virgo prædixit: Ecce beatam me dicent omnes generationes. Ergo ne Dauidis quidem, aliorúmque prophetarum erit vtendum verbis, quibus ipſe Chriſtus plerunque vtitur, ne nobis temerè alienum officium aſſumamus. Quòd ſi hæc ita ſunt, vt dicit; probet ergo ad ſolos Angelos pertinere illud dictum: Euangelizo vobis gaudium magnũ, quod erit omni populo. ita vt nullus Euangelij doctor, etiam in Chriſti natalitio die, verba eadem pro concione ſibi ſumere, & iis populum loco Angeli excitare poſsit. Probet canticum Angelorum: Gloria in excelſis Deo. & quod apud Iſaiam extat: Sanctus, Sanctus, Sanctus, ita cœleſtiũ ſpirituum eſſe proprium; vt nobis & eccleſiæ non liceat, nec deceat eadem verba vſurpare. Probet demùm, quod Raphaël Tobiæ dixit: Gaudium tibi ſit ſemper. Pax tibi. id à nobis ad loquendi conſuetudinem nullo modo transferri poſſe: quemadmodum hoc loco aſſerit Gabrieli duntaxat has voces: Aue gratia plena, ſeruari & relinqui oportere. Concludit demùm totam cauſam duplici errore: Bis ſtulta, inquit, æmulatio, quod abſentem ſalutant. Bis ſtulta Caluini reprehenſio. Nam ipſe Caluinus ab eo qui abeſt docetur, Luca, inquam, quem interpretatur. Quos item vnquam Paulus ſalutauit niſi abſentes? Per literas dicet: Et nos mediante Deo, qui ſanctis ſuis reuelat omnia; & Angelis eius, qui orationes noſtras deportant, inſeruientibus, virginem ſalutamus. Tabellarióne tu plus Caluine credis tua munera deportanti; an angelo preces pœnitentiáſque noſtras deferenti? Sed hæc eſt veſtra veſania. Abſentem tu putas: at non ita cenſuit Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus, cuius illa ſunt verba: Spiritus tuus, ô Maria, viuit in æternum, & caro tua in ſepulchro corruptionem non ſuſtinuit. Omnia obſeruas ac contueris, & inſpectio tua ad omnes ſe porrigit. Quamùis autem oculi noſtri, impediti detineantur, ne te videre queant: tu tamen ſanctiſsima virgo dignis teipſam patefacis, ac tacitè manifeſtando inſinuas; caro enim tua, ſpiritus tui virtutem & efficacitatem nihil quicquam remoratur. Imitatione dices virginem eſſe colendam potius, quàm ſalutatione. Illud quidem oportet facere, vt verbis Saluatoris reſpondeam: ſed hoc non prætermittere iuxta illas cõceptas Eccleſiæ Dei de aliis ſanctis formulas: Quos veneramur obſequio, eorum pium iugiter experiamur auxilium: quorum natalitia colimus, per eorum ad te exempla gradiamur: quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis. Præſta nobis ex eorum imita-

Sermo. II. de virginis aſſũptione.

tione proficere,& oratione fulciri. Per Iesum Christum Dñm nostrũ,&c. Bis stultam vocat æmulationem homo tumidus. At non idem ante multa secula sensit Sibylla, quæ iisdem penè verbis Angelicis eandem virginem compellat: *Gesti læta puella: tibi nam gaudia semper*
Dunatum dedit cœli terræq; creator,
In te habitaturus, tibi lux æterna manebit.

De sanctiss. Deipara. Non idem vetustissimi patres. In quibus est D. Athanasius Dux Christianæ professionis primarius, qui in hunc modum iisdem verbis, virginem à cunctis; non mortalibus tantùm, sed à cœlitibus etiam salutari docet: „ Ecce iam nunc, & in exordio diei, vt primitias laudis tibi hoc encomium „ Archangelus contexit dicens: Aue gratia plena, Dominus tecum, beatã „ te prædicant omnes Angelorum & terrestrium hierarchiæ, & hierarchi„ cas manus attollentes benedicunt tibi, quæ & in cœlis benediceris, & in „ terris beata prædicaris: Benedicta tu inter mulieres, benedictus fructus „ ventris tui. Istiusmodi enim benedictionibus te celebrat prima acies, „ quæ ex thronis Cherubinis & Seraphinis constat, qui aut flammei, aut „ magni regis Dei cognitores appellantur: Beata tu in mulieribus,& bea„ tus vterus tuus Dei gestator,& vbera,quæ ille adhuc infantulus suxit. Se„ cunda verò hierarchia, quæ in se dominationes, virtutes, potestatésque „ complectitur, ad te respectans clamat, vtpotè quæ hæc didicerit à sublimiori hierarchia, priúsque initiata sit: Benedicta tu in mulieribus, & be„ nedictus venter tuus, qui Deum concepit, & mamillæ quæ Deum educa„ uerunt puerum factum. Iam tertia ex principibus, Angelis & Archange„ lis acies, quibus permissum & mandatum fuit, à Deo emittente, vt per v„ num Gabrielem Archangelum ederet splendidissimum & capacissimum „ hymnum in hæc verba: Aue gratia plena, Dominus tecum. Ab istis de„ inde nos hierarchiæ terrestres, exaltationes Dei in gutture ferentes, siue „ quod didicimus, siue quod mutuò hæc verba sumpserimus, exaltamus te „ magna & canora voce dicentes: Aue gratiosa, Dominus tecum; inter„ cede hera,& domina,& regina,& mater Dei pro nobis. Quoniam ex no„ bis tu oriunda es, & is qui editus est ex te carnigerus, Deus noster est, „ quem decet gloria, & magnificentia, omnísq; honor & adoratio, & gra„ tiarum actio, cum patre initij experte, & cum sancto bono viuifico spiri„ tu, & nunc & semper, & in secula seculorum. Et Athanasius quidem sic.

Gregorius verò Nazianzenus in suo Christo patiente hunc in modum:

Aue parens, & virgo, plena gratia,
Pulcherrima & summa inter omnes virgines:
Chorisq; cunctis celsior cœlestibus,
Regina cœli, delitiæ mortalium,
Semper tuere vultu propitio tuos:
Mihi salusq; sis vbique maxima.

D. item Ephræm:

De sanctiss. Dei matris laudibus. Aue Dei splendidissimum & luculentissimum vas: aue domina Maria, gratiæ plena: aue in mulieribus virgo beatissima: aue stella fulgentissima, ex qua Christus prodiit: aue illustrissima lux, mater & virgo: aue,

quæ mi-

quæ mirificè regem omnium peperisti: aue, per quam sol nobis præclarissimus illuxit: aue domina cunctis sublimior: aue canticum Cherubim, & hymnus Angelorum: aue pax, gaudium, & salus mundi: aue generis humani lætitia: aue patrum præconium, & prophetarũ decus: aue martyrum pulchritudo,& corona sanctorum: aue piorum gloria,& in solitudine degentium hymnus; aue præclarissimum hierarcharum cœlestium ornamentum: aue hymnographorum omnium oratio: aue præstantissimum orbis terræ miraculum: aue terrigenarum omnium delectatio: aue paradise deliciarum, & immortalitatis: aue lignum vitæ,gaudium & voluptas: aue vallum fidelium, & mundi salus: aue tranquille portus, & à fluctibus agitatorum liberatrix: aue nostra periclitantium auxiliatrix: aue progenitoris illius Adam resurrectio: aue iucunda libertas: aue omnium parens: aue flos gratiæ & consolationis: aue refugium peccatorum & hospitium: aue propiciatorium laborantium: aue refugium in Ierosolymis: aue throne mei creatoris glorioſiſsime: aue æui splendor illustrissime,& micantissime: aue spes omnium proborum aduersis casibus afflictorum: aue conuersorum refugium: aue virorum iuxta mulierũmq; regina & tutela: aue mundi mediatrix glorioſiſsima: aue vniuersi orbis terrarum conciliatrix: aue domina, sceptrum fidelibus tuis imperans: aue gloria & lætitia omnium sacerdotum: aue virgo solatium solitariorum: aue porta cœlorum, ascensus omnium: aue reseramentum portarum paradisi: aue quæ mœrores sedasti, adornatrix omnium: aue eadem, quæ leniisti oppressorum molestiam: aue clauis cœlorum, & regni Christi: aue portus optime huius vitæ nautarum: aue animæ meæ spes bona & fida: aue Christianorum omnium firma salus: aue lumen prefulgens,quo mundus illustratur: aue mater Christi filij Dei viui: aue nostra genitorum protectio luculenta & gloria: aue, quæ nullo spatio comprehensum in finibus comprehendisti: aue, quæ Christum vitæ datorem educasti Christum omnium pientissimum creatorem,Deum,dulcem Iesum meum. Damascenus item similiter: Quod tibi condignum canticum hęccine nostra proferet imbecillitas nisi gaudij primum, quódque nos edocuit sacerdos Gabriel: Aue genitrix virgo, & mater innupta. Et veteres quidem in hunc modum: nec frustra: Ipsa enim virgo, hoc idem ita futurum esse, id est, hac eadem salutatione benedicendam se esse in cunctis generationibus prædixit: Ecce enim, inquit, ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius. Et Ecclesiasticus: In multitudine electorum habebit laudem, & inter benedictas benedictionem. Quod qui non faciunt,illi facilè probant se non esse de illo grege, de illis generationibus, de illa ecclesia, cui dictum est: Benedicti vos à Domino, qui fecit cœlum & terram. Hócque ipsum non mediocre esse veræ ecclesiæ Dei indicium,alicubi diximus: eam veram ecclesiam esse, vbi mater Dei iuxta eiusdem vaticinium benedicta prædicatur: vt eam, quæ id obscurat, vel aufert, sathanæ synagogam censeri. Dum in præsenti vita esset. eam salutationem virgini con-

Lucæ 1.

Eccles. 24.

Canisius de verbi Dei corruptelis. Tom 2. lib. 3. cap. 10.

ueniſſe, non autem in gloriam tranſlatæ, muſitabunt aliqui. At nos ſic profitemur, & ſic virginem ſalutamus certò perſuaſi, quicquid gratiæ in Maria primùm laudauit Gabriel; id non ſolùm poſt conceptionẽ verbi in matris vtero; ſed etiam poſt virginis in cœlos aſſumptionem, ingentes accepiſſe profectus, & longè perfectiorem habere ſenſum; & in illam à quocunque demùm ſalutetur pulcherrimè quadrare. Quando enim illa ſic in terris vnquam plena fuit gratia, ſicut hoc tempore, quo poſt peractum diuinæ diſpenſationis myſterium, & gratiæ & gloriæ bonis in cœlo ſempiternis affluit? Quando magis cum illa Dominus, quàm eo loco, vbi ſine impedimentis, quæ mortales à vita cœleſti remorantur, diuini vultus gloria perfruitur, & cum regnante filio coniunctiſsimè viuit? Quando autem rectiùs ac pleniùs inter mulieres benedicta, quàm cùm perfecta & exhibita ſunt illi, quæ matri ſuæ filius, & munera & præmia præparauit, donauit, impendit? Iudith quidem vſq; ad hanc diem, Ioachim ſacerdotis verbis, quibus illi redeunti, & deſectum tyranni caput apportanti, gratulatus eſt, ſalutat vniuerſa gens Iudaica: Tu gloria Hieruſalem: tu lætitia Iſraël: tu honorificentia populi noſtri, quia feciſti viriliter; & confortatum eſt cor tuum, eò quòd caſtitatem amaueris; & poſt virum tuum alterum neſcieris: & ideò manus Domini confortauit te, & eris ideò benedicta in æternum. Nos matrem Dei ſummæ Trinitatis ſalutatione non ſalutabimus? Sed non alia de cauſa arcet veterator ille ſuos, ab eo, ne dicant, Benedicta tu in mulieribus; quàm ne cogantur illa, quæ ſequuntur, & quod iſtius cauſa eſt, vt oſtendimus, fateri: Et benedictus fructus ventris tui. Quod quidem planè ita conſecutum eſſe videmus. Qui enim paulò antè matrem Dei benedictam compellare erubeſcebant; iſti nunc benedictum fructum ventris eius dicere erubeſcunt. Quinimò hoc agit, ne ſumma Trinitas laudetur: ne ſummi beneficij memoria colatur. Honoratur enim hac ſalutatione pater æternus, cùm grati agnoſcimus; quòd ipſe pro ſumma potentia ſua, vt mundũ perditum renouaret, fœmineum ſinum tanti muneris, atque boni capacem, reddiderit. Honoratur filius Dei, cùm immenſæ illius erga nos charitati gratias agimus; quòd in vterum virginis de ſinu patris vltrò deſcenderit; quodque mortalem carnem aſſumptam, vnà cum anima, naturæ ſuæ diuinæ vniuerit, ac vnitam ſupra omnia exaltauerit. Honoratur & ſpiritus ſanctus, cùm eius bonitati acceptum ferimus, quod in Maria virgine, tanquam venerando ſacrario ad communem mundi ſalutem, mirabiliter conceptum ac formatum eſt, vt illic ſacroſanctum diuinæ incarnationis myſterium celebraretur; ac initio à Maria facto toti mundo manifeſtaretur. Mariæ autem matri Regis noſtri nullus honor gratior excogitari poteſt, quam is ipſe cuius Deus eſt inuentor & dictator; Angelus autem Gabriel interpres, quo renouatur ei memoria illius gaudij, in quo exaltatio virginis matris, nobilitatio humani generis, condeſcenſio facta eſt maieſtatis. Cœli reſpondent, inquit Bernardus, Angeli iubilant, mundus exultat, dæmones contremiſcunt, cum dico Aue Maria. Non ergo bonus quis, aut cordatus, de eo dubitauit, aut

Iudith. 15.

uit, aut dubitabit vnquam; num hæc talis virgo hac ipsa Angelica salutatione sit compellanda. Iure enim, inquit Hesychius, proculdubio omnis grati animi lingua salutat virginem & deiparam, ac pro viribus Gabrielem Angelorum principem imitatur, qui hac causa de cœlo descendit, qui ad hoc ipsum missus est ad virginem, vt eam nouo & inusitato ornaret & exhilararet præconio. Illud potius inquirendum est, quis hæc diuina cœlestiáque sanctissimæ Trinitatis verba vsurpare possit: cum ad eam ipsam rem, angelica vita & castimonia, virgínisque matris quiete opus sit. Præclarè enim inquit Anselmus: Supereminentem omni, quod post hominem Deum creatum est, excellentiam beatæ matris Dei, quomodocunque & saltem lippienti oculo cordis contemplari anhelans; & contemplando, quod mihi inde capere conceditur ad communem notitiam proferre desiderans: horreo peccatorum, quibus premor, enormitatem; & valdè timeo, ne mihi tanta alta petenti obiiciatur mox hoc sacræ scripturæ dictum: Tollatur impius ne videat gloriam Dei. Emundemus igitur nosmetipsos: ac tum demùm vitam angelicam induti, vocem cum Angelo identidem efferamus: Aue Maria gratia plena, Dominus tecum. Nec vnquam erubescamus, quod omnis antiquitas non erubuit, quod ipsa malignantium ecclesia erubescit: Domino enim benedicente, benedicta erit in perpetuum: Benedixit Dominus terram suam, auertit captiuitatem Iacob: benedixit benedicentibus eam, maledixit maledicentibus eam. Quotquot igitur hîc adsumus fideles, cum Gabriele (Feremat licet ac rumpatur infernus, & angeli eius) acclamemus virgini: Aue Maria gratia plena: & millies Aue: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus; & benedictus fructus ventris tui IESVS.

AMEN.

NVNCII SALVTIS, SIVE DE INCARNATIONE, Sermo Tertius.

Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio, & ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum, ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum: hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur.

IN ortu Samsonis, quem ad infringendam vim Philistinorum, rector ille Israëlis Deus excitaturus erat, natiuitas eius in hunc modum matri cœlitus denunciatur: Sterilis es, & absq; liberis; sed concipies & paries filium, erit Nazaræus Dei ab infantia sua, & ex matris vtero; & ipse incipiet liberare Israël, ex manu Philistinorum. Vmbra hæc fuit huius diuinæ ac cœlestis, quam nunc interpretamur legationis. Sterilis ibi conceptura denunciatur, quod difficilè; hîc virgo, quod impossibile est. Nazaræum illa paritura dicitur; hæc filium altissimi, & sanctum sanctorum: liberatorem vnius gentis illa; hæc totius mundi saluatorem: temporale gaudium illa; hæc æternum, & immortale: vnius populi illa; hæc gentium omnium. Cuius quidem legationis cùm primam iam partem explicauerimus, Salutationem, inquã, donorúmque oblationem: gaudij gratiæ, præsentiæ diuinæ, ac ipsius benedictionis. Nunc reliqua quæ sequuntur videamus. *Iudic. 3.*

Quæ cùm audisset turbata est in sermone eius. Turbata est; sed non perturbata. Turbata est: non risit sicut Sara, quæ ideò accusata: non desperauit sicut Zacharias, qui factus ideò mutus: non temerè acquieuit sicut Eua, quæ dum efferretur cecidit. Cuius turbationis modum, iam olim Sibylla concinnè graphicéque descripserat:

Nuntius hinc tali affatur sermone puellam.
Accipe virgo Deum gremio, intemerata pudico.
Sic ait: ast illam cœlestis gratia molli
Leniit afflatu, cùm virginitatis amatrix
Perpetuæ, magno subitò correpta stupore
Atque metu, trepida pressit formidine mentem:
Ignotis verbis commoto corde tremiscens.

Turbatur virgo suum paritura parentem, non ob personam Angeli ignotam; sed ob salutationem eius inusitatam. Non enim Angelum, (quæ cœlestibus Angelorum visionibus assueta erat) sed verba & salutationem Angeli mirabatur; cui nunquam simílem virgo sapientissima audierat, vtpotè quæ illi soli, vt inquit Origenes, seruabatur. Exquirebat cogitatione, prudentissima virgo, quis, & vnde ingressus, qui tale nuntium portet. Voluebat animo, primorum lapsum parentum; benedictionis nouam formulam mirabatur. Audiebat se beatam dici in mulieribus; quæ in virginibus semper benedici voluit. Audiebat se, quæ nuper serua & ancilla matris Dei esse optabat, illam ipsam nominari gratia plenam: quæ Dominum haberet præsentem: benedictam in mulieribus. Repetebat præteritam suam humilitatem, & examinabat præsentis salutationis sublimitatem. Quantò enim humilior erat cunctis mortalibus, (ex qua causa sublimior facta est omni re creata) tantò eam magis tàm inusitato honore ac inauditis titulis commoueri oportebat. Abraham profectò, ipsum patrem omnium credentium, Isaac item, & Iacob, tali nuntio perturbari

potuisse

potuisse credo. Moyses quidem, ad aspectum rubi ardentis, vbi Deus erat, obstupuit: hæc ipsa hic rubus incombustus facta est. Dauid certè ad minora stupescit: Quid est, inquit, homo, quòd memor es eius, aut filius hominis, quia visitas eum? Zacharias & senex & sacerdos, ad aspectum & affatum Angeli, non tantùm turbatus est, sed timor irruit super eum, inquit diuina scriptura; at nihil horum virgo. Turbatur quidem illa, vt dixi, sed non perturbatur. Trepidare virginum est, inquit Ambrosius, & ad omnes viri ingressus extimescere. In vasis enim fictilibus pretiosum ferunt thesaurum. Turbatur igitur, inquit Gregorius, cum verecundia, quia pauebat cum prudentia. Vtinam prima mater nostra Eua, tùm, cùm à serpente insidiosè Dea salutabatur, ac fraudulentis pollicitationibus decipiebatur, sic turbata fuisset; nunquam profectò, in eam calamitatem & nos: & seipsam coniecisset. Vtinam & nos ad ea, quę specioſa, quæ magnifica, quæ iucunda mundus & Diabolus obiicit, turbaremur, ac cogitaremus, qualis esset ista salutatio. Offert iuueni mundus formæ alicuius excellentem dignitatem, diceret: qualis est ista salutatio? offertur ambitioso, aliquis insignis honor, venit hic & ille, porrigit quærendi honoris conditionem, diceret: qualis ista salutatio? offertur auaro, præsentis spes lucri, diceret similiter: qualis ista salutatio? Vtinam Germania & Polonia, duæ gentes pietate quondam insignes, tùm cùm Lutheranismus & Caluinismus exoriebatur, ac supra omnem potestatem efferrebat se, cùm illis cœlum, sine omni virtutis studio, promittebatur; cùm non ieiunandi, non orandi, non obediendi potestas larga commendabatur, paulò conturbatæ fuissent, ac cogitassent, qualis esset ista salutatio: non fuissent profectò nunc vsque adeò perturbatæ. Scit enim Diabolus se transformare in Angelum lucis: scit fingere: scit multa polliceri. Rectè enim monet Ioannes Apostolus, non omni spiritui esse credendum, sed probandum, num sit ex Deo. Probatio autem spirituum hæc est: Angelus lucis terrorem primùm incutit; vnde pastores viso angelo timuerunt timore magno: & super Zachariam timor irruit: & Daniel ad aspectum angeli concidit, ac exanimatus est. In eam enim miseriam, inquit S. Damascenus, incidimus, quòd etiam bonos angelos formidamus: mox tamen idem suauem consolationem adfert, quod nunc fieri videmus. Turbatur virgo primùm, mox confirmatur: at Angelus tenebrarum exhilarauit primò Euam, mox conturbauit & perdidit. Angelus lucis nihil terrenum, nihil prophanum adfert, nihil cum luxu, nihil cum ambitione, nihil cum auaritia coniunctum; Angelus tenebrarum, nihil spirituale, cœleste nihil: ventri assentatur, carnem commendat, ambitione inflat: Eritis, inquit, tanquam dij, scientes bonum & malum: pollicetur quæ ipse non habet: Hæc omnia dabo tibi, si procidens adoraueris me. Angelus lucis honorem Dei tuetur, veritatem eius astruit, curiositatem omnem excludit: Spiritus, inquit, sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ecce Elizabeth cognata tua. Non erit impossibile apud Deum omne verbum. At veterator quid? Deum mendacem atque fallacem, ipse mendacissimus

& fallaciſsimus,probare vult: Nequaquã inquit moriemini. Angelus lucis, Dei bonitatem, liberalitatem, munificentiam, honorificentiſsimè celebrat: Dabit, inquit, illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius. At Angelus tenebrarum, Deum inuidum & malignum eſſe, ipſe maximè inuidus, calumniatur: Scit enim Deus, quòd in quacunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri. Angelus lucis,veſtigia ſua poſt ſe relinquit, humilitatem, charitatem, obedientiam: Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum; quod humilitatis & obedientiæ eſt: Et, Conſurgens abiit in montana, quod charitatis. Angeli tenebrarum veſtigia contraria ſunt, faſtus, odium, impietas, &,qui hæc ſequitur omnia, interitus. Quæ omnia Euæ primæ matri noſtræ eueniſſe videmus. Et probatio quidem, ac diſcretio ſpirituum paucis explicata, hæc eſt.

Turbata eſt igitur virgo,quod prudentiæ eſt; ſed à recta ratione non deiecta: & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio,cui ſimilem nuſquã nec legit, nec audiuit vnquam. Cogitare de ſapientiæ ſenſu, conſummata ſapientia eſt. Cogitabat ea, quæ legerat: dictis ſcripta comparabat: Euæ lapſum in mentem reuocabat: modum reſponſionis meditabatur. Cogitabat illud, ſoláne ego inter mulieres benedicta? ſola gratia plena? tantúmne mecum Dominus? ſoláne ego nouum naturæ modum inducam? ſoláne res prolapſas reſtituam? mihíne ſoli tot prophetarum & patriarcharum voces ſeruient? ſoláne ego digna mater Dei iudicabor, virgo pauper, vili fabro deſponſata? Verè tu es Deus, qui facis mirabilia magna ſolus. Cogitat, tacet, morum decore pro ſermone vtitur.

Tum Angelus: Ne,inquit,timeas Maria,gaudeas potius quã timeas, inueniſti enim gratiam apud Deum, tantam, quantã nemo ante vnquam alius inuenit; neq; te, aut tuam iſtam humilitatem reſpicias,ſed gratiam: gratia totum eſt, quod eſt, quod tecum geritur: quibuſcunq; nominibus atq; laudibus celebraris, gratia eſt: inueniſti gratiam quam quæſiuiſti: qui enim quærit inuenit. Addit Albertus magnus: Inueniſti gratiam,non creaſti, vt Deus: non ſemper habuiſti, vt filius: non rapuiſti, vt angelus: non perdidiſti, vt Adam: non emiſti, vt Simon Magus: non abſcondiſti, vt infidelis Doctor. Remouet ergo Angelus priùs timorem, antequam rem & cauſam totam explicet. Omnes enim illos qui de rebus magnis ſtatuere debent, eniti oportet, vt ab omni amoris, cupiditatis, iræ, & odij, metus item affectu ſint remotiſsimi. Hæcque illa cauſa eſt,ſenatores, cur publicam ſalutem mouemus, & promouemus nihil: quòd praua cupiditate præpediti in conſilium venimus: quòd præiudicatas opiniones nobiſcum adferimus. Quòd ſi turpè eſt, adoleſcentem motu animi perturbari vel abripi; quantò turpius, ſenem odio, inuidia, metu, cupiditate, priuatæ vindictæ ſtudio obſeſſum, de illa republica ſententiam dicere; in qua & ipſe viuit,& poſt ſe dulcia pignora, liberos, inquã, coniugem, nepotéſque relicturus eſt? & in qua, & cum qua, tanquam communi naue in naufragio, aut ſeruandus, aut ſubmergendus ſit,iamq; alios naufragantes videat? Si inter ſeruos animo conſpici nimis perturbato

bato turpè est; in repub. certè turpissimũ. Liber sit igitur ab omni mentis perturbatione oculus, qui verum cernere debet. Hoc igitur agit Angelus: virginem solatur: pellit timorem: indicat gratiam: partum vaticinatur: futuræ prolis nomen exponit: virginem proprio nomine, tanquam domesticam & contubernalem, compellat. Ne, inquit, timeas Maria: non impostor serpens tibi iterum loquitur: non terrenus nuntius adsum: vitam, non mortem fero: inuenisti gratiam, qualem ante te inuenit nemo. Inuenisti autem gratiam, non apud Augustum Cæsarem, neque apud Herodem Regem, sed apud Deum, per quem, & à quo, hic ipse Augustus, & Herodes regnant. Et de Gedeone quidem dictum fuit, Dñm cum illo fuisse: & Iudith hunc in modum alloquitur Osias princeps populi Israël: Benedicta tu filia à Domino excelso, præ omnibus mulieribus super terram. Qui autem gratia plenus ante Mariam dictus fuerit, non legimus. Hoc igitur quod illius erat proprium, & quod nunc primùm exauditur, gratia plenam esse, repetit Angelus: Inuenisti gratiam apud Deum: tua te humilitas, ô præclara virgo, terret, at gratia subleuet; néue putes rem meriti tantum esse, quantum gratiæ. Inuenisti gratiam, non tamen sine merito. Quod ita esse, præclarè docet Iustinus martyr: Quia non quamlibet è vulgo fœminam Deus delegit, quæ genitrix Christi fieret, sed quæ mulieres omnes virtute anteiret: non abs re eiusmodi virtutis nomine matrem suam beatam deprædicari voluit, per quam virtutem honore eo digna habita est, vt virgo mater fieret. Et D. Anselmus: Nempè decens erat, vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, virgo illa niteret; cui Deus pater vnicum filium, quem de corde suo æqualem sibi genitum, tanquam seipsum diligebat, ita dare disponebat; vt naturaliter esset vnus, idémque communis Dei patris & virginis filius, & quam ipse filius substantialiter facere sibi matrem eligebat, & de qua spiritus sanctus volebat, & operaturus erat vt conciperetur & nasceretur ille, de quo procedebat. Et D. Thomas, Beatam virginem dicit meruisse portare Dñm omniũ: non quia meruit ipsum incarnari; sed quia meruit ex gratia sibi data illum puritatis & sanctitatis gradum, vt congruè posset esse mater Dei. Inuenisti gratiam, quam & Eua & omne mortale genus perdiderat. Inuenisti autem eam, quam non Sara, quamùis Abrahæ vxor, Isaaci mater: non Rachel, quamùis tot patriarcharum parens: non Betsabee, quamùis & marito & filio rege superba: non Ester, quamùis Assueri summi Monarchæ coniunx: non Iudith, quamùis benedicta præ omnibus sui seculi mulieribus, inuenit. Inuenisti gratiam, qualem ab æterno inuenit nemo. Causa igitur nulla est, cur non læteris potius, & animo exultes, quàm timere aut pauere debeas: exaltaberis supra cedros Libani, hoc est, supra etiam summos ordines nostros. Paueat prima Eua; iubilet secunda. Eris & pauper, & diues simul, quod nulli ante te cõtingit.

In lib. quæst. ad responsio. quæst. 136.

De conceptione B. virginis cap. 18.

In parte 3. quæst. 2. ar. 11.

Depulso metu; animóque virginis confirmato, id cuius causa missus fuerat, & quod summam tantæ legationis continebat, exponit: concepturam scilicet & parituram filium: ac quis iste, & qualis, ex ea nasciturus

turus sit filius, explicat. Quomodo similiter vtrunque hoc matri Samsonis prædictum fuisse diximus. Zachariæ item: Ne timeas Zacharia, exaudita est deprecatio tua: vxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem: & erit magnus coram domino; siceram & vinum non bibet: Nec tamen suis verbis, sed ipsius Dei, per os Isaiæ prolatis, ac virgini bene cognitis (ne res noua ac ex tempore conficta, sed potius à multis seculis promissa, præordinata, prædicata, tótque votis expetita esse videatur) summam totius causæ explicat: Ecce, inquit, concipies in vtero, & paries filium. Demonstrantis, vel potius mirantis particula vtitur, in re nunquam antea audita. Decreuit pater cœlestis nouo modo rursus sibi ex te filium gignere, in tuóq; vtero tanquam officina cœlesti sacri fœtus opificium peragere. Paries filium à seculo electum: ab altissimo præcognitum, ac sibi præparatum: à patribus præfiguratum: à prophetis promissum: nunc tibi, inquit, reuelo mysterium, quale nulla ante secula audierunt; imò verò, quale ne ipsa quidem lex naturę nouit, virginitatem simul cum partu, nuptias cum integritate; vt non diffidas infantem esse Deum. Quem mente & animo iamdudum conceptum geris, & qui semper tecum est; eum nunc nouo & nunquam vsitato modo in vtero concipies: neque erit vlla, aut naturæ, aut communis cursus pariendi, aut potestatum tenebrarum vis tanta, quæ eum partũ impedire ac perturbare possit. Et quemadmodum integro pudore & castimonia concipies; ita eodem modo sine dolore, sine grauedine, cum summa etiam spiritali voluptate paries. Virgo ante partum, & virgo post partum: & purior (si ita dicere licet) post partum, quàm ante partum, splendor inaccessibilis visceribus tuis sese infundet. Paries autẽ, non tantùm sine opera viri, sed etiam clauso signaculo vteri tui; vt sis virgo à viro, & virgo à partu. quę integritate cõcipies, eadem paries. Illi quidẽ aperta erunt omnia, non tibi, cui cœli aperti sunt ipsi. Ita enim transibit per vias clausas, ac si essent apertæ, vt pòst, sigillis non reseratis, monumentũ superabit: ianuis clausis cœnaculũ ingredietur: cœlis conclusis in dextera patris considebit: viæ tuæ regi aperientur; tibi autem clausæ iugiter manebunt. Paries autem filium, Dei inprimis, deinde tuũ, vt sit idem filius hominis, qui est filius Dei; vt hi qui erant filij hominis, efficiantur filij Dei: Quotquot enim receperũt eum, dedit eis potestatẽ filios Dei fieri. Idemq; erit partus vteri tui, qui & cordis est paterni, iuxta illud: Eructauit cor meum verbum bonum. Ideò Dominus erit tecum, plus quàm mecum: Dominus tecum; sed non sicut mecum: tecum vtique, tecum, non tantùm sicut creator cum creatura, sed etiam sicut partus cum paritura: propter quem benedicta eris ante partum, benedicta in partu, benedicta post ipsum partum; totáq; maledictio Euæ, in tuam mutabitur benedictionem. Eua audiuit, Cum dolore paries, multiplicabuntur ærumnæ tuæ: Tu, aue & gaude, paries cum gaudio tuo, omniúmq; gentium salute. Ideò magnum & summum miraculum efficieris ipsa: Stupendum enim est miraculum in cœlis, mulier amicta sole: stupendum miraculum est in cœlis, mulier gestans lucem in

vlnis:

vlnis: ſtupendum miraculum in cœlis, alter thronus cherubicus: ſtupendum miraculum in cœlis, mulieris filius, qui & ipſius, & ſeculorum eſt pater: ſtupendum miraculum in cœlis, thalamus virginis habens filium Dei. Quod miraculum Iſaias Achazo Regi proponit veluti ſummum, & quo neque de profundo inferni, neque de excelſo ſupra maius dari poſſet: & quod ne nunc quidē Hebręi concoquere potuerunt. Ecce alma concipiet & pariet filium. Quo nomine in lingua Hebraica, non ſolùm puella vel virgo, ſed (vt inquit Hieronymus) cum ἐωϊτάσθ virgo abſcondita dicitur, & ſecreta, quæ nunquam virorum patuerit aſpectibus: ſed magna parentum diligentia cuſtodita ſit. Tria enim ſunt apud Hebræos, vocabula vt annotant docti, idem ferè ſignificantia, videlicet Naara, Bethula, Alma. Naara ſolum ætatis reſpectum habens, puellam ſiue adoleſcētulam ſignificat, tam virginem quam corruptam. Bethula verò ad virginitatem duntaxat reſpectum habens, virginem ſignificat, ſiue adoleſcentula ſit ſiue anus. Alma autem ad vtrumq; reſpectum habens, ad adoleſcentiam ſcilicet: & ad virginitatem, & adoleſcentulam & virginem deſignat. Quapropter mulier ſiue iuuencula ſit, ſiue annoſa, quamdiu virgo eſt, bethula appellari poteſt. Quamdiu autem iuuencula eſt, ſiue virgo, ſiue corrupta ſit, naara nuncupatur. Alma autem nulla vocari poteſt, niſi & iuuencula ſit, & virgo intacta: quod ipſa quoque vocabuli interpretatio apertè indicat. Quamobrem in tota ſcriptura ſacra non inuenitur dictio hæc haalma, cum litera he ſcripta, ſiue articulata, niſi in tribus locis. Et primum quidem Gene. 24. cap. cum de Rebecca dicitur: Ecce ſto iuxta fontem aquæ, & erit haalma, id eſt virgo egrediens ad hauriendum, & dicam ei, Pota me, quæſo, modico aquæ de hydria tua. Quæ dum alma vocata eſt virgo erat atq; intacta, vt patet ex verbis ſcripturæ: Virgo, & vir non cognouerat eam. Deinde reperitur Exodi 2. ca. cum de Maria ſorore Moyſis ita ſcribitur. Et perrexit haalma, id eſt, virgo, & vocauit matrem ipſius infantis. Et iſta quoq; tunc adoleſcentula virgo erat. Tertia demùm hoc loco inuenitur. Tribus his locis duntaxat exceptis, alibi nuſquam in tota ſacra pagina apud Hebræos inuenitur dictio hæc haalma cum articulo ſcripta. Si igitur duæ primæ ſic denominatæ, virgines intactæ erant, cum ita denominarentur, id idem tenendum eſt de iſta, de qua Iſaias loquitur: cum iuxta ſapientum ſententiam, de omninò conſimilibus, idem omninò debeat eſſe iudicium. Eam ob rem ſeptuaginta interpretes, cum in hunc locū deuenerunt, pro haalma, virgo cum articulo prępoſito tranſtulerunt, dicentes ἰδοὺ ἡ παρθένος, & reliqua. Quod autem ſic intelligi oporteat, ex eo quoque patet, quod ſignum illud pro ciuitatis liberatione ab Iſaia datum, vt ait Rabbi Selomo, valde miraculoſum eſſe debebat. Adoleſcentulam autem concipere & parere filium, virginitate non remanente, nullum eſt miraculum, cum hoc naturaliter fieri quotidie contingat. Neceſſariò igitur dicendum eſt, ſignum quod eis propheta dederit, virginem ſcilicet concepturam, ac filium parituram præter naturæ morem, & ſolo Dei miraculo futurum fuiſſe. Atque ita exponenda

erunt

erunt illa Isaiæ verba: Ecce haalma, id est ipsa virgo sancta & abscondita, concipiet diuina virtute & pariet filium. Et vocabit ipsa virgo ab Angelo Gabriele præmonita & instructa ac spiritu sancto repleta, nomen eius Emmanuel, quod idem est nobiscum Deus, per quod diuina atque humana natura, in vna Messiæ persona apertè demonstratur.

Et vocabis, inquit, nomen eius Iesum; hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur. Et Abraam quidem iubetur, imponere nomen filio suo Isaac: eodem modo Zacharias pater, Vocabis, inquit, nomen eius Ioannes. Nunc vice versa, misso patre Ioseph, totum negotium committitur Mariæ, non aliam ob causam, nisi quòd illi quidem veri parentes filiorum suorum fuerunt; Ioseph non parens, sed custos & minister tantùm vt hac ratione honoretur virgo, ac, vt vera mater, ipsa suo imponat nomen vero filio. Confirmant hoc ipsi Hebræi, qui locum Isaiæ legunt ita: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabit ipsa nomen eius Emmanuel: eiúsq; rei eam adferunt rationem, vel quòd Messias non habiturus esset in terra patrem, qui ei nomen imponeret; vel quòd sola mater certò scire debebat Messiam Emmanuelem futurũ, quod Deum & hominem designat. Quod & D. Lucas confirmat; Maria, inquit, conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Quamùis & de Ioseph hoc ipsum apud Matthæum dictum esse legimus, non tamen primò & principaliter, sed vt puto partim fidei eius confirmandæ, partim ipsius nominis interpretandi causa, quod adhuc interpretatum non erat. Cæterum hoc loco illud nobis perquirendum est, quæ causa fuerit, quòd cùm ab Isaia aliud nomen Messiæ impositum fuisset, Emmanuel nempè, quod nobiscum Deus significat: nunc aliud loco illius, Iesus nempè, quod saluatorem designat, imponatur: cùm præsertim verbis Isaiæ, ita, vti diximus, Angelus vtatur. Abutebantur hoc loco contra Christum Dominum veteres Iudæi atque gentiles, tanquam verus Messias non esset, quòd scilicet non eo fuerit nomine appellatus, quod sibi per prophetas diuinitùs impositũ erat. Quibus in hunc modum, ex Iustino Martyre respondent docti, hæc scilicet eadem virtute nomina esse, ac nomine Iesu, nomen Emmanuelis contineri; & nomine Emmanuelis, nomen Iesu. Nam cùm Iesus saluatorẽ designat: Emmanuel autem vt Euangelista interpretatur, nobiscum Deus significet: profectò neque verus omnium saluator esse poterat, nisi is, qui Deus & homo sit: & is, qui esset Deus & homo verus, debebat esse saluator. Verba Iustini hæc sunt: Si in euangelicis narrationibus continetur euentus diuinarum de Christo prædictionum: nobísque tradidit beatus Matthæus eum esse quem diuina prædictione statutum fuerit vocatum iri nomine Emmanuelis; nónne vocatur nomine Emmanuelis? Non intermisit autem sancta Dei ecclesia, * ex doctrina sancti Euangelij, Emmanuelem nominare Dominum. Habemus autem in nomine Christi, omnia alia Christi nomina comprehensa, etiamsi non omnibus semper vtamur. Nec enim quia vocatur Emmanuel est; sed quia est, vocatur. Non dissimile quid Tertullianus, in libro contra Iudæos adfert: Porro, inqui-

ro, inquiunt, iſte qui venit, neque ſub eiuſmodi nomine eſt dictus, neque re bellica functus. At nos è contrario admonendos eos exiſtimauimus, vti cohærentia quoq; huius capituli recognoſcant: ſubiuncta eſt enim & interpretatio Emmanuel, Nobiſcum Deus, vti non ſolùm ſonum nominis expectes, ſed & ſenſum. Sonus enim hebraicus, quod eſt Emmanuel, ſuæ gentis eſt. Senſus autem eius, quod eſt Deus nobiſcum, ex interpretatione, communis eſt. Quære ergò an iſta vox, nobiſcum Deus, quod eſt Emmanuel, exinde quo inluxit Chriſtus, agitetur in Chriſto; & puto ex toto non negabis. Nam qui ex Iudaiſmo credunt Chriſto, ex quo in eum credunt, Emmanuel cùm volent dicere nobiſcum Deum eſſe ſignificant. Atq; ita conſtat iam veniſſe illum qui prædicabatur Emmanuel ꝙa quod ſignificat Emmanuel venit, id eſt nobiſcū Deus. Idem lib. 3. contra Marcio nē, iiſdē ferè verbis repetit: Hebræi aūt nomen Emmanuel, nomen naturæ eſſe dicunt, vtriuſq; naturæ vnionē, quę in vtero virginis fieri debebat, deſignās: Ieſus verò nomen impoſitionis, quod ſaluator, vel ſalus, ſiue ſaluatio interpretaī. Et pręclarè quidē hæc iſti, nobis tamen neſcio quo pacto ea cauſa, q̄ refert Clemens Alexan. in Pædagogo ſuo, magis arridet. Meſſiam, propter eius excellentiam ac multiplicem functionem, pluribus nominibus vocari debuiſſe: quorum magnam partem recenſet Iſaias: Vocabitur, inquit, Deus, fortis, princeps pacis, pater futuri ſeculi. Quæ omnia nomina eius, cùm longè antè, quàm naſceretur, vt ſuis coloribus depictus melius cognoſceretur, debebant prædicta fuiſſe: vnum ſolum tamen par fuit tale nomen relinqui, quod à nullo antea, præter ipſum ſolum vnum & verum Deum vſurpatum illíque impoſitum eſſet, iuxta illud Iſaiæ: vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit. Cùm igitur nomen Emmanuelis iam olim per Iſaiam prædictum fuiſſet, nouo quodam nomine, & à nullo vnquam in Meſsia vſurpato, quod per os Dei prolatum, & cœlitus per Angelum allatum fuiſſet, vocandus erat: cuius imponendi priuilegium ipſi ſoli Deo patri ac ſanctiſsimæ eius matri relinqueretur. Tale autem eſt nomen Ieſus, nomen magnum, nomen mirificum, nomen nouum, nomen ſupra omne nomen, quod ſapientiſsimus Salomon miratur: Quod eſt, inquit, nomen eius, & nomen filij eius? Iſaias prædicat: Vocabitur tibi nomen nouum. In cœlum fert Paulus: Donauit ei Deus nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Qua autem ratione & modo ſit hoc tantum & tale nomen ſupra omne nomen, paucis videamus. Nominis cuiúſque dignitatem & magnitudinem ex his ſex capitibus colligit Plato: ab eo ſcilicet qui imponit nomen, & cui imponitur, ſignificatione ea ex qua imponitur, ab ipſius nominis pulchritudine & venuſtate, virtute, efficientia, & dignitate. Ex omnibus capitibus his, nomen hoc, ſupra omne nomen eſt. Et primùm ab authore, inquam, qui illud impoſuit: quem Deum ipſum eſſe, docet Iſaias: Et vocabitur tibi nomen, quod os Domini nominauit. Et Paulus ſimiliter: Donauit illi Deus nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Quod ſi illi magni, quorum nomen tantum Deus cognoſcit, aut quos ex nomine vocat, vt inquit ſcriptura;

Iſaiæ 62.

Philip. 2.

ptura; quanto maior iſte, cui ipſe Deus nomen imponit? Magnum igitur nomen hoc eſt ex parte imponentis. Sed & magnum ex parte eius, cui impoſitum eſt; neque enim aut ſoli homini impoſitum eſt iſtud nomen, aut ſoli Deo, ſed vero Emmanueli, Deo & homini ſimul: quamùis inprimis eius diuinitati conueniat, iuxta illud: Ego ſum Dominus, & non eſt abſque me ſaluator. Et, Ecce Deus noſter, Deus ipſe veniet & ſaluabit nos: deinde per Deum in hominem perfluat. Cùm igitur ipſe Chriſtus, cui hoc impoſitum eſt nomen, ſit ſupra omnia; & nomen eius ſupra omne nomen ſit oportet. Sed & ſignificatio nominis magnum & excellens quiddā deſignat: Ieſus enim ſaluatorem Hebræis ſignificat. Quamùis autem nomen hoc ſalutem repræſentet; tamen, vt docet Epiphanius, eam maximè, quæ per curationem vitæque reſtaurationem fit. Vt igitur vita & ſalus ſuperat omnia bona; ita & nomen, eam ſalutem & curationem ferens, inter omnia nomina principatum teneat oportet. Hanc autem & non aliam ſignificationem eius nominis eſſe, contra omnes Hebræorum calumnias docuit Angelus: Ipſe enim, inquit, ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Quemadmodum igitur ſalutis & redemptionis opus, vincit ac excellit omnia Dei opera; ita & hoc nomen ſuperat omnia Chriſti nomina, Commendatur item nomen hoc, à ſuauitate & venuſtate: Antea vocabatur Deus vltionum, Dominus exercituum: at nunc oleum, inquit ſponſa, effuſum nomen tuum, ideo adoleſcentulæ dilexerunt te: dulce nomen, ſuaue nomen, iucundum nomen, nomen ſalutis. Sed multò maiorem habet commendationem ab efficacia. Hoc enim nomine nullum nomen eſt potentius, nullum magis efficax: in hoc nomine omnes animi & corporis morbi curantur: in hoc nomine dixit Petrus claudo: In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula, & ſurrexit: in hoc nomine omnes principatus & poteſtates aduerſæ ſuperantur: in hoc nomine iuſti efficimur: in hoc baptizamur: in hoc perficimur. Turris fortiſsima nomen Domini, inquit Salomon: In hoc nomine omnia à Deo impetrantur: Quicquid petieritis, inquit Chriſtus, Patrem, in nomine meo, dabit vobis. In hoc eodem peccata, vniuerſæque ſordes noſtræ abluuntur: Abluti eſtis, inquit Paulus, ſanctificati eſtis, iuſtificati eſtis, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti: & quod caput eſt, in hoc ſolo nomine ſaluamur omnes: Non eſt aliud nomen ſub ſole datum hominibus, inquit Petrus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Magna certè efficacia eſt huius nominis, magna vis. Ad hoc igitur nomen, in omnibus tam aduerſis, quàm ſecundis rebus noſtris confugiamus, & non confundemur. Et quemadmodum efficacia huius nominis eſt maxima, ita & dignitas ſumma, quam explicat Paulus: Propter quod, inquit, exaltauit eum Deus, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen; vt in nomine IESV omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & inferorum. Hoc nomen Prophetæ & Patriarchæ à longè ſalutarunt: huius nominis cauſa Apoſtoli ſanctique Martyres ſanguinem profuderunt, & ibant gaudentes à conſpectu concilij, quòd digni haberentur pro nomine Ieſu contumeliam

Iſaiæ 35. *Iſaiæ 43.* *Matth. 1.* *Cantic. 1.* *Actor. 3.* *Prouerb. 18.* *Ioan. 16.* *1. Corint. 6.* *Actor. 4.* *Philip. 2.*

tumeliam pati. In hoc nomine virgines & iuuenes, omnes æstus humanos, omnésque stimulos carnis superauerunt. Hoc nomen sancti confessores Doctoréque prædicauerunt. Det item nobis Dominus pro nomine isto pati aliquid ac perferre. Verè igitur nouum nomen: verè nomen supra omne nomen. Et multum quidem Cabalistæ laborarunt, in nouitate nominis istius astruenda, distinguentes illud ab illis nominibus, quibus antè alij sunt insigniti, vtpotè Iesus Naue, Iesus Sirach, Iesus Iosedech, & si qui sunt alij: quorum primus vir fortissimus populum Dei in terram promissionis induxit: alter vir sapientissimus suis temporibus sapientiam reuocauit: tertius sacerdos sanctissimus templũ Domini restaurauit. mihi tamen simpliciſsimus sensus ille Augustini videtur, Non sonum literarum ac syllabarum, sed quod ipse sonus significat, & quod eo sono rectè ac veraciter intelligitur, hîc accipiendum esse. Itáque multos quidem hoc nomine alios vocatos fuisse; omnes tamen istos figuram potius, & syllabas, quàm rem & sensum, nominis huius, tenuisse: acceperunt illi salutẽ; non dederunt: prædixerunt venturam; non præstiterunt prẹsentem. Hoc autem nomen non in syllabis, sed in sensu positum esse, docet Paulus, cùm dicit: Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in spiritu sancto. quod certè non de syllabis, quas & psittacus pronunciare potest, sed de sensu ac re ipsa est intelligendum. Nomen item nouum, ea ratione, appellatum puto, quòd vt dixi, à nullo vnquam antea hoc nomine sit Messias appellatus, nisi ab ipso primùm Deo, iuxta Isaiam: Vocabitur, inquit, illi nomen nouum, quod os Domini locutum est. Verè igitur nouum nomen: verè supra omne nomen. Omnia siquidem alia diuina nomina ea, quæ virtutem & operationem aliquam designant, in hoc nomen tanquam in mare quoddam influunt: omnia in hoc perficiuntur: omnia ad illud tanquam rami ad radicem referuntur: Neque enim aut creari, aut gubernari, aut iustificari, aut doceri profuisset, nisi saluari prodesset, inquit Augustinus. Nam de ineffabili Dei nomine, nihil est quod hoc loco dicamus: hoc enim essentiæ diuinæ, non operationis alicuius est, quale hoc est, de quo nunc dicimus, & qualia nomina inter se nunc comparamus. Verùm de hoc nomine aliâs fusius.

1. Cor. 12.

Isaiæ 62.

Nuntio conceptionis explicato Angelus, eius qui nasciturus erat adiuncta profert. Ne putes, inquit, virgo, aliquem vulgarem, hunc futurum esse partum: Hic enim erit magnus, & filius altissimi vocabitur. Magnus ex parte diuinitatis suæ, potentia: magnus prouidentia, & rerum omnium regimine: magnus vt homo, in opere, & doctrina, coram Deo & omni populo: In omnem terram exibit sonus illius: & in fines orbis terræ verba illius. Erit magnus, & faciet tibi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius. Dominus noster Iesus, inquit Origenes, quia virtus est Dei, in omnem diffusus est orbem, & in præsentiarum nobiscum est, iuxta illud quod in Apostolo legitur: Congregatis vobis & spiritu meo, cum virtute Domini nostri Iesu Christi. Virtus Domini saluatoris, & cum his est, qui ab orbe nostro in Britannia diuiduntur: & cum his, qui in

In Lucam Hom. 6.

„ Mauritania: & cum vniuersis, qui sub sole in nomine eius crediderunt.
„ Vide ergo magnitudinem saluatoris, quomodo in toto orbe diffusa sit,
„ & certè necdum eius veram magnitudinem exposui. Ascende in cœlos,
„ & vide eum, quomodo cœlestia repleuerit; apparuit enim angelis: de-
„ scende cogitatione in abyssos,& videbis eum etiam illuc descendisse; qui
„ enim descendit, ipse est & qui ascendit, vt impleret omnia: vt in nomine
„ IESV omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & inferorum. Con-
„ sidera virtutem Domini, quòd impleuerit mundum, id est cœlestia, ter-
„ restria, & infernalia: quomodo & cœlum ipsum penetrauerit & in super-
„ na ascenderit. Legimus enim,quòd pertransierit cœlos filius Dei: si hęc
„ videris, pariter intueberis non transitoriè dictum; Magnus erit, sed ver-
„ bum opere completum. Magnus est Dominus noster IESVS, & præsens,
„ & absens: tribuítque consortium fortitudinis suæ,huic cœtui nostro atq;
conuentui. Erit igitur magnus, cuius magnitudinis nulla alia est men-
Ioan. 14. sura, nullus alius modus, nullus finis, quàm ipse pater: Ego in patre, &
Matth. 11. pater in me est: & nemo nouit filium, nisi pater, neque patrem quis no-
uit, nisi filius. Si igitur nosti mensuram patris, nosti mensuram filij: si
modum patris,& modum filij: si magnitudinem patris,& magnitudinem
filij. Quòd si hæc nullo sensu, nullâq; ratione humana comprehendi,aut
coërceri, ac mensurari possunt; ne filij quidem modum, aut mensuram,
aut magnitudinem quæramus. Minor est, inquit Ariana impietas,patre.
Quomodo igitur, si minor, pater in eo, aut ipse in patre erit? quomodo
finito infinitus continebitur? aut quomodo finitus par infinito erit? aut
quis te tandem in ea immensitate ac magnitudine, finium regundorum
„ arbitrium, inter patrem & filium constituit? In hoc condita, inquit Am-
„ brosius, sunt omnia, quæ in cælo & in terra, visibilia & inuisibilia: & ipse
„ est ante omnia, & omnia in ipso consistunt. Quomodo non magnus,cu-
ius magnitudinis non est finis? tàm magnus, vt ipse altissimus, quia &
ipse altissimus, ne sit alius virginis, alius altissimi filius; vbi non persona-
rum, sed naturarum denotatur varietas: Bonum est igitur psallere nomi-
ni tuo altissime. Idem, inquiunt isti, de Ioanne alio loco dictum est: Et
erit magnus coram Domino, idem de aliis. Idem planè, sed non eodem
modo. Magnus Ioannes futurus esse dicitur,sed non vt Dominus,sed co-
ram Domino,hoc est,ob præstantes suas ac diuinas virtutes,ac planè An-
Lucæ 1. gelicam vitam, quæ statim explicatur: Vinum & siceram non bibet: &
spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ: & multos filiorum
Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum: & ipse præcedet ante il-
lum, in spiritu & virtute Heliæ: vt conuertat corda patrum in filios; &
incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam.
Magnus ille, sed vt vox coram verbo: præcursor coram principe: seruus
coram Domino: Non erat enim ille lux,sed vt testimonium perhiberet de
Ioan. 1. lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominẽ venientem in hunc
mundum. Ille quasi homo magnus, inquit Ambrosius, hic quasi Deus
magnus: Magno illo in cœlo, maior est: hoc autem nemo. Ioannis ma-

gnitudo

gnitudo habet principium & finem: Dominus Ieſus ipſe principium & finis. Magnus igitur Ioannes non ſimplicer, ſed coram Domino. Magnus Samſon, ſed fortitudine: magnus Abſalom, ſed pulchritudine: magnus Salomon, ſed ſapientia. Quis autem magnus ſimpliciter? Magnus Dominus, & magna virtus eius, & magnitudinis eius non eſt numerus. Quis Deus magnus, ſicut Deus noſter? Vt rectè ex hoc loco contra Arianos concludamus in hunc modum: Nemo abſolutè magnus, niſi Deus: ſed Ieſus Chriſtus abſolutè eſt magnus; Deus magnus, & rex magnus, ſuper omnes deos: Hic erit magnus, & filius altiſsimi vocabitur: verus igitur Deus. Cæterùm fortè vltrà pertinacia Ariana muſsitabit: Cur igitur non dicit, eſt magnus, quod propriè de Deo dicitur; ſed erit magnus? Quia hoc ad mox futuram eius incarnationem refertur hoc ſenſu: Ille, inquam, qui ab omni æternitate, in patre & eſt & fuit magnus, hic etiam vbi tuus filius in tempore eſſe cœperit, non deſinet eſſe magnus: neq; quicquam hæc tua tuæque naturæ humilitas, de eius magnitudine ac maieſtate diminuet aut detrahet; ſed potius illius diuinæ & cœleſtis naturę maieſtas, hanc naturæ tuæ paruitatẽ ac deiectionẽ vſq; adeò ſubleuabit, vt hæc ipſa natura vilis, q̃ de tuis ſumit ſanguinibus, humana, ꝓpter hypoſtaticã cum Deo humanæ naturæ coniunctionẽ ita eleuetur; vt idem, qui in omni æternitate magnus eſt & fuit, propter ſuam diuinitatẽ, in tempore etiã magnus iuxta humanitatem, de te ſumptam, eſſe incipiat. Quanquam & tu illa ipſa es âb initio poſſeſſa, & ante ſecula ordinata: petra illa, cuius dilectione & amore, lapidíſque ex te excidendi deſiderio, mundum conditum eſſe, ac conformatum, magiſtri gentis tuæ tradiderunt: planta ipſius Dei manu plantata: prima creaturarum: tu es illa, cuius omnes fideles filij ſunt: illa petra prima, cuius amore Deus elegit ſibi Iſrael, elegit eum in poſſeſsionem ſibi, vt eſſet illi populus peculiaris ex cunctis populis: illud decus domus Iuda, virga de radice Ieſſe, in cuius manu ſuſcitaturus eſt Deus ſalutem Iſraelis maximam: illa petra primaria, ex qua procedit Meſsias, cuius nomen eſt æternum, & ponet gratiam gratiæ tibi, iuxta prædictionem Zachariæ: illa ab Iſaia prædicta prophetiſſa, quæ concepturа & paritura es filium; imò domina & magiſtra prophetarum: tu es illud ſolium gloriæ altitudinis, ab Ieremia celebratum à principio, locus ſanctificationis noſtræ. Magna igitur ſimul & humilis es, & ideò magnũ ſimiliter & humilem paries; & magnum, cuius magnitudinis non erit finis. Dabit enim illi Deus nomen, etiam vt homini, etiam vt filio tuo, quod eſt ſupra omne nomen: vt in eius nomine flectatur omne genu cœleſtiũ, terreſtrium, & infernorum. Erit enim hic lapis, de petra tua abſciſſus abſque manibus: paruus primùm, ſed temporis ſucceſſu in excelſum montem ita excreſcet; vt cooperiat omnem terram, omniáque omnium ſeculorum imperia conterat ac comminuat: túque non amplius mater hominis, ſed mater Dei appellaberis.

Hæc omnia ſumpta ſunt ex libro Iudæ Hakados qui Reuelator arcanorum inſcribitur, & quem Doctores ob ſummam authoritatem, magiſtrum noſtrũ ſanctum appellare ſolẽt.

Erit igitur magnus, & filius altiſsimi vocabitur: quod primũ & ſummum argumentum regis Meſsiæ eſſe debuit, iuxta illud: Paruulus natus *Iſaiæ 9.*

est nobis, & filius datus est nobis: & factus est principatus super humerum eius: & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis: multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis: super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, à modò & vsq; in sempiternum. Filium autem antè secula esse vocatum, probant illa Dauidis verba: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Apud Deum enim, non est cras, neque hodie. Quoniam igitur Deus pater, semper fuit, ac dictus est pater; inde est & filium semper fuisse, & semper vocatum esse filium, ex quo, & per quem ipsa filiatio ad homines promanet: eatenus enim filij Dei & nos vocamur, quatenus vnigeniti filij membra sumus, & nunc intrepidè clamamus, Abba pater. Omnem autem impossibilitatem rei ac difficultatem remouet, cùm dicit filium altissimi futurum, cui omnia parent, omnia sunt possibilia. quemadmodum omnem aufert turpitudinẽ, cùm patrem eius Dauidem paulò pòst denunciat: Sublimis est, inquit, humana natura, sed longè sublimior angelica, diuina maximè sublimis: & ideò, inquit, filius altissimi vocabitur, quod postea clarius exponit: Quod, inquit, nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Non quidem vulgari more, quo iusti purgati à peccatis, ac per gratiam Dei iustificati, per adoptionem dicuntur filij Dei; sed singulari ratione vocabitur filius Dei, ex quo & cuius virtute verè bis natus sit, semel absque initio, ex æterno æternus; nunc in tempore ex matre mortali mortalis, homo ex homine. Sicut autem in hoc congressu diuina natura cum humana conglutinabitur; ita partus vtriusque parentis naturam referet. Vocabitur tantùm, musitat in aliquo angulo hæreticus, & non erit. Miras verò diaboli fraudes, miram versutiam: dictum est, hic erit magnus: offenditur verbo, erit, aliud desiderat; vbi aliud positum est, vocabitur nempè, iterum illud, erit, repetit. Atqui ad obstruendum os illius impudens, hoc vtrunq; positum est, & supra erit, & nunc vocabitur. De Christo enim Domino in vtero matris concipiendo, erit, superius ex ea causa, quam attuli, dictum est: at nunc de filio Dei, qui antè secula genitus est, vocabitur vsurpat Angelus. Si erit dixisset, tum illud impium olim Ario vsurpatum sophisma veterator inferret, ergo erat tempus, quando non erat; quod ne faceret, vocabitur potius, quàm erit dixit Angelus. filius enim Dei cùm in omni æternitate esset, & ante omnia secula, per quem facta sunt & secula; vocari tamen, id est, mundo innotescere in tempore debuit, posteaquam in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Tunc demùm passim ab omnibus filius Dei appellari cœpit, omnibus conspicuus in omnium oculis miracula edens. Ratiocinabatur ex hoc loco impius Seruetus, non fuisse eum Dei filium, antè quàm carne indutus appareret, quia dictum est ab Angelo, vocabitur. Sed huic præclarè respondit iam olim
» Andreas Hierosolymitanus: Vocabitur, inquit, non quòd verbum exi-
» stendi principium de carne sortitum sit; erat enim in principio verbum, &
» Deus erat verbum, & verbum erat apud Deum; & ipse conditor seculo-

rum,

rum, patri coæternus, & vniuersalis creator: sed iuxta subsistentiam sibimet vniens humanam naturam, etiam tum, vt homo, filius Dei vocari cœpit; eamque ob causam mater eius, mater Dei appellata est. Vocatus est autem primùm à patre ipso, qui in eius baptismo illud inclamauit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Deinde à spiritu sancto, per os Petri loquente: Tu es Christus filius Dei vi- *Matth. 3. Lucæ 9.* ui. Vocatus à diabolo: Iesu fili Dei, ante tempus venisti huc, torquere *Matth. 16. Matth. 8.* nos? Vocatus & à crucifigentibus eum, toties illud repetentibus: Verè filius Dei erat iste: vocatur à fidelibus omnibus. Si igitur filius, ergo & *Matth. 27.* hæres: ergo Deus benedictus in secula. Fremit amplius improbitas Ariana, adoptiuus fuit filius. Atqui hoc modo omnes vocamur filij Dei, & sumus, qui adoptamur in spem æternæ hæreditatis: atque ita nihil magnum, nihil nouum, nihil singulare de illo protulisset Angelus: Quotquot *Ioan. 1.* enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. quæ quidem nostra filiatio, vmbra tantùm & imago est veræ illius & naturalis, & coæternæ filiationis: quod sic explicauit Paulus: Nam quos, inquit, præsci- *Rom. 8.* uit, & prædestinauit, conformes fieri imagini filij sui; vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Et Ioannes: Vt simus in vero filius eius, qui est *1. Ioan. 5.* verus Deus & vita æterna. Quæri autem hoc loco idque à doctis solet: Cur filius Dei potius factus sit homo, & non pater, aut spiritus sanctus? Cuius rei multæ adferri possunt rationes. An quòd, per quem facta sunt, per eum reficienda erant omnia. Nam & artifex, per quam artis formam rem condidit; per eandem collapsam illam restaurare solet. Omnia autem in sapientia facta sunt, siue quæ in cœlis sunt, siue quæ in terris; omnia igitur per eandem sanari debebant. An quod de patre docere & idololatriam purgare rationis verbique omnia in mundo gubernantis, proprium erat opus, vt expendit Athanasius: An quod exemplar imaginis diuinæ hominibus restituere illi soli conueniebat, qui est imago patris. An quòd lapsus naturæ nostræ, qui per affectationem scientiæ & sapientiæ accidit: (Eua enim scire mala & bona voluit) per eandem sapientiam erigi debuit. Porrò sapientia patris filius est; per eum igitur recuperari hominem oportuit, iuxta illud: Scio ego quoniam propter me tem- *Ionæ 2.* pestas hæc grandis super vos. An quòd non nisi per brachium & virtutẽ Dei dexterámq; excelsi, quæ filius Dei est, hic tantus casus emendari restauraríq; potuit. An quòd Lucifer inprimis & maximè filio Dei inuidit, & aduersatus est: ab eodémq; vinci & superari debuit. An quòd, vt pu- *Cur Deus homo lib. 2. c. 9. Et de incarnatione verbi cap. 4.* tat Anselmus, qui erat incarnandus, oraturus erat pro humano genere; & satis conuenientius suscipit mens humana, filium patri, quàm alium aliis supplicare. quamùis hæc supplicatio non fiat à diuinitate, sed ab humanitate ad diuinitatem. Quam idcircò filius Dei facit; quia homo per vnitatem personæ, filius Dei est. An quòd ambo, diabolus, scilicet & homo, per rapinam se voluerunt facere similes Deo; cùm propria sunt vsi voluntate. Nulla igitur trium personarum Dei, congruentius semetipsam exinaniuit, formam serui accipiens ad debellandum diabolum, & intercedendum

dendum pro homine; qui per rapinam ſimilitudinem Dei falſam præſumſerant, quàm filius, qui ſplendor lucis æternæ, & vera patris imago, non rapinam arbitratus eſt, eſſe æqualem Deo, verum per veram æqualitatem & ſimilitudinem dixit: Ego & pater vnum ſumus, Et, Qui videt me, videt & patrem. Nullus namque iuſtius expugnat reum, vel punit, aut illi miſericordius parcit, vel pro eo intercedit; quàm cui ſpecialius iniuria fieri probatur: nec aliquid conuenientius opponitur falſitati ad expugnãdum, aut apponitur ad ſaluandum, quàm veritas. In illum enim falſam Dei præſumentes ſimilitudinem ſpecialius primi parentes peccaſſe videntur, qui vera Dei patris ſimilitudo creditur. An quòd, ſi quælibet alia perſona incarnaretur, eſſent duo filij in Trinitate; filius ſcilicet Dei, qui & ante incarnationem filius eſt, & ille qui per incarnationem filius eſſet virginis: & eſſet in perſonis, quæ ſemper æquales eſſe debent, inæqualitas ſecundùm dignitatem natiuitatum. Digniorem namque natiuitatem haberet natus ex Deo, quàm natus ex virgine. An quòd pater in creatione, ſpiritus ſanctus in gubernatione, filius in incarnatione ac redemptione, innoteſcere debuit. An propter eas omnes cauſas, an propter alias, quas ipſum verbum melius nouit. Quod etiam propterea in ſcripturis ſæpius germen dici, veteres annotarunt Rabini: quia conuenientius fuit filium, quàm patrem, aut ſpiritum ſanctum, incarnari: non tamẽ alium Deum à patre & ſpiritu ſancto: vt hoc ipſum venuſtiſsima ſimilitudine illuſtrat Anſelmus: Si riuus, inquit, per fiſtulam currat, à fonte vſq; ad lacum: nónne ſolus riuus, quamùis non alius Nilus, quàm fons & lacus, infiſtulatus eſt, vt ita dicam: ſic ſolus filius incarnatus eſt; licet non alius Deus, quàm pater & ſpiritus ſanctus.

De incarnatione verbi cap. 7.

Qualis autem hic futurus ſit filius, mox ex ipſa hæreditate, regnſque ipſius amplitudine ac maieſtate demonſtrat; ac cùm quantus in ſe ſit docuiſſet; nunc quantus ab extra futurus erat docet: eum ſcilicet ſolum verum Meſsiam, à prophetis prædictum, & tot ſeculis expectatum ac deſideratum, futurum; qui neque fraude, neque aliqua externa vi regnum ſuum ſit conſecuturus: ſed ab ipſo Domino Deo illud accepturus, & ideò regnum eius ſempiternum futurum. Et dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Si igitur pater illi dabit, minor eſt patre? Nequaquam: hoc enim non aliquam inæqualitatem, ſed rationem tantùm fontis & originis deſignat: quomodo & naturam & eſſentiam, & omnia alia dicitur filius à patre accepiſſe; ſolus enim pater à nullo eſt; filius à ſolo patre & eſt, & omnia ſua habet. Quanquam hæc omnia ad futuram conceptionem & generationem eius hoc loco referantur. Dicitur autem regnum Meſsiæ, ſedes Dauid, & ipſe Meſsias nomine Dauidis, vt apud Ieremiam: Seruient Domino Deo ſuo, & Dauid regi ſuo. Apud Ezechielem item: Dauid ſeruus meus regnabit princeps ſuper illos. Apud Oſeam: Requirent Dominum, & Dauid regem ſuum. Et apud Amos: Suſcitabo tabernaculum Dauid. multis de cauſis: vel quòd regi Dauidi præcipuè antè

Ierem. 30. Ezechiel. 24. Oſeæ 3. Amos 7.

alios

alios promiſſum fuerit: De fructu ventris tui, ponam ſuper ſedem tuam. vel quòd ex eius ſtirpe & progenie ſit ortum: Orietur virga de radice Ieſſe,& flos de illa aſcendet. vel quòd in ipſius Dauidis regno fuerit inprimis figuratum. Quemadmodum enim Dauid regno ſuo nulla vi, nullo humano conſilio, nullis mortalium opibus ac præſidiis potitus eſt; ſed quaſi de manu Dei in manum illud gubernandum accepit: ſic Chriſti regnum nullis humanis conſiliis, nulla ope externa, nulla vi aut potentia ſtetis; ſed ſola ſempiterna Dei voluntate & ordinatione, fundatum eſt. Et quemadmodum rex Dauid, etſi quidem in regem vnctus erat, non tamen ſtatim regno potitus eſt, illúdque adiit; ſed priùs cum Goliath congreſſus eſt: priùs multis aduerſis & calamitatibus iactatus: multa vndique, tàm à domeſticis. illísque quos beneficiis aliquando affecerat, quàm ab alienis perpeſſus. Ob quam ſuam perſeuerantiam ac patientiam, victor demùm glorioſus potentiſsimúſque rex factus; ac in ſolio regni ſumma pace & quiete, nec quicquam inimicis eius obſiſtentibus, ac nihil non contra illum tum molientibus, conſedit. Ita Chriſtus Dominus, primùm quidem in ſuo baptiſmate à ſpiritu ſancto vnctus eſt; non ſtatim tamen in ſuo conſedit ſolio: ſed priùs multos & varios labores exhauſit, ac exantlauit: omnéque genus calumniarum ac tribulationum pertulit: in acerbam crucem ad extremum actus; demùm ſempiterni patris volũtate à morte tertia die excitatus, illam vocem audiuit: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Et quemadmodum Dauid rex, non ſimul toti regno imperauit; ſed primùm ſuper tribũ Iuda ſolam conſtitutus, deinde multo pòſt tempore vniuerſo regno Iſraelitico potitus eſt. Sic rex Meſsias, non ſimul itidem toto regno ſuo auctus eſt, ſed bis ſimiliter quodammodo in ſede Dauid conſedit: primò quidẽ, tunc cùm aſcendens ſuper vniuerſos cœlos, in dextera conſedit patris, vnde factus eſt caput ſuper vniuerſam eccleſiam; datæq; ſunt illi gentes in hæreditatem, & in poſſeſsionem termini terræ: ſecundò autem, in extremo iudicio firmam ac fixam accipiet ſedem, ſuíque imperij poteſtatem; vbi ſubiectis inimicis ſub pedibus ſuis regnabit in domo Iacob in æternum: Dominabitur cum ſole & ante lunam, & luna in cœlo teſtis erit fidelis: & regni eius non erit finis, vt inquit Gabriel. Minor erat inter fratres ſuos Dauid, pecus paſcebat, vilis & abiectus: ſic & Chriſtus Dominus formam ſerui gerens, fabri filius, vel à fratribus ipſis ſpretus: Nam & fratres eius, inquit ſcriptura, non credebant in eum. veluti vorax & vini potor, dæmoniúmq; habens, reputatus fuit. Dum proderat Dauid, & quibus proderat, ab illis vexabatur: ſic alter Dauid ab iis, inter quos miracula geſsit, toties calumniam paſſus, toties lapidibus petitus eſt. Cedendo malis vicit Dauid, regnóque potitus eſt: mortem obeundo Chriſtus dominus in throno ſuo conſedit. Mitiſsimum fuit regnum Dauid, ipſéque patientiſsimus rex: mitiſsimum & Chriſti Domini. Auxit cultum diuinum Dauid: erexit Chriſtus Dominus. Charitate & patientia excelluit Dauid: ſuperauit omnes Chriſtus Dominus. Vltimò Dauid rex, vniuerſum curſum regni ſui,

gni ſui, non ſine cruce multíſque calamitatibus tranſegit: ita hic ipſe rex noſter, poſitus eſt in ſignum cui contradicitur: in lapidem offenſionis: in petram ſcandali multis de domo Iſrael: in quem vniuerſæ portæ inferorum omnia tela ignita ſua direxerunt. Vicit tamen hæc omnia vterq; 2. Reg. 7. Dauid; & completum eſt illud de vtroque: Sedit rex in domo ſua, & Dominus dedit ei requiem vndique ab vniuerſis inimicis ſuis. Senex plenus dierum, aut potius æternitatis.

Dabit igitur illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacob, in æternum: domo, inquit peregrinante, ſeruiente, fugiente. Regnabit autem miſeros & affiictos ſubleuando: malos extirpando: bonos exaltando: omnibus imperando: hoſtes ſubiugando: iura promulgando. Regnabit per gratiam, & gloriam: regnabit per charitatem: regnabit per hypoſtaticam vnionem. Huic enim domui ſalus peculiariter fuit promiſſa: huius Chriſtus, teſte Paulo, miniſter fuit; in hanc aliæ gentes & populi noua adoptione inſertę ſunt. Inde orbis totus leges & iura petere debuit, niſi ſua defectione tanto ſe abdicaſſet honore. Non tamen qui filij carnis, filij Abraham, filij Iacob; ſed qui filij ſunt ſpiritus. Potens eſt tamen Deus & illos inſerere. Noli igitur altum ſapere, ſed time. Et hæc quidem hactenus. Quæ autem & qualis, & quo loco hæc ſedes eſſe debeat, ſequens docebit ſermo.

NVNCII SALVTIS, SIVE DE INCARNATIONE, Sermo Quartus.

Et dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum: & regni eius non erit finis.

Vlta equidem & præclara ſunt apud prophetas regis Meſsiæ, cuius, nunc glorioſam incarnationem explicamus, inſignia atque ornamenta; inter quæ illud non obſcurum eſt Iſaiæ: Non, inquit, clamabit, neq; accipiet perſonam, nec audietur vox eius foris. Calamum quaſſatum non conteret: & linum fumigãs non extinguet. Non erit triſtis neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium: & legem eius inſulæ expectabunt. Non triſtem, non violentum, non rapacem futurum pollicetur Propheta. Hoc idem nunc Angelus virgini annuntiat. Docet enim, hunc ipſum recens naſciturum, & con-

Iſaiæ 42.

& concipiendum regem, non vi, nec armis, nec vlla seculi potentia aut violentia, regno suo potiturum; sed de manu omnipotentis Dei illud accepturum: Dabit, inquit, illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum: & regni eius non erit finis. Quod quàm planè completum fuerit, vel ex illis ipsis, qui ad hoc occupandum regnum missi fuerant, ducibus, piscatoribus, inquam, duodecim Apostolis, videre licet, qui nulla sapientia, nulla eloquentia instructi, nullis mundi præsidiis muniti, nullis ornamentis commendati, nudi, egentes, angustiati, orbem terrarum pedibus sui regis subiecerunt. Quod autem hoc regnum, & quale sit, & vbi consistat, posteaquam de rege diximus, nunc paucis explicemus. Quod etsi semper maximas difficultates habuit, fuítque inuentu perdifficile: hoc tamen tempore maximè, vbi de hoc regno eiúsque regni sede, tantæ & tales contentiones sunt exortæ, est difficilimum, inprimis autem necessarium.

Christus igitur Iesus Saluator noster, cùm sit verus Deus & homo, illud ab æterno, hoc in tempore: habet quædam, quæ sibi ab æterno natura sua sunt, cum patre, & spiritu sancto communia, vtpotè naturam & essentiam, vitam, gloriam, imperium, vim creantem & gubernantem, tenentémque omnia: habet alia, quæ vt homo in tempore à patre accepit: eáq; obedientia, qua patri obediens fuit, vsque ad mortem, mortem autem crucis, sibi vt homo quæsiuit. Talia autem sunt, nominis supra omne nomen exaltatio, & latriæ cultus. Quod ita explicat Damascenus: Non timeo carbonem tangere propter ligno copulatum ignem: adoro Christi Dei mei simul vtramque naturam propter carni vnitam deitatem. *De orthodo. fide 3. cap. 8.* Et Augustinus: Ego dominicam carnem imò perfectam in Christo humanitatem ideò adoro, quod à diuinitate suscepta, & deitati vnita est; vt non alium, & alium, sed vnum eundémque Deum & hominem filium Dei esse confitear. *Serm. 58. de verb. domini.* Vt enim vestis, & trabea regis magni, vnà cum rege, vno cultu quodammodo honoratur, quæ sine rege eiúsque ratione nullum mereretur honorem: ita, & multò magis, caro Christi, propter eam quam habet arctissimam, id est, hypostaticam, in vna persona cum diuinitate coniunctionem, eodem cultu, quo ipse Deus colitur; quæ eadem à diuinitate seiuncta (quod tamen neque fuit, neque erit vnquam; quod enim semel assumpsit, dimittet nunquam) amplius eodem cultu non coleretur. Quantisper autem cum diuinitate coniuncta, vnam efficit Christi personam, ita colitur; vt in nomine eius omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: nisi fortè quis infectus Iudaica, aut Ariana, vel Sacramentaria labe, id facere recuset, ac contra Deum suum tergum vertat. Sic eodem modo hic ipse Christus Dominus, omnem iudiciariam accepit potestatem, vt ipse sit iudex viuorum & mortuorum, iuxta illud: Causa tua iudicata est, veluti impij: causam & iudicium recipies. *Iob 36.* Et illud: Pater non iudicat quenquam: sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem. *Ioan. 5.* Consecutus est item & illud, vt sit caput super omnem ecclesiam; in quam ille

vniuersum

vniuersum motum, sensum, vitam, omnem vbertatem gratiæ largissimè confert, atque illi subministrat. Illud similiter, vt sit rex regum, Dominus dominantium; ac denique vt habeat sedem Dauid patris sui, & regnet in domo Iacob in æternum. Hoc igitur nunc agit Angelus: huic ipsi ab æterno excelso præ omnibus regibus terræ secundùm suam diuinitatem, pollicetur similiter etiam iuxta illius humanitatem, daturum Deum sedem Dauid patris eius: & regnaturum eum in domo Iacob, regníque eius finem nullũ futurum. De qua sede & domo Iacob, quæ & qualis futura esset, magna est & fuit semper controuersia: hæcque sola res Iudæos in transuersum egit, atque in ipso portu, quasi naufragium perpeti fecit. Legebant siquidẽ apud omnes ferè prophetas, Messiam regem futurum soliúmque Dauid occupaturum. Nam & apud Isaiam illud legitur: Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis: super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iustitia, à modò vsq; in sempiternum. Et apud Ieremiam: Ecce dies venient, & suscitabo Dauid germen iustum; & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra. Et apud Ezechielem: Et Dauid seruus meus princeps in medio eorum, ego Dominus locutus sum: & percutiam illis fœdus pacis, pactum sempiternum erit eis. Et apud Amos: In die illa suscitabo tabernaculum Dauid quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum eius, & ea quæ corruerant instaurabo. Fuit igitur hic sensus, hæc expectatio omnium, venturum Messiam, visibilem sedem & thronum Dauidis statim occupaturum; ac inde vniuersas gentes regno & imperio suo subiecturum, omnibúsque gentibus ac linguis imperaturum. Vnde illa hebraicæ gentis puerorum acclamatio: Hosanna filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domini rex Israel; benedictum, quod venit, regnum patris nostri Dauid: pax in cœlo & gloria in excelsis. Peruenerat hæc opinio ad Apostolos vsque ipsos. Vnde illa frequens percontatio: Domine num in tempore hoc restitues regnum Israel? Vnde illa matris filiorum Zebedæi prensatio. Dic vt sedeant hi duo filij mei, alter ad dexteram, alter ad sinistram tuam, in regno tuo. Vnde illa ambitiosa Apostolorum contentio, quis eorum videretur esse maior? Omnia enim ad sensibile & temporale quoddã regnum Christi referebant. Hæc autem proueniebant indè, quòd & Iudæi & Apostoli ignorabant, quod & quale regnum ipsius Dauid fuerit, & postea Christi Domini futurum esset: nempè hominibus sensui deditis, nihil aliud, nisi quod sensum moueret, intelligentibus atque desiderantibus. Potissimùm verò hæc inde, vnde itidem & nunc omnes errores atque hæreses exoriuntur, promanabant, quòd partem tantùm quandam scripturæ de eo regno viderent, alias autem negligerent. Quemadmodum autem pulchrę statuæ aut imaginis, non pars vna tantùm est videnda, sed totum corpus diligentius cõsiderandum: sic cuiusque scripti totus scopus, tota videnda est simul analogia, tota rerum series atque connexio. Quod in sacris scripturis maximè elucet, quas qui totas non nouit, nihil nouit; quæ non tàm verbis, quàm

Isaiæ 9.
Ierem. 30.
Ezechiel. 37.
Amos 9.
Matth. 29.
Marci 11.
Lucæ 19.
Acto. 1.
Matth. 20.
Lucæ 22.

quàm re & ſenſu ipſo loquuntur. Hinc quidam ea, quę maximè ſcripturę aduerſantur, ſcripturę conſentanea eſſe putant; & contrà, quę ſcripturam ipſam ſpirant, ab ea alieniſsima eſſe iudicant.

A Dauidis igitur regno, quod typus regni Chriſti fuit, exordiamur: quod neque penitus terrenum & ſeculare, neq; item penitus cœleſte aut ſpiritale; ſed partim terrenum & ciuile, partim item ſpiritale fuit. Hoc vbi totam ſimul ſcripturam inſpexeris, omnéſque partes eius ſimul contuleris, planè perſpicies. Terrenum, ciuile ac politicum, qua parte regnum Dauid fuerit, nihil attinet dicere: In matutino, inquit, interficiebam omnes peccatores terræ, vt diſperderem de ciuitate domini omnes operantes iniquitatem. *Pſalm. 99.* Spirituale autem fuit, non ſolùm ea parte, quòd vmbra & figura quædam eſſet, vti dictum eſt, regni Chriſti; nam vtrunq; ex paruis initiis ortum; vtrunque nec vi, nec dolo partum, ſed ab ipſa dextera excelſi porrectum; vtrumq; multis tribulationibus, perſecutionibus, moleſtiis, antecedentibus & conſequentibus vexatum eſt: ſed longè magis ex illa ratione, quòd cœleſtis patriæ promiſsiones acceperit, illíque populo præfuerit, qui promiſsionem & ſignaculum fidei, circumciſionem, inquam, atque æternæ patriæ ſpem habuit, atque multa alia futuræ vitæ pignora acceperit. tum quòd totum illud Dauidis regimen, non hoc ſolùm ſpectabat, vt tantùm in præſenti vita felix & incolume regnum ſuum eſſet; ſed longè magis, vt ad cœleſtem illam & æternam patriam aſpiràret, eóque perueniret. Cuius regiminis, præſtans illud & diuinum commentarium eſt, Pſalterium, inquam, in quo abundè & prolixè cœleſtis patriæ omnis decor, ſplendor, dignitas continetur; omnéſque illius conſequendæ artes, & modi ita explicantur, vt à nullo neque ſolidius, neque religioſius, neque venuſtius explicari poſsint: ita vt in tertia parte vniuerſæ ſacræ doctrinæ ſaluator ipſe illud repoſuerit, vbi inquit, In lege, prophetis, & pſalmis. Cuius quidem patriæ ſeipſum ipſe rex ita cupidum eſſe demonſtrat, vt quemadmodum ceruus in ſumma ſiti, ad fontes aquarum incitato curſu fertur; ſic ille lachrymas ſuas ſibi fuiſſe panes die ac nocte, dum recordatur cœleſtis Sion, magnificè canit. Itáque illi, qui eius parebant regimini, Dei filij & erant, & vocabantur, æternæ hæreditatis participes aliquando efficiendi: quemadmodum ex aduerſo, qui illius doctrinæ ac imperio parere nolebant, illúdq; aſpernabantur, iſti filij Belial, hoc eſt, filij ſine iugo, filij gehennæ vocari ſolent; à vita non ſolùm temporali hac, ſed æterna etiam excludendi. Et de Dauidis quidem regno, hæc pauca ex multis. Quemadmodum igitur Dauidis regnum, non terrenum tantùm & certi temporis, ſed ſpiritale etiam & cœleſte, ob eas cauſas, quas diximus, erat; ita & Chriſti domini regnum, cuius illud vmbra & typus fuit, non ipſum temporale regnum ſolùm, aut huius ſeculi, de hócque mundo eſſe debuit, ſed æternum etiam & ſpiritale. Spiritalis regis eſt, ſacramenta inſtituere, doctrinam de Deo veram tradere, & falſam abrogare; quaſdam humanas leges, vt diuinæ ſubſtituantur, vel auferre penitus, vel interpretari: ſalutem & iuſtitiam largiri: cœlum donare. Po-

litici verò regis illa ſunt, quæ futuro Meſsiæ in ſpiritu precatur Dauid: Deus iudicium tuum regi da: & iuſtitiam tuam filio regis, iudicare populum tuum in iuſtitia, & pauperes tuos in iudicio. Suſcipiant montes pacem populi, & colles iuſtitiam: iudicabit pauperes populi, & ſaluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem. Quæ omnia fecit Chriſtus Dominus, qui Patre vngẽte, Spiritus ſancti vnctione vnctus fuit, iuxta Irenæum, qui demùm temporali regno poſt mortem ſuam in ſuis ſucceſſoribus defungitur, iuxta illud: Stabiliui thronum eius in ſempiternum. Ea tamen differentia regni illius & Dauidici fuit, vt in huius quidem regno, id quod temporale fuit & terrenum, magis appareret, ac quaſi emineret, familiámq; duceret: illud autem, quod ſpiritale, pertenue ac perobſcurum eſſet. In Ieſu Chriſti autem imperio contrà; illud quod terrenum & ſeculare eſt, nec ita ſtatim, nec ita manifeſtè apparere; quod autem cœleſte & ſpiritale eſt, id ſubitò & longè illuſtrius in eo dominari ac elucere debuit. Quantum autẽ anima corpori præſtat, tantum imperium Chriſti imperiis omnibus præſtare debuit: & ideò ſpiritu potius quàm carne regi; eámque ob cauſam ab eo, quòd primatum in hoc regno tenet, & Theophylactus & alij S. patres planè ſpirituale & cœleſte regnum hoc dixerunt: ita tamen, vt hoc aliud viſibile, quod in hoc mundo verſatur, ac militare; ordinémque ſuum hierarchicum tueri debet, non excludant. Quod ita eſſe, vetuſtiſsimus doctor Athanaſius teſtatur: Accipit autem in his verbis thronum Dauidis corporaliter, ex ratione proſapiæ, *De ſanctiſs. Deipara.*

" qua pater illi Dauid fuit. Et regnabit in domo Iacob in æternum: & re-
" gni eius non erit finis, &c. Ergo capiens Chriſtus thronũ Dauidis, tranſ-
" tulit illum, & dedit ſanctis Chriſtianorum regibus, vt conuerteret eos ad
" domum Iacob, qua tradita in opprobrium & direptionem regnabit in
" Chriſtianis in æternum, & regni eius non erit finis. Non enim populo
" vlli alij reſidui ſunt prophetæ, ſecundùm viſiones Danielis; ſed hunc ſo-
" lùm Meſsiam eſſe prædicant, & regem agnoſcunt, perſeuerantem vſque
" ad ſecundum ſuum ipſius aduentum: quo tempore quum venerit, mane-
" bit rex in ſeculum, & regni eius non erit finis. Siquidem genitus ex vir-
" gine, & conſumatis omnibus, quæ ad negotium mortis & crucis perti-
" nebant, poſt reſurrectionem ad ſuos aiebat: Data eſt mihi omnis pote-
" ſtas in cœlo & in terra. Ecce iam inde regnare incepit, & prædicatur
" Chriſtianorum rex: quemadmodum in exordio precum ſuarum, ſe inui-
" cem adhortantes, atque in cœtum conuocantes clamare ſolent: Venite
" adoremus, & procidamus coram Chriſto rege noſtro. Et illud itidem, is
" qui venturus eſt in magno ſuo & illuſtri aduentu, permanebit regnans in
" æternum, & regni eius non erit finis. Et regnum quidẽ Dauid terrenum & viſibile deſinere, finémque habere debuiſſe; regnum autem eius ſpirituale perpetuò duraturum fuiſſe: ad eóſque potius qui fidem Iacob, & Dauidis ſecuti ſunt, quàm genus carnale pertinere, abundè docent prophetæ. Quod tamen neque Iudæi, neque Apoſtoli illis temporibus rectè intellexerunt; tempus verò ipſum & res poſtea clariùs edocuit. In quibus

princeps

princeps ipſe Dauid: Iurauit, inquit, Dominus Dauid veritatem, & non *Pſalm. 31.*
fruſtrabitur eum: de fructu ventris tui, ponam ſuper ſedem tuam. Si cuſtodierint filij tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea, hæc quæ docebo eos, & filij eorum vſque in ſeculum ſedebunt ſuper ſedem tuam. Et
in alio pſalmo: In æternum illi ſeruabo miſericordiam meam, & teſta- *Pſalm. 88.*
mentum meum fidele ipſi: & ponam in ſeculum ſeculi ſemẽ eius, & thronum eius ſicut dies cœli. Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint, ſi iuſtitias meas profanauerint, & mandata mea non cuſtodierint, viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum: miſericordiam autem meam, non diſpergam ab eo, neque nocebo in veritate mea, neq; profanabo teſtamentum meum, & quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita. Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar, ſemen eius in æternum manebit, & thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum & teſtis in cœlo fidelis. Quæ de regno viſibili Dauidis, quod in Roboam nepote eius ſciſſum fuit, nequaquam intelligi poſſunt. Et hæc quidem ipſe Dauid magnificè. At longè diſtinctius Ieremias, cuius prophetæ ſen- *Ierem. 22.*
ſus ille eſt: Ioſias iuſtus, & Deo gratus, quatuor habebat filios, Ioachazum, inquam, & Ioachimum, Sedechiam, & Selumum; ex quibus Ioachimus, cùm omni genere vitiorum ſcelerúmq; vitam ſuam contaminaſſet, populum Dei oppreſsiſſet, viduæ aduenæ & pupilli cauſam non iudicaſſet; Deum ad iram prouocauit: & non tantùm ipſe, verùm etiam filius eius Ieconias; quem non minus ſcelerum, quàm regni ſucceſſorem reliquit. Latere hoc noluit ſeruum ſuum Ieremiam Dominus, & ea verba in commentarios prophetiæ ſuæ de vltimo, quantum ad carnem, regni Dauid occaſu, referre iuſsit: Hæc dicit dominus: Scribe virum iſtum 22. *cap.*
ſterilem, virum qui in diebus ſuis non proſperabitur; nec enim erit de ſemine eius vir, qui ſedeat ſuper ſolium Dauid, & poteſtatem habeat vltra in Iuda. Quo loco, vbi virum ſterilem ſcribere iubet; non tàm eam ſterilitatem, quæ carnis eſt, quàm ipſam imperij & regni ablationem, denuntiat Deus. Nam etſi de Ieconia natus eſt Salatiel, cæteríque ſeptem filij, & de Salatiel natus eſt Zorobabel, & per ordinem ventũ eſt ad Chriſtum; tamen vt D. Hieronymus inquit, in diebus Ioachin, id eſt Ieconiæ, non ſucceſsit ei rex filius, ſicut ipſe patri ſucceſſerat; ſed fuit in captiuitate & Salatiel, & Zorobabel, & vſque ad Chriſtum nullus obtinuit regiam poteſtatem. Vnde & Ioſephus refert de ſacerdotali genere, ac tribu Leui fuiſſe principes, quibus ſucceſſerit Herodes Antipatri filius Proſelythus. Quod autem de non auferendo ſceptro de Iuda ſcriptum eſt; id non tàm ad domum Dauid referendum eſt, quàm ad tribum totã; quæ ſemper inter alias tribus primas partes obtinuit: à qua & gens tota, & regio, vt Euſebius de Euangelica demonſtratione docet, Iudæa denominata eſt. Quæ ſceptrum illud à ſpiritu ſancto per Iacob domui Iudæ datum, primùm in regibus, deinde in iudicibus ordinariis Sanhedrin, hoc eſt, ſeptuaginta ſeniorum, qui etiam ablato regno in Gazith cauſas po-

puli iudicabant, conſeruauit. Penes hoc collegium ſeptuaginta ſeniorũ, ſumma pacis ac belli fuit: his authoribus, bella ſuſcipiebantur ac deponebantur: hi de maximis rebus cognoſcebant: hi omnes legis ac fidei difficultates decidebant. Non erant iudicantes tribum, tradunt Rabini, vel ſceptrum, neque pſeudoprophetam, neque ſacerdotem magnum, niſi domus iudicij ſeptuaginta iudicum: nec erant egredientes ad licitum bellum, niſi ſecundùm os domus iudicii ſeptuaginta iudicum: nec addebant ciuitati, nec ſalariis templi, niſi per os domus iudicij ſeptuaginta iudicum: nec conuentus iudicum inferiorum tribubus poterat ordinari, niſi per domum iudicij ſeptuaginta iudicum; quod per manuum impoſitionem fiebat. Retinebantque hi authoritatem ſuam vſque ad tempora Herodis Aſcalonitæ; qui non modò alienigena, patre Idumæo, matre Arabiſſa, verùm ſeruus quoque Machabæorum fuit: ex eóque conſilio plurimos occidit, reliquis autem ſuam authoritatem ademit. Vnde illa eius ordinis querela: Nobis non licet occidere quenquam. Et in libro Sanhedrin Ieroſolymitano: Væ nobis, quia receſsit ſceptrum de Iuda, & nondum venit filius Dauid, id eſt Meſsias. Quod ipſa prophetia pulchrè diſtinguit: Non recedet ſceptrum de Iuda, & iudex, ſeu ſcriba, de fœmore eius, donec veniat Silo. Quibus verbis planè indicatur: etſi ſceptrum, ſeu regnum, de Iuda ablatum fuerit; iudicem tamen & ſcribam auferendum non fuiſſe, donec veniret Silo, id eſt, filius virginis, Meſsias, qui mittendus erat cuius eſt regnum. Quanquam non in iudicibus tantùm, qui ſcribæ dicebantur, ſed etiam in principibus continuatio hæc ſceptri ſeu principatus demonſtrari poſsit. Nam & Zorobabel, qui populi in reditu è captiuitate princeps extitit, de tribu Iuda fuit: & alij omnes penes quos vſque ad Machabæos adminiſtratio fuit, de tribu Iuda fuerunt, vt ipſi etiam Talmudiſtæ tradunt. Machabæi quoque, qui poſtea vſque ad Herodem Aſcalonitam Iudæorum principatum obtinuerunt, de tribu Iuda cenſebantur: quia tribus regia & tribus Iuda commixtæ erant, vt patet 4. Reg. 11. Vnde & ipſi Machabæi ſecundùm genus maternum ex tribu Iuda proceſſerunt. Verùm nos, vnde digreſsi ſumus, reuertamur. Cùm igitur, ita vt paulò antè diximus, de vltimo occaſu regni ſeminis Ieconiæ per Ieremiam prædictum fuiſſet, ſtatim ſequenti capite illud ſequitur: Ecce dies venient, dicit Dominus, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum; & regnabit rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium & iuſtitiam in terra. Et capite 30. Non dominabuntur eis amplius alieni; ſed ſeruient Domino Deo ſuo, & Dauid regi ſuo, quem ſuſcitabo eis. Et apud Oſeam: Dies multos ſedebũt filij Iſrael ſine rege, & ſine principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine ephod, & ſine teraphim; & poſt hæc reuertentur filij Iſrael, & quærent Dominum Deum ſuum, & Dauid regem ſuum; & pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius in nouiſsimo dierum. Magiſtri quidem Hebræorum diuinantes, & quaſi circa ianuam ambulantes, dixerunt: Iſte rex Meſsias, ſi de viuis eſt, Dauid eſt nomen eius; ſi de mortuis Dauid eſt nomen eius. Verùm hæc ita commodiſsimè explicantur: ſi illa prima

Ierem. 23.

Oſeæ 3.

la prima ad temporale Dauidis regnum, quod plerunq; ob peccata principum de gente in gentem, de familia in familiam transferri, ac nonnunquam penitus extingui, ac occumbere ſolet: hæc verò ad ſpirituale dominium, æternis duraturum temporibus, referantur. Equidem ipſe Ieremias, quale hoc ſit regnum, de quo poſterius dixit, & quod denuò exoriturum prædixit, in ſequentibus exponit: In diebus, inquit, illis, ſaluabitur Iuda, & Iſrael habitabit confidenter: & hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter. Et non dicent vltra: Viuit Dominus, qui eduxit Iſrael de terra Ægypti; ſed, Viuit Dominus, qui eduxit ſemen Iſraelis de terra Aquilonis, & de cunctis terris, ad quas eieceram illos. Sed & primus Dauid, regni ſui perpetuitatem, ac ſecundi Dauid ſuſcitationem, diuinitus exponit, eúmque vt Deum verum celebrat: Diſpoſui teſtamentum electis meis, iuraui Dauid ſeruo meo, vſque in æternum præparabo ſemen tuum, & ædificabo in generatione & generationem ſedem tuam. Confitebuntur cœli mirabilia tua Deus, etenim veritatem tuam in eccleſia ſanctorum. Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, ſimilis erit Deo in filiis Dei? Deus qui glorificatur in concilio ſanctorum, magnus & terribilis ſuper omnes, qui in circuitu eius ſunt. Domine Deus virtutum, quis ſimilis tibi? Quæ ad ſpirituale regnum referri, nemo eſt qui non videat. Quod cùm cœca Iudæa nec videt, nec diſtinguit, errat vſque adhuc, & alios in errorem inducit. Ideò verum regem Dauidem repudiat, alium Meſsiam expectat, Antichriſti pompam & ſplendorem præſtolatur. Illud, inquam, non videt, regnum quidem Dauidis ciuile illud & ſeculare deſiturum fuiſſe; regnum autem eius ſpirituale ſempiternis temporibus, in rege Meſsia manſurũ eſſe: & hoc eſt, quod nunc pollicetur Angelus: Dabit, inquit, illi Dñs Deus ſedem Dauid patris eius: & regnabit in Domo Iacob in æternum: & regni eius non erit finis. Dabit, inquit, illi Dominus Deus ſedem Dauid; non illam anguſtam & terrenam, non mortalem, & caducam tantùm; ſed æternam quoque, & cuius finis non ſit futurus, quæ in omnes gentes diffundenda foret: Et dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſq; ad terminos orbis terrarum. Hæcque cauſa eſt, cur Chriſtus dominus, cùm eum turba regem creare voluerat, id omninò refugerit: hæc cauſa, ob quam apud Pilatum dixerit: Regnum meum non eſt ex hoc mundo. Quod idem confirmat D. Paulus: Non omnes, inquiens, qui ex circumciſione ſunt Iſrael, hi ſunt Iſraelitæ; neq; qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij Abrahæ: id eſt, Non qui filij carnis, hi filij Dei; ſed qui filij ſunt promiſsionis, æſtimantur in ſemine. Promiſsionis enim verbum hoc eſt iis quos vocauit, non ſolùm ex Iudæis, ſed etiam ex gentibus, ſicut in Oſeę dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam, & non dilectam, dilectam. Quemadmodum autem Dauidis regnum, vti diximus, etſi primò & præcipuè terrenum & ſeculare fuit; ſecundariò tamen & ex conſequenti etiam ſpirituale modo ſuo, ita vti diximus, erat; ita & Ieſu Chriſti regnum, quantumùis illud primò & principaliter cœleſte & ſpirituale ſit, idem tamen ipſum & ter-

Ierem. 23.

Pſalm. 88.

Pſalm. 71.

Roman. 9.

tenum esse debuit: non quidem in Iudæa tantùm, sed in vniuersis præterea gentibus, ac vniuerso orbe, iuxta illud: Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Rex, inquit, vnus erit omnibus imperans, & nõ erunt vltra duæ gentes, nec diuidentur amplius in duo regna, neq; polluẽtur vltra in idolis suis, & abominationibus & cũctis iniquitatib⁹ suis, & saluos eos faciã de vniuersis sedibus suis, in quibus peccauerũt, & emundabo eos, & erunt mihi populus, & ego ero eis Deus, & seruus meus Dauid rex super eos, & pastor vnus erit omnium eorum. Agnoscebat hoc hic ipse Dauid apud Pilatum: Tu dicis, quia Rex sum ego: & cum titulo Regis in cruce mori voluit. Et sedes quidem Dauid, quæ & qualis sit, hactenus diximus: nunc vbi tandem hoc tempore sit, sempérque fuerit, & inter quos versetur, ac quis in ea sede nunc eius loco, posteaquàm ad dexteram patris ipse sedit, consederit, paucis videamus. Constituerat quidem rector Israelis Deus caput regni sui Iudæam, ac domum Iacob futuram gentem electam, populum acquisitionis, regale sacerdotium, hæreditatem Israel: Quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa: quorum patres, ex quibus est Christus secundùm carnem. Nam vt Psaltes diuinus inquit: Repulit tabernaculum Ioseph, & tribum Ephraim non elegit: sed elegit tribum Iuda, montem Sion quem dilexit. Sedes autem ac thronus regni eius Ierosolyma, ciuitas sancta, ciuitas Dauid, ciuitas iustitiæ, ciuitas decoris perfecti, gaudium vniuersæ terræ esse debuit: vnde omnibus gentibus ac populis iura daret: vnde leges, sacra, cæremonias, cunctæ nationes acciperent: quô omnes supplices ac subactæ venirent. Docet hoc clarè Ieremias: Si, inquit, audieritis me, ingredientur per portas ciuitatis huius, reges & principes, sedentes super solium Dauid, & ascendentes in curribus & equis, ipsi & principes eorum, viri Iuda & habitatores Ierusalem: & habitabitur ciuitas hæc in sempiternum. Si autem, inquit, non audieritis me, succendam ignem in portis eius, & deuorabit domos Ierusalem, & non extinguetur. Docet hoc & ipse Christus dominus, cùm inquit: Non sum missus, nisi ad oues quę perierũt domus Israel. Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. Hoc idem planctu illo suo acerbo, supra Ierusalem significat: Ierusalem, inquit, Ierusalem, quæ occidis prophetas. Si cognouisses & tu, & quidem in hac die, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Docet idem Paulus & Barnabas: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. At postquàm gens illa, vrbsque simul recessit à viis domini: neglexit mandata eius: ingratam se tanti beneficij præstitit: nec cognouit tempus visitationis suæ; tum illud Domini consecutum est: Dico autem vobis, quòd multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob, in regno cœlorum: filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores. Et, Relinquetur vobis domus vestra deserta. Et, Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti

Psalm. 2.
Roman. 9.
Psalm. 77.
Ierem. 17.
Matth. 15.
Lucæ 14.
Actor. 13.
Matth. 8.
Matth. 21.
Matth. 23.

facienti fructus eius. Quæ omnia non aliud docent,quàm illud,Iudæam, si in viis Domini ambulasset, si præcepta eius custodiuisset, sique beneficiorum illius memor fuisset, si diem visitationis suæ cognouisset ;caput regni Messiæ futuram fuisse, sedem autem Ierosolymam: cæteras autem gentes & nationes hinc, tanquam ex arce summa, salutem, omniáq; alia petituras fuisse. Si autem reliquerit Dominum: si à viis eius recesserit: si tantis beneficiis se ingratam præstiterit; tum amplius non in caput,sed in caudam futuram; tum amplius illis ipsis gentibus, quibus præesse debuit,seruituram,& ad extremùm perituram. Quo quidem loco animaduertendum est,quanta vis sit ingratitudinis,à cuius etiam nomine abhorrent Latini, cuius causa firmissima etiam Dei promissa retexantur, iuxta illud Ieremiæ: Repente loquar aduersus gentem, & aduersus regnum, *Ierem. 18.* vt eradicem,& destruam,& disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam; agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui vt facerem ei: & subitò loquar de gente & regno,vt ædificem & plantem. Si fecerit malum in oculis meis,vt non audiat vocem meam; pœnitentiam agam super bono, quod locutus sum vt facerem ei. Nemo igitur sibi dum peccat blandiatur: nemo promissiones alleget; sed cesset potius ac pœnitentiam agat, & sic demum speret meliora. Translato igitur ita,vti dictum est, à Iudæis ad gentes Messiæ regno,regiæ quoq; translatio fieri debuit; ita vt ex principe Iudææ vrbe,ad principem & caput gentium vrbem sedes Dauidis translata sit,Romam,inquam: Et erit in loco vbi dictum est eis: Non plebs mea vos, ibi *Rom. 9.* vocabuntur filij Dei viui. Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam: & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Dicam non populo meo, populus meus es tu; & ipse dicet, Deus meus es tu, ac vt sint plures filii sterilis,quàm eius quæ *Oseæ. 2.* habebat filios. Quemadmodum enim corpore tuto gentis Hebrææ reprobato, aliud corpus assumptum est; ita capite illius neglecto,caput aliud quæsitum est. Quis hæc docet? aut vnde hæc probas? primùm ex re ipsa: sic enim per mille trecentos & amplius annos fieri videmus, Romæ primam sedem esse: inde fidem & cæremonias à cunctis gentibus peti: illuc obedientiam regum ac regnorum sponte, sine omni vi aut coactione, deferri. Deinde ex promissione Christi,quam dedit primo sedis illius antistiti Petro: Tibi dabo claues regni cœlorum: at claues summã *Matt. 16.* potestatem, summum imperium, designare docet scriptura, iuxta illud Isaiæ: Dabo clauem domus Dauid, super humerum eius: & aperiet, & *Isaiæ 22.* non erit qui aperiat. Quod paulò antè idem Isaias interpretatus est, loquens ad Sobnam præpositum templi, cui claues istæ auferendæ erant, & dandæ Eliacim filio Helciæ, ministro regis Ezechiæ, de quo dictus locus ad literam intelligitur: Et erit, inquit, in die illa,vocabo seruum meum Eliacim filium Helcię,& induam illum tunica tua,& cingulo tuo confortabo eum, & potestatem tuam dabo in manu eius; & erit quasi pater habitantibus Ierusalem, & domui Iuda. vbi claues summã & præcipuam

poteſtatem interpretatur Iſaias, vnde in deditionibus vrbium illi claues traduntur, qui ſumma rerum potitur; & cui illæ traduntur, ei tota regendæ ciuitatis poteſtas committitur. At quas claues Petro Chriſtus promittit? non alias certè, quàm eas, quas ipſe à patre accepit, de quibus illud:

Apocal. 1. Ego ſum primus & nouiſsimus, & viuus, & fui mortuus; & ecce ſum viuens in ſecula ſeculorum, & habeo claues mortis & inferni. Vnde ſedes Dauid ſempiterna, non tàm Dauidi & filio eius Salomoni, qui quadraginta ſolos ipſos annos regnauit, quàm ſemini eius benedicto Chriſto Domino, in perpetua ſecula promittitur. Tuum, hoc eſt, dices iudiciu m: tuus priuatus ſenſus. Nequaquam: ſemper enim fugio, ne aliquid meum videri poſsit. Idem ſentiunt veteres, non tantùm Latini, ſed & Græci patres. Epiphanius primus ante mille annos, ſic locum interpretatus eſt iſtum:

Lib. 1. Tom. 2 cap. 28. Thronus, inquit, Dauid, & regia ſedes, eſt ſacerdotium in ſancta Eccleſia, quam dignitatem regiam ſimúlq; Pontificum cõiunctam largitus eſt Dominus ſanctæ Eccleſiæ ſuæ, trãſlato in ipſam throno Dauid, non deficiente in alio. Et à domo quidem carnali Iudææ & Iſraël, regia dignitas tranſlata eſt: firmiter autem ſedet thronus in ſancta Dei Eccleſia in æternum, ex duplici origine dignitatem habens, regia & ſacerdotali: cùm & Chriſtus ipſe ſit princeps, & Pontificum præfectus, & rex regum, & Dominus dominantium. Hæc Epiphanius. Quibus verbis docet, thronum Chriſti viſibilem, non in ſeculari imperio tantùm, ſed & multo magis in ſacerdotali dignitate conſiſtere, vt eadem ſit pontificia & regia dignitas. Quibus non diſsimile aliquid docet D. Petrus. Nam cùm in Exodo dictum

Exod. 19. fuiſſet: Et vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta: Petrus

1. Petri 2. mutat ordinem: Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta: ac regale ſacerdotium vocat; illic enim regnum, hîc ſacerdotium primas obtinet partes. Ideóq; ibi regnum ſacerdotale, at hîc regale ſacerdotium dicitur. Quod non niſi penes primum & ſummum Chriſti vicarium eſſe videmus. Epiphanium ſequuntur cæteri ferè omnes, ſed & prior Epiphanio Irenæus: Ad hanc, inquit, Eccleſiam propter potentiorem

Lib. 3. aduerſus hæreſes, cap. 3. principalitatem, neceſſe eſt ómnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt, eos, qui ſunt vndiq; fideles, in qua ſemper ab his qui ſunt vndique, conſeruata eſt

Lib. 1. Epi. 8. ea, quæ eſt ab Apoſtolis, traditio. Cyprianus ſimiliter: Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus, & vna Eccleſia, & cathedra vna, ſuper Petrum Domini voce fundata. Aliud altare conſtitui, aut ſacerdotium nouum fieri, præter vnum altare, & vnum ſacerdotium, non poteſt. Quisquis alibi colle-

In Epiſtol. ad Marcum Pa. gerit, ſpargit. Athanaſius, & vnà cum eo totius Ægypti Epiſcopi, Marcum ſanctæ Romanæ Apoſtolicæ ſedis, atque vniuerſalis Eccleſiæ Papam nominant; ſanctámq; eius ſedem matrem, & caput omnium Eccleſiarum agnoſcunt; cui cum omnibus ſibi commiſsis perpetuò ſe futuros obedientes pollicentur. Et ad Felicem Papam ſimiliter: Scimus in Nicena magna ſynodo, trecentorum decem & octo Epiſcoporum, ab omnibus conciliter eſſe roboratum, non debere abſque Romani Pontificis ſententia concilia celebrari, nec Epiſcopos damnari. Et paulò poſt: Tu prophanarum

narum hæreſium, & impetitorum, atq; omnium infeſtantium depoſitor, & princeps, & doctor, capútque omnium orthodoxæ doctrinæ & immaculatæ exiſtis. Et paucis interiectis: O ſanctiſsime pater patrum, abſcinde blaſphemias, etc. Baſilii illa ſunt: Beatus Petrus, qui omnibus diſcipulis iudicio ipſius Chriſti prælatus eſt, qui ſolus maius cæteris teſtimonium & beatitudinem obtinuit, & cui regni cælorum claues creditæ ſunt. *De iudi. Dei, & de peccato Orat. 3.* Idem ad Athanaſium: Viſum eſt autem nobis conueniens, vt ad Epiſcopum Romanum de cognoſcendis rebus iis, quæ hîc geruntur, ac de ſententia ferenda, mittamus literas; præſertim cùm ex communi & ſynodico decreto, aliquos illinc mitti eſſet difficile, vt ipſe de hoc negotio, pro autoritate ſua ſtatuat. *Epiſt. 52.* Chryſoſtomus ſimiliter: Illi Eccleſiæ, quæ tot tantísque fluctibus impetu irrumpentibus immobilis manet, paſtor & caput, piſcator homo eſt. Hieronymus eodem modo ad Damaſum Papã: *Epiſt. 57.* Quoniam vetuſto oriens inter ſe populorũ furore colliſus, indiſciſſam Domini tunicam & deſuper textam minutatim per fruſta diſcerpit; & Chriſti vineam exterminant vulpes, vt inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficile, vbi fons ſignatus, & hortus ille concluſus ſit, poſsit intelligi; ideò mihi cathedram Petri, & fidem Apoſtolico ore laudatam cenſui conſulendam; inde nunc meæ animæ poſtulans cibum, vnde olim Chriſti veſtimenta ſuſcepi. Neque verò tanta vaſtitas elementi liquentis, & interiacens longitudo terrarum, me à pretioſæ margaritæ potuit inquiſitione prohibere. Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur aquilæ. Profligato à ſobole mala patrimonio, apud vos ſolos incorrupta patrum conſeruatur hæreditas. Ibi ceſpite terra fœcundo, Dominici ſeminis puritatem centeno fructu refert: hîc obruta ſulcis frumenta, in lolium auenásque degenerant. Nunc in occidente ſol iuſtitiæ oritur; in oriente autem lucifer ille, qui ceciderat, ſupra ſydera poſuit thronum ſuum. Vos eſtis lux mundi, vos ſal terræ, vos aurea vaſa, & argentea: hîc teſtacea vaſa, vel lignea, virgam ferream, vel æternum operiuntur incendium. Quanquam igitur tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas, à ſacerdote victimam ſalutis, à paſtore præſidium ouis flagito. Faceſſat inuidia: Romani culminis recedat ambitio; cum ſucceſſore piſcatoris, & diſcipulo crucis loquor. Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, beatitudinis tuæ, id eſt, cathedræ Petri communione ſocior: ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, prophanus eſt. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio. Et hæc quidem vetuſtiſsimi, tàm orientis, quàm occidentis patres, de hac ſede ac throno. Neque verò diſsimilis eſt aut ortus aut progreſſus, & incrementa vtriuſque huius ſedis. Vtraque per labores, preſſuras, perſequutiones, latibula, fugas, ſtetit, & confirmata eſt. De ſede Dauidis iam antea dictum eſt. Romanæ ſedis laborum teſtes ſunt, illæ cauernæ, illi cuniculi, illæ cryptæ, quas etiam nunc orbis miratur, vbi eius ſedis principes deliteſcere, vbi Chriſtianum populum docere ſolebant; teſtantur ſuperbæ thermæ, theatra, quas manibus ſuis coacti erigebant:

teſtatur

teſtatur ille tuus Soractes, ô beate Sylueſter, in quo inſtar vulpeculæ delituiſti: vnde ſacrum illud baptiſma Conſtantino primo Chriſtiano protuliſti: vnde cæteri, tanquam pecora morti deſtinata, educebantur. Ad trigeſmum & amplius Pontificem loci illius, vix aliquis morte ſpontanea interiit, omnes ferè cæſi ſunt, omnes martyres dicebantur: & quantò profundius hic thronus, hæc ſedes fundabatur; tantò magis in cœlum totum ædificium ſurgebat; vt diſsipato & euerſo Capitolio Vaticanus, eiecto Romulo, Petrus ſubſtitueretur. Nunquam ſine perſecutione fuit ſedes Dauid, nunquam ſine perſequutore; nunquam Eccleſia Romana ſine illis, qui eam infeſtarent, hæreticis. Perſequebantur ſedem Dauid, filij, & amici, homines pacis; idem patitur Petri ſedes: Amici mei, & proximi mei, aduerſum me appropinquauerunt & ſteterunt: Ex nobis prodierunt, ſed nõ erant ex nobis; nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum. Creſcebat perſequutionibus domus Dauid: creſcit & illuſtratur ſimiliter Romana ſedes. Mite fuit & manſuetum regnum Dauid: mitis itidem & manſueta ſedes Petri, fuit & eſſe debet. Verè igitur eſt ſedes Dauid, & domus Iacob. De hac ſede, & throno magnificè ſcriptura: Et ſuſcitabo mihi ſacerdotẽ fidelem, qui iuxta cor meũ & animam meam faciet; & ædificabo ei domũ fidelem, & ambulabit corã Chriſto meo cũctis diebꝰ. Et erit in nouiſsimis diebus prẹparatus mons domus Dñi in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt ad eum populi multi. Quod idem Daniel prædicit: In diebus regnorum illorum, ſuſcitabit Deus regnum cœli, quod in æternum non diſsipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur. Et paulò poſt: Regnum autem & poteſtas & magnitudo regni, quæ eſt ſubter omne cœlum, datur populo ſanctorum altiſsimi, cuius regnum, regnum ſempiternum eſt; & omnes reges ſeruient ei, & obedient. Et iterum: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo ſignum meum, & adferent filios tuos in vlnis, & filias tuas ſuper humeros portabunt. Et erunt reges nutritii tui, & reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent, & ſcies quia ego Dominus; ſuper quo non confundentur, qui expectant eum. Et ædificabunt, inquit Iſaias, filij peregrinorum muros tuos, & reges eorum miniſtrabunt tibi. In indignatione enim mea percuſsi te, & in reconciliatione mea miſertus ſum tui. Et aperientur portæ tuæ iugiter, die ac nocte non claudẽtur, vt adferatur ad te fortitudo gentium, & reges earũ adducantur. Gens enim & regnum quod non ſeruierit tibi, peribit, & gentes ſolitudine vaſtabuntur. Gloria Libani ad te veniet: abies, & buxus, & pinus, ſimul ad ornandum locum ſanctificationis meæ; & locum pedum meorum glorificabo. Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum, omnes qui detrahebant tibi: & vocabunt te ciuitatem Domini Sion ſancti Iſraël. Pro eo quòd fuiſti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te tranſiret, ponam te in ſuperbiam ſeculorum, gaudium in generationem & generationem, & ſuges lac gentium

Pſalm. 38. *1. Ioan.* 2. *1. Reg.* 2. *Iſaiæ* 2. *Daniel.* 2. *Daniel.* 7. *Iſaiæ.* 49. *Iſaiæ* 60.

um, & mamilla regum lactaberis,& scies quia Dominus ego saluans te,& redemtor tuus fortis Iacob. Vos autem sacerdotes Dei vocabimini;mi- *Isaiæ. 61.*
nistri Dei nostri, dicetur vobis. Fortitudinem gentium comedetis, & in gloria earum superbietis. Pro confusione vestra duplici & rubore, laudabunt partem eorum, propter hoc in terra sua duplicia possidebunt, lætitia sempiterna erit eis. Omnes qui viderint eos,cognoscent illos,quia isti sunt semen cui benedixit Dominus. Et, Ecce ego declinabo super eam *Isaiæ 66.*
quasi fluuium pacis,& quasi torrentem inundantem gloriam gentium,quã sugetis: ad vbera portabimini,& super genua blandientur vobis. De Ieroſolyma hæc dici musitabit nouus aliquis Iudæus. Atqui Ieroſolymam amplius caput non subleuaturam iidem prædixerunt prophetæ, prædixit & Christus Dominus. Neque tamen hoc dico, non posse eam sedem aut regnum aliò, ob peccata hominum multásque alias causas transferri: ita tamen vt nunquam ab eius successione & semine auferatur,cui dictum est: Pasce oues meas, pasce agnos meos. Neque enim aut certæ alicui perso- *Ioan. 21.*
næ, aut certo loco, sed vniuerso ordini atque successioni principis Apostolorum promissio facta est.Quæ igitur sit hæc ipsa sedes Dauid,quæ domus Iacob,in quo loco sedem fixerit,paucis quasi in typo dictum est. Nemo igitur dicat, nemo se vanè efferat, Ecclesiam Dei extinctam aliquando fuisse, atque diminutam, aut aliquo tempore, donec sponsus eius aduenerit, commoueri aut conuelli posse: Correxit enim semel orbem ter- *Psalm. 95.*
rarum, & in æternum non commouebitur. Nemo Petri sedi minetur: Portæ enim inferi non prẽualebunt aduersus eam. Gens & regnum,quod *Matt. 16.*
non seruierit illi, peribit. Experta est hoc ipsum Asia, experta Ægyptus, experitur nunc misera Græcia, atq; Hungaria: quod vtinam nos experiamur nunquam. Sed si tàm clara, tàm euidentia, tàm illustria huius ipsius nobilissimæ sedis signa & indicia sunt: si hæc ipsa ciuitas in tàm alto mõte posita est: si hæc luna, hæc stella, hæc cynosura, hic sol, lux deniq; ipsa tàm clara est,cur à tot millibus hominum videri non potest? cur in gloria positum iustum Ioseph, inhumani fratres non agnoscunt? cur vbera illa quibus aliti & educati sunt, refugiunt? cur matrem pulchræ dilectionis & magnæ spei non amplectuntur? Non aliam certè ob causam, quàm quòd sedes ista humilis esse debet, nos ambitiosi: sedes ista pacifica, nos turbulenti: sedes ista sub cruce, nos voluptatibus diffluimus: sedes ista laboriosa, nos in perpetuo otio: sedes ista cœlestis ac spiritualis,nos mũdo ipso magis,vt ita dicam,mundani sumus. Quid enim vult mũdus,quod non magis nos velimus? Quis œconomus quandoq; magis prouidus? Sacerdos. Quis pecuniæ collector auarior? Sacerdos. Quis scriba exactior? Sacerdos. Quis pragmaticus acrior? Sacerdos. Quis voluptatum minister mollior? Sacerdos. Quis mensarum apparator prolixior? Sacerdos. Quis venator sagacior? Sacerdos. Quis computator, quis rationum exactor diligentior? Sacerdos? Quis dux belli imperator, miles nonnũquam acrior? Sacerdos. Quis ad extremum cocus, potor, scurra? Sacerdos. Cùm igitur sedes Dauid talis, qualem diximus, esse debeat; talem

autem

autem propter improbos mores nostros isti non vident, eam agnoscere nolunt. Scitis enim quid criminentur, quid tertio quoq; verbo appellent: mores, inquam, & vitam corruptissimam nostram. Auferatur modò velamen istud à facie eius decora, & exoritur tanquam luna, aut sol in meridie: & confluent ad eam omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius: & reminiscentur, & conuertentur ad Dominum Deum suum, & adorabunt eum. Huic ergo adhæreamus, hanc sequamur, in hac simus, in huius sinu & gremio moriamur; ab hac nos diuelli non patiamur, si de domo Dauid esse volumus, & nõ filii Belial appellari: si contubernales sanctorum, & domestici Dei, membra summi capitis, hæredes Dei, cohæredes Christi: si in vita futura æterno patri tradi cupimus, vt sit ipse omnia in omnibus. Sed de Christi regno satis diximus. Nunc conceptionis Regis tanti modum videamus.

Isaiæ. 2.

Psalm. 21.

NVNCII SALVTIS, SIVE DE INCARNATIONE, Sermo Quintus.

Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: ideóque & quod nasceretur ex te sanctum, vocabitur filius Dei, &c.

Ezech. 44.

INter reliqua diuina & admiranda arcana, quæ Ezechieli cælitus fuerunt reuelata, illud vnum, ac nescio an non summum est: Et conuertit me, inquit, ad viam portæ sanctuarij exterioris, quæ respiciebat ad orientem, & erat clausa: & dixit Dominus ad me: Porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transiet per eam, quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam, erítque clausa principi, princeps ipse sedebit in ea, vt comedat panem coram Domino: per viam portæ vestibuli ingredietur, & per viam eius egredietur. Et Isaias: Transibit in pace, semita in pedibus eius non apparebit. Porta hæc clausa, virgo est, & qui ingreditur per eam, contra omnem Arianam impietatem, Deus ipse est. Oportebat enim eum, inquit Chrysostomus, partim natiuitatem communem cum nostra natiuitate habere,

Isaiæ. 14.

Chrysost. ho. 49. in Genes.

& par-

& partim alienum esse ab ea: atque ea quæ hominis sunt supra hominem operari. Vtrũq; ergo hoc in eo conspicitur arcanum. Nam de vtero prodire, commune habebat nobiscum: absque nuptiali autem congressu nasci, supra nostram est natiuitatem. Eius igitur tam admirandi secreti, ab Ezechiele primùm visi, nunc autem virgini ab Angelo expositi, quærit rationem & modum virgo. Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco? ac si diceret, quomodo per portam istam ingredietur & egredietur princeps, si porta ista sempiterno voto & instituto meo clausa est, & erit semper? si nemo per illam vnquam ingredietur, vterúsq; meus soli suo custodietur conditori? Pandit Angelus portæ ostiarium, pandit modum aperiendæ portæ, demonstrat clauem: Spiritus, inquit, sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Porta tamen hæc clausa erit, clausa ante partum, clausa in partu, clausa post partum; vt ter non frustra repetiit Propheta. Quod totum quale sit, etiamsi angelicum superet captum, duce Deo, consequenter explicemus.

Dictum est, missum fuisse Angelum ad virginem desponsatam: virginem, inquam, vita, virginem moribus, virginem professione, virginem denique mente & corpore sanctam, vt inquit Apostolus. Audit nuncium voto & instituto suo repugnans. Nunquam enim auditum est, aliquam simul virginem & matrem fuisse. Et toto quidem hoc tempore interna cogitatione contenta fuit, quo tacuit; at vbi virginitatem, quam charissimã habuit, in periculum adduci videt, loquitur, ex admiratione potiùs & cogitatione, quàm diffidentia. Ante, inquit, agri culturam, spica non producitur; terra non consita non germinat: nullum in toto orbe eius rei habeo exemplum: in nulla creatura, vnde argumentum fidei & solatium capiam video: verbis tuis credo, & persuasum de his habeo, nec me latet id ab Isaia prædictum esse: modum igitur quæro: Neque enim de effectu, inquit Ambrosius, dubitauit, sed qualitatem quærit effectus; scit enim lubricum esse bonum pudoris. Modum tamen vbiq; seruat: medio tutissima incedit. Zacharias enim & senex & sacerdos, hic, quorum multa habuit exempla, in Sara, inquam, Rebecca, Rachele, & quæ ipse expetiit, nuncianti Angelo non credit, turbatur, à seipso excidit, ideò mutus & surdus efficitur. Eua ambitiosa ex aduerso gaudet, effertur, serpenti temerè assentitur. Maria verò modum rei, cuius nullum extabat exemplum, inquit Euthymius, quærit. Nulla enim virgo, ad id vsq; tempus, sine viro conceperat aut pepererat: institutóq; ac virginitati suæ cauet: nec enim facilè quis potest earum rerum obliuisci, quas semel ex animo adamauit. De re ipsa nihil dubitat; neque enim illud audiret, si dubitaret: Beata, quæ credidisti. Itáque iniquissimam illam Caluinus comparationem facit: videri posse, ab eadem malignitate virginis interrogationem proficisci, à qua Zachariæ profecta fuit. Nihil profectò simile. Zacharias siquidem signum quærit: Vnde, inquit, hoc cognoscam? Virgo modum: Quomodo fiet istud? Zacharias rei raræ quidem, vsitatæ tamen, vt dixi, non credit; multæ enim steriles pepererant. Virgo rei impossibilis, & quę antea nunquam facta est, rationem quærit. Zacharias postulata sua non

acceptat, ſic enim inquit Angelus: Exaudita eſt oratio tua. Virgo rem
In Lucam. ſubitaneam miratur, de qua nihil vnquam cogitauit: Quid enim tam in-
„ auditum, inquit Ambroſius, quàm virgo prægnans? contra legem, contra
„ conſuetudinem, contra pudorem, cuius carior cura eſt virgini. Zachari-
„ as autem, non de impari conditione, ſed de ſenili ætate non credidit; nam
„ conditio congruebat. Ex viro & fœmina ſolennis eſt partus. Nec incre-
„ dibile debet videri, vbi natura concordat. Cùm enim ætas naturæ ſit, non
„ natura ætatis, ſit plerumq; vt ætas impediat naturam; non eſt tamen irra-
„ tionabile, vt minor cedat cauſa maiori; & potior prærogatiua naturæ, v-
„ ſum inferioris excludat ætatis. Huc accedit, quòd Abraham, & Sara filiū
„ in ſenectute ſuſceperant: & Ioſeph filius ſenectutis eſt. Quòd ſi, quia
„ riſit Sara, reprehenditur; iuſtius condemnatur, qui nec oraculo credidit,
Lib. 16. de Ci. Dei cap. 24. nec exemplo. Hæc Ambroſius. Præclarè igitur Auguſtinus inter Za-
chariam (quod fidei rationem attinet) diſtinxit: Zacharias quando
„ ait: vnde hoc ſciam, vel per quid hoc cognoſcam, qui ſum adeò cum vxo-
„ re ſenex? deſperando dixit, non inquirendo. Maria verò, cùm interro-
„ gat: Quomodo fiet iſtud, quoniã virum non cognoſco? inquirendo dixit
„ non deſperando. Propterea illi dicitur: Tacebis, quia non credis: huic
„ verò cauſa exponitur; quia dum interrogaret, de promiſsione non dubi-
In Lucam. tauit. Sed & Ambroſius, Domini matrem defendit, ac fidei imbecilli-
„ tatem in ſolo Zacharia ponit: Maria, inquit, iam de negotio tractat:
„ Zacharias adhuc de nuncio dubitat. Negat ille ſe credere, qui negat ſe
„ ſcire, & quaſi fidei adhuc alium quærit autorem: iſta ſe facere profitetur,
„ nec dubitat eſſe faciendum, quódq; fieri poſsit inquirit, Quomodo. Quę-
rit igitur virgo, propter rei difficilis maiorem illuſtrationem: propter pra uorum errorum, omnísq; dubitationis in futurum excluſionem, noſtrámque ædificationem. Vide autem virginis humilitatem, virginitatísq; ſtudium: oblata ſunt illi regna, ſceptra patris Dauid; non quærit quæ & qualia hæc futura ſint; ſed ipſi ſoli virginitati ſuæ cauet; de regnis, ſceptris nullam curã habet. Vbi illud inprimis adnotandum eſt, verbum hoc, quomodo, neq; ſemper dignum eſſe reprehenſione, neq; ſemper laudabile: malum & reprehenſibile eſt, quoties verbo Dei non aſſentitur, quoties omnipotentiæ eius detrahit, quoties non id totum eum poſſe, quod vult exiſtimat; quoties ex curioſitate & infidelitate prouenit, quale illud Capharnaitarum fuit: Quomodo poteſt hic dare nobis carnem ſuam ad manducandum? Et illud Nicodemi: Quomodo poteſt homo naſci, cùm ſit ſenex? Et quale itidem illud nouorum Capharnaitarum: Quomodo panis iſte caro, vinum hoc ſanguis Chriſti eſſe poteſt? Exitioſum hoc eſt Quomodo. Capharnaitarum hoc tale Quomodo, vocat Cyrillus. At bonum & ſalutiferum illud eſt; quod ſpiritus probat, quod temeritati & leuitati obſiſtit, quod inſtitutis ſuis bonis cauet, quod diſcere cupit; quale hoc eſt virginis: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Ex qua plena prudentiæ & ſapientiæ virginis percontatione plura diſcũtur, quàm ex aliorum ſubita & temeraria aſſenſione. Quid enim magis dignum e-

rat aut

rat aut perturbatione, aut inquisitione; quàm Dei videre descensionem ad vterum vsque mulieris, Dei intra viscera virginis conclusionem, cuius cœlum thronus est, & terra scabellum pedum eius; tum etiam vniuersam videre naturam, cum plaste suo coniunctam? Primum autem illud in hoc virginis sermone obseruandum est, beatissimam virginem Mariam, non solùm mente & corpore, sed etiam voto & professione, quicquid Heluidius, & qui ab ipso non multùm absunt, sentiant, virginem fuisse. Profectò, inquit Augustinus, non diceret virum non cognosco, nisi virginem se ante vouisset. *Lib. de virgi. cap. 5.* Hæc igitur Mariæ verba indicium sunt eorum, quæ tractabat in arcano. Nam si causa copulæ coniugalis Ioseph desponsari voluisset; cur admiratione ducta est, dum sibi narratur conceptio? cùm nimirum illa præstolaretur ad tempus mater effici, iuxta legis naturam. Verùm quia oblatum corpus Deo, quasi quoddam ex sacris, inuiolabile seruari decebat, ideò miratur. Idem dicit Gregorius Nyssenus sermone de Christi natiuitate: Hæc, inquit, vox Mariæ demonstrat esse vera, quæ per occultam illam historiam traduntur. Nam si nuptiarum causa assumpta erat à Iosepho: quomodo Angelum de partu prædicentem, quasi re noua atque insolita obstupefacta, auersata esset; cùm prorsus speraret, se quoque ipsam aliquando, iuxta legem naturæ, matrem esse futuram? Sed quoniam Deo dicatam, & consecratam carnem, intactam seruari oportebat, propterea etiamsi angelus sis, inquit, ac de cœlo veneris, etiamsi supra hominem sit id, quod apportas; attamen vt virum cognoscam, fieri non potest. Hæc Nyssenus. Nullam igitur, ita vt dicere cœpi, cum ratione coniunctam causam, hæc ipsa haberet virginis interrogatio, nisi fixa & rata suæ castitatis vota antecessissent. Facilè enim illud virgini prudentissimæ in mentem venire posset, eam, quamtumùis tunc virgo fuerit, tamen cùm & iuuenis esset, & viro desponsata, nihil impedire posse, quin completis nuptiis conciperet. Verùm cum virgo voti sui sibi conscia fuisset; ea causa, tanquam de re, quæ nullo modo saluis legibus naturæ & virginitatis esse possit, quærit, quomodo fiet istud, quæ & animo & voto cõstitui nunquam me virum cognituram, vt aut concipere aut parere possim? Neque tamen id solùm hoc loco obseruandum est, virginem scilicet voto sempiternæ virginitatis se obstrinxisse; sed illud etiam, quod longè maius est, idem votum à Domino confirmatum & approbatum, ídque ipsi virgini aliquomodo diuinitùs significatum, ac reuelatum fuisse. Nisi enim hoc esset, poterat rectè Angelus illud inferre: Tu quidē voto, vt dicis, te obligasti; sed hoc votum tuum irritum, neque à Deo acceptum fuit; & proinde tibi nubendum est, liberi suscipiendi, cùm homo non sit in manu sua. Quapropter virgo, tanquam de re pacta & conuenta loquitur: Quomodo, inquit, fiet istud? quomodo decretum cum voto pariter conueniet? qua ratione ero mater, quæ coniunx non sum: cùm & ego votum sempiternæ virginitatis fecerim, & Deus excelsus, qui non mutatur, illud ita roborauerit; vt neque fide mea salua, neq; diuina constantia fixa, aut concipere aut parere possim? Ideò autem puto, Deo ita volente, virginem votum virginitatis prius feciſſe, quàm illud sciret, se aliquando ma-

trem filij altiſsimi futuram: ne exiſtimaretur,eam non virginitatis,aut cõtinentiæ captam amore,caſtitatem complexam fuiſſe; ſed quia mater Dei futura non fuiſſet, niſi virgo extitiſſet: atq; ne deinceps fœminæ reliquæ inde, quaſi excuſationem quærerent, virginitatem ſcilicet non paſsim ad omnes, ſed ad eam ſolam, quæ mater Dei futura fuiſſet, pertinuiſſe, alias autem omninò non attingere. Voluit igitur ſummus ille caſtitatis, & integritatis amator Deus, hoc facto illud docere, non ideò matrem filij ſui virginitatem amplexam eſſe, quia mater Dei futura erat; quandoquidem priuſquàm hoc ſciret, voto ſempiterno ſe obligauit: ſed ideò, quia virgo fuit, qualem tũ nullam ferè ſimilem illi in Iudæa fuiſſe credibile eſt, digna tanto, vt mater Dei fieret, habita honore; vt in poſterum omne tẽpus,ampliſsimum ſpontaneæ virginitatis Mariæ matris Ieſu trophæum erigatur, & aliis exemplum eiusdem virtutis amplectendæ detur, ipſiúsq; dignitas & amplitudo commendetur. Demùm illud item hoc loco diſcimus, eam votorum conſtantiam & firmitatem eſſe debere, vt quicunq; aliquid Deo ſemel vouerit, id omni eum ratione tueri debere,etiamſi omnia alia commoda prætermittenda, vel incommoda ſubeunda ſint. Docet hoc, exemplo ſuo conſtantiſsima virgo, quæ mater etiam Dei eſſe recuſat, ſi ſibi voti conſtantia ſit frangenda, ſi data fides fallendã: eligítq; potius abiecta eſſe virgo,quàm fœdifraga Dei mater. Nulla igitur res eſt tanta, nulla occaſio, nullum commodum, nullum periculum, cuius cauſa ſuſceptum votum violandum ſit: nulláque vis humana, nulla poteſtas eſt tàm potẽs,quę ab illo temerè poſsit abſoluere.Neq; enim aut maius quid, aut ſalubrius potuit offerri, quàm matrem eſſe Dei; neque verò maior, aut potentior diſpenſator eſſe,quàm Deus ipſe; votum tamen ſanctè & integrè potius virgo ſibi ſeruandum exiſtimauit, quàm vt mater Dei eſſet. Nullam igitur tantam cauſam, tàm vrgentem habuit Lutherus, nullã Carolſtadius,Bullingerus, nullam alij,cur & ipſi votum caſtitatis rumperent, clauſtráque monaſteriorum deſererent, & aliis paris ſacrilegij autores fierent. Glorientur ſanè iſti, quantum volent, ducibus & autoribus ſectarum ſuarum: ego certè mihi perſuadere nullo modo poſſum, ſpiritum illum Dei ſanctum & veracem in hominibus perfidis ac periuris permanere potuiſſe, aut aliquid magnum per illos molitum fuiſſe: cùm præſertim non modò eius tanti flagitij eos non pœnituerit, ſed etiam aliis idem faciendi nefariè autores fuerint.Idem ſentiunt mecum veteres penè omnes.

Lib. 1. epi. 11. Cyprianus inprimis: Chriſtus, inquit, Dominus & iudex noſter, cùm
" virginem ſuam ſibi dicatam iacere cum altero cernit,quàm indignatur &
" iraſcitur, & quas pœnas, incœſtis eiuſmodi coniunctionibus, commina-
De virginit. tur? Baſilius eodem modo: Horrendo,inquit,ſacrilegio, Chriſti ſponſę
Epi.6.ad The adulter efficitur. Chryſoſtomus etiam:Honorabiles,inquit,nuptiæ: ſed te
" iam ſeruare non conuenit priuilegia nuptiarum; quamùis frequenter hoc
" ipſum nuptias voces, ego tamen adulterio illud peius exiſtimo. Augu-
In pſalm. 99. ſtinus ſimiliter: Dum non perſeuerauerit, inquit, implere quod vouit, fit deſertor tam ſancti propoſiti,& reus voti non redditi. Hæc illi. Itáq;

etſi

etsi cætera omnia salua haberent, hæc tamen nunquam effugient, se periuros & votifragos duces, secutos esse. Atqui irritam facientes primam fidem (de eadem viduarum voto instituta castitate agens, inquit Paulus) damnationem habent. A damnatis igitur orti, ipsi damnati sint oportet: ac de illorum ordine, qui deos aureos, argenteos, ligneos, & lapideos colunt, de quibus ita præclarè sentiunt: vt, si quis illis votum vouerit, & nõ reddiderit, neque hoc requirant. Hæc vera sunt, euidentia sunt, demonstratiua sunt: ita tamen Euangelicos se esse, & vocari volunt. De quibus illud dicimus, quod præclarè aliquando Lactantius de veteris seculi sapientibus dixit: Postquam sublata sapientia est, tùm demùm sibi homines nomen sapientum vendicare cœperunt; tum autem nemo sibi nomen sapientis vsurpauit, cùm omnes erant. Idem enim istis accidit: postquam sublatum Euangelium est ab ipsis, tum demùm sibi nomen Euangelii vendicare cœperunt: tum autem nemo sibi nomen Euangelii vendicauit, cùm omnes erant. Sed hæc quidem hactenus. Diues igitur hæc virginis percontatio: diues interrogatio; longè ditior, quàm aliorum subita assensio aut credulitas. Fallitur ergo hæretica fex Sarcerij, Culmani, qui virginem aliquid animale sensisse, aut per ignorantiam peccasse, aut Dei verbo se pertinaciter opposuisse, aut humanæ sapientiæ argutiis innixam fuisse, plúsque sensui quàm Deo credidisse, blasphemè calumniantur. Nunquam enim virgo illud pulcherrimum Elizabethæ testimonium retulisset, Beata quæ credidisti: nunquam ab angelo etiam, & ante & post, tàm sanctè compellata fuisset: nunquam gratia plena, nunquam benedicta in mulieribus censeretur, si illi fœdę infidelitatis aliqua nota adhæsisset; præsertim tanta salutatione erectæ & confirmatæ. Nam si Abraham pater omnium credentiũ, infidelitatis crimen non incurrit, illúdq; Pauli testimoniũ retulit, illum credidisse Deo, & reputatum esse illi ad iustitiam; etiã si illud similiter de terra promissionis quęsierit: Domine Deus, vnde scire possum, quòd eam terram sim possessurus? quantò minus virgo, ab omni infidelitatis labe est alienissima, quæ non contradicit, sed interrogat tantùm?

Baruch. 6.

Quærit igitur beatissima virgo: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? vir enim meus Deus, quod vel tuipse nomine tuo præfers. Cui tam graui, támque necessariæ quæstioni, respondet Angelus, modúmque explicat: Ne timeas virgo, tua tibi integra permanebunt, hanc domum sanctus sanctorum ingrediens, non spolia feret, sed magis egrediens integritate donabit: non matrem virginitas deseret; nouit ille seruare, non violare integra: clausa ingressus, clausa relinquet: egredietur vt splendor iustus eius, & saluator eius vt lampas accendetur: nec syderi radius suam diminuit claritatem, nec virgini filius tuam auferet virginitatem: illustrat radius solis crystallum penetrans, non inficit. Nec suspectam habeas prudens virgo fœcunditatem, quia non auferet virginitatem: grauida eris, sed non grauata: crescet potius tanto partu integritas corporis tui: quàm decrescet: virginitásq; tua augebitur potius, quàm minuetur. Qui enim disrupta corporis membra in aliis poterat integrare

tangendo; quantò magis in ſua matre quod inuenit integrum, non violabit naſcendo? Anguſtus tuus vterus cõtinebit, quod continent cœli: cõiunctio hæc ſine ſordibus erit; vbi maritus ſermo erit, & vxor auricula. Lumen, quod intra te habebis, tenebras nullas, pondus nullum habebit: feres virum ſimul & filium: illius eris mater, cuius Deus eſt pater: filius paternæ charitatis, erit corona tuæ virginitatis: ſapientia paterni cordis, erit fructus vteri virginalis: virginitatem ſimul & fœcunditatem conſeruabis: paries, & vterum non aperies: concipies, & integra remanebis: educes infantem, & vterum ſignatum relinques: lac ſuppeditabis, vbera tamen intacta conſeruabis: portabis puerum, qui in terra patrem non agnoſcet: mater efficieris, quæ coniũx non eris: nutries filium, & eius non inuenietur pater: ager fructum edet, & fructus carebit cultore: meſſis reddet, quæ ſemen non acceperat: curret fluuius, & fons, quacunque ex parte clauſus erit; vt perſpectum fiat te matrem factam eſſe, & tamen non eſſe paſſam ea, quæ mulieribus accidunt. Non enim ex viri voluntate, aut ex voluntate carnis, ſed ex Deo, quod concipies, naſcetur. Arſit quondam rubus, in quo Deus Moyſi apparuit; & viriditatem ſuam non amiſit: concipies & tu virgo, & virginitatem tuam non amittes. Gedeonis quando maduit vellus, tota area ſicca fuit: madente tota area, illud ſolum ſiccum erat. Quemadmodum enim oſtrea rorem recipiens in interioribus ſuis, margaritam gemmam pretioſiſsimã generat; ita tu gloriosa virgo, Spiritu ſancto ſuperueniente filium Dei concipiens, Meſsiam pretioſam margaritam generabis. Omnes corruptę pariunt: tu virgo; quin imò hac prole firmabitur, conſecrabitur, nobilitabitur, ditabitur, conſignabitur, tua ſancta virginitas: ſine omni tumultu, ſine violentia omni, porta hæc Regi patebit, & ſigilla eius non reſerabuntur. Aaronis virga arida ſine ſucco, in manu ſenis refloruit: & Deus non poterit ſine ſemine cõcipi in vtero virginis! Neque tamen aut aliqua ſuperna virtus, aut impotens natura, aut aliqua medica vis, hoc efficiet; ſed ipſe Deus: qui vt leges naturæ poſuit, atque præſcripſit; ita illis ipſe non ſubiicitur, illiſq; nullo modo teneri poteſt. Ne ſpectes in terram, totum hoc opus è cœlis eſt. "Cœleſtis erit partus, à cœleſti peragetur opifice. Tabulas noſtræ natu- "ræ, inquit Nyſſenus, quas culpa confregerat, denuô verus Legiſlator, de "terra noſtra ſibi dolabit abſque concubitu, diuinitatis ſuæ corpus ſuſce- "ptibile creans, quod digitus Dei ſculpet, id eſt, Spiritus ſanctus veniens "in te. Qui ſcripſit digito lapideas tabulas ſine ferro, grauidabit te Spiritu ſancto ſine ſemine: qui produxit panem in eremo ſine aratione, ipſe impregnabit te ſine corruptione: qui percuſsit petram in deſertò, & fluxerunt aquæ, ipſe educet nouam progeniem ex vtero tuo: qui fecit virgam ſine humiditate germinare, ipſe faciet te ſine ſemine generare. paries, inquam, operatione diuina, ſeminatione ſuperna, & aduentu Spiritus ſancti.

Quod opus, etſi totius Trinitatis ſanctæ erit, in eo tamen primæ partes Spirituì ſancto tribuentur; vt qui amor, & gratia ſit; ab eo totum opus hoc, amoris & charitatis perficiatur. Dignum autem erat, vt qui corruptam

ptam in Adam maſſam ſanare venit, non de ſeminis corruptione, ſed de potentia Spiritus ſancti naſcatur. Illius, inquam, Spiritus ſancti, cuius obſtetricante manu vniuerſa hæc creatura producta conſtitit. Qui quidem Spiritus ſanctus, inſtar nubis cuiusdam rorantis, cœlitus ſuperueniet in te, id eſt, copioſior gratia illabetur in te: ac veluti arræ cuiusdam loco, accipies Spiritum ſanctum: & quam gratiam antea ad omne genus virtutis complẽdæ pleniſsimam accepiſti; nunc ad hunc effectum, vt parias & grauida fias, copioſam gratiam, tum vt corpus tuum ſanctificetur, tum vt ſalutarem fœtum concipere poſsis, accipies. Nam quemadmodum vapor cœli virtute excitatus, congelatur in rorem, quo terra læta & fertilis redditur; ita puriſsimus tuus ſanguis, Spiritus ſancti vi eleuabitur, & ex eo, pretioſiſsimum Ieſu Chriſti corpus formabitur. Calor iſte cœleſtis, non adurens eſt, ſed fœcundans: róſque hic ſanctus rorans de cœlo, non conuellet, ſed aperiet terram tuam, & germinabit ſaluatorem: Dominus dabit benignitatem: & terra tua dabit fructum ſuum. Si enim calor humórque iſte naturalis habet eam vim & facultatem, vt terram aperiat, ſeminaque in vtero illius fœcundet; quanto magis Spiritus & calor hic diuinus & cœleſtis, Spiritus, inquam, ſanctus te faciet fœcundam? Et ſi ſpiritus æthereus in ſemine viri concluſus partum animat, conformat, & perficit; quantò magis Spiritus altiſsimi omnia conformabit? Neque longo aliquo conamine & interuallo; ſed ſimul vt puriſsimum tuũ virginis ſanguinem in vterum collegerit, illúmque attigerit, ſtatim conſolidabit, configurabit, perfectúmque faciet hominem; ita, vt fœmina perfectum circumdes virum, vt homo integer naſcatur in te, vt plenum hominem plenus accipiat Deus. Non tamen Spiritus ſancti tantùm hoc erit opus, ſed & ipſius patris, & filij etiam: Virtus, enim, altiſsimi, ſplendórque inacceſsibilis, virtus illa, qua portat, & regit vniuerſa, quæ operata eſt coram Pharaone in omnibus filiis Iſraël, obumbrabit tibi: hoc autem eſt, diuina vis, tanquam extenſis alis vmbram tibi faciet, partésque viri aget extendens pallium ſuper te; ne immenſus diuinitatis ſol te adurat, néue à nimia opprimaris gloria, temperabit, ne aciem mẽtis tuę maieſtas obtũdat, atq; perſtringat; nec irradiabit tibi, ſecũdùm plenitudinẽ ſuę claritatis, ſed velut vmbram ſuo ſplendori faciens, exercebit in te effectum ſuæ poteſtatis. omnipotens Deus pater obumbrabit tibi: id eſt, ſuam poteſtatem immenſam tuæ capacitati contemperabit, vt eius immenſum lumen ferre queas: vt candidiſsimum lumen, inquit Bernardus, puriſsimúmque fulgorem capias. eadémque virtus cœleſtis, inſtar cuiusdam aquilæ, quæ te in conceptione tua ab omni labe peccati alis ſuis texit, omnémque fomitem ex carne tua puriſsima ſuſtulit, in omni vita cuſtodiuit; nunc etiam in conceptione, obumbrabit tibi, ne ab vllo prauæ cupiditatis ardore, à quo procul abes, aduraris: Vmbras item, inquit Athanaſius, & lineamenta faciet, vt videas, quantum fieri poteſt, Deum in te habitantem. Hic enim eſt mons ille, quem obumbrantem vocat Abacuc, qui te teget, ac defendet: omnéſque defectus, qui partum conſequuntur, ipſe implebit: Sca- *Pſalm. 90.*

pulis ſu-

pulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis, id est, tutam te ab omni, vel naturæ, vel integritatis & pudoris læsione, conseruabit: ab omni item infamia & obtrectatione, contradictionéque linguarum, obumbrabit, inquam, quia res nimirum in sacramento erit: & quod sola per se Trinitas in te sola, & cum sola, voluit operari; soli datum erit nosse, quatenus sibi totus tantum notus, habeatur & tibi. Ne igitur à me expectes virgo, quo modo, & qua ratione id Spiritus sanctus, aut hæc ipsa virtus altissimi sit effectura, cùm id solus tecũ qui efficiet, cogniturus est; neq; quisquam id nouerit, prçter illum qui facit. Ineptè igitur, vt pleraq; omnia, Philippus, eã virtutis altissimi obumbrationem ad necessarios pauores ac terrores conscientiæ peccati, à quibus nulla creatura libera est, refert. Quasi verò, hoc nuncium timoris & pauoris, & nõ potius lætitię & gaudij sit: aut quasi in regno peccati, aliquem locum integritas virginalis habere possit. Sed apud istos nihil sanctum est, nihil incorruptum, nihil non inquinatum.

Quo quidem loco, pulcherrimus modus & ratio nobis proponitur, quantisper arcana diuina sint perscrutanda; tantisper scilicet, vt ad voluntatem excelsi, & omnipotentem manum eius omnia referamus: quo modo autem & qua ratione quid faciat, ipsi soli scire, qui facit relinquamus; cùm vel ipsius naturæ opera non satis perspecta habeamus. Pulchrè Diuus Anselmus: Sufficere nobis debet ad rationem voluntas Dei, licèt non videamus, cur ita velit; voluntas namque Dei, nunquam est irrationabilis. Quod igitur nunc de hac conceptione in vtero respondet virgini Angelus; hoc idem & nos de ea transmutatione, quæ fit panis & vini in verum corpus, & sanguinem Iesu Christi, Sacramentariis tutissimè respondere possumus. Quærunt illi ex nobis, nùm credamus, verum corpus & sanguinem Christi sub speciebus panis & vini contineri; respondeamus nos credere. Cur ita? Quia ipse dixit: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus. Vrgent illi, quomodo id fiat? dicamus; Spiritus sanctus superuenit, & virtus altissimi obumbrat. Quærunt amplius, quomodo aut Spiritus S. aut virtus altissimi id efficiat? respondeamus, nos Angelicas metas, Angelicos terminos, transcendere non posse. Vtrobique autem esse verum Christum, vtrobique eodem modo & eadem virtute esse & effici, tam in vtero, quàm sub speciebus panis & vini, docent vetustissimi patres. Inprimis beatus Ignatius Episcopus & martyr, cuius ardore sancto flagrantis illa vox est: Panem Dei volo, panem cœlestem, panem vitæ, qui est caro Iesu Christi filij Dei viui, qui natus est in nouissimo ex semine Dauid & Abrahæ. Iustinus verò, & hic ipse martyr, palàm affirmat, ad diuinum cibum, qui Eucharistia dicitur, iam olim admissos non esse alios, nisi hanc fidem profitentes, Christum, qui carnem & sanguinem è virgine pro nostra salute assumpsisset, eandem corporis veritatem nobis in Eucharistia donasse ac reliquisse. Vnde in suo Apologetico verbis disertis illud pronunciat: Quemadmodum per verbum Dei, caro factus Iesus Christus seruator noster, carnem & sanguinem pro salute nostra habuit; sic per verbum precationis & gratiarum actionis, sacra-

Cur Deus homo cap. 8.

In Epi. ad Ro.

In Apol. 2. ad Ant. Pium.

tam

cratam ab ipso alimoniam,ex qua caro nostra & sanguis aluntur,illius car-
nem & sanguinem didicimus esse. Neq; aliter docet Irenæus, cuius ad *Lib. 5.contra*
hæreticos refellendos hæc est ratiocinatio, vt rem in pauca contraham. *Valentini. &*
Si Christus verum & naturale corpus de virgine non assumpsit; falsò cre- *lib.4.cap.34.*
dimus nos Christi sanguine redimi, & in Eucharistia nos carne eius pasci
& sanguine; cùm sanguis non dicatur, nisi qui naturalis est,& per humani *Lib. 8.de Tr.*
corporis venas diffunditur.Et Hilarius simili vtitur ratiocinatione:Si verè
verbum caro factum est,& nos verè verbum carnem cibo dominico sumi-
mus: si verè carnem corporis nostri Christus assumpsit; & verè homo ille,
qui ex Maria fuit,Christ⁹ est;nos quoq; vere sub mysterio carnẽ corporis
Christi sumimus,& per hoc vnum erimus,quia pater in eo est,& ille in no-
bis. Ambrosius habet in hunc modum: Numquid naturæ vsus præces- *De ijs qui my*
sit, cùm Iesus Dominus ex Maria nasceretur ? si ordinem quærimus, viro *sterijs initia.*
mixta fœmina generare consueuit. Liquet igitur,quòd præter naturæ or- *cap. 9.*
dinem virgo generauit;& hoc quod conficimus,sacerdotes,corpus ex vir-
gine est. Quid hîc quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cùm præ-
ter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex virgine? vera vtiq; caro Chri
sti, quæ crucifixa est, quæ sepulta est; verè ergo carnis illius sacramentum
est. Ipse clamat Dominus Iesus: Hoc est corpus meum. Quid verò Au- *In Psalm. 98.*
gustinus ? quàm euidenter Christum, Christíque carnem de Maria susce-
ptam, in Eucharistia tùm manducandam, tùm adorandam esse affirmat:
Suscepit, inquit,de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Marię
carnem accepit. Et quia in ipsa carne hîc ambulauit;& ipsam carnem no-
bis manducandam ad salutem dedit: nemo autem illam carnem mandu-
cat,nisi prius adorauerit: inuentum est,quemadmodum adoretur tale sca
bellum pedum Domini; vt non solùm non peccemus adorando, sed pec-
cemus non adorando. Ac alibi rursus: Totus erat apud patrem,quan- *In ser.de ver.*
do venit in virginem; impleuit illam, nec recessit ab illo: veniebat in car- *Euangelij.*
nem, vt eum homines manducarent; & manebat integer apud Patrem,vt
Angelos pasceret. Gregorij Nysseni oratio est: Huius corporis panem *In lib. de vit.*
non aratio,non satio, non agriculturæ opus effecit; sed terra intacta per- *Moysi.*
mansit; & tamen pane plena fuit, quo famescentes, mysterium virginis
perdocti,facilè saturantur. Et Gregorii Nazianzeni discipulus Hesychius: *Lib. 6. in Le.*
Sancta sanctorum,inquit,sunt propria Christi mysteria; quia ipsius est cor- *cap. 22.*
pus,de quo Gabriel ad virginẽ dicebat,Spiritus sanctus superueniet in te
& virtus altissimi obumbrabit tibi, ideò quod nascetur sanctum, vocabi-
tur filius Dei. Fulgentius item: Quando autem conuenientius, quàm *Ad Monim.*
ad consecrandum sacrificium corporis Christi sancta Ecclesia, quæ cor- *lib. 2.*
pus est Christi,Spiritus sancti deposcat aduentum? quæ ipsum caput suum
secundùm carnem de Spiritu sancto nouerit natum. His Chrysologus *Serm. 67.*
consonat, qui succinctè quidem, sed grauiter & scitè dixit: Ipse Christus
est panis,qui satus in virgine,fermentatus in carne,in passione confectus,
in fornace coctus sepulchri, in Ecclesiis conditus, illatus altaribus, cœle-
stem cibum quotidie fidelibus subministrat. Concludit Damascenus: *Li. 4. de fide*
ortho. cap.14

Cor-

» Corpus secundùm veritatem coniunctum est diuinitati, quod ex sancta
» virgine corpus est: non quòd ipsum corpus assumptum ex cœlo descen-
» derit; sed quod ipse panis & vinum transmutatur in corpus & sanguinem
» Dei. Si autem modum requiris, quonam pacto fiat, sat sit tibi audire, quo-
» niam per Spiritum sanctum, quemadmodum ex sancta Deipara seipso, &
» in seipso, Dominus carnem sustentauit. Hæc illi.

Addit Angelus: Ideóq; & quod nascetur ex te sanctũ, vocabitur filius Dei. Corpus illud filij Dei benedictũ, non cœlitus afferetur, vt Eutyches, & Valentinus ex veteribus, impuri Anabaptistę ex nostris sentiunt: non ex syderibus & elementis componetur, vt Apelles putauit: non ex ipsius diuinę substãtię cõdetur, vt Apollinaris opinatus est: nõ ex nihilo fiet, vt Manichęi asseruerunt; sed ex tuis purissimis sanguinibus, in te, & ex te nascetur. Quomodo enim ex radice Iesse promanaret: quomodo filius hominis esset: quomodo natus ex muliere: quomodo fructus ventris: quomodo semen ex vtero: quomodo primogenitus mortuorum: quomodo primitiæ dormientium: quomodo filius tuus: quomodo frater noster: quomodo ex terra ortus: quomodo os ex ossib⁹, caro ex carne nostra verè diceretur? Aut quomodo non esset vera calumnia, quam refert Cyrillus, Iuliani Apostatæ; qui ideò negabat Christum esse ex tribu Iuda, quòd non ex Ioseph, sed ex Spiritu sancto eum natum esse dicamus. Nascetur autem sanctum, id est, sanctum erit natura, non cooptatione; quomodo primogenitum, sanctum veteris legis dicebatur. Refutantur ergo ex hoc loco Anabaptistæ, & qui illos in hac parte sequitur Caluinus, qui putant eos infantes, qui ex christianis parentibus nascuntur, sanctos & iustos nasci; & ideò ne baptismate quidem statim opus habere. Atqui non vident id proprium filij Dei priuilegium fuisse: idque eam ob causam, quòd non ex commistione viri, sed operatione Spiritus sancti, atque virtutis altissimi obumbratione, natus esset. Quod Angelus ipse indicat. Vbi enim primum dixit, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, mox infert, Ideò quod nascetur ex te, ab omni contagione peccati remotum, sanctũ vocabitur. D. verò Gregorius latius etiam hoc ipsum explicat: Ad distinctionẽ nostræ sanctitatis, Iesus singulariter sanctus nasciturus asseritur. Nos quippè etsi sancti efficimur, non tamen nascimur, quia ipsa naturæ corruptibilis cognatione constringimur, ille autẽ solus veraciter sanctus est, qui ex coniunctione carnalis copulæ conceptus non est: qui non sicut hæreticus desipit, alter in humanitate, alter in Deitate est; vt purus homo conceptus, atque editus; & pòst per meritum, vt Deus esset, accepit: sed nunciante Angelo, & adueniente Spiritu sancto, mox verbum in vtero, mox intra vterum verbum caro. Et Anselmus: Quoniam propagatio viri de sola virgine, ita non est naturalis aut voluntaria, sed mirabilis: sicut illa quæ mulierem protulit de solo viro, & sicut creatio viri de limo; palam est, quia nequaquam subiacet legibus & meritis illius propagationis. Quia & voluntas & natura quamùis discretè operentur; aliud enim ibi facit voluntas aliud natura; taliter tamen verus est homo: & Adã

Lib. 8. cõt. Iul.

Lib. 8. Moral cap. 17.

non

non de homine,& Ieſus de muliere, & Eua de ſolo viro;ſicut eſt verus homo, quilibet vir aut mulier, de viro & muliere. Omnis autem homo aut Adam eſt, aut de Adam eſt: ſed Eua de ſolo Adam eſt, & omnes alii de Adam & Eua. Quoniam namque Maria,de qua ſola eſt Ieſus,de Adam & Eua eſt; non poteſt ipſe de eisdem non eſſe. Sic namque expediebat, vt qui redemturus erat genus humanum, eſſet & naſceretur de patre & matre omnium. Ita iſti proprium filii Dei priuilegium, qui ex virgine natus eſt, ad ſe filióſque ſuos impiè transferre non erubeſcunt: ita ad lumen Euangelii cœcutiunt: & cùm illud ſe maximè ſequi ac tueri putant, interea euertunt. Hoc, inquit, quod naſcetur ex te ſanctum; quod Iſaias ſanctum ſemen vocat. Attende,quæſo,quàm reuerenter dixerit: Quod naſcetur ex te ſanctum,inquit Bernardus: Vt quid enim tam ſimpliciter ſanctum, & absq; additamento? Credo, quod non habuit, quod propriè dignéue nominaret; illud eximium, illud magnificum, illud reuerendum, quod de puriſsima videlicet virginis carne, cum ſua anima vnico patris erat vniendum. Si diceret, ſancta caro, vel ſanctus homo, vel ſanctus infans, quicquid tale poneret, parum ſibi dixiſſe videretur. Poſuit ergo indefinitè,Sanctum;quia quicquid illud ſit,quod virgo genuit,ſanctum proculdubiò, ac ſingulariter ſanctum fuit, & per Spiritus ſanctificationem,& per verbi aſſumptionem. Et angelus quidem ſic reuerenter. Noſtri autem Ebionitæ quid? Pudet referre. Quòd ſi Angelum in hoc tanto myſterio deficiunt verba,quid de nobis dicemus? In diuinis myſteriis explicandis,creatura omnis muta, & infans eſt. Vocabitur filius Dei. Vt enim id,quod natura eſt ab æterno ex Patre,tuum dicetur; ita viciſsim id,quod naſcetur ex te ſecundùm carnem, vocabitur filius Dei, propter duarum naturarum in vnam perſonam hypoſtaticam coniunctionem: cùm ipſa perſona filij Dei,vnam Ieſu Chriſti,vt etiam eſt filius Mariæ,cõſtituat perſonã: & ideò,quod naſcetur ex te ſanctũ,vocabitur filius Dei. Vocabitur etiam ſecundùm carnem verè naturalis,& non adoptiuus filius. Adoptiuum enim repugnat naturali, non ſecundùm diuinitatem tantùm, ſed etiam iuxta carnem, propter eam, quæ in vna perſona,quam filiatio ſequitur, facta eſt, vnionem. Sic autem & quod natum eſt ex ipſo Patre, erit tuum: & quod naſcetur ex te,erit eius;vt tamen nõ ſint filii duo,ſed vnus. & licèt aliud quidem ex te, aliud ex illo ſit; non tamen cuiusque ſuus, ſed vnus vtriuſque erit filius: túque θεοτόκος mater Dei & hominis vocaberis, & eris, iuxta elogium Elizabeth: Vnde hoc mihi,vt veniat mater Domini mei ad me? non quòd diuinitatem genueris; ſed quòd diuinitas in tuo vtero inhabitauerit. Ex quo loco omnis Neſtoriana prauitas refutatur, quæ dicebat nudum hominem ex Maria natum, cui poſtea Deus ad Iordanem in baptiſmo adhæſerit, in eóque inhabitauerit: quam in hac parte xiiij. Canon Chalcedoneñ expreſsis verbis damnat. Si quis non confitetur Deum eſſe veraciter Emanuel, & propterea genitricem ſanctam virginem matrem Dei, anathema eſto.

Homil. 41.de B. virgine.

Lucæ.1.

Quamùis autem hoc tam inſigne incarnationis opus toti ſanctæ attribu-

tribuatur Trinitati, patre sanctificante, filio obumbrante, Spiritu sancto fœcundante; peculiariter tamen attribuitur Spiritui sancto, vel quòd pro-
Psalm. 32. ducendi, viuificandi, ac obstetricandi eius partes sunt, iuxta illud: Spiritus Domini ferebatur super aquas. Et illud: Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Vel quòd hoc tantum beneficium summi & excellentis amoris est: Spiritus autem sanctus amor est:
Ioan. 3. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum daret. Vel quòd omne ver-
Psalm. 44. bum per Spiritum foras se prodit: Eructauit cor meum verbum bonum. Vel quòd Dei in carnem aduentus, primum ac summum donum est: Spiritus autem sanctus donum vocatur. Vel quòd tota sanctificationis virtus, penes Spiritum sanctum peculiariter esse dicatur; ob eámq; causam ipse Spiritus sanctus à sanctificando, teste Basilio, vocatus est. Conceptus tamen & natus de Spiritu sancto dicitur; non quòd Spiritus sanctus fuerit virgini pro semine: non enim de substantia Spiritus sancti semen partus accepit; sed quia per gratiam Dei, & operationem Spiritus sancti, de car-
Li. 2. de S.S. ne virginis est assumptum, quod verbo est vnitum. Cuius rei rationem pulchrè ita explicat Ambrosius: Quod ex aliquo est, aut ex substantia, aut ex potestate eius est. Ex substantia sicut filius, qui à patre vel ex patre, & Spiritus sanctus, qui à patre & filio procedit. Ex potestate autem sicut ex Deo omnia. Quomodo ergo in vtero habuit Maria ex Spiritu sancto? Si quasi ex substantia: ergo spiritus in carnem & ossa conuersus est. Non vtique. Si verò quasi ex operatione, & potestate eius virgo concepit: quis neget Spiritum sanctum Dominicæ incarnationis autorem?

Quanquam autem opera Dei nullis argumentis demonstrari possint: mos est tamen diuinæ scripturæ, vt similitudinibus quibusdam à rebus nobis notis desumptis, res difficiles illustret; atq; hoc modo intellectus nostri curiositatem reprimat ac soletur. Hoc facit Angelus, rémque difficilem alia difficili verisimilem facit. Non quòd virgo non credat; quæ eo nomine beata prædicatur, quòd crediderit; sed vt dum miraculum miraculo redditur, inquit Bernardus, gaudium gaudio cumuletur. Ecce, inquit, Elizabeth cognata tua. Permiscebatur enim domus Iuda cum domo Leui, regia, inquam, cum sacerdotali, eò quòd summum regem & sacerdotem Christum Dominum editura erat: & quòd Leui sorte hæreditaria inter tribus caruit; vt nullus metus esset, ne tribuum possessiones ac hæreditariæ sortes commiscerentur: cuius rei causa iussum fuerat, vt quis-
Num. 36. que in sua tribu vxorem duceret. Quod ita esse docet scriptura: Nubant quibus volunt, tantum vt suæ tribus hominibus, ne commiscereturposses-sio filiorum Israël de tribu in tribum. Omnes enim viri ducent vxores de tribu & cognatione sua, & cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient, vt hæreditas permaneat in familiis, nec sibi misceantur tribus, sed
De Christ. Ge ita maneant, vt à Domino separatæ sunt. Vnde Gregorius Nazianzenus: Quærit aliquis, qualiter ad Dauid Christus referatur, siquidem Mariade sanguine manauit Aaron, cuius cognatam Angelus Elizabeth asseruit? Sed hocnutu superno contigit, vt regium genus sacerdotali stirpi iungeretur,

vt Chri-

vt Christus; qui rex est & sacerdos ab vtrisq; secundùm carnẽ nasceretur.
Legitur etiam in Exodo, quoniam Aaron, primus secundùm legem sacer- *Exod. 6.*
dos, duxit ex tribu Iuda coniugem Elizabeth filiam Aminadab. Et atten-
de sacratissimam spiritus administrationem, dum & hanc Zachariæ con-
iugem statuit Elizabeth vocari, reducens nos ad illam Elizabeth, quam
duxerat Aaron. Cuius cognationis rationem Cyrillum Ierosolymitanum, autorem grauissimum, & fide dignum, aliquando è patribus in Ephesina Synodo prodidisse aiunt: Emerentianam habuisse duas filias, Annam & Esmeriam; quarum Esmeria mater Elizabethæ fuit, Anna verò ipsius virginis Mariæ: vnde constaret, Mariam & Elizabetham, duarum sororum filias fuisse, ob idque cognatas appellari. Quod ita esse, etiam Ecclesiam Ierosolymitanam sensisse narrant; cui non difficile fuerit ab ipsa virgine Deipara, & vniuersa familia, ea cognoscere, & posteritati tradere. Et ipsa, inquit, me nuncio, concepit filium in senectute sua. Non te, inquit, moueat tempus, non ætas; nam ecce ea, quæ tecum viuit senex: non cursus naturæ, nam ea, quæ à sterilitate nomen habet, anus deploratæ sterilitatis: non conditio; nam cognata tua, eiusdem altissimi virtute concepit filium in senectute sua, & filium non quemùis, sed eum, qui, vt ipse præibit ante faciem filij tui, parare vias eius; ita etiam eius natiuitas, filij tui natiuitatis erit prænuncia. Et hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis. Res est clara, sextus iam mensis agitur, fœtus moueri incipit. Ac in summa scias virgo me hæc, quæ promitto, non de mea, sed de illius qui me misit, virtute præsumentem dicere: dixi quod accepi, quod audiui; nec vllum mandatum habeo, vt dicam quomodo id futurum sit; sed futurum tantùm prædico: Non erit impossibile apud Deum omne verbum: siue pro re, siue promissionis loco sumatur, inquit Basilius, Tota ratio facti erit potentia facientis: dictum factum est apud Deum. Vox virtutis hæc est, quam iterum atque iterum iam in scriptura legimus: Numquid Deo quicquam est difficilè? Numquid mihi difficile siue impossibile erit omne verbum? Nam quæ apud homines impossibilia sunt, possibilia sunt apud Deum. Non dicit autem omnem rem non esse impossibilem, aut omne factũ, sed omne verbum: quia quàm facilè possunt homines loqui quod volunt, etiam quod nullatenus facere possunt; tam facilè, imò incomparabiliter facilius, valet Deus opere implere, quicquid illi valent verbo exprimere. Dicam apertius: si hominibus tam facilè esset facere, quàm dicere, quod volunt; & ipsis quoque non esset impossibile omne verbum. Nunc autem quoniam vulgaris, & verus sermo est, multum interesse inter loqui & facere; sed apud homines, non apud Deum: soli Deo quia idem est facere, quod loqui, idem loqui quod velle: meritò nõ erit impossibile apud Deum omne verbum: siquidem apud Deum nec verbum dissidet ab intentione, quia veritas est: nec factum à verbo, quia virtus est: nec modus à facto, quia sapientia est; ac per hoc non erit impossibile apud Deum omne verbum. Quæ vtinam huius seculi Euangelici expenderent, non profectò laboraremus.

Audisti igiturvirgo factum,audisti & modum, vtrumq; mirum,vtrũq; incredibile, vtrumque salutare: Iucundare filia Sion, & exulta satis filia Ierusalem: & quoniam auditui tuo datum est gaudium & lætitia, audiamus & nos à te responsum, salutis & lætitiæ. Expectat Angelus responsum,tempus enim est,vt reuertatur ad Deum,qui misit eum: confectus est apparatus legationis, confecta legatio, effectus legationis desideratur. Nihil iam deerat ad tantum tótque seculis apparatum opus, quàm vt virgo consentiret. Neq; enim ille quemquam cogit,qui omnes liberos creauit, & ad eandem libertatem sempiterna manumissione sua recreauit. Credibile est equidem, tunc Adam & Euam,vniuersámq; patriarcharum, prophetarum,ac omnium sanctorum manum,animo in virginem conuerso obstúpuisse; ac quid tandem in tam inusitata re dictura facturáq; esset, animis suspensis expectasse; sed & Angelos, atque adeò illum ipsum, qui hominem liberum esse voluit, cordium imperatorem Deum, credibile est omnes vno voto, illud ipsum à virgine expetiisse. Responde ô beatissima mulier verbum, & suscipe verbum; profer tuum, & concipe diuinum; emitte transitorium, amplectere sempiternum. Expectamus & nos, ô domina, verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis. Et ecce offertur tibi pretium salutis nostræ,statim liberabimur si cõsentis: in sempiterno Dei verbo facti sumus omnes, & ecce morimur; in tuo breui responso reficiendi, vt ad vitam reuocemur:nec immeritò,quãdo ex ore tuo pendet mœstorum consolatio, miserorum redemtio, captiuorum liberatio: salus denique vniuersorum filiorum Adam,totius generis tui.Da virgo responsum festinanter,ô domina: responde verbum,quod terra,& inferi,quod expectant & superi: ipse quoque rex omnium,& Dominus, quantum concupiuit decorem tuum, tantum desiderat & responsionis assensum, in quo nimirum proposuit saluare mundum. Et cui placuisti in silentio, iam magis placebis ex verbo, cùm ipse tibi clamet è cœlo. Credibile est igitur, virginem genibus flexis, ac manibus compositis, magna animi submissione dixisse: Ecce ancilla Domini,fiat mihi, de verbo, secundùm verbum tuum. Tabula ego sum scribæ velociter scribentis: quod illi placet, mihi inscribat. Benedictus qui venit in nomine Domini. Orsa fuit virgo à voce castitatis:Quomodo fiet istud?desinit in verbum obedientiæ & humilitatis: Ecce, inquit, ancilla, ad obediendum facilis, ad seruiendum parata, ad suscipiendum promta. Quem submissum assensum mirificè iam ante expresit Sibylla:

Hinc vt lætificis mens est recreata loquelis,
Erubuit malas ridens puerile venustas.
Lætitia dulcíque animum demulsa pudore
Tunc ad se redijt, verbúmque volauit in aluum.
Idq; suo factum, atque animatum tempore corpus:
Mortali facie cretum est, puer inde creatus
Virgineo partu, mira est mortalibus hæc res.
Sed res nulla Deo patri natóque stupenda.

Simi-

Simile quid respondit familiæ Dauid in vxorem eius ascisscenda Abigail: Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum domini mei. Et Isaias: Ecce ego, inquit, Domine, mitte me. Et Samuel: Ecce ego. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Non est, inquit, meum, quæ serua & ancilla sum, arcana & secreta summi parentis perscrutari: non est meum id velle nosse, quod ille solus nouit; ancilla eius sum, fiat mecum quod vult: non meæ, neque Ioseph, sed eius sum potestatis; illum iubere, me iussa capessere fas est. O fides Deo accepta: ô humilitas grata: ô obedientia omni sacrificio iucundiùs Deo oblata! Quid ergo, quod venientis Dei oculos offenderet, in illa poterat residere; in qua tantarum virtutum insignia veniens inuenit redolere? Rara virtus, honorata humilitas: ancillam se dicit, quæ mater eligitur. Ita pro inobedientia obedientia commutatur, inquit Augustinus, & fides pro perfidia compensatur. Superba Eua dum dea esse vult, serua facta est: hæc dum se ancillam humiliter profitetur, Dei mater facta est: ideò humilis Eua, facta est superbæ Euæ aduocata: & sicut Eua inobediens, facta est sibi & vniuerso generi humano causa mortis: sic Maria obediens, facta est sibi & vniuerso generi humani causa salutis. Discamus & nos nostra omnia Dei voluntati subiicere; neque in arcanis & mirabilibus eius curiosi esse. Nam si coram rege, non vult nos sapiens sapientes videri velle; quantò magis coram Deo, apud quem omnis nostra sapientia stulticia est? Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.

1. Reg. 25. Isaiæ. 6. 1. Reg. 3. Irenæ. libr. 3. cap. 11. aduersus Valent.

Beata quæ credidisti, quia perfecta sunt in te, quæ prædicta sunt tibi. Dum enim fidem das humiliter, cœli in te opificem recipis. Tunc enim subitò (contrà quàm putant Centuriatores) filius Dei, ex sinu patris descendit in sinum virginis; non locum mutando, sed præsentiam suam per carnem exhibendo. Nam & radius solis, solem nunquam deserit; & tamẽ per fenestras domum ingreditur: tunc diuina humanis, cœlestia terrenis, sublimia humilibus sunt iuncta: multa fiunt secundùm naturam, supra naturam plura; tunc cœlestis imber, virginem in vellus placido lapsu se infudit, & tota diuinitatis vnda bibulo se nostræ carnis celauit in vellere, donec per patibulum crucis expressa, terris omnibus salutis pluuiã infunderet: tunc æterni patris sapientia, quàm ab initio possedit, quæ ab æterno ordinata est; quæ antequam essent abysi, concepta est; secundò, in tẽpore, in ea quam accepit carne, concipitur: tunc manu omnipotentis Dei, natura nostra prolapsa, apprehensa est: tunc cœlestis Iob, testam corporis nostri accepit, qua sordes naturæ nostræ detergeret: tunc Gedeon fortissimus lumen diuinitatis suæ abscondit in medio lagenę: tunc natus est regi Dauid, refert traditio Hebraica, verus Salomo, ad curam & medicinã peccatorũ eius: tunc Deus sanctus & benedictus, dicunt Rabini, factꝰ est Israëli cõsanguineus & cognatus: tũc quasi super fratre suo & proximo suo cõplacuit in nobis: tunc Rex Niniue iram ęterni patris mitigaturus descendit de solio suo, & accepit sacrũ mortalitatis de virgine in quo thesaurum redemtionis nostrę deposuit: tũc mulier magno Elisęo domi suę fecit cœ-

naculũ paruum,& posuit ei in eo lectulum & mensam,& sellam,& candelabrum:tunc seruilia membra,pro seruis sumsit Doñus:tunc se ille ipse,qui semper liber est,in nostris ligari passus est: tunc cuius cœlũ sedes est,apprehendit scabellum pedum suorum: tunc descendit de cœlo filius hominis,qui est in cœlo,descẽdit primò,vt exponit D. Thomas,ratione diuinæ naturæ; non quòd diuina natura in cœlo esse desierit, ~~sed quia in infimis nouo modo esse incepit:~~ deinde ratione corporis;non quòd ipsum corpus Christi secundùm suam substantiã de cœlo descenderit; sed quòd virtute cœlesti,id est,Spiritu S. est eius corpus formatum.Et verbum caro factum est,& habitauit in nobis,& vidimus gloriam eius.Cuius rei rationem doctè explicat Damascenus: Post cõsensum,inquit,sanctæ virginis,Spiritus sanctus superuenit in eam, emundans eam, & virtutem ad suscipiendam verbi diuinitatem simúlque ad generandum præbens; & tunc obumbrauit ei Dei altissimi in sua subsistens hypostasi, sapientia & virtus,filius Dei patris consubstantialis,veluti diuinum semen; & construxit sibi ipsi ex castis & purissimis eius sanguinibus carnem animatam, anima, ratione ac mente præditam,primitias nostræ conspersionis;non seminatam,sed creatam per Spiritum sanctum; non paulatim per additamenta completa figura, sed statim absoluta, quod ipsum Dei verbum hypostasis carni factũ esset. Non enim ei, quæ secundùm seipsam ante subsisteret, vnitus est Deus verbum; sed in sua hypostasi ingressus tanquam habitaculum;non circumscripto modo sanctæ virginis vterum, carnem sibi animatam, vt ante dictum est, condidit; vt simul sit caro, simul Dei verbi caro, simul caro animata, ratione ac mente prædita. Quamobrem non hominem deificatum dicimus, sed Deum hominem factum. Nam qui est, natura perfectus Deus, factus est idem perfectus homo; non mutata natura sua, neque simulata rerum actione,sed ei,quam è sancta virgine assumpsit, & ad ipsam essentiam perduxit carni vnitus secundùm hypostasin, sine confusione,immutatione,ac diuisione. Non transmutans suæ ipsius deitatis naturam in carnis substantiam, neq; certè carnis suæ substantiam, in suæ deitatis naturam; neque ex diuina suiipsius natura, & ea quam assumpsit humana, vnam naturam perfecit compositam. Et alio loco: Totum me totus assumsit; & totus toti vnitus est, vt toti salutem largiatur. Nam quod non assumitur, id sanari non potest. Vnitum igitur est carni, mentis medio, verbum Dei,quæ medium obtinet,inter Dei puritatem, & carnis crassitiem. Principatum enim animæ & carnis mens tenet; cùm sit pars animæ purissima; mentis verò Deus: & quando à præstantiore occupatur, ibi mens proprium Christi regimen exhibet; cedit autem parétque præstantiori, & ea operatur, quæ diuina voluntas iusserit. Et paulò pòst: In nouissimis autem diebus, non discedens è sinu patris verbum, non circũscripto modo inhabitauit in vtero sanctæ virginis ἀσπόρως καὶ ἀπεριλήπτως, hoc est. ita, vt neque seminatum sit,neq; ratio eius rei comprehendi queat, eo videlicet modo, quem ille scit, & in ipsa plus quàm æterna sua hypostasi ex sancta virgine suscepit carnem. In omnibus igitur & super omnia erat,

Lib. 3. ortho. fid. cap. 2.

Lib. 3. ortho. fid. cap. 6.

Lib. 3. ortho. fid. cap. 7.

nia erat,etiã cùm in vtero ſanctæ Deiparæ fuiſſet,ſed in ipſa per incarnati „
onis operationem. Incarnatus ergo,eandem fecit carni hypoſtaſim,quæ „
eſt Dei verbi hypoſtaſis ; vt compoſita fieret, quæ prius erat ſimplex ver- „
bi hypoſtaſis : compoſita verò ex duabus perfectis naturis,diuina ſcilicet „
& humana : atq; vt ipſa ferat,non tantùm diuini Dei verbi filiationis cha- „
racteriſticam , & diſcretiuam proprietatem , per quam à Patre & Spiritu „
ſancto diſcernitur ; verùmetiam carnis characteriſticas & diſcretiuas pro- „
prietates, per quas à matre & aliis hominibus differt : ſimúlque vt ferat, „
tam diuinæ naturæ proprietates , per quas vnitur Patri & Spiritui ; quàm „
humanæ naturæ notiones , per quas vnitur matri & nobis : præterea dif- „
ferret non tantùm à Patre & Spiritu, ſed etiam à matre & nobis; eò quòd „
idem ſit Deus & homo ſimul. Hanc enim proprietatem hypoſtaſeos,Chri „
ſti maximè propriam eſſe cognoſcimus. Enimuerò confitemur eum eſſe „
vnum filium Dei , etiam poſt humanæ naturæ aſſumptionem : & filium „
Dei eundem,vnum Chriſtum,vnum Dominum, vnicum illum vnigenitum „
filium, & verbum Dei,Ieſum Dominum noſtrum : veneramúrque duas e- „
ius natiuitates ; vnam ex patre ante ſecula, quæ cauſam , rationem , tem- „
pus, & natiuitatem ſuperat; & alteram, quæ nouiſsimis temporibus facta „
eſt propter nos, ſecundùm nos , & ſupra nos. ~~Propter nos , quia propter~~ „
~~noſtram ſalutem : ſecundùm nos, quia natus eſt ex muliere , legitimóque~~ „
~~partus tempore : ſupra nos,quia non ex ſemine,ſed de Spiritu ſancto,& ex~~
~~virgine ſancta, ſupráque legem partus.~~

Vbi, quæ , & quanta miracula concurrant , vide. Miraculum eſt , ad talem tantúmq; fœtum formandum , viri omnem operam excludi ; & per talem legationem , virginísque conſenſum , virgineum duntaxat vterum adhiberi. Noli morari virgo, inquit Ambroſius , nuncio feſtinanter re- *In Lucam.* ſponde verbum,& ſuſcipe filium;da fidem,& ſenti virtutem : Ecce,inquit, ” ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Nec mora, reuertitur ” nuncius , & virginalem thalamum ingreditur Chriſtus. Efficitur ſubitò ” prægnans beata Dei genitrix: & cuncta per ſecula prædicatur felix : con- ” cepit mox diuinitatem verbi,virilis ignara conſortij. Miraculum item eſt, ” tantum de puriſimo virginis ſanguine transferri & coagulari , in maſcu- lúmque formari,quantum ad generationem hominis ſufficiebat : Nun- *Li. 18. Moral. cap. 27.* ciante enim Angelo, inquit Gregorius , & adueniente Spiritu , mox ver- bum in vtero, mox intra vterum verbum caro; & manente incommutabi- li eſſentia, quæ ei eſt cum patre & cum Sancto ſpiritu coæterna; aſſumpſit ” intra virginea viſcera, vnde & impaſsibilis pati, & immortalis mori, & æ- ” ternus ante ſecula,temporalis poſſet eſſe in fine ſeculorum : vt per ineffa- ” bile ſacramentum conceptu ſancto , & partu inuiolabili , ſecundùm veri- ” tatem , vtriusque naturæ eadem virgo , & ancilla Domini eſſet & mater. ” Miraculum & illud eſt conſuetum dierum numerum , qui ad formandũ hominis corpus deſideratur,non expectari,vt & ſemen ad figuram cor poris aptetur,& anima in corpus ipſum influat ; ſed eodem planè momẽto, & ſine ſucceſsione temporis, corpulentam ſubſtantiam à virginis cor-

pore diuidi, formari, simul & animari, vegetandi, sentiendi, & intelligendi vires omnes pariter adesse; & ad suas functiones, in ipso corpore, rationali anima, iam perfectè informato, exercendas conspirare: Verissimè enim, & absque vlla ambiguitate dicitur, inquit Lombardus, quia ex quo Deus hominem assumpsit, simul sibi vniuit animam & carnem: nec caro prius fuit concepta, & postmodum assumpta; sed in conceptione assumpta, & in assumptione concepta. Quando Angelus istam virginem salutauit, tunc eam Spiritus sanctus fœcundauit, tunc illa fœmina virum sine viro concepit, tunc est repleta gratia, tunc Dominum suscepit, vt esset in ea, qui fecerat eam. Neq; enim illa expositio Theophilacti, exponentis illud, obumbrabit tibi, placet: Quemadmodum pictor, primùm opus delineat & adumbrat, deinde perfectis coloribus illustrat; sic & ipse Dominus, sibi ipsi corpus fabricans, ac hominis imaginem effingens, primùm in vtero virginis obumbrauit, deinde paulatim per partes formauit: Simul enim & semel totum fœmina comprehendit virum, vel propter infinitam virtutem spiritus sancti, cuius obstetricante manu tantus partus conceptus est; vel quòd non decuit Deum assumere aliquid imperfectũ. Miraculum est, dum anima corpori iungitur, eodem momento diuinitatem homini in vnam personam vniri, ac verbum æternum se carni inseparabiliter sociare: vt idem Dei & hominis filius in virgineo vtero constitueretur. Itáque præclarè Bernardus Mariam virginem Euangelicæ illi mulieri comparat, quæ tres mensuras farinæ, siue vt noster legit interpres, tria sata, modicè addito fermento commiscuit, atque contemperauit; vt tota deinde conspersio, in vnum simul corpus confletur atque vniatur. Etenim hæc præstantis fidei suæ fermento, id quod alius nemo potuit, perfecit; vt in suo vtero tres naturæ, verbum, anima, & caro, perinde ac tria sata, in vnitatem personæ Christi coniungerentur, & coniunctæ non diuellerentur. Miraculum item illud est, Mariæ filium inde ab ipsa conceptione, tanta cumulari gratia, vt anima eius cum Angelis Dei essentiam clarissimè intueri, ac Dei gloria beatissimè perfrui posset. Miraculum denique est, eiusdem animam ab initio vndequaque perfectam, & summis Dei donis refertam fuisse, vt non solùm omnes thesauri scientiæ & sapientiæ Dei illic reconderentur; sed etiam vt simul atque verbum caro factum est, mox plenitudo diuinitatis in homine Christo corporaliter inhabitaret: Factus est primus Adam in animam viuentem; nouissimus Adam in spiritum viuificantem, dixit Paulus. Si Adam terrenus, quamprimùm ei Deus spiraculum vitæ inspirauit, magnam vim intelligendi subitò consequutus est: quantò vberiùs Adam cœlestis, omnes sapientiæ ac scientiæ thesauros in se recepit, quamprimùm in vtero virginali conceptus est. Fœmina statim circumdedit virum, virum sapientia, non ætate: animi vigore non viribus corporis: maturitate sensuum, non corpulentia mẽbrorum. A principio ille perfectus fuit, à principio plenus spiritu sapientiæ & intellectus; contrà quàm sensit rerum profanator omnium Lutherus, plenus omnibus tam corporis, quàm animæ gratiis ac dotibus; sapientia

2. *distinct.* 2.

Lib. 1. *ad Eugenium de cõsiderat.*

1. *Corinth.* 15.

entia item atq; ſcientia,tam ea quę beatorũ eſt,& quę ex præſenti diuina viſione oritur,quàm ea quę infuſa dicitur, quæ ab illa prima ſolo modo & ratione in Chriſto fuit diſtincta.Illa enim formarum & exemplarium eſt, hæc effectuum ipſorum. Vtraq; à prima ſuæ conceptionis hora, cùm propter hypoſtaticam vnionem, tum propter plenitudinem gratiæ ac vnctionis, Chriſtus præditus fuit. Nam quòd creuiſſe dicitur, id non ſecundùm quod erat,ſed ſecundùm quod apparebat,intelligendũ eſt;non quòd ei aliquid de nouo accederet,quod antea non haberet; ſed quòd accedere videretur,quando volebat vt videretur: Quantò magis,inquit Athanaſius,diuinitas Chriſti reuelabatur,tantò plenius gratia creſcebat,vt hominis apud homines. Infantulus enim geſtabatur, puer autem factus remanſit in templo, ſacerdotésque interrogauit de lege: paulatim autem corpore adoleſcente, verbóque ſeipſum in corpore manifeſtante, factum eſt deinde,vt agnoſceretur pro filio Dei. Et Nazianzenus ſimiliter:Chriſtus vt ætate, ita & ſapientia, & gratia proficiebat; non quòd hæc incrementum caperent: quid enim eo, quod à principio perfectum eſt, perfectius eſſe poſsit? ſed quòd paulatim patefierent, & elucerent. Hominum eſt proficere:filius autem Dei quandoquidem nõ habebat,quo proficeret; vtpotè perfectè exiſtens in ſuo patre, humiliauit ſe ipſum pro nobis, vt in illius humilitate, nos magis ac magis increſceremus. Acquirebat ille nihil ex noſtris, præter infirmitates ac calamitates noſtras, quibus illum circumdari oportuit: eáque ſola ſapientia creſcebat, quam ex vſu & experientia miſeriarum noſtrarum comparabat. Negat hæc omnia ſacramentarius, Zuinglius, Brentius,Caluinus,Bucerus: ſed quid mirum, ſi ipſi adulto Ieſu Chriſto notam ignorantiæ, inurere non verentur cum Photino atq; Agnoitis. Talia ergo & tanta miracula facta ſunt,cùm ſuſciperet Dominus cœnum noſtrum. Artificum enim optimi, dicebat Theophilus in Epheſina Synodo,non in pretioſis tãtùm materiebus artes oſtendentes, in admiratione ſunt; ſed viliſsimum lutum & terram diſſolutam plerumque aſſumentes, ſuæ diſciplinæ demonſtrantes virtutem,multò magis laudantur: ita omnium optimus artifex Dei verbum,non aliquã pretioſam materiam corporis cœleſtis apprehendens,ad nos aduenit: in luto magnitudinem artis ſuæ oſtendit.In qua tã admirabili incarnatione, eiúſq; denuntiatione, ea quæ ſumma ſunt inclinantur: Angelus virginem ſalutat: virgo conſentit: Deus homo fit. Quam triplicem inclinationem; triplici in die pulſu, prouocans nos ad gratiarum actiones, repræſentat Eccleſia; matutino, inquam, & eo qui fit in meridie, ac veſpertino: quæ omnia nunc hæreſis irridet,& contemnit. Non facit hæc Mahometanus, qui in ſuo Alcorano, eas Angelorum de Maria voces recitat: O Maria cunctis viris fœminísque præclarior, ſoli Deo perſeueranter ſtudens. Et alio loco: O Maria, Deus annunciauit tibi verbum ex ipſo, nomen eius Ieſus filius Mariæ, & erit honorabilis in hoc ſeculo & in futuro. Mahometis certè ipſius illa vox eſt: E viris multi perfecti fuerunt: nulla autem ex mulieribus vnquam perfecta fuit, niſi Maria mater Ieſu. Verùm hæc

Serm. 4. cõt. Arianos.

In laudem Baſilij.

In ca. 5. & 74 Alcorani.

alterius ſint loci & temporis.

Inclinemus nos corda & capita noſtra Deo, ſcientes quia propter nos, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria virgine, & homo factus eſt: crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt: gratiásque illi agamus, quòd non dereliquit nos vſque in finem, ſed recordatus figmenti manuum ſuarum. Matrémque eius, vas ſanctiſsimum, omníq; laude digniſsimum, honoremus. Túq; inprimis Rex Stephane, Diuum Stephanum regem ac popularem tuum imitare, regnúmque tuum virgini ſanctæ, vt ille iam iámq; moriturus fecit, verbis eius commenda: Regina cœli, mundi inclyta reparatrix, tuo patrocinio ſanctam Eccleſiam, cum Clero & Epiſcopis, regnúmque cum Primatibus & populo, tuis precibus commendo; quibus ego nunc vltimùm valedicens, animam quoq; meam tuis manibus committo. Hæc eſt enim illa virgo: quam gens tua apprimè ſemper coluit; patronámque ſuam eſſe voluit: quam in auro monetáque ſua impreſsit: cuius olim familia, párſque hæreditatis regnum Hungariæ dicebatur. Quod quàm diu ſanctè ac religiosè faciebant; ferus iſte Turcicus dente ſuo, eos attingere nunquam potuit. Nos autem alij ita eam Athanaſij verbis compellemus: Et iam ſcilicet audi filia Dauidis & Abrahæ, & inclina aurem tuam in preces noſtras, & ne obliuiſcaris populi tui, neque noſtri, qui ſumus de familia & domo patris tui. Parentes enim tui ſumus ſecundùm generis proſapiæque rationem; noſtráque filia es, quia ex nobis genita es: decet enim, te matrem, regeneratricem, dominam, ac heram noſtram cognominemus, eò quòd ex te prodiit rex, Dominus ac Deus noſter: aſsiſtentem illi, nobis quidem terribili, tibi autem dulci, omnémque gratiam largienti; qua de cauſa factum eſt, vt gratia plena appellata ſis; vtpotè quæ omni gratia abundares, ídq; per ſuperuentum in te Spiritus ſancti. Ideóque vultum tuum deprecantur omnes diuites plebis, ditati ſcilicet iſtiusmodi bonis, & ſpiritualibus contemplationibus. Ad te clamamus, recordare noſtri ſanctiſsima virgo, quæ etiam à partu virgo permanſiſti, & retribue nobis, pro exiguis iſtis eloquijs, magna dona ex diuitiis tuarum gratiarum, tu quę gratia plena es. Nam ideò his vocibus, vt ex re ipſa deſumptis, & natura laudatorijs, præcipuè in tuum encomium vtimur, ſi quando hymnus, ſi quando laus tibi, ſiue à nobis, ſiue ab vniuerſa creatura offertur. Nazianzeni item:

In hiſtoria regis Stephani.

De ſanctiſsima Deipara.

In Chriſto patiente.

At tu quod precor, ſummum, id mihi
Concede, vita ſic vt excedam, illius
Vt tantùm habens te præſidem ſemper, velut
Ingentem opum vim, te tuum erga filium
Mihi patronam ſentiam acceptiſſimam.
Ne me ergo tradi tu ſinas, tanquam ad crucem,
Ludibrióque illius exponi, omnium
Iumtus hoſtis qui ſit, & mortalium
Peſtis: tuere me, atque ab æterno aſſere

Igne,

Igne, & tenebris: per fidem, qua iustior
Sum factus, & per gratiam tuam inclytam,
Qua nuspiam vlla notior nobis fuit.
Hoc propter, ecce texo nunc tibi memor
Gratúmque carmen, ô puella gratia
Æquanda nullis, mater & virgo, supra
Omnes decora virgines & maxima:
Quæ vincis omnes cœlitum ordines,
Regina, domina, generis humani bonum:
Amica semper esto tu mortalibus;
Maximáque quouis in loco mihi salus.

Cum Augustino item: O Maria: quis tibi dignè valeat iura gratiarum, & laudum præconia impendere, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? quas tibi laudes fragilitas humani generis persoluat, quæ solo tuo commercio recuperandi aditum inuenit? Et sic quidem virginem matrem honoremus, illud cum magno Gregorio profitentes: Mariam sic à nobis coli, vt eam pro Dei ancilla, & matre habeamus: ancillam quidem, quia verbo æterno, vt nemo alius, ministrauit: matrem verò, quòd æqualis patri filius, in virgineis visceribus eius, à Spiritu sancto, & materna eius carne, homo factus sit atque procreatus. *Augustin. tom. 10. sermo. de Annunci.*

Cœlestem autem parentem rogemus, vt quemadmodum illa, mente & corpore verbum concepit Dei; nos mente & animo nostro, dignè concipere ita illud mereamur; vt tãdem lęti & alacres eius natalem, confecta incarnationis memoria, celebrare possimus.

Cui sit laus & gloria in secula.

Amen.

Ora pro nobis sancta Dei genitrix, vt digni efficiamur promissionibus Christi.

ODA

MAGNAE MATRI VIRGINI

Pro Sarmatia.

O Diua cœlis altior omnibus,
Parens ſupremi Numinis, æthere
Ex alto, ab ipſo Spiritu almo
Plena, toro ſine coniugali.

Te Graia tellus, te Latium potens
Laudauit odis dulcibus, oreq́;
Semper rotundo: te reperta
Nuper & India, iam ſecundam

Deo celebrat, numen & omnibus
Tuum in periclis inuocat. Accipe
Ergo quoq; à Septentrione
Hoc gelido, Borcáque, & Arcto

Rigente, laudes ore humili datas
Pauentéque; hoſtesq; vndiq; nos fera
Duraq́; cingentes corona,
Inq́; tuam ſobolem parantes

Vincla, arma, mortes, exilia vltima,
Dextra potenti, comprime, ſterneq́;:
Vt ſentiant, quid poſſit, intra
Viſcera ſancta Deum tuliſſe.

Hic chriſtianis terminus vltimus
Limesq́; ſtat; nos præſidium ferè
Solum impias contra cohortes,
Barbariemq́; ſumus ferocem.

Deiecta propugnacula Lechidûm,
Vnà in ruinam deijcient grauem,
Arces potentes, regnaq́; ampla,
Spésque, animósque virûm ſuperbos.

Has ergò ſemper reſpice lumine
Terras benigno: ſis bona Sarmatis
Patrona: poſtq; iſtos tumultus,
Fauſtam oleæ foliis decoram

Pacem reduc: quam ſi dederis, dabis
Cuncta; vna nobis, aurea pax, ſalus:
Ne fortè ſecum præliantes,
Chriſtiadas dirimat Tyrannus

Externus, ac vi, prob dolor, occupet;
Vt nuper aureæ Pannoniæ accidit.
Fac, quod facit mater benigna:
Progeniem illa minus venuſtam

Atq; ægriorem, plus aliis amat
Curátque. Scis nos eſſe opis indigos:
Scis hoſtium vires, minásque,
Armáque, teláque, ſemper in nos

Intenta, Moſcus, Turca, Geta en propè:
Sic ægrum & afflictum Socolouij,
Qui ſaucius pugnat ferítque
Fortiùs, atq; alij valentes,

Nouamq́; ſupplex nunc tabulam tuis
Suſpendit aris; tange manu caput
Fauſta: ac dolorem pertinacem
Indomitumq́; leua, vel auſer.

STA-

Cauſę cur Deus homo.

Ex libro de incarnatione D. Athanaſii.

CAVSAM IGITVR EIVS IN CORPORE APPARITIONIS, ALIQVA EX PARTE (QVATENVS LICVIT, ET QVATENVS ASSEQVI DATVM FVIT) IAM ANTE EXPOSVIMVS; NON FVISSE VIDELICET VLLIVS ALTERIVS OFFICIVM, CORRVPTIBILE IN INCORRVPTIBILITATEM TRANSMVTARE, NISI IPSIVS SALVATORIS, QVI IN PRINCIPIO EX NON ENTIBVS OMNIA CONDIDERAT: NEQVE FVISSE VLLIVS ALTERIVS OPVS, EXEMPLAR IMAGINIS DIVINAE HOMINIBVS RESTITVERE, NISI EIVS QVI ERAT IMAGO PATRIS: NEQVE ALTERIVS, MORTALE IMMORTALE EFFICERE, NISI EIVS QVI EX SE IPSISSIMA VITA EST, HOC EST, DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI: NEQVE AD ALIVM QVEMPIAM PERTINVISSE DE PATRE DOCERE, ET IDOLOLATRIAM PVRGARE, NISI RATIONIS VERBIQ. OMNIA IN MVNDO GVBERNANTIS, QVI SOLVS PATRI SVO VERVS ET VNIGENITVS FILIVS EST. QVANDO QVIDEM IGITVR DEBITVM PRO OMNIBVS SOLVENDVM ERAT, DEBEBATVR AVTEM (VT IAM DIXI) VT OMNES MORERENTVR; QVAE CAVSA ILLI POTISSIMA FVIT HVC PROFICISCENDI. IDEOQVE POST EDITA PERFECTA DIVINITATIS

SVÆ

SVAE MONVMENTA, RELIQVVM IAM ERAT, VT PRO OMNIBVS SACRIFICIVM OFFERRET: PRO OMNIBVS TEMPLVM SVVM MORTI TRADENS; QVO OMNES INOBNOXIOS, ET LIBEROS A VETERI PRAEVARICATIONE EFFICERET: SEQ. DECLARARET MORTIS VICTOREM, SVVMQVE CORPVS IMMORTALE REDDITVM, PRIMITIAS PVBLICAE OMNIVM RESVRRECTIONIS ESSE.

STANIS.

IVSTVS IOSEPH

Siue

IN IESV CHRISTI DOMINI NOSTRI MORTEM ET PASSIONEM

Meditationes:

In quibus non magis Iudaica perfidia,
quam Ariana refutatur impietas.

AD ILLVSTR. AC REVERENDISS.

Dominum D. Hieronymum Comitem à Rozdrazow,
Wladislauien. & Pomeraniæ Episcopum.
virum amplissimum.

SI vnquam tempus fuit Hieronyme, Antistes Reuerendissime, in quo illud magni Regis & Prophetæ plenius & calamitosius simul implebatur, Confremuisse scilicet gentes, & populos meditatos esse inania, Astitisse reges terræ, & principes populi, nec tam reges & principes, quàm sordes quasdam & quisquilias terræ, conuenisse in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius, vt dirumpant vincula eius, & proiiciant à se iugum ipsius; tum hoc ipsum senectute delirantis mundi seculum, tale mihi esse inprimis videtur, vbi iam non membra mystici corporis tantùm, sed ipsum caput, non serui, sed Dominus, non subditi, sed æternus hæres, fœda & impia quorundam sceleratorum hominum coniuratione & conspiratione impetitur: illúdque ipsum in eum iudicium institui videtur, quod aliquando ab Anna, Caipha, Herode, & Pontio Pilato iniquissimè & malitiosissimè institutum fuit, non aliam ob causam, quàm eam ipsam, quòd filium Dei se fecerit, quasi verus & germanus æterni patris filius omninò nec sit, nec fuerit vnquam. Quid enim tunc ei obiectum fuit, quod nũc similiter non obiiciatur? quid ibi in eum admissum, quod hic non admittatur? Diuinitate sua fuit exutus tunc, exuitur & nunc: æterni patris filius, Rex regum & Dominus dominantiũ negatus, negatur & nunc: simplex homo habitus, similiter & nunc: venditus à discipulo ibi, venditur à filiis & fratribꝰ & nunc: traditus, captus, ligatus ibi; traditur, capitur, ligatur & nũc: iudicatus ibi, iudicatur & nũc: cęsus, ludibrio expositus, consputus ibi; cędítur, ludibrio est, cõspuitur & nũc: prodi-

Psalm. 2.

proditus gentibus ibi; proditur & nunc: vulneratus, corona contumeliæ redimitus, flagellatus, morti turpissimè addictus ibi; omnia hæc eadem nunc perfert: in crucem actus, cum improbis reputatus, blasphematus, proscissus, felle & aceto potatus, clauis confixus; omnia nunc eadem patitur: & quod longè indignissimum est, ab inimicis ibi; à suis & domesticis hîc, qui vultu pietatem simulant, mente verò impia & scelerata virus acerbissimi veneni fouēt, quorum molliti sunt sermones super oleum, ipsi autem iacula. Neque verò hæres tantùm (quod indignissimum est) sed simul hereditatis ipse Dominus, pater inquam cœlestis hoc vno, & eo-
Psalm. 2. dem scelere impugnatur: Astiterunt, inquit, aduersus Dominum, aduer-
Ioan. 5. sus Christum eius. Qui enim non honorificat filium, non honorificat patrem, inquit ipse hæres. Nam si in Moyse atque Samuele se contemptum esse, grauiter queritur, Non te, inquit spreuerunt, sed me; quantò magis in filio? de quo tam magnificè: Filius meus es tu, ego hodie genui te: Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tu-
Matt. 13. am terminos terræ. Et in alio loco: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Quod pulcherrimo exemplo magnus ille Amphilochius Iconij Episcopus, vir in rebus diuinis planè diuinus, ac Arianis infensissimus, mirè expressit, ac Theodosium Imperatorem Arianæ impietati conniuentem docuit. Qui, vbi cùm reliquis Episcopis in aulam eius veniisset, & Imperatorem, quem antè seriò eo nomine monuerat, ita vt decuit, atq; vt alii Episcopi fecerant, piè & suauiter admodum consalutasset, filium ipsius Arcadium, qui nuper ad imperium lectus fuerat, valde leuiter compellârat: Salue & tu, inquit, ô puer. Quod cùm pater iniquius ferret, ipsúmque senem foras eiectum, aulæ contumeliis diuexandum obiecisset, intulit animosè senex: Vidésne, inquit, ô Imperator, quàm tu modicè illatam iniuriam non fers; sed acerbius in nos propter humiliorem compellationem filii excandescis? sic scilicet te existimare oportuit; succensere etiam cœlestem Imperatorem & patrē vnigeniti, propter eos, qui non communem illi tribuunt honorem; sed dissimilem & longè minorem eum patre vocare audent. Collegit se subitò Imperator, aliâs pientissimus, & verba ea admiratus, quamprimùm sacerdotem Dei accersiuit, & ad pedes eius prouolutus, veniam ab eo petiit: neque aliter quàm ipse dixisset, se rem habere professus est. Atque in ea sententia confirmatus, postea eos, qui aliter quàm Niceæ statutum fuerat, opinarentur, refugit & execratus est. Quam admonitionem, vtinam eodem animo & affectu accipiant seculi huius reges, & principes populi, quo pientissimus Imperator accepit: ac pro suo capite, ex quo vnguentum pretiosum descendit in oras illorum, aliquando zelum assumere velint, priusquam irascatur Dominus, & pereant de via recta. Pestes enim istæ Arianæ, iram & furorem Dei accendunt: regnum Christi extinguunt: diaboli imperium propagant: iudaismo & gentilismo viam sternunt atq; aperiunt: conscientias perforant ac euertunt: vltima mortis solatia &

præsidia

præsidia, quæ in hoc portu naufragis parabantur, auferunt: magistris ipsis restim & furcam parant, reges infamant, regnis certissimum exitium accersunt; vt illud triste referant decretum: Nunc vastaberis filia latronis, quia percussisti iudicem in maxillam. Sed faciant quid volunt isti: qui tamen habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos. Hic autem excelsus præ omnibus regibus terræ, constitutus est Rex à Domino super Sion montem sanctum eius, vt prædicet verbum eius: isti autem cadent retrorsum, & nemo erit qui subleuet eos. Quod totum, vt melius quid & quale sit, & quam vim in se contineat, quid mali secum ferat, perspici possit; vtriusque eius conspirationis aduersus Dominum & aduersus Christum eius, tam illius, quæ quondam à principibus sacerdotum & senioribus populi in Iudæa inita fuit; quàm huius, quæ nunc ab hæreticis nostri temporis instituitur, historiam explicare, ac veluti ante oculos populi Christiani ponere, in hac mea afflicta valetudine, vt crucifixum ipsi sub cruce sequamur, hoc loco instituí: vt qui paulò antè aliquot libris pro sponsa eius dimicauimus; nunc pro ipso sponso iam saucii, victores tamen, in nomine illius pugnam redintegremus: & qui radices malorum, Augustanæ inquam & Sacramentariæ superstitionis, vt potuimus succidimus; nunc ab Arianis sarmentis, quæ inde enata sunt, vineam Domini Sabaoth, quantũ in nobis est, expurgemus. Ponat modò ille nos iuxta se, & cuiusùis manus pugnet contra nos. Te autem potissimum Hieronyme Antistes, testem & aduocatum eius laboris, ac quasi redintegrati prælij nostri appello, quem aliquando vniuersi cursus studiorum, atq; contentionum mearum, à prima ætate fautorem & inspectorem habui. Quod item ex eo nido pennas extuleris, in quo (vt sine inuidia aliorum dicam) antiqua virtus & pietas, dum cælos petebat, háfque deserebat oras, vltima vestigia fixit: his parentibus ortus, his fratribus ornatus fueris, qui nõ curuârunt genua sua coram Baal; ipse verò in hoc genere sublimioris Theologiæ, meditationísque crucis Iesu Christi, eiúsque laborum à prima pueritia tua ita institutus es; vt facilè in hac parte cæteros omnes superes, ac familiam ducas, háncq; amplissimam senatoriam dignitatem his cœlestibus studiis mirificè exornes. Nec cognitione tantùm, quod plerique faciunt, nec adeò difficilè est; sed vita etiam, moribus, studio ac assiduis sacrificiis, quod paucis tecum commune est, & quod non ita omnibus patet, quotidiè repræsentas. Quas ob artes ac præstantissimas tuas virtutes, sanctissimus primùm ille & vita, & officio Pius Quintus Pontifex Maximus, tuarũ fortunarũ primus inceptor, deinde Christianissimus Rex Henricus, ad extremum iste noster Magnus Stephanus, ita te ab ineunte tua ætate adamârunt, ita dilexerunt; vt in amplissimos dignitatis gradus semper euectum esse, ac in principe Ecclesiæ Dei candelabro collocatum voluerint, omnibúsque aliis propositum, quem suspiciant, quem ament, quem imitentur, ad cuius se mores componant, cuius bona opera videntes glorificent patrem qui in cœlis est. Quo in loco, vt quàm diutissimè

Ecclesiæ Dei, populo Christi, regno vniuerso ac Reipub. nobilissimæ familiæ tuę, omnibus deniq; bonis, ac ipsi SOCOLOVIO, tanquam splendidissimum quoddam sydus præluceas, Deum oro. Vale Antistes Reuerendissime: ac hoc qualecunque monimentum tui quidem perpetui erga me amoris, meæ autem erga te obseruantiæ, gratus accipe, ac boni consulas, Christúmque crucifixum pro nobis exores. Cracouiæ Idibus Martij 1586.

NOS LEGEM HABEMVS, ET SECVNDVM LEGEM DEBET MORI, QVIA FILIVM DEI SE FECIT.

Matth. 27. Mar. 15. Luc. 28. Ioan. 19.

PARAS-

PARASCEVE,
Siue Clauis negotij.

DOminica paſsionis hæc eſt, in qua aſtiterunt reges terræ aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius, conuenerúntque aduerſus ſanctum puerum eterni patris Ieſum, Herodes & Pontius Pilatus, cũ gẽtibus & populis Iſraël, facere, quæ manus Dei Patris & conſiliũ eius decreuerunt fieri: & in qua mortis crucis paſsionísq; eiusdem Chriſti Ieſu anniuerſaria memoria, magna populi Chriſtiani charitate & deuotione, per totum orbem terrarum, iam ab ipſis Apoſtolorum temporibus ſanctè & piè recolitur: funúsque ipſum (vt videtis) magnifico & illuſtri apparatu iam effertur. Vt enim in magnorum regum & principum morte, priuſquam defunctus ipſe profertur, longa ſeries funebris pompæ præmittitur, in qua triumphi victoriæ parte, prouinciæ adiectæ, vrbes expugnatæ, arces captæ, cæteræque res præclarè geſtæ, principis illius præferuntur; tum demùm ipſe efferri ſolet, oculísq; ſpectantium ſubiici: eodem planè modo Eccleſia ſancta, mortis ac funeris Ieſu Chriſti, vnici filij Dei, ſponſi autem ſui anniuerſariam memoriam factura, longiſsimam ſeriem funebris pompæ præmiſit, résque geſtas ac trophæa tanti regis recenſuit. In qua quidem rerum geſtarum ſerie, primo mundi ipſius & totius eius ornatus, ortus & origo anteceſserunt, vt oſtendatur hunc ipſum pro nobis mortuum regem mundi creatorem ac opificem eſſe: Verbum illud per quod facta & creata ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil: ſequutum eſt deinde in eadem pompa mundi diluuium, eius regis manu potenti inductum & deductum, ſcelúsq; corruptæ carnis vindicatum. Hoc conſecuta eſt Abrahæ parentis omnium credentium vocatio, ac longa Patriarcharum ſeries: hanc Iudaici populi in Ægyptum commigratio, indéque in potenti & excelſo eiusdem Regis brachio exitus: Moyſis lex, ac quadraginta annorum per deſerta eiusdem populi varia & multiplici fortuna circumductio, terræque ſanctæ prehenſio, iudices demùm, duces, reges, prophetæ adeò ipſi ordine recenſiti. Ioannes præcurſor vltimus regem digito quaſi commonſtrans, ac ipſi funeri planè proximus. Tum demùm regis ipſius vita, doctrina, miracula & exempla. Atque ita deducta vniuerſa, per omnium ſeculorum decurſus, atque ætates, pompa: ſícque toto dramate confecto, núc iam funus ipſum, cui omnis ille apparatus ſeruiebat, prodit, ac piorum oculis ſubiicitur,

Pſalm. 2.

Acto. 4.

Gene. 4.

Ioan. 4.

Gene. 4.

Vexilla regis prodeunt
Fulget crucis myſterium
Quo carne carnis conditor
Suſpenſus eſt patibulo.

Teodolphus.

Quæ quidem crux & mors Iesu Christi, etsi quidem est illa salus, vita & redemtio nostra, per quam saluati & liberati sumus; eandem tamen gentibus quidem stultitiam, Iudæis scandalum esse docet D. Paulus: Hæreticis autem (addit beatissimus martyr Ignatius) phantasiam: ipsis autem vocatis Iudæis & Græcis Dei virtutem & Dei sapientiam. Quotquot enim hæretici vnquam, quotquot hæreses earúmque duces, vel contra veram Iesu Christi diuinitatem, vel eius humanitatem inuecti sunt; omnes ex aliqua parte crucis & mortis eius, partem sui erroris traxerunt: Ebionitæ inquam, Photiniani, Sabelliani, Nestoriani, Arius, Macedonius, Eunomius, ac reliqua eius generis monstra: qui dum illud quod stultum Dei est, vident, sapientiam eius non agnoscunt: dum formam serui cernunt, formam Dei negligunt: dum supplicia spectant, triumphos non perspiciunt. Positus est siquidem hic ipse Christus crucifixus, iuxta Simeonis vaticinium, in signum cui contradicetur: in resurrectionem & ruinam multorum, in lapidem offensionis, & petram scandali multis ex domo Israël. Quod ipse in morte sua præuidens diligenter, ne ad hunc scopulum allidant, suos præmonuit discipulos: Et beatus est, inquit, qui non fuerit scandalizatus in me eo die. Quid enim illud fuit, inquit S. Leo, quod & Iudæis intellectum abstulit, & sapientium mundi corda turbauit, nisi crux filij Dei; quæ philosophiam euanescere prudentium, & Israëliticam fecit caligare doctrinam? Omnem namque sensum humanæ mentis excesit diuini altitudo consilij, cum placuit Deo per stulticiam prædicationis saluos facere credentes; vt mirabilior fieret constantia fidei ex difficultate credendi. Quod ne & nobis tam periculosissimo tempore (quo omnes veteres errores iam olim profundè consepulti, denuò ex orco excitantur, capútque efferunt suum: quo item tempore nullius rei maior est seges & vbertas, quàm errorum & hæresum, & in quo ille ipse draco propemodum iam solutus esse videtur; vt blasphemet Deum & tabernaculum eius, & sanctos qui in cœlis habitant: quo deniq; iam non in corde clàm & occultè; sed plenis etiam buccinis illud sonare licet) Nõ est Deus, hoc, inquam, in tanti mysterii explicatione, ne nobis eueniat, & ne cursus consequentis orationis nostræ aliquo modo impediatur, de claue cum eius ipsius crucis & mortis Christi, tum vniuersæ planè sacræ scripturæ, primum hoc tempore breuiter dicendum nobis esse putauimus; eáq; omnia submouenda ac veluti per paraseuen quandam explicanda, quę aliquo modo consequentem orationem nostram perturbare, difficultatémque aliquam parere possint.

1. Cor. 1.

Ser. 19 de passione Dñi.

Apocal. 13.

Psalm. 13.

Clauem vniuersæ scripturæ, ac prophetarum, Christum esse verum Messiam, non nostri tantùm, sed Hebræorum etiam doctores tradiderunt. De quo illud Isaias magnificè: Et dabo clauem domus Dauid, super humerum eius: & aperiet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat. Eius autem clauis summa hæc est, vt credamus & confiteamur, quia Dominus noster Iesus Christus Dei filius, Deus & homo est. Deus est ex substantia Patris ante secula genitus: & homo est ex substantia matris in

tris in secula natus: perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali & humana carne subsistens. Aequalis patri secundùm diuinitatem, minor patre secundùm humanitatem. Qui licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus. Vnus autem non conuersione diuinitatis in carnem; sed assumtione humanitatis in Deum. Vnus omninò non confusione substantiæ, sed vnitate personæ. Nam sicut anima rationalis & caro vnus est homo; ita Deus & homo vnus est Christus. Quæ omnia conseruatis suis similitudinibus ac differentiis sunt intelligenda, de quibus hoc loco nihil attinet dicere; cùm educere potius ex tenebris, quàm in eas inducere talia argumenta volumus. In hac igitur claue duas naturas inconfusas & impermistas, nec vlla parte diminutas esse, diuinam & humanam: vnam autem solam personam credit & confitetur Catholica Ecclesia, & secundùm naturam quidem diuinam, esse ὁμοούσιον, hoc autem est consubstantialem patri, eiusdémque naturæ, gloriæ, potentiæ, & essentiæ cum patre, secundùm autem naturam humanam esse ὁμοούσιον matri: perfectum inquam hominem, eiusdem naturæ & infirmitatis nostræ, præter peccatum; quod non naturæ sed à natura defectionis & prolapsionis est. Et ita verum Deum, & verum hominem totum in suis, totum in nostris confitemur. Vt autem ex duplici integra eum constare natura dicimus; ita non duas, sed vnam solam constituere, veri Emanuelis Iesu Christi, Dei & hominis personã profitemur: à patre quidem cœlesti, Spiritúq; S. fragilitate nostra; à matre autem naturáque humana diuinitate sua distinctam. Neque enim aut Deus est, aut homo tantùm; sed Deus simul & homo. Vt enim natura κοινὸν, hoc est, commune quid designat; ita persona proprium & peculiare quid denunciat. Vnum igitur Christum confitemur in duabus perfectis naturis inconfusè & indiuisè, in vna persona & vna subsistentia: nusquam naturarum differentia perempta, propter vnionem, sed saluata potius proprietate vtriusque naturæ, & in vnam subsistentiam concurrente. Fuit hæc fides principis Patriarcharum, Abrahæ inquam primùm, qui dum mittit primarium seruum domus suæ, quærendæ filio suo vxoris causa, sic inquit: Pone manum tuam subter femur meum, vt adiurem te per Deum cœli & terræ, vt non accipias vxorem filio meo, de filiabus Chananæorum. Quem in lumbis & femore gerebat; hunc Deum cœli & terræ vocat magno mysterio. Quam eandem fidem & formam iureiurandi, sequutus est postea Iacob, & Ioseph posteri eius. Fuit eadem fides magni Iob: Credo, quòd redemtor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum: & in carne mea videbo Deum saluatorem meum; quem visurus sum ego ipse, & non alius, & oculi mei conspecturi sunt. Hæc eadem fuit omnium Prophetarum confessio: Quare quasi colonus futurus es in terra, inquit Ieremias, & quasi viator declinans ad manendum, quare futurus es velut vir vagus & fortis, qui non potest saluare? Tu autem in nobis es Domine, & nomen tuum inuocatum est super nos, ne derelinquas nos. Hic est Deus noster, inquit Baruch, & non æstimabitur alius aduersus eum: Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradi-

Genc. 24.

Iob. 19.

Ieremiæ. 14.

Baruch 3.

dit illam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo, posthæc in terris visus est,
Ioan. 3. & cum hominibus conuersatus est. Hæc eadem fuit & est Apostolica fides: Et verbum, inquit Ioannes, caro factum est, & habitauit in nobis:
& vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum gratiæ
Rom. 9. & veritatis. Optabam enim ego, inquit Paulus, ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei, secundùm carnem, qui sunt Israëlitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa, quorum patres, & ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula,
Titum. 2. Amen. Apparuit, inquit idem Paulus, gratia Dei saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobriè, & piè, & iustè viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & saluatoris nostri Iesu Christi, qui dedit seipsum pro nobis. Docet hoc idem vniuersa sacra scriptura: docet tota fidei nostræ œconomia. Nam cùm ratione nulla fieri possit, vt vna res simul & creata sit, & increata, principium habens & principii expers, patiatur & impassibilis existat, omnipotens & infirma: tamen vtraq; hæc ex æquo Christo Domino conuenire legimus. Nam & per illum omnia facta esse docet scriptura, & eundem ortum esse prodit: & principij expertem, dum eum ipse principium esse Dauid magnificè canit; & eundem ipsum sub Augusto Cæsare natum, patibilem dum plorat, vagit, sitit, defatigatur, ligatur, flagellatur; & eundem passionis expertem, dum per aquas siccis pedibus ambulat; dum aspectus etiam, & sensus hominum, quando vult, effugit; dum nullis claustris aut vteri, aut sepulcri teneri potest: eundem omnipotentem, dum omnia verbo perficit; & item infirmum, dum orat, gemit, sudat. Quid? ratio curationis, redemtionis ac reconciliationis nostræ; nónne hoc postulasse videbatur, vt hic ipse Iesus Christus ve-
2. Cor. 2. rus Emanuel sit, id est Deus & homo: Deus, inquit Paulus, erat in Christo mundum reconcilians sibi; nam neq; seruus seruum; vt concludit ma-
Damasce. de duab. volunt. gnus Damascenus, liberare potest, neque Deus Deo subiici, atque obedire: neque mortem superare mortalis, neque mori æternus & immortalis,
„ neq; infinito poterat satisfacere finitus. Huc eodem spectat illud Augu-
„ stini: Qui enim vnius naturæ Saluatorem nostrum mortifera persuasione
„ crediderit; solum hominem, aut solum Deum, cogetur dicere crucifixum.
„ Sed non ita est: mortem enim nec solus Deus sentire, nec solus homo su-
„ perare potuisset. Nam quod inquit Paulus, Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus; non hoc dicit, Iesum Christum solum hominem fuisse; sed illud, eum nisi factus fuisset homo, mediatorem propriè nec esse, nec dici potuisse: in forma enim serui, factus obediens, mediator est. Vtroque brachio tam amabilis complexus coniungendus fuit. Adde illud: aliam naturam esse, quæ ex virgine clauso vtero prodit, cui lux cœlestis angelíque seruiunt, quam stellæ ac sidera denunciant, Magi adorant, reges & tyranni iam in cunis vagientem exhorrescunt, quæ naturas immutat, ventis & mari imperat, cœcos illuminat, claudos ambulare facit, leprosos mun-

sos mundat, dæmonia torquet. Parua dico, illa maiora sunt: impios iustificat, peccata dimittit, hæredes quidem Dei, cohæredes autem suos in sacro facit lauacro. Amplius: quam nemo nouit, nisi pater; & patrem, nisi illa, quæ in patre est & pater in illa, quam qui videt, videt patrem; quæ in terra existens, in cœlo est: mortem, peccatum, diabolum, infernum superat: Spiritum sanctum verum Deum, ipse verus Deus mittit: Ecclesiam ea vi fundat, tenet & portat, vt ipsi inferi non præualeant aduersus eam: quæ vno aspectu omnium mortalium quos iudicatura est, dicta, facta, & cogitata cognoscet, atq; discernet. Aliam verò esse, quæ in Betlehem vili oppido tributaria nascitur, pannis inuoluitur, à iumentis fouetur: in qua fęno iacere pertulit, præsepe non abhorruit, paruóque lacte pasta est, per quam nec ales esurit: quæ vagit, alget, sitit, esurit, sudat, defatigatur, orat, suspirat, gemit, lachrymatur, agonizat, capitur, ligatur, iudicatur, cæditur, conspuitur, in crucem infamem ad extremum agitur, moritur, sepelitur. Alia fuit natura, quam quinquaginta annos nondum habere, clamant Iudæi, & alia quæ antequam Abraham fuerit, iam ipsa fuit, & cuius diem ille videre desiderauerit. Alia quæ dicit: Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum; & alia quæ exiuit de tẽplo & abscondit se. Sic in glorioſa eius resurrectione, alia natura suscitat, alia suscitatur. Sic in ascensione, sub vna eadémque persona, inquit Augustinus, in eo qui eleuat diuinam potentiam, in eo autem qui eleuatur humanam agnosce substantiam. Sic in terribili illo extremo iudicio, alia natura, quæ clauis confixa & compuncta fuit, apparebit; alia percutiet spiritu oris sui impium: alia subiiciet omnia patri, & ipsa subiecta erit illi; alia in patre æternum manebit, & pater in ea. Ex quibus naturis, vnam quidem expugnare volebat Ebion, Photinus, Cherinthus, Arius, Eunomius, diuinam, inquam: aliam Manicheus, Nestorius, Dioscorides, Eutiches, humanam videlicet. Quamùis ergo in vno Domino nostro Iesu Christo, veróque Dei atque hominis filio, verbi & carnis vna persona sit, & vtraque essentia communes habeat actiones; intelligendæ tamen sunt ipsorum operum qualitates, & sinceræ fidei contemplatione cernendum est, ad quæ prouehatur humilitas infirmitatis, & ad quæ inclinetur altitudo virtutis: quid sit, quod caro sine verbo non agit; & quid sit, quod verbum sine carne non efficit. Sine verbi enim potentia, nec conciperet virgo, nec pareret, & sine veritate carnis obuoluta pannis infantia non iaceret: sine verbi potentia non adorarent magi puerum nouo sydere declaratum, & sine veritate carnis non iuberetur transferri in Ægyptum puer, & ab Herodis persequutione subduci. Sine verbi potentia, non diceret vox patris missa de cœlo: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui: & sine veritate carnis non protestaretur Ioannes, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: sine verbi potentia non fieret redintegratio debilium, & viuificatio mortuorum; & sine veritate carnis, nec cibus ieiuno, nec somnus esset necessarius fatigato. Postremò, sine verbi potentia, nõ se Dominus patri profiteretur æqualem, & sine veritate carnis non

Matth. 16.

idem

non idem diceret, Patrem se esse maiorem, cùm Catholica fides vtrumq; suscipiat, vtrumque defendat, quæ secundùm proprietatem diuinæ humanæque substantiæ, vnum Dei filium, & hominem credit, & Verbum.

Vt autem duas naturas integras esse in Christo (diuinam inquam & humanam) Christiana confitetur fides; ita duplices item proprietates & operationes earum esse statuit: diuinas, inquam, & humanas. Nam cùm earum proprietatum & operationum, quas Græci ἰδιώματα vocant, ea vis sit & ratio, vt naturas necessariò consequātur, vt sine illis res constare non possint, rémq; à re distinguant; profectò, si aliquam alicuius naturæ proprietatem non accepisset, ne naturam quidem ipsam accepisse crederetur. Itáque, si vel diuinitatis aliqua proprietas ab eius persona abesset, Deus nequaquam crederetur: vel humanitatis, similiter verus homo esse non putaretur, nec tota natura nostra sanata fuisset. Nam etsi hæc vtraq; receperit, claréque se prodant, multi tamen improba mente & animo ipsas impugnant, & impugnârunt ante naturas. Docet Magnus Nazianzenus τὸ ἀπρόσληπτον ἀθεράπευτον esse, id est, quod assumtum non est, curatum non fuisse. Vt ergo vtramque integram naturam, ita & vtriusque proprietates omnes eum accepisse credendum est. Et diuina quidem illa sunt: sine principio ante secula existere, omnipotentem, immensum, infinitum esse, comprehendi non posse, liberum, sufficientem, passionis, & commutationis omnis expertem, omnium dominum patrem, conditorem, & causam, à qua omnia profluunt, & in quam omnia desinunt, dici, & esse, vitam in semetipso habere, eandémque omni viuenti communicare, ac benignè largiri. Agnoscit eas omnes proprietates ipse: Omnia quæ Pater, inquit, habet, mea sunt: &, Omnia tradita sunt mihi à patre meo: &, Quæcunq; facit Pater, facit hæc omnia filius similiter: &, Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso: &, Ego sum via veritas & vita: &, Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet: &, Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum: Vos vocatis me Dominum, & magistrũ, & bene dicitis, sum etenim. Vt aũt diuinę sunt hę eius proprietates & attributa; ita illa humana his planè contraria, in tempore nasci, vagire, pannis inuolui, egenum esse, sitire, esurire, defatigari, contristari, metuere, mori denique. Vulpes, inquit, foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autẽ hominis non habet vbi caput suũ reclinet: & illud, Cœpit pauere & tristis esse, & factus est sudor eius sicut guttę sanguinis decurrẽtis in terram.

Matt. 11. *Ioan.* 5. *Ioan.* 14. *Ioan.* 11. *Ioan.* 17. *Ioan.* 13.

Matt. 8. *Lucæ.* 21.

Vt autem duplicia hæc omnia habuit, ita & voluntatem similiter duplicem; alteram diuinam cum patre, Spiritúque sancto, ante omnia secula communem, omnipotentem, æternam, peccati expertem: alteram humanam trepidam, pauentem ac mutabilem. Et diuinæ quidem voluntatis illud fuit: Volo, Mundare: & hoc, Qualis est hic, quia vẽti & mare obediunt ei? & illud, Lazare, exi foras: &, Volo pater, vt vbi ego sum, ibi sit & minister meus. Humanæ autem hoc: Voluit, inquit, in domum illam ingredi, & non potuit: & illud, Non potuit signum facere in patria: & illud,

Matth. 8. *v.* 11.

Si fi-

Si fieri potest transeat à me calix iste. Nisi enim cum reliquis nostris, voluntatem quoq; nostram, quæ maximè languebat, assumsisset; eam non sanasset, hac enim patri obediens factus vsque ad mortem, inobedientiam primi curauit parentis. Neque illud quidquam aduersatur, quòd vna sit Christi persona, vt ob id similiter vna debeat esse in eo voluntas; hæc enim non personam, sed naturam comitari solet: quod in homine fieri videmus: cuius etsi vna est persona, non eadem tamen semper voluntatis ratio, iuxta illud Pauli: Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Quam quidem duplicem in Christo voluntatem, disertè explicat scriptura in illis locis: Vt facerem, inquit, voluntatem tuam Deus meus, volui: An nesciebatis quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Et alio loco: Meus cibus est facere voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius: &, Quia descendi de cœlo, non veni vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me: & illud, Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar: &, Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Ex quibus locis colligit sanctissimus Agatho Papa, atq; adeò vniuersa S. Synodus contra Macarium Antiochenum, Patriarcham Cypri, Alexandrum Sergium Constantinopolitanum, qui vnam solum in Christo ponebant voluntatem, diuinam inquam, verbis Ambrosij hunc in modum: Suscepit ergo voluntatem meam, suscepit „ tristitiam meam: confidēter tristitiam nomino, quia crucem prædico. Mea „ est voluntas, quam suam dixit; quia vt homo suscepit tristitiam meam, vt „ homo loquutus est: ideò ait: Non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Mea est „ tristitia, quam meo suscepit affectu; nemo enim moriturus gaudet: mihi „ compatitur & mihi contristatur, & mihi condolet, pro me enim dolet in „ me, quia pro se nihil habuit, quod doleret. Doles ergo Domine non tua „ vulnera, sed mea, non tuam mortem sed nostram infirmitatem. Idque ipsum vetustissimorum Patrum testimoniis, Dionysii inquam Areopagitæ, Athanasii, Gregorii Nysseni, Chrysostomi, Ambrosij, Augustini, Leonis, Cyrilli, confirmat: quorum omnium sententias, longa serie recitat, ac cum veteribus exemplaribus confert. Neq; enim aut diuina voluntas, id quod hominis fuit, velle potuit: aut humana ægros curare, cœcis visum restituere, claudi vt ambulent, efficere, mortuos à morte reuocare, mortem ipsam non exhorrescere. Quanquam autem hęc vtraque, ita vti dictum est, distincta fuerit voluntas; nulla tamen in eis vnquam fuit repugnantia, dissensio nulla. Nam & in homine ea demum voluntas, repugnat voluntati diuinæ, quæ modum nescit: quæ cum natura rectáq; ratione pugnat: quæ nullis honestis artibus exculta est, quæ legi diuinæ non paret. Atqui hic ipse legislator fuit, cuius voluntas diuinæ voluntati rectæq; rationi paruit semper, ac nunquam ab illa discesit: ídque ea conditione, vt id quod diuinum est, præesset & imperaret semper: quod autem humanum subiiceretur, ac pareret; & diuina quidem eius voluntas eadem quæ Patris est, idem velle, idem nolle, cui voluntas humana subiecta fuit, qua Patri per omnia obediens factus est, qua legem cōpleuit, ac omnem iustitiam perfecit

Matt. 26.

Rom. 3.

Psalm. 39.

Lucæ. 2.

Ioan. 4.

Ioan. 6.

Lucæ. 22.

Turon. Nauarr. in Vrig. Rob. tabl. affirm.

fecit. Cùm enim nemo ex his, qui ex Adam nascerentur, perfectè in omnibus diuinæ voluntati, propter labem peccati, parere potuerit vnquam: Nemóq; hominũ sit, teste Athanasio, qui non seipsum abstraxerit à voluntate Dei, ex aliqua parte vel re, vel tempore (Omnes enim peccauerunt, & egent gratia Dei: & non est qui faciat bonum, vsque ad vnum) Dei filius Patris voluntate factus est homo, vt ipse ab omni labe & macula peccati liber, forma serui accepta, per omnia patris compleret voluntatem, nostrámque inobedientiam, sua curaret obedientia: & ita ad primam illam iustitiam, à qua per inobedientiam excideramus nos reuocaret, ac à maledicto peccati in nostra voluntate factus obediens, nostram sanaret voluntatem, parere non assuetam. Quod ipse disertis verbis ex parte carnis suæ, apud Dauidem explicat: Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfeciſti mihi: holocaustũ & pro peccato non postulasti, tunc dixi, Ecce venio: in capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. Non obscurè hoc idem demonstrat in horto, contrahebat se ad mortis sensum, trepidabat, pauebat, agonizabat humana voluntas: Tristis, inquit, est anima mea vsq; ad mortem: &, Pater, inquit, si fieri potest, transeat à me calix iste. At mox eadem diuinæ subiicitur voluntati, fitq; obediens: Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis pater: fiat voluntas tua. Docet hoc idem Magnus ille Athanasius in illa verba: „ Nunc anima mea turbata est. Possibile enim Deitati prohibere perturbationem, sed noluit, vt „ similitudinem quam ad nos habuit, non dissolueret; verùm in carne & secundùm carnem obedientiam complet, & voluntatem carnis, voluntas „ prævalet deitatis, sicut prædixit: Quia descendi de cœlo, non vt faciam „ voluntatem meam; sed vt faciam voluntatẽ eius, qui misit me patris. Oportebat quippe moueri carnis voluntatem, subiici verò voluntati deitatis; & „ ita hominum inobedientia soluitur per hanc admirabilem obedientiam, „ qua Christus obediuit pro nobis. Quod & nos similiter, quantum fieri potest in omni tempore nostro, necessariò facere debemus. Quemadmodũ autem vtraq; hæc voluntas naturam suam integram impermistam conseruabat, in nullóq; humana diuinæ voluntati repugnabat, sed illi subiecta semper & obediens fuit; ita vtraq; eundem finem & scopum (conseruata admirabili modo quaque sua natura) in omni sua actione propositum sibi habuerunt, salutem videlicet & redemtionem nostram, ad eundémq; vim & opem suam contulerunt. Cuius rei diuinum planè exemplum adferunt sanctissimi patres, de ignito paradisi illo gladio, cuius vnum quodammodo suppositum fuit, natura duplex, ignis, inquam & ferri; neque enim ignis ferrum est, neque ferrum ignis. Et quemadmodum duplex in ea vnione natura fuit; ita duplex simul operatio ac dispar proprietas. Nã ignis quidem proprium est vrere, ferri autem secare; ita vt neque ignis secet, sed vrat tantùm; neque ferrum vrat, sed secet similiter tantùm. Quãquam autem hæc, hoc modo quo dictum est, distincta sint; ad eundem tamen finem, ita vt nonnunquam concurrunt, vt putes hæc eadem esse, ad

Synod. 6. Actione 15.

Psalm. 39.

continui

continui inqua solutionem ac vulneris illationem:vtrumq; tamen pro sua natura; ignis quidem,quod eius est propriũ vrendo,ferrum autem secando, ac continuum soluendo. Eodem planè modo in Christo Domino, vtraque natura, vtraque voluntate, vtraque operatione integra, non permista, nec vlla parte diminuta permanente, quæq; id quod eius erat proprium, ad vnum & eundem finem conferebat, salutem videlicet & incolumitatem nostram. Vt cùm resuscitabatur filia Archisynagogi,omnipotens voluntas diuina, quod suum erat faciebat: vim inquam viuentem & vigentem, ipsúmque spiraculum vitæ restaurando. Voluntas humana similiter, id quod eius erat, subministrabat: sensu humano, inquam, commouebatur, manum iacenti porrigebat, mortuam subleuabat: vtriusq; tamen voluntatis idem finis, idem propositum fuit; salus scilicet & resuscitatio mortuæ puellæ.Quod idem in viduæ filio,idem in Lazaro factum esse videmus: gemebat, suspirabat, oculos in cœlum leuabat, sepulcrum aperiri iubebat humana voluntas: curabat, & resuscitabat diuina. Neq; enim viuificat,Gregorius Nyssenus inquit,Lazarum humana natura:neq; lacrymatur iacentem impassibilis potestas; sed proprium quidem hominis est lacrymari, vita verò eius, qui vita est. Non reficit millia paupertas humana, neque currit ad ficulneam omnipotens virtus. Quis est qui fatigatur ex itinere? & quis est qui sine labore mundum vniuersum verbo constituit? quis est gloriæ splendor? & quis clauis affigitur? quæ forma alapis in passione cæditur? & quæ ex æterno glorificatur? Manifesta enim sunt,vel si nullus sermo interpretetur: quoniam quidem plagæ serui sunt, in quo Dominus patitur: honores verò Domini,circa quem seruus; quatenus propter copulationem,atque concretionem communia fierent, vtraq; alterutri tam Domino seruiles cicatrices in seipso suscipiẽte,quámque seruo honore Dominico glorificato. Ita in hoc ipso glorioßissimo redemtionis nostræ (de quo nobis præsens sermo institutus est) agone, diuina quidem natura id,quod eius erat conferebat:infinito infinitæ dignitatis pretium persoluebat: fine carentem pœnam, immensi meriti morte in carne compensabat: æternam gloriam, perfecta iustitia comparabat: insuperabilis hostis vim, diuina virtute superabat: caducis operibus nostris, mercedem æternam parabat. Humana similiter id quoque quod illius imbecillitatis fuit,præstabat: Patri per omnia obediens fuit:dolorem & mœrorem sustinuit, tœdebat & pauebat: vincula, plagas, colaphos, sputa, coronam spineam, flagella, clauos, lanceam, crucem, mortem deniq; pertulit. Eius autem incredibilis consensus ille vnus finis fuit, vnum propositum: Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi, in sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris. Indéque factum est, vt propter eam hypostaticam duarum naturarum, in vna Christi persona vnionem, proptérq; eum concordem in vnum finem vtriusque naturæ consensum, quod vnius naturæ est, id alteri in sermone attribui soleat: vt cùm Deum factum, natum, crucifixum, passum, mortuum, esuriisse, sitiisse, & similia dicimus: & iterum filium hominis, iusti-

Grego. Nisse. cont. Eunom. 6. Tomo.

Luc. 1.

ficare,peccata dimittere, mortuos resuscitare, & id genus alia pronunciamus : quale est illud,Nemo ascendit in cœlum,nisi qui descendit de cœlo,filius hominis qui in cœlo est. Eandémque ob causam θεοτόκος, hoc est mater Dei,in frequentissimo illo Chalcedonensi Concilio,beata virgo est appellata : non quod tribuamus vni naturæ,quod alterius est realiter,hoc enim esset confundere naturas ; sed quòd vni suppositò tribuitur vtriusq; naturæ proprietas. In nostra humilitate, inquit S. Leo, contemtus, in nostra mœstitudine contristatus, in nostro dolore crucifixus. Nam illius velle, quod in Saluatore intelligitur, non est contrarium Deo, deificatum est totum.Duas verò naturales operationes indiuisè,inconuertibiliter,inconfusè,inseparabiliter,in eodem Dño nostro Iesu Christo,vero Deo nostro glorificamus,hoc est diuinam operationẽ,& humanam operationẽ secundùm diuinũ prędicatorem Leonem,apertissimè differentes.Agit enim vtraq; forma cum alterius cõmunione, quod proprium est,verbo scilicet operante,quod verbi est,& carne exequente quod carnis est.Nec enim in quoquam vnã, dabimus operationem naturalem Dei & creaturæ,vt neq; quod creatum est, in diuinam educamus essentiam : neque quod eximium est diuinæ naturæ,ad competentem creaturis locum deiiciamus.Quẽ dicendi modum per communionem idiomatum institui, vetustissimi docuerunt patres. Quod similiter in homine ex duplici item constante natura, cœlesti, inquam, & terrena fieri videmus : nam & ea quæ corporis sunt propria, animo nonnunquam tribuimus,vt cùm hominem senescere, dormire, mortalem esse dicimus : & illa quæ animi sunt propria, ad corpus trãsferimus;vt cùm omnem carnem corruptam esse,omnem deliquisse, & id genus alia dicere solemus. Vnde illa apud Theologos in tria genera Christi operationum perfecta partitio.Primum earum,quæ sunt solius Dei, vt viuificare, iustificare, peccatum remittere, sanctum, diuinum, sempiternum, atq; beatum facere & similia. Secundum earum,quæ non conueniunt Deo, ratione diuinitatis,verùm ratione humanitatis tantùm, vt obedire,orare,pauere,tędere,mori. Tertium earũ,quę nõ possunt esse, nisi qui simul est Deus & homo, vt pro voluntate ponere animam suam, & iterum resumere illam, suscitare seipsum ex mortuis, pretium dignum soluere pro peccatis totius mundi. Ex quibus facilè est illas diuinas scripturas intelligere, quæ tribuunt Christo opera diuinitatis. Ex quo genere sunt illa : Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum : & hæc,Remittuntur tibi peccata tua : item, Adolescens tibi dico surge : vel, Lazare veni foras, & cætera eiusmodi. Eas insuper quæ tribuunt ei opera veri hominis,cuiusmodi sunt hæc : Cœpit Iesus pauere & tædere, & mœstus esse, expirauit, mortuus est. Ex quo etiam intelligi potest secundùm duplicem naturam, in Christo geminam fuisse vitam,increatam videlicet quæ est sempiterna deitas, quæ mori non potest : & creatam, quæ est humanæ naturæ,ex carne & anima consistentis : secundùm quam mortuum esse Christum in cruce, per discessum animæ à corpore, testatur Euangelium.

Ser.7.de pas.

Matth. 1.

Hæc igi-

Hæc igitur est fides Catholica, hic sensus Ecclesiæ Dei, hæc est clauis Dauid, quæ claudit & nemo aperit, aperit & nemo claudit: hæc illa vera & orthodoxa doctrina, quam contra infinitam hæreticorum manum, Ebionitarum, inquam, Arianorum, Monopsychitarum, Monothelitarum, Eutychianorum, Nestorianorum, per mille quingentos & amplius annos, Vna, Sancta, Catholica & Apostolica tuetur Ecclesia: hoc depositũ, quod illa sanctè custodit, ac inter tot errorum syrtes integrum conseruat. Quod si quid est, cuius nomine tu Rex Stephane inclyte, nósq; alij omnes Deo immortali, eiúsque sponsæ meritas debeamus agere gratias; tum vel hoc maximè, quòd inter tot naufragia & ruinas aliorum, te, nósque, in ea fide integritate, saluos & incorruptos hactenus conseruare voluerit: quam si constanter sequemur, tum denique ad optatum salutis portum, inoffenso cursu appellemus: deinde etiam per vniuersam Christi doctrinam, maximè autem per glorioſam ipsius mortem, qua omnes principatus & potestates in seipso magnificè triumphauit, pergemus.

Verùm purgato & sanctificato animo opus est: Vas enim immundũ, inquit Nazianzenus, an potius ipse Dñs, vnguenta non recipit pretiosa. Cuius purgationis & sanctificationis dies isti sunt: nã & magnorum regũ victorię & triũphi, non sine splendore & nitore repręsentari solent: neq; medicina vlla est tam efficax, quę nõ plus obsit quàm prosit, nisi purgato corpore sumatur: Dies isti dies nuptiarum sunt, in quibus cœlestis Pater fecit nuptias filio suo, & ad eas vocauit multos: Venite, inquit, & videte filiæ Sion Regem Salomonem cum diademate suo, quo eũ coronauit mater sua, in die desponsationis suæ. Ad quas si quis ingredietur non habens vestem nuptialem, eiicietur foras. Hi sunt dies verè Alcyonis, dum suos pullos excludit, in quibus omnium rerum pax & quies esse solet. Cessent igitur venti ambitionis, procellæ fori, æstus libidinis. Hi dies sunt vnicæ phœnicis amoris igne accensæ, vt renouet immortalitatem suam prolísq; suæ: nunc cœlestis pelicanus ferit pectus suum, vt sanguine suo reficiat liberos suos: nunc ciconia subiicit humeros: nunc extendit fœtui suo brachia: nunc congregat gallina sub alas pullos suos. Ruamus ergo sub eas, ne postea iustè de nobis conqueratur: Quoties volui cõgregare filios tuos, sicut cõgregat gallina pullos sub alas, & noluisti? Vox turturis audita est in terra nostra, tempus putationis aduenit, vineę florentes dederunt odorem suum. Non igitur turbet, non perstrepat mundus. Tradunt Hebræorum Rabini, in more veteri Iudęis positũ fuisse, vt ante diem festum Paschæ, priusquam agnum manducarent paschalem, sanctificarent seipsos, eámq; sanctificationem à prima luna incipere solitos, qua die itidem tabernaculum sanctificabatur; in eáque purgatione ac lustratione, vsque ad quartamdecimam lunam paschæ in ciuitate sancta Ierusalem, quo tum frequentes lustrationis causa conueniebant, persistere solitos. Vnde etiam euenerat, vt de Christo Domino tali tempore frequentius, quàm vnquam aliâs concilium institutum fuerit. Non est autem credendum, tantum apparatum, tantámq; religionem vmbratilis illius agni causa institutam fuisse; verùm iam tum in vmbra & signis fide hæc ipsa veritas colebatur ac celebraba-

Coloss. 2.

Matth. 23.

Cant. 2.

tur, iámque hic ipse agnus, qui tollit peccata mundi tanta deuotione edebatur. Quòd si illi, qui à longè tanta mysteria salutabant potius, quàm illis fruebantur, ea tam reuerenter & castè venerabantur; quid nobis, ipsum fructum tantæ messis complexis, faciendum est? qua pietate & religione tempus hoc transigendum? qua sanctitate & puritate vitæ colendum? cũ eòdem nos vetustissimus Ecclesiæ vsus vocet, eòdem vetustissimi patres, Clemens Romanus, Ignatius, Epiphanius, eòdem totius orbis consensus trahat. Epiphanij illa verba sunt contra Aërium: In diebus autem paschatis, quando apud nos fiunt humicubationes, castigationes, afflictiones, siccorum vsus, preces, vigiliæ, ac ieiunia, & omnes animarum salutes per sanctas afflictiones. Hebdomadam hanc hebdomadam pœnosam Bernardus vocat: quòd in ea ex nobis pro delictis nostris pœnas sumere debeamus. Admonet vos solicitudinis huius, inquit Bernardus, non modò specialis illa conuersatio, quam professi estis; sed & generalis Ecclesię obseruatio, cuius filij estis. Vniuersi siquidem Christiani, sacra hac septimana, aut præ solito, aut præter solitum pietatem colunt, modestiam exhibent, humilitatem sectantur, induunt grauitatem, vt Christo patienti quodam modo compati videantur. Quis enim tam irreligiosus, qui non compungatur? quis tam insolens, vt non humilietur? quis tam iracundus, vt non indulgeat? quis tam delicioſus, vt non abstineat? quis tam flagitiosus, vt non contineat? quis tam malitiosus, vt non pœniteat his diebus? Meritò quidem. Nempe adest passio Domini, vsq; hodie terram mouens, petras scindens, aperiens monumenta: propè est etiam resurrectio eius, in qua solennitatẽ celebrabitis altissimo Dño, vtinam vsq; in altissima quę feci sti magnalia alacritate & auiditate spiritus subeuntes. Nihil in mundo poterat melius fieri, quàm quod factum est à Dño his diebus: nihil mundo poterat melius vel vtilius cõmendari, quàm vt ritu perpetuo celebret; & singulis annis memoriale eius in desiderio animę, & memoriã abundantiæ suauitatis suæ eructet: vtrumq; autem propter nos, quod in vtroq; nobis salutis fructus, in vtroq; vita spiritus nostri. Nõ degeneremus obsecro à maiorum nostrorum pietate & moribus: deponamus aliquantisper istos tã graues mundi eiúsque occupationum rastros: respiremus paulùm à dura ambitionis seruitute: extinguamus sitim auaritiæ, pellatur lasciuia, abdicetur ebrietas, & carnalis cõcupiscentia castitatis legibus edometur: odia transferantur in dilectionem, inimicitiæ conuertantur in pacem, tranquillitas extinguat iram, mansuetudo remittat iniuriam, dominorum atq; seruorũ tam ordinati sint mores; vt & illorum potestas mitior, & istorum sit disciplina deuotior: egrediatur sponsus de thalamo suo, & sponsa de cubili suo: obliuiscamur aliquando fori, obliuiscamur rei familiaris, domus nostra templum sit, lectus noster locus orationis, diuinum officium sit refectio nostra: probemus vtiq; nos aliquando, Christianos esse, ciues cœli, conciues sanctorum, domesticos Dei. Quod & Romani orbis piissimi Imperatores, inquit S. Leo, sancta antiquitus obseruatione custodiunt, qui honorem Dominicæ passionis, altitudinem suæ potestatis inclinant, &

Hær. 76.

Feria quarta hebdomadæ pœnosæ.

con

constitutionum suarum seueritate mollita, multarum culparum reos præcipiunt relaxari, vt in diebus quibus mundus saluatur miseratione diuina, etiam ipsorum supernæ bonitatis imitatrix sit æmulanda clementia. Imitentur igitur Christiani populi principes suos, & ad domesticã indulgentiam regiis incitentur exemplis. Non enim priuatas leges fas est austeriores esse quàm publicas. Remittantur culpæ, vincula soluantur, deleantur offensæ, pereant vltiones; vt sacra festiuitas per diuinam & humanam benignitatẽ, omnes lætantes, omnes habeat innocẽtes. Et debebatur quidem tantis mysteriis, inquit S. Leo, ita inceſſabilis deuotio & continuata reuerentia, vt tales permaneremus in cõspectu Dei, quales nos in ipso paschali festo dignum est inueniri. Sed quia hæc fortitudo paucorum est, vt dũ carnis fragilitate austerior obseruantia relaxatur, dúmq; per varias actiones vitę huius solicitudo distenditur, necesse est de mũdano puluere etiã religiosa corda sordescere; magna diuinę institutionis salubritate prouisum est, vt ad reparandam mentiũ puritatem paucorum dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum tẽporum culpas, & pia opera redimerent, & ieiunia casta decoquerent. Et cũ totum annum partim in nihil agẽdo, partim aliud agendo, partim in malè agendo consumamus, saltem aliquot hos dies in benè agẽdo traducamus. Cúmq; semper nostra, ac nostra quidẽ, vt quę nobis indies relinquẽda sunt, curemus, nos ipsos aliquando curare incipiamus: deguſtemus cœlestes voluptates, spiritualem vitam, internum gaudium, an fortè arridebunt. Videte & gustate quàm suauis est Dñs, prouocat nos Psaltes. Impossibile est illa placere posse, quæ quis nunquam expertus est. Audeamus modo aliquid: contingit somnũ simulantem seriò obdormire. Occasio parit & bonos & malos. An vbi semel cœlestia bona cognouerimus, nunquam amare desinamus. Quod autem sanctius tempus hoc ipso ad operandam salutem expectemus, ego equidẽ non video, nec tota vidit antiquitas. Quem fructum tanti beneficii, huiúsq; tẽporis in die nostra mala expectabimus, quãdo cœli mouẽdi sunt & terra, quando acerbitas mortis nostrę, huius mortis suauitate cõdienda erit; si tantum precium nostrum tali tempore neglexerimus? Hic enim vnus solus tutissimus clypeus est, quo omnia tela ignita aduersariorum nostrorum illo die excipienda nobis erunt. Hic est vestitus fragrans, sicut odor agri, sine quo non cognoscit Isaac primogenitum suum Esau. Hic solus & vnicus aduocatus, hæ tabulæ, hoc chirographum, hic patronus vltimæ causæ nostræ, vltimi tribunalis nostri. Qui quidem sensus & voluntas nostra, etsi semper à nobis tali tempore requiritur; nunc tamen vel maximè impendentibus tot orbi Christiano periculorum & discriminum nebulis, quæ grauem quandam tempestatem & calamitatem iam iam impendentẽ polliceri videntur. Vbi enim est illa prisca Christiana virtus? vbi animus? vbi opes & præsidia? vbi victoriæ? Nihil hostes Christiani nominis vel ioco concupiuerunt, quod seriò non consequantur: vt pisces sine aqua, sic nos absque auxilio Dei nudi relinquimur. Conuertimus enim tergum nostrum contra Dominum, & ipse conuertit faciem suam contra nos, &

Psalm. 33.

nos, & considerat in nouissimis nostris. Ecce erectum est signum salutis, signum iubilei, signum fœderis & clementiæ, cuius præsentia frangit petras. Præoccupemus igitur faciem eius in confessione, & in psalmis iubilemus ei. Tu verò magnanime Rex, sis humilior cunctis lugentibus: capútque hoc tuum Regium, cinere consperge: induere cilicio pro purpura, pœnitentiam agas, & conuertaris ad Dominum Deum tuum, corde perfecto, & ne adiicias vt pecces illi. Tunc erumpet quasi lumen iustitia tua, & erit manus tua super caput inimicorum tuorum, tum afflues & dilatabitur anima tua, tum demum dignus meditator mortis & passionis eius futurus es. Quod tibi & nobis omnibus tribuat Iesus Christus. Amen.

IVSTVS

IVSTVS IOSEPH,
SIVE IN IESV CHRISTI DOMINI nostri mortem & passionem.
MEDITATIO PRIMA.

Vide pater, vtrum tunica filij tui sit an non. Fera pessimà comedit eum, bestia deuorauit Ioseph. Gene. xxxvij.

HÆc est dies redemtionis curationísque nostræ, salutis ac instaurationis nostræ, in qua facta est magna salus in Israël. Hæc est dies æterni, & à seculis præparati sacrificij, in quo consumati ac perfecti sunt in sempiternum sanctificati omnes. Hæc est dies Iubilei, in qua latè fuséque aperta est porta verè aureæ salutis, & incolumitatis nostræ. Hæc est dies mortis & funeris sacerdotis magni, oleo sancto vncti, quo mortuo, extorres aq; fugitiuos in patriam redire, ac seruos manumitti oportuit. Hæc est dies illa à Zacharia prædicta, in qua auferenda fuit iniquitas terræ vno die: quem locum se non intelligere alicubi testatur Rabbi Salomon: in qua item die ipse æternus Pontifex per amplius & perfectius tabernaculum, non manu factum, id est, non huius creationis, neque per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemtione inuenta. Hac eadem die, mors extincta, vita restaurata est, chirographum peccati conscissum, iniquitas dimissa, ciuitas confugii nocentibus aperta, fortis armatus, qui custodiebat atrium suum in pace, superatus: misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt: aquæ diluuij deductæ: arcus æterni fœderis subleuatus: sol constitit, & luna stetit in ordine suo: testamentum confectum: legata distributa: credita dimissa: decreta sublata: túq; benedixisti Domine terram tuam: auertisti captiuitatem Iacob: remisisti iniquitatem plebis tuę: operuisti omnia peccata eorum: mitigagasti omnem iram tuam: auertisti ab ira indignationis tuæ. Hodie, inquit Augustinus, feriæ sunt & nundinæ spirituales. Hæc est denique illa dies, cui reliquæ omnium seculorum seruierunt dies, & cuius causa conditæ sunt. Huic diei seruiuit prima illa dies, quando immisit Dominus soporem in Adam, & eduxit de eius costa Euam: & in qua prima illa vox audita & credita est: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen mulieris, & ipsum conteret caput tuum. Huic similiter diei seruiuit dies illa, in qua iustum Abel occidit inuidus frater Cain. Et illa item

Lucæ. 11. *Psalm. 84.* *Gene. 9.* *Iosoæ. 10.* *Psalm. 84.* *Gene. 2. & 3. & 4.* *Gene 22.*

la item, qua Abraam colligauit Isaac filium suum, posuítque eum in altari, super struem lignorum, extendítque manum suam, & arripuit gladium vt immolaret filium suum, illúdque audiuit: Nunc cognoui quoniam timeas me, & non pepercisti filio tuo propter me. Benedicam tibi & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam quæ est in littore maris, ac vel hoc ipso officio tecum aliquando, ac cum genere tuo certabo. Huic eodem modo diei seruierunt dies omnes illæ: primùm, qua populus Iudaicus, superato mari, submersóque Pharaone, ex seruitute Ægyptiaca in forti & potenti manu eductus, nouum canticum cecinit Domino, de qua præcepit Moyses: Mementote, inquit, diei illius, in quà egressi estis de Ægypto, & de domo seruitutis, quia in manu forti eduxit vos Dominus, erítque vobis dies ille cultu sempiterno sanctissimus. Illa item dies, qua saxum aquam sitienti populo dedit, eductúmque est de petra mel, & oleum de saxo durissimo: Petra autem, inquit Paulus, erat Christus. Illa denique dies, qua similiter Moyses serpentem exaltauit in deserto, vt omnis qui illum aspexerit, à morsu lethalis serpentis liberaretur. Vltimò qua Ionas in mare proiectus, à cetóq; absorptus, requieuit in ventre ceti, tribus dieb. & tribus noctibus, ac deinde rediuiuus mũdo apparuit.

Exo.14.& 15. *Ibidem 13.* *Exod. 17.* *Deut. 32.* *1. Cor. 10.* *Num. 21.* *Ioan. 3.*

Etsi autem omnes istæ dies, seruierunt huic diei, nulla tamen magis eam non adumbrauit solùm, sed etiam planè ad vnguem expresit, vt illa, qua iustum Ioseph impii fratres in manus alienorum iniquissimè tradiderunt, ac pro precio calceamenti vendiderunt, & angustiauerunt animam eius: humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransiuit animam eius. Captus est & circumuentus, atque ligatus in illa die Ioseph à fratribus: capitur atque ligatur & in hac noster Ioseph, Christus Dominus, à gente & carne sua: iudicatus est ille, iudicatur & hic: traditus est in manus alienorum ille, traditur & iste: iniquo ære venditus ille, venditur & hic: angustiatus est, angustiatur & noster: vestis illius sciissa & sanguine conspersa, præsentata est patri; laceratur itidem atque præsentatur & huius, hæc ipsa fœdè conscisa & sanguine conspersa, in odorem suauitatis æterno patri eius humanitas: dictus est ille saluator vniuersæ terræ Ægypti, factus est hic per mortem & passionem suam Saluator totius mundi.

Gene. 38. *Psalm 104.*

Quomodo autem & qua ratione vtrumq; hoc factum fuerit, ad instructionem & cõsolationem nostram, paucis hodierna die expendamus. Sacramentũ enim salutis, inquit S. Leo, non licet tacere, etiamsi nequeat explicari, gaudendúmque est nobis potius quàm erubescendum, quòd tantæ superamur materiæ dignitate, de qua nemo humilius sensit, quàm qui putauit suffeciſſe quæ dixit. Poterimus tamen multa in eo, qui nos confortaturus est, cum præcipuè hoc tantum beneficium ab ipsomet grauissimis verbis vetemur tacere. Terra ne operias, inquit, sanguinem meum, neque inueniat in te locum latendi clamor meus. Nunc igitur audite cœli quæ loquar: audiat terra verba oris mei. Concrescat vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum. Quasi imber super herbã, & quasi stillę

Ser. 2. de pas. *Ser. 18. de pas.* *Philip. 4.*

super

ſuper gramina, quia nomen Domini inuocabo. Date magnificentiam Deo nostro: Dei perfecta ſunt opera, & omnes viæ eius iudicia. Peto autem cœleſtem Regem, cum Axa Caleph filia, vt pro arente terra, det mihi irriguam, ipſumq; me irriget. Vos autẽ Chriſtiani, hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu. Vis enim amoris eius, erga nos, & pondus non tam diſcitur, quàm ſentitur, ac ſtipite concuſſo omnes commoueantur rami & palmites oportet; vt ſic poſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, longitudo, & ſublimitas, & profundum, crucis & paſſionum Chriſti Ieſu Saluatoris noſtri. Amen. *Ioſuæ. 15.* *Philip. 2.* *Gene. 37.*

IOSEPH.

CVmque fratres illius in paſcendis gregibus patris morarentur in Sichem, dixit ad eum Iſraël: Fratres tui paſcunt oues in Sichimis, veni & mittam te ad eos, & vide ſi cuncta proſpera ſint circa fratres tuos & pecora, & renuncia mihi quid agatur. Reſpondit Ioſeph. Præſtò ſum.

EVANGELIVM.

HAEc cùm dixiſſet Ieſus, hymno dicto egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron: & egreſſus ibat ſecundùm conſuetudinem in montem Oliuarum. Sequuti ſunt autem & diſcipuli eius: Et tunc venit Ieſus cum illis in villam Gethſemani, vbi erat hortus: & introiuit ille & diſcipuli eius. Et cùm peruenisſet ad locum, dixit diſcipulis ſuis: Sedete hìc, donec vadam & orem. Orate, ne intretis in tentationem. Et aſſumto Petro & duobus filiis Zebedæi, cœpit contriſtari, pauere, & mæſtus eſſe: & tunc ait illis: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem: ſuſtinete hìc & vigilate mecum. Et ipſe auulſus eſt ab eis, & progreſſus puſillum, quantum iactus eſt lapidis, & poſitis genibus, poſitus eſt in terram ſuper faciem ſuam, & orabat, vt ſi fieri poſſet, tranſiret ab eo hora & dixit: Abba pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: omnia tibi poſſibilia ſunt: ſi vis transfer hunc calicem à me: verùntamen non mea voluntas ſed tua fiat. Et cùm ſurrexiſſet ab oratione, & veniſſet ad diſcipulos ſuos, inuenit eos dormientes præ triſtitia, & ait illis: Quid dormitis? & ait Petro: Simon dormis? Sic non potuiſti vna hora vigilare mecum? Surgite, vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. Et iterum abiit, & orauit eundem ſermonem dicens: Pater mi, ſi non poteſt tranſire calix iſte niſi bibam illum, fiat voluntas tua. Et reuerſus venit & inuenit eos dormientes. Erant enim oculi eorum grauati, & ignorabant

rabant quid responderent ei. Et relictis illis, iterum abiit, & orauit tertiò dicens eundem sermonem. Apparuit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum: & factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terrã. Et tunc venit ad discipulos suos, & dixit illis. Dormite iam & requiescite. Sufficit, ecce appropinquauit hora, & ecce filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite eamus. Ecce appropinquauit qui me tradet.

Meditatio

Psalm. EXit similiter æterni Patris voluntate & noster Ioseph, trans torrentem Cedron, quem aliquando Dauid fugiens Absalomum cum vniuersa domo sua, nudis pedibus, operto capite, plorans transierat in figura, vbi postea multa millia Iudæorum à Tito cæsa, & profligata sunt. Exit autem trans torrentem Cedron, vt de torrente in via bibat, & propterea exaltet caput: vt filios Dei, qui erant dispersi congreget in vnum: vt ouem quæ perierat inueniat, in humerósq; suos reponat, ac in ouile suum deferat. Miseram autem illam ciuitatem atque Rempub. quam ille deseruerit semel, & ex qua egressus fuerit. Nam vera simul pietas, religio, pax, concordia, consilium, gaudium, angelorum custodia, salus denique ac felicitas ipsa inde emigret, oportet. Probauerunt hoc Asiæ regna, Ægyptus, Africa, ac non ita pridem Græcia: probauit vicina hæc nostra Hungaria, plurimæque aliæ gentes: inprimis autem hæc ipsa, de qua præsens negotium institutum est Hierosolyma vltimo suo occasu experta est, aliisque exemplum dedit: quod vtinam nos ipsi probemus atque experiamur nunquam. Ita autem egreditur, vt omnem curam, solicitudinem, studium in conquirendis consumat fratribus, omnémque pœnam ac satisfactionem, quæ fratres manebat, in se recipiat. Ipse enim peccata nostra portauit: disciplina pacis nostræ super illum: ipsius liuore sanati sumus: percussítque eum Dominus propter scelus populi sui.

Ioan. 11. Lucæ. 15.

1. Petri. 2. Isaiæ. 53.

Quam satisfactionem ea parte illum accepisse atque perfecisse testatur Paulus, quæ illius capax fuit: Ipse, inquit, peccata nostra portauit, sed in corpore suo, omnia condiente, infinitæque dignitatis precium addente, ea quæ illi semper vnita præsens adfuit, diuinitate: Deus enim erat in Christo mundum reconcilians sibi, inquit Paulus. In omnibus igitur, inquit S. Leo, quæ ad Domini nostri Iesu Christi pertinent passionem, hoc Catholica fides tradit, hoc exigit; vt in redemtorẽ nostrum duas nouerimus conuenisse naturas, & manentibus proprietatibus suis, tantam factã vnitatem vtriusq; substantię; vt ab illo tempore, quo sicut humani generis causa poscebat, in beatę virginis vtero verbum caro factũ est: nec Deũ illum sine hoc quod homo est, nec hominem sine hoc liceat cogitare, quod Deus est. Exprimit quidem sub distinctis actionibus veritatem suam vtrae natura; sed neutra se ab alterius connexione disiungit. Nihil ibi ab in-

2. Cor. 4.

uicem

uicem vacat: tota eſt in maieſtate humilitas: tota in humilitate maieſtas „
nec infert vnitas confuſionem, nec dirimit proprietas vnitatem. Aliud eſt „
paſsibile, aliud inuiolabile: & tamen eiusdem eſt contumelia, cuius & glo „
ria. Ipſe eſt in infirmitate, qui & in virtute: ipſe mortis capax, & idem eſt „
victor mortis. Suſcepit ergo totum hominem Deus, & ita ſe illi, atq; illum „
ſibi miſericordiæ & poteſtatis ratione conſeruit; vt vtraque alteri natura „
ineſſet, & neutra in alteram à ſua proprietate tranſiret. Sed quia diſpen- „
ſatio ſacramenti ad reparationem noſtram ante ſecula æterna diſpoſiti, „
nec ſine humana infirmitate, nec ſine diuina erat conſumanda virtute, a- „
git vtraque forma cum alterius communione, quod proprium eſt, verbo „
ſcilicet operante, quod verbi eſt, & carne exequente, quod carnis eſt. „
Vnum horum coruſcat miraculis, aliud ſuccumbit iniuriis: aliud ab æqua- „
litate paternæ gloriæ non recedit, hoc naturam noſtri generis non relin- „
quit. In noſtra igitur vt dixi humilitate contemtus eſt, in noſtra mœſti- „
tudine contriſtatus, in noſtro dolore crucifixus. Hæc D. Leo.

Cùm autem veræ pœnitentiæ ſint tres illæ notiſsimæ partes: contritio, internúsque animi dolor, confeſsio, atque ſatisfactio: ab ea, quæ prima eſt, contritione inquam, internóque animi dolore, non ſuam, ſed noſtram, totiúsque mundi pontifex noſter inchoat pœnitentiam, dum cœpit contriſtari, pauere & mœſtus eſſe, ſuúmq; à primis veſperis exorditur paſcha. Quemadmodum enim quod non accepit, non ſanauit; ita qua parte ſui paſſus non fuiſſet, eam non curâſſet. Cùm autem prima & præcipua pars in homine animus ſit, ex quo omnia pendent ac profluunt, & vnde peccatum primum manauit; inde etiam eadem parte, primam ſimiliter pœnitentiæ partem, cor inquam contritum, & humiliatum, quod Deus deſpicere non ſolet, ſuſcipiendam ſibi putauit, vt illud impleatur: Verè dolores noſtros pertulit, & peccata noſtra ipſe portauit: Suſcepit triſtitiam meam, inquit Leo, vt mihi ſuam lęticiam largiatur. Humilitas eius, inquit S. Hilarius, noſtra nobilitas eſt, contumelia eius noſter honor. Diuina ſiquidem in Chriſto voluntas humanæ eius voluntati, ac reliquis inferioribus facultatibus immenſitatem primùm peccati, cùm illius quod origine contractum fuit, tùm cæterorum omnium, quæ vnquam commiſſa ſunt, & committenda erant, quæ morte expianda fuerant, obiecit: &, quæ hæc ſequebatur, iræ Dei magnitudinem: iuſtitiæ demum diuinæ perfectum examen, tormentorũ item atq; cruciatuum, quæ genus merebatur humanum, vim & aſperitatem, mortem infamem: quarum rerum magnitudinem, dum humana voluntas & ſenſus apud ſe expendit, cœpit trepidare, pauere, contriſtari & mœſta eſſe: Defectio tenuit eam pro peccatoribus dereliquentibus legem eius. Nec enim diuina humanis præiudicârunt, nec humana diuinis; cùm ita in idipſum vtraque conuenirent, vt in eis nec proprietas abſumeretur, nec perſona geminaretur. Et poſsibile quidem fuit, inquit magnus Athanaſius, deitati prohibere perturbationem; ſed noluit, vt ſimilitudinem, quoad hos haberet, non diſsolueret. Quẽ affectum ſuum obſcurum eſſe noluit, ſed tanquam confeſsione quadam vel exem-

Pſalm. 50.
Iſaiæ. 63.
Lib. 2. de fide

vel exempli,vel amoris,vel eius gratitudinis quam illi debemus causa: vel ad conuincendum Basilidem & Marcionem, qui hæc omnia specie tantũ quadam potius, quàm re ipsa suscepta esse dicebant, extrà proferendum esse putauit. Illis igitur planè Dauidicis verbis exclamat: Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ, vsque ad animam meam: Infixus sum in limo profundi,& non est substantia: Tristis est,inquit,anima mea; neque vtcunque tristis, sed ita vt hæc ipsa tristitia morti proxima & similima esse videatur. Ab internis deinde ad externa seipsum transfert,quæ vti verus Pontifex atq; sacerdos, ab oratione firmissimo omnium tentationum clypeo, ac periculorum tranquilissimo & tutissimo portu incipit. Ita autem orat, vt simul omnium Christianæ orationis partium, quod in omnibus factis suis ille facere solet, nobis perfectum exemplar atque archetypum relinquat, siue tempus,siue locum, siue situm & habitũ, siue modum & rationem,siue affectum ac deniq; effectũ ipsum illius spectes. Oratio siquidẽ nostra,sancti Patris præcipuè destinatur ad nostram necessitatem & miseriam subleuandã;Oratio verò Christi,magis ordinatur ad instructionẽ & eruditionẽ nostram: nulla enim necessitas inerat sibi orandi, qui simul cum patre aliorũ orationes exaudit:sed quoniam omnis perfecta animorũ instructio verbis & factis cõstat;ideò opere & sermone nos Christus orando instruit,vt nobis perfectę orationis præberet exemplum. Nam etsi non ignorabat patrem sibi semper adfuturũ; tamẽ media oratione id futurum ipse cum æterno etiam patre constituerat: Cùm sibi, inquit Hilarius,non proficeret deprecationis sermo; ad profectum tamen fidei nostræ loquebatur,quod ipse apertè docet:Ego sciebam,quia semper me audis,sed propter populum qui circumstat dixi, vt credant quia tu me misisti. Poterat Dominus,inquit Augustinus,in forma serui orare silentio: sed ita se exhibere patri voluit precatorem; vt meminisset se nostrum esse doctorem. Et alio loco: Audis magistrum orantem,discе orare; ad hoc enim orauit, vt doceret orantem; quia ad hoc passus est,vt doceret pati: ad hoc resurrexit, vt doceret sperare resurrectionem. Non igitur infirmitatis, vt Ariana putat impietas, fuit hæc oratio; sed virtutis & exempli. Locum igitur orationis inprimis exprimit, qui plerumque solus & desertus esse in priuata oratione debet. Cùm oras, inquit, intra cubiculum tuum. Ideò se amouet ad iactum lapidis ab illis, vt quos quõdam in monte Tabor inspectores gloriæ suæ habuit,eosdem & laboris & sudoris,& agonis testes habeat. Tempus liberum, & à curis necessariis vacuum. Media nocte, inquit Dauid, surgebam ad confitendum nomini tuo Domine: Mane astabo tibi Domine, & videbo. Situm verò, cum positis genibus ora, eiúsque rei primus exemplum proponit,quod rarò aliâs populum illum Iudaicum facere solitum legimus: ac ne nunc quidem noui Iudaizantes hæretici facere volunt. Flectit genua, tanquam capitis reus, vt peccata nostra luat: prolabitur in faciem, pro lapsibus nostris hostia, nostram abiectissimam sortem exprimens,atque dignissimam, quæ pedibus omnium proteratur. Procidit demum in terram super faciem suam: illam, inquam, faciem, in quam

Psalm. 68. *Matth. 26.* *D. Tom. sup. cap. 17. in 10a lecti. 1.* *Li. 10. de Tri* *Au. sup. Ioan.* *Augustin. in Psalm. 56.* *Matth. 6.* *Psalm. 118.* *Psalm. 5.*

quam desiderãt angeli prospicere: secundùm enim nomen sacrosanctum: Dei magnitudinem & reuerentiam honoris & laudis eius esse debere, canit Dauid. Ad hunc eundem orationis situm nos prouocat Dauid: Venite, inquit, adoremus & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino qui fecit nos. *Psalm. 94.* Quid enim faciet puluis & cinis? quo cultu & qua reuerentia ad orationem se componet, si pronus iacet sol iustitiæ, excelsus super omnes reges terræ, vnicus & dilectus filius Dei, splendor & imago substantiæ Patris? *Hebræ. 1.* Modum autem orationis ponit illum, vt primò voluntatem suam diuinæ subiiciat voluntati. Pater si fieri potest, transeat à me calix iste. Si possibile dixit, non ignorans; quid enim Deo impossibile, sed erudiens nos diuinam nostrę præponere voluntati? Solùm enim Deo impossibile, quod non vult neque permittit. Veruntamen non vt ego volo, sed vt tu; vt Deus quidem eiusdem voluntatis cum patre, vt autem homo eiusdem infirmitatis nobiscum. Quid ergo dicemus? voluntariáne fuit mors Christi, an non voluntaria? Ratione quidem suiipsius voluntaria nõ fuit, inquit Euthymius, sed propter nostram salutem prorsus fuit voluntaria. Quemadmodum fortis atque strenui militis vulnera, ipsa per se aspera & acerba esse ducimus, propter virtutem tamen & fortitudinem, qua ille in hostes vsus est, suauia dicimus atque dulcia. Neq; simpliciter, inquit Hieronymus, deprecatur calicẽ transire, sed calicẽ istum, quem sibi gens sua ppinare debuit, & perire. Transeat à me calix iste, & transiuit qui dẽ ad multos. Martyres inquã atq; etiã nũc transit. Duplex porrò hoc loco, vt iam diximus voluntas in Christo cogitanda est, diuina, & humana: vel vt Theologi loquũtur, superior & inferior. Volũtatis humanæ est, aduersa, & ea omnia quæ nocitura sunt declinare, ac ad omnia aduersa contrahi: voluntatis autem diuinæ est, hominem perditum curare, atq; patri per omnia obtemperare. Vtramque hanc voluntatem exprimit, cùm inquit: Veruntamen nõ mea voluntas, sed tua fiat: quæ nihil vult, nisi quod est optimum, maximéque salutare. Suam, inquit Ambrosius, ad hominem retulit, patris ad diuinitatẽ: voluntas enim hominis temporalis, voluntas diuina æterna. *Amb. lib. 2. ad Grati.* Et ante Ambrosium Athanasius: Duas, inquit, voluntates hic ostendit: vnam quidẽ humanam, quæ est carnis; alteram verò diuinam. *Lib. de Trini. & incar. Sy. 6. sess. 10.* Et humana quidem propter infirmitatẽ carnis recusat passionem: diuina autẽ eius promta. Sicut & Petrus audiẽs de passione formidauit, & dixit: Propitius tibi sis Dñe. *Matth. 16.* Increpauit autẽ eũ Dñus dicens: Vade retro me sathana, scandalum mihi es, quia nõ sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominis. Ita & hic intelligitur: factus quippè in similitudinẽ hominũ, recusat passionẽ vt homo: Deus verò existens, & secundùm essentiã diuinã, impassibilis, pmtè acceptam tulit passionem & mortẽ, eò quòd impossibile erat teneri illum à morte. Vnus enim, cùm sit idem ipse in vtraq; natura, loquitur interdum quidẽ congruentẽ humanitati; interdũ verò diuinitati congruentẽ exprimit vocem: habuit enim, vt ait Cyrillus, in vtrisque potestatem. Dum ergo dicit: Non mea voluntas fiat: non mea, hoc est, humanæ naturæ, dixit: Et egò enim nunc sicut homo loquor. Dum verò dicit, tua, *Sy. 6. act*

„ cit, Tua, illam quæ cõmunis est (inquit) mihi Verbo & tibi Patri. Patris itáque & filij secundùm quod verbum est, vna est voluntas propter vnitatem essentiæ, secundùm S. Gregorium Nyssenum sic inquientem: Loquitur enim tanquam ex homine, quod nostræ infirmitati competit, ille qui „ nostras passiones proprias fecit. Adiungit deinde secundùm vocem ex- „ celsam, & Deo dignam voluntatem ratam magis fieri, quàm hominis pro „ salute hominum volens. Qui enim dixit, Non mea, humanum hoc sermo- „ ne significauit: adiungens autẽ, Tua, ostendit coniunctionem suæ ad pa- „ trem deitatis, cuius nulla est voluntatis differentia, propter communita- „ tem naturæ: Prima enim petitio infirmitatis est, inquit S. Leo, secun- „ da virtutis: illud optauit ex nostro, istud elegit ex suo. Fiat voluntas tua, „ vt superiori voluntati cedat inferior. Hæc vox fideles instruxit: martyres coronauit: virgines tenet: erigit afflictos: mœstos solatur. Nam quis „ mundi odia, inquit S. Leo, quis tentationum turbines, quis posset per- „ cussorum superare terrores, nisi Christus in omnibus & pro omnibus pa- „ tri diceret, Fiat voluntas tua? Discamus igitur hanc vocem omnes eccle- „ siæ filij: vt cùm aduersitas violenter alicuius tentationis incumbit, sæpa- „ rato timore formidinis, accipiamus tolerantiam passionis. Sic & Isaac in causa simili totam voluntatem suam reiecit in voluntatem patris: Ecce ignis, ecce ligna. Non hoc igitur fortitudinis est non ingemiscere, non cõtrahi; sed illud, voluntatem suam voluntati diuinæ statim subijcere. Et hoc quidem primum & summum est Christianæ orationis documentum: Secundum autem illud, ita orare, vt in oratione & meditatione nostra actionis & officij obliuiscamur nunquam: ita speculationi & deuotioni vacandum esse, ne ipsa actio atque debita officij functio deseratur: ita actioni incumbendum, ne oratio negligatur; sed vt potius oratio actionem, & actio orationem alternis vicibus excipiat. Quanquam autem omnibus hoc tale exemplum relictum esse voluerit, inprimis tamen illis, qui partes eius & vicariam quasi operam in terra gerere debebant, Episcopis atque Regibus inquam; ita debere eos orationi vacare, vt officium non negligant: ita res gerere, vt semper ad orationem recurrant; nam & vota otiosis non prosunt, & conatus omnes nostri sine Deo irriti sunt, inutilísq; omnis labor. Cùm autem secundùm vitam nihil charius esse principibus debeat, quàm salus & securitas suorum, quocunq; loco atque fortuna ipsi fuerint; ideò secundùm Deum eiúsque sacrosanctum cultum, non aliò potius spectare debent, quàm ad suorum salutem atque incolumitatem. Et pinde hoc loco Christus Dñus & magister noster, toties repetitis vicibus interpellata oratione suos inuisit, cõuenit, & solatur; sed non eundẽ erga se (quod sæpè fit) inuenit affectũ, quem ipse adfert: quod aliorũ instructionis causa, ne à simili officio deterreãtur, facit: illo enim orante & sanguine sudante, isti dormiunt. Fit enim plerumque vt laborante Christo, eiúsque Ecclesia, Apostoli, Apostolicíque viri altum soporem dormiant, ac in maximo periculo plurimũ securi sint, suásq; interim importunè voluptates explere ac commoda quærere velint. Quos tamen excusat

In sermone aduapolin.

Genes. 22.

potius

potius quàm accuſat Dominus: & Petrum quidem primò, vtpotè per illum, qui plurima de ſe paulò antè pollicebatur, deinde reliquos omnes: Quid, inquit, dormitis? Simon, non potuiſti vna hora vigilare mecum? ſurgite & orate, ne intretis in tentationem: cõmune periculum eſt, ego vobis vigilo, vobis oro: vigilate & vos mecũ, orate mecũ, vt & vos vincatis. Tẽpus hoc non ſomnũ poſtulat; ſed vigilantiam & intentã deprecationẽ: non niſi vigilantibus cõtingit victoria. Adeſt articulus tempeſtatis: filius hominis traditur: infirmitas noſtrę carnis excuſatur, & Spiritus quidem ad pollicendũ promtus eſt, caro autem infirma ad præſtandũ, debilis ad pugnandũ. Ne igitur ſpiritũ obruat caro, vigilandum eſt, & ſpiritus auxilio diuino fulciendus. Caro, inquit, infirma: carnis noſtræ hoc loco eſt defenſio, ídq; à iudice futuro profecta. Nemo igitur deſperet propter carnem, nemo præſumat propter ſpiritum; audax enim plenáque periculi res eſt, magnum quid de ſe apud Deum temerè polliceri, aut liberius loqui, facilè talis animus ſuccumbit. Probatum hoc eſt in martyribus, illos facilè tormentis ceſsiſſe, qui magna quædam iactabant: probatum in virginibus: probatum in ipſo populo Dei, cuius illæ fuerunt voces: Quæcunque præcepit Dñus nobis, faciemus: neque tamen earum rerum quas pollicebantur fecerunt quidquam. Noli, inquit, altum ſapere, ſed time. Ne te iuſtifices ante Deum; quoniã agnitor cordis ipſe eſt, inquit Eccleſiaſtes. Quod idem Petro hoc loco eueniſſe videmus. Ignoſcit tamen bonus præceptor ex infirmitate errãtibus: Erant enim oculi eorũ, inquit Euangeliſta, præ triſtitia, nõ præ malitia & ſocordia grauati. Quod idem & nobis eueniet, ſi modo malignè non peccemus, & ſi infirmitates noſtras in ſinu miſericordiæ Dei cõdiderimus. Modica enim pœna pro magno delicto ſufficit benigno patri. Quòd ſi tumidus & inflatus miniſter Euangelicus quis, tunc Petrum ac reliquos diſcipulos inueniſſet, ſudante & agonizante Domino, ídque in communi periculo dormientes; quas ille turbas dediſſet? quantum in Petrũ & reliquos debacchatus fuiſſet? verùm charitas patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non agit perperam, omnia ſuffert. Scelus nec miſereri ſcit, nec miſericordiam mereri: neq; enim ſe infirmitate circumdatum videt, vt aliis compatiatur: in aliísque illud officium requirit ſemper, à quo ipſum alieniſsimum eſt. Fœdum vitium eſt, temerarium iudicium. Verùm de ſecundo orationis documento ſatis ſupérque. Tertium illud eſt, vt ſæpius perſeueranter iterum atque iterum oremus: ter enim eundem ſermonem ipſe orat, vt & nos hoc idem faciamus: ſæpe quod in initio negatur, in fine conceditur. In quo quidem videre eſt, miram noſtri ſeculi hæreticorum cœcitatem, qui poſt tantum tam inſigne orationis repetitæ exemplum, eos ridere audent, qui easdem preces ſæpius repetunt, ad eámque rem vetuſtiſsimo more πίνακας, ſiue indices quosdam, vulgò coronas dictas habere ſolent. Cùm & Dauid ſuum toties illud Miſerere mei repetierit: & publicanus ſæpius pectus ſuum tundat, Deúmq. propitium ſibi inuocet: quod idem ipſum Dominum nũc facere videmus. Et modus quidem orationis talis fuit. Affectus autem, quem ego ſpiri-

Rom. 11. *Eccleſ. 2.* *1. Cor. 13.* *Hebr. 9.* *Luc. 15.*

tum & animam orationis esse statuo, quis maior potuit esse quàm ille? Et factus inquit in agonia prolixius orabat. Agoniam Græci, in quibus Damascenus, definiunt φόβον διαπτώσεως ἢ γοῦν ἀποτυχίας, id est metum & timorem insignis casus & defectionis, qualis solet accidere, mortem animo contuentibus: & qualem aliquando, Alexandrum magnum cum Dario, extremo conflictu congressurum persensisse aiunt. Non mirum est autem agonizare illum, cui cum ipsa morte, mortísque autore diabolo, atque omnium seculorum peccatis vno conflictu congrediendum fuit. Insistit hoc loco Chrysostomus, ac eos omnes, qui inuitum & nolentem passum aiunt notat. Tanta beneficia per crucem facta sunt & fiunt, & non vult crucifigi. Dicito mihi, & quis ergo hoc dixerit? si autem non volebat, quis ei necessitatem facit? quis vim intulit? vt quid autem & præmisit prophetas annunciantes, quod crucifigeretur, dum crucifigendus non erat, nec volens hoc pati? vt quid autem & calicem vocat crucem, si vtique nolebat crucifigi? Hoc enim ostendens est, quantum desiderium circa hanc rem habuit. Quemadmodum enim sitientibus calix suauis est: ita & eidẽ crucifigi; propter quod & dicebat: Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, non quasi simpliciter hoc dicens; sed propter causam hanc, eò quòd post vesperum crux eum susciperet. Quia ergo gloriam hanc rem vocabat, & discipulum increpabat; eò quòd eum prohiberet, & bonum pastorem se ex hoc ostendebat, quòd occideretur pro nobis, & desiderio desiderasse hanc rem dicebat, & spontè ad hoc veniebat, quomodo rogat hoc non fieri? Si autem nolebat, quid difficilè erat prohibere ad hoc venientes? Nunc autem & vides eum accurrentem in hanc rem: cùm enim super eum venirent dixit: Quem quæritis? qui dixerunt: Iesum. Ait: Ecce ego sum. Et abierunt retrò, & ceciderunt in terram. Qui igitur eos prius excœcauerat, & ostenderat quia poterat aufugisse, tunc seipsum tradidit: vt discas, quòd non necessitate, neque vi, neque per tyrannidem irruentium, nolens hoc sustinuit; sed spontè & volens, & prœeligens & olim hæc dispensans. Ideò prophetæ præmittebantur, & patriarchæ prædicabant, & verbis & rebus crux præfigurabatur. Etenim Isaac occisio, crucem nobis demonstrabat. Vnde & dicebat: Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum, vidit & gauisus est. Ergo Patriarcha quidem gauisus est, videndo imaginem crucis, ipse verò recusabat ipsam rem. Hæc Chrysostomus. Amoris ergo & œconomiæ, non fugæ aut detrectationis, hic est sudor. Et factus est sudor eius, inquit Euangelista, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Tali rore omnis iustitia crescit, sudore & sanguine morbos medicus iste curat, quod & ipsi medici nonnũquam facere solent. Lauabat se Aaronicus sacerdos in mari æneo, ad eam rem ante templũ parato priusquam offerret: lauat se & Christus Dñus in mari sudoris & sanguinis sui, venit in altitudinẽ maris, & tẽpestas demersit eum, quasi mare contritio eius. Discant autem Ariani, qua parte tœdeat, qua paueat, qua agonizet, quod non alia, quàm ea qua sudat, qua sanguinem fundit, quod carnis est proprium: nisi enim ille sudasset, nisi

Chry. in Ser. Pater si possibile est. 6. Synacti. 8.

ago-

agonizaret, niſi multa ſigna infirmitatis noſtræ edidiſſet, nunquam verus homo à Manete & ab Eutyche putaretur:nunquã diabolus longè inferior armatus, cum tali duce & imperatore, in certamen deſcendere auſus fuiſſet. Quod prolixè his verbis dilatat Athanaſius: Dominus, inquit,videns diaboli vafriciem,ſciénsque eum non ſui reuerentia, ſed vt homines in ſeruitute retineret, iſtas inſidias captionésque facere,quo in omnes tyrannidem exerceret; in occulto habuit ſuam deitatem, ne ille per formidinem vitato congreſſu illæſus abiret; ſed contra deſpicatim quaſi cum homine manus conſerturus ad pugnam veniret, & ab hominibus incipiret ſupplantari: non aliter quàm ſi quis animaduerſa,in compare atq; æmulo ſui,formidine ſecum decertandi,imbecillem ſe fingat,quo illum pelliciat ad pugnam: & ille dum pro vera habet illam ſimulatam imbecillitatẽ,audacter in certamen prodeat, mox domandus illius generoſi athletæ viribus. Ita quoq; Dñus, ſub ſpecie humanæ infirmitatis prouocans aduerſariũ,hominẽ quem induerat ſuis viribus aduerſus inimicũ corroborauit. Atq. ideò ſub tẽpus mortis anxius eſſe & mærere cœpit,& obſecrabat calicẽ tranſire,clamabat ſpiritũ quidem promptũ eſſe,carnem autem infirmã; vt aduerſarius noſter cum eo, quaſi cũ homine cõgreſſurus,vires eius diuinas experiretur. Mutat igitur veſtitum,mutat arma potentiſsimus Achab,vt hoſtem prouocet,illíq; animum addat: ſed ne Iudæi quidem ipſi, ſi planè & diſtinctè eum Dominum gloriæ cognouiſſent; nunquam tantum ſcelus in eum admiſiſſent. Sudat autem toto corpore, vt ſint pares contritioni lacrymæ. Hic enim qui omnium dolores portauit, non ſolis oculis, ſed quaſi omnibus mẽbris, inquit Bernardus, fleuiſſe debuit,vt totam noſtram maſſam ſanaret. Non ſimpliciter autem guttis, ſed θρόμβοις, id eſt, maioribus quibusdam ſanguinis portionibus, eum ſudorem ob eius magnitudinem, Euangeliſta comparat. Sub graui pondere largus ſudor.Nemo dicet quemquam ſanguine ſudaſſe:nemo ſiquidem omnium peccata portauit:nemo omnibus meruit: nemo pro omnibus ſatisfecit: nemo cum potentioribus hoſtibus congreſſus eſt: nemo tanti amoris flamma exarſit: nemo merum iſtum calicem bibit. nam cæteri hoc calice conditum & temperatum biberunt calicem ſuum; in hoc vno omnes ſancti crucifixi,omnes mortui,omnes ſepulti, omnes excitati. Quamùis enim multorũ ſanctorum in cõſpectu Domini pretioſa mors fuerit, nullius tamen inſontis occiſio propitiatio fuit mundi. Accepêre iuſti non dedêre coronas:& de fortitudine fidelium exempla nata ſunt patientiæ, non dona iuſtitiæ. Singulares quippe in ſingulis mortes fuêre, nec alterius quiſquam debitum ſuo fine perſoluit, quum inter filios hominum vnus ſolus Dominus noſter Ieſus Chriſtus extiterit, , in quo omnes crucifixi, omnes mortui,omnes ſepulti,omnes ſunt etiam ſuſcitati:de quibus ipſe etiã dicebat: Cùm exaltatus fuero à terra,omnia trahã ad me ipſum. Fides etenim vera iuſtificans impios, & creans iuſtos, ad humanitatis ſuæ tracta participem, in illo acquirit ſalutem, in quo ſolo homo ſe inuenit innocentem, liberum habens per gratiam Dei de eius potentia gloriari,qui contra ho-

1. Corint. 2.

stem superbum in carnis nostræ humilitate congressus, his victoriam suam tribuit, in quorum corpore triumphauit. Conturbat vestigia fortissimus leo, ne ab astuto venatore diabolo deprehendatur. Nouo necdum trito curriculo hic agonista incessit: in nouam arenam hic pugil nouo agone ingressus est: in nouo igitur labore, nouus sudor testis noui doloris, noui amoris, noui certaminis. Quis talem tantúmque affectum suspicatus fuisset, nisi hæ tantæ támque largè effusæ sanguinis guttæ eum foras prodidissent? omnium dolorũ remedium debebat esse iste dolor. Significabat etiam Dominus eo sanguineo sudore, de corpore suo toto, quod est Ecclesia, non dissimilem manaturum cruorem. Discamus ergo & nos mori: discamus simili certamine nos accingere; nam eiusdem agonis pars
Luc. 23. cuique nostrûm aliquando subeunda incumbit. Si enim facta hæc sunt in viridi, in arido quid fiet? Qui à serpente hæmorrhœo dicto, icti sunt, sanguine sudare dicuntur; genus humanum à serpente paradisi ictum, à ser-
Thren. 2. pente exaltato in deserto sanatur & curatur. O vos igitur omnes qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor similis sicut dolor iste. Infirmitas ista nostra fuit, & ille sudabat: nos infirmi eramus, & ille medicamẽtum sumsit ardens charitatis balneum. Verè Domine, metus iste non tuus sed meus est: sicuti econtra martyrum fortitudinem non illorum sed tuam verè fuisse non inuiti fatemur. Tu times, quod de nobis assumsisti, martyres inuicti & imperterriti fuêre hac parte, quod à te acceperant. Infirmitas humana in metu sese prodit, & fortitudo Dei in infirmitate humana elucescit: ita vt horror ille tuus, meus; & robur illorum, tuum sit: atq; ideò mea fortitudo, tua est ignominia; tua verò, mea est gloria. Protoplasto Adæ sublata est costa, vt mulier illi formaretur, & in locum costæ durioris caro mollior succesit. Quid hoc est aliud, quàm quòd pater cœlestis à te, qui secundus Adam es, fortitudinis gratiam abstulit, vt eam sponsæ tuæ Ecclesiæ daret, & ab eo sumsit infirmitatem, quam tibi vicissim reddidit? Hinc mulier fortis, & tu imbecillis: illa virtute tua inuicta, tu imbecillitate illius infirmus. Duplex in hoc ô cœlestis Pater beneficium tuum agnosco, dum pietati tuæ non satis esse visum est, vt tu tuis nos diuitiis operires, sed & tu nostra etiã inopia atque miseria vestiri voluisti. Propter vtrumque sine fine te collaudant Angeli, dum nec propriis diuitiis pepercisti, nec miserias nostras exhorruisti. Quid igitur faciam aliud, quàm vbi me tua misericordia diuitem videro, glorier in te; & vbi te mea inopia afflictum conspexero, tecum doleam, tibi compatiar, tui me misereat. Prius illud gaudii mihi causa erit; posterius verò materiam doloris subministrabit: ideóque & cum exultatione cantabo, & mysteria tuę passionis deplorabo, iugíque studio librum Ezechielis iucundo carmine tristíq; væ conscriptum, voluam & reuoluam. Hæc igitur fuit prima tinctura vestium iusti Ioseph: hæc prima vestimenti eius sanguine consperso non fero, sed charitate educta. Quid pro nostris peccatis nobis faciendũ est, cũ pro alienis hic, qui peccatũ non fecit, tanto & tam inusitato sudore sudat? Discamus vitia fugere, admissa prolixis lacrymis expiare. Tu verò Pater

omnipo-

omnipotens, vide vtrum hæc sit tunica filij tui an non? Et affectus quidem orationis talis fuit. Effectus autem quis & qualis? Clamabo per diē & nō exaudies, inquit apud Dauidem, & nocte & non ad insipientiam mihi. Tu autem in sancto habitas laus Israël. In te sperauerunt patres nostri, sperauerunt & liberasti eos. Ad te clamauerunt, & salui facti sunt: in te sperauerunt & non sunt confusi. Quòd si optimus pater pro tempore non audit optimum filium electum puerum vsque ad sanguinem sudantem, irascemúrne ac murmurabimus, si nos peccatores non statim vt ingemimus exaudit, aut spē abiiciemus? nequaquā. Vt autem compleatur illud, quod prædixit idem Dauid, minuendum esse nostra causa paulò minus ab Angelis, quem adorant omnes Angeli Dei, & qui est fortitudo & gloria omnium Angelorum, & item vt doceatur, in qua natura orauit, atque sudauit: in qua tædebat, pauebat, mœstus fuit. Apparuit illi Angelus de cœlo confortans eum. Quod præclarè explicat Beda: In documento vtriusque naturæ Angeli & ei ministrasse, & cōfortasse eum dicuntur. Creator enim creaturæ suæ non eguit præsidio; sed homo factus: sicut propter nos tristis est; ita propter nos confortatur. Et Epiphanius similiter: Insilientes, inquit, verbi captores statim tanquam occasionem contra inimicum adepti, addentes aiunt: Cernis quia egebat auxilio Angelorum, confortabat enim eum Angelus (in agonia namque ipse factus est) & nesciunt, quia nisi haberet hæc omnia: & illud, Non mea voluntas, sed tua: & nisi fluctuaret, & nisi sudor ei factus fuerit ex corpore profluens; vtiq; putatio Christi carnalis aduentus, & rationabiliter à Manichæis, & Marcionistis, quæ secundùm phantasiam est æstimatio, cassa cantatur, & non verisima. Hæc autem omnia præmuniens, vitam nostram dispensatiuè suscepit, quasi humanæ ægrimoniæ narrationes habens, & non simulatione sed veritate dixit: Non mea voluntas, vt ostendat carnis substantiam veram, & redarguat eos qui dicunt, mentem humanam eum non habere: itémque redarguat eos, qui non dicunt carnem eum habuisse. Omnis enim diuinus sermo, stans inter filios tenebrarum, redarguit tenebras, illuminat autem filios veritatis. Cerne verò quanta vtilia sunt in isto sermone. De incorporalibus non procedit sudor: dum verò hoc fieret, ostendit veracem carnem, & non æstimationem ex carne in deitate coadunata: citra animam & mentem non fit agonia: fluctuantem eò ostendit animam & corpus & mentem in vnum gerere, vnde agonia fiat. Itemque cùm dicit: Non mea voluntas, sed tua, ostendit verè mentem humanam, sed sine peccato. Hæc Epiphanius. Qua autem consolatione, aut qua spe Angelus illum solatur? non alia certè quàm illa, quæ olim prædicta est ab Isaia propheta: Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Pro eo quod laborauit anima eius, videbit & satiabitur. In scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est, & ipse *Isaiæ 53.*

Psalm. 21. peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit. Et à Dauide: Reminiscentur & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ. Et adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium. O memorabilem bonis omnibus hortum, in quo lætitia contristatur, fortitudo timet, virtus deficit, maiestas confunditur, altitudo humiliatur, & gloria extinguitur, consolatórq; vniuersæ naturæ solatium quærit. Et hæc quidem Ioseph, dum quærit fratres pro fratribus. Nunc quid vicissim faciant fratres, quid agant, quæ consilia captent, num eadem de Iosephò cogitent, eadémne solicitudine sint, num mutuum reddant, videamus.

IOSEPH.

Gen. 37. PErrexit itaque Ioseph post fratres suos, & inuenit eos in Dothain. Qui cùm vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitauerunt illum occidere, & mutuò loquebantur: Ecce somniator venit. Venite occidamus eum, & mittamus in cisternam veterem, dicemusque: Fera pessima deuorauit eum; & tũc apparebit, quid illi prosint somnia sua. Inuenit Ioseph vir errantem in agro, & interrogauit, quid quæreret? Respondit, fratres meos quæro: indica mihi, vbi pascant greges. Dixitq; ei vir: recesserunt de loco isto, audiui eos dicentes, eamus in Dothain.

EVANGELIVM.

SCIEbat autem & Iudas, qui tradebat eum, locum, quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis. Iudas ergo cum accepisset cohortem, & à Pontificibus & Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, & facibus, & armis: & adhuc eo loquẽte, ecce Iudas Iscariotes vnus de duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladiis & fustibus, missi à Principibus Sacerdotum, & scribis, & senioribus populi. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum dicens: Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite cautè: & qui vocabatur Iudas, vnus de duodecim, antecedebat eos, & appropinquauit Iesu, vt oscularetur eum. Et cùm venisset, statim accedens ad Iesum, dixit: Aue Rabbi, & osculatus est eum. Iesus autem dixit illi: Amice ad quid venisti? Iuda, osculo filium hominis tradis? Iesus itaque, sciens omnia, quæ ventura erant super se, processit & dixit eis. Quem quæritis? Responderunt ei: Iesum Nazarenum. Dicit eis Iesus: Ego sum. Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum ipsis. Vt ergo dixit eis: Ego sum; abierunt retrosum, & ceciderunt in terrã.

Iterum

Iterum ergo interrogauit eos, quem quæritis? Illi autem dixerũt: Iesum Nazarenum. Respondit Iesus: Dixi vobis quia ego sum. Si ergo me quæritis, sinite hos abire, vt adimpleretur sermo quẽ dixit: Quos dedisti mihi pater, non perdidi ex eis quenquam. At illi tunc accesserunt, & manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum. Videntes autem hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, si percutimus in gladio? & ecce vnus de circumstantibus ex his, qui erant cum Iesu, Simon Petrus habens gladium extendens manum, eximit gladium suum, & percussit seruum principis sacerdotum, & amputauit illi auriculam eius dexteram. Erat autem nomen seruo Malchus. Respondit autem Iesus & ait: Sinite vsque huc: & cùm tetigisset auriculã eius, sanauit eum. Dixit ergo tunc Iesus Petro: Conuerte gladium tuum in vaginam in locum suum; omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. Calicem quem dedit mihi pater, non bibam illum? An putas, quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquàm duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo adimplebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri? Et in illa hora respondens Iesus dixit turbis, & ad eos qui venerant ad se Principes Sacerdotum, & magistratus templi & seniores: Tanquã ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me. Quotidie eram apud vos, sedebam in templo docens, & cùm quotidie vobiscùm fuerim in templo, non extendistis manus in me, & non me tenuistis: sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Hoc autem totum factum est, vt adimplerentur scripturæ Prophetarum. Tunc discipuli eius relicto illo omnes fugerunt. Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo, & tenuerunt eum. At ille relicta sindone nudus profugit ab eis. Cohors autem & tribunus & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & ligauerunt eũm, & adduxerunt ad Annam primùm. Erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius. Erat autem Caiphas qui consilium dederat Iudæis, quia expedit vnum hominem mori pro populo. Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, & alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici: & introiuit cum Iesu in atrium pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiuit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum. Dicit ergo Petro ancilla ostiaria: Nunquid & tu ex discipulis es Domini istius? Dicit ille: non sum. Stabant autem serui & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant

bant se. Erat autẽ cum eis & Petrus stans, & calefaciens se. Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis, & de doctrina eius. Respondit ei Iesus: Ego palam locutus sum mũdo. Ego semper docui in Synagoga & in templo, quô omnes Iudæi conueniunt: & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt, quid locutus sum ipsis: ecce hi sciunt, quæ dixerim ego. Hæc autem cùm dixisset, vnus assistens ministrorum dedit alapam Iesu dicens: Sic respondes pontifici? Respondit ei Iesus: si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo. si autem benè, quid me cædis? Et misit eum Annas ligatũ ad Caipham pontificem.

Meditatio Secunda.

INdicat vir iste ex animo, Iosepho fratri, fratres: adest sceleratæ turbæ sceleratior dux Iudas, domesticus lupus, homo pacis, conuiua, qui dulces simul hac eadem vespera manducabat panes: vnus de numero non de merito discipulorum, lupus ouina pelle contectus, & inter oues alto patrisfamilias consilio toleratus: adest autem non solus, sed cum cohorte & ministris, cum gladiis & fustibus & armis: Incumbit enim virtuti seculi, qui desperat de auxilio Dei, dicebat Hieronymus: non tam vt indicet, quàm vt fratrem fratribus prodat. Constituitur locus & tempus fraudis: dux sceleris progreditur: pro indicio, osculo & salutatione, more veteri sæuiore omnibus telis, vel simulatæ reuerentiæ causa, vel maioris fraudis gratia, abutitur. Quo enim alio signo debuit agnosci & tradi magister amoris, quàm symbolo dilectionis? Aue inquit, Rabbi, & osculatus est eum. Pignore amoris, inquit Origenes, vulnus infligit pacis, instrumento mortem irrogat: osculum aulicum aut hypocriticum potiùs: osculatur à doloso, qui dolũ non fecit: à mendace veritas, ab hypocrisi ipsa synceritas. Et impletum est illud: Homo pacis meæ in quo speraui, magnificauit super me supplantationem. Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula. Corripiet me iustus in misericordia, oleum autem peccatoris non inpinguet caput meum. Apertè odisse, quàm fronte occultare sententiam magis ingenuum esse, testatur ethnicus homo. Fœdum scelus hypocrisis, quæ aliud dicit, aliud facit: & in qua tanquam in vulpe nihil præter extremam pellem bonum est. Se tamen nihil inuito & inscio fieri, indicat noster Ioseph, dũ & fraudem, Iudæ denuntiatione, & vim, turbæ casu & prostratione prodit: (Amice, inquit, ad quid veniſti?) boni patris bonum verbum. Cum eo, qui oderat pacem loquebatur pacificè: Amice, non qui me diligas, sed quem

Psal. 40.
Psal. 54.
Psal. 140.

ego

ego tamen diligo. Ad quid venis: si amicus, quorsum turba? si inimicus, quorsum osculum? hæret buccella mei panis in ore tuo: cur tanta amicitia abuteris, & non potiùs vteris, ô Iuda? nuper Apostolus, nunc proditor: nuper princeps ecclesiæ, nunc princeps latronum: non Apostolici ordinis societas, non sacramentorum communio tibi denegatur; clementia inuitat, salus pulsat, ad vitam vita te reuocat: non latent tuæ artes: patent tua consilia: osculo tradis filium hominis, osculo amaro, osculo insidioso, osculo inimico, me sciente & volente; imò cum æterno Patre ita iubente & ordinãte, fiunt hæc omnia. Quod vt & tu, & alii omnes intelligant, indicium tuum, osculum tuum, salutatio tua irrita est: prodis & lateo: tenes & non capior: trador & offeror, meo potiùs Patrísque æterni consilio, quàm tuo scelere aut indicio, idque tua causa; si modò amicus potiùs quàm amicitiæ simulator esse velis: Non est consilium contra Dominum, nisi in caput proprium: non tuis fraudibus talis oblatio debetur: Conuertere, pœnitentiam age, confiteâre, peccaui tradens sanguinem iustum; quod tamen paulò pòst necquicquam facies. Minus est peccatum tuum, quàm vt veniam mereri non possis: Volo, Mundare: Saluus fis: Remittũtur tibi peccata multa, modò diligas multùm; & vbi abũdauit iniquitas, superabundet charitas. Reliquias sanguinei sudoris & vestigia tui causa largè effusi, aspice, & adora: adest qui te collapsum subleuet, modò velis: nõ enim es ex illo animaliũ genere, quod vbi semel ceciderit, iterum se non potest subleuare: Confecta sunt omnia. Amice: Molle verbum emollit animũ, conuertere & pœnitentiã age.

Prouerb. 21.

Matth. 8.

Lucæ 7.

Quid ad hæc Iudas? tacet. Cur ita? Amori pecuniæ, vilis omnis affectio: Mala mens, malus animus: insanabile vulnus, nec austeris medicinis obedit nec demulcentibus. Comprehensus est peccator in consiliis suis: Incidit in foueam quam fecit: Mentita est iniquitas sibi. Perditio ergo tua ex te ô Iuda, salus autem ex Deo tuo.

Psal. 26.

Conuocent similiter licèt Ariani Synodos suas: conspirent, sexcentis fœderibus muniant capita sua: mille conscribant libros contra Dominũ & contra Christum eius; capientur tamen ipsi in consiliis suis: in laqueum quem parant, incident ipsi. Verùm & inter nos non pauci Iudæ reperiuntur: quem verbis accusamus omnes, imitamur plerique. Quid enim illæ Simoniæ, quid vsuræ, hypocrises, quid sacramentorum profanatio, indignúsque vsus, quid auaritia immensa, doli, fraudes, licitationes, pauperum ac Ecclesiæ bonorum direptiones, aliud sunt, quàm Iudæ artes? Effecitq; diuina virtus, vt omnis illa significatio Iudæ irrita ac vana esset: nec aliquid earum rerum quas faciebat Iudas, quisquam cernere potuerit: non faces, non laternæ, profuerint quicquam: Cæca enim esse nocentium consilia, inquit Statius: semper timidum scelus: Sole non lucente nox est: etiamsi reliqua omnia luceant sidera, etiamsi omnes faces omnia lumina accendantur, inquit Clemens Alexandrinus: Christus non agnoscitur, nisi ipse luceat: Et in lumine, inquit, tuo videbimus lumen. Ac ne ipsum quidem ad extremum Iudam rectè Dominum agnouisse,

uisse à quibusdam traditum est.

Vt autem irritas fraudes proditoris esse docuit; ita deinceps demonstrat, neque vim, neque præsidia vlla contra se quicquam valere posse, nisi quantum ipse velit & permiserit. Offert seipsum, ac inquit: Quem quæritis? Respondent illi. Iesum Nazarenum. Saluatorem se quærere dicunt perditi homines, qui infert: Ego sum. Eunt isti retrorsum, & cadunt in terram, ac tanquam puluis à facie venti disperguntur. Quid nunc profuerunt faces, quid laternæ, quid fustes, quid arma? Erat lux vera, & tenebræ eam non comprehenderunt. A facie Domini mota est terra, à facie Dei Iacob. Qui conuertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum. Tangit ille montes, & fumigant. Vadent & cadent retrorsum, inquit Isaias: Et conterentur, & illaqueabuntur, & capientur. Et factus est illis Dominus, ita vt prædictum fuit, in lapidem offensionis & petrã scandali. Quid faciet iudicaturus, qui hoc iudicandus fecit, inquit Augustinus? Casus hic, casum Iudaicæ gentis ostendebat. Simili ruina aliquando cecidit Lucifer, nec erectus est: sic Pharao, sic percussus à Dauide Goliath, Achab item, & post Manichæus, Arius, Sabelius, Macedonius, & alii infiniti. Tali casu ne cadamus vnquam, precemur hunc ipsum Iesum Christum omnes. Erexerunt se isti, erigat item & Ariana perfidia; & quos mœror, pauor, oratio, sudor, agonia Christi deiecit, vt solum hominem esse credant, hæc ipsa tanta virtus, quæ istos strauit, erigat & corrigat. Cecidit Iudas, & non est, qui subleuet eum. Iterum se offert fratribus iustus Ioseph. Quem quæritis? inquit. Inclamant isti: Iesum Nazarenum. Nouerant esse Dominum, vt ipse paulò pòst dicit: Quotidie vobiscum eram in templo, & non me tenuistis: sed qui eos in terram deiecit, idem oculos eorum obcœcauit, ne eum agnoscerent, vt constet oblatum esse, quia ipse voluit. Respondet ille: Dixi vobis, quia ego sum. Iisdem verbis aliquando vsus est ad discipulos: Ego sum, nolite timere. sed non eodem euentu: nã illos quidẽ ea verbi virtute excitauit; hos vt merebantur deiecit. Si ergo me quæritis, sinite hos abire: vnus enim quem quæritis, pro omnibus saluandis abundè sufficit. Nec enim Christum decuit, simul & Petrum, & Ioannem, aut Iacobum, pro salute hominum pati. Crucifixi tamen cum eo fuêre duo, sed duo nequam, de quibus nulla posset prorsus suspicio haberi, tanquã per eos quæ deessent passionibus Christi, adimpleri possent. Ea enim hostia, sicut sola profecit, sic sola suffecit. Si ergo me quæritis, sinite hos abire. Captus impat: vinctus vincit: traditus tenet: in medio inimicorũ dominatur: suorũ obliuiscitur nunquam; vt impleatur sermo: Quos dedisti mihi pater, nõ perdidi ex eis quenquã. At illi tum demùm vbi ipse voluit, accesserũt, & manus iniecerũt in Iesum, & tenuerunt eum. Philistiim super te Samson, ô fortissimè Samson. Nõ illos absterruit à te, quòd in hora apprehensionis tuæ, omnipotenti brachio tuo, terrę eos allisisti, non quidem defensionis causa; sed vt cognosceret humana præsumtio, nihil se posse aduersum te, nisi permitteretur à te. Susceperunt me inquit Propheta, sicut leo paratus ad prædam. Semitam meam circumsepserunt

Psal. 113.
Psal. 143.
Isaiæ. 28.
Isa. 8.
Ioan: 17.
Psalm. 16. *b.* 19.

cumsepserunt, & transire non possunt. Impias ergò furentium manus non immisit in se Dominus, inquit S. Leo, sed admisit, ne præsciendo quod faciendum esset, còégit vt fieret: non egit, vt hoc velint; sed cessit vt possint. *Leo ser. 16. de passione.*

Petrus interim fortium promissorum memor, casu istorum credo erectus, animoque confirmatus; primùm, ne quid temere feciſse videatur, quærit, an percutiendum sit gladio? Nec expectato tamen responso: Fortis enim est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: educit gladiū, quem fortè vsus communis causa portabat, ac serui principis Sacerdotum auriculam amputat dextram. Mihi credite, caput voluit, caput petiit. Petrus enim semper, & vbique Petrus, id est fortis, dominique sui amans, Moyses alter, Phinees alter: sed moderante ictum domini mansuetudine, tantùm dextram illius auriculam amputauit. Infame magis vulnus quàm periculosum; quod tamen ipse Dominus benignè curat, Petrúmque triplici reprehensione reprimit, vt qui præceptum Domini trãsgressus esset: primò, quòd qui illegitimè, autoritate priuata gladium sumunt, gladio pereunt. Quam quidem legem pro innocenti sanguine, contra perditos homicidas, quartò iam in lege Dei repetitam audimus. Contra Cain in lege naturæ ante diluuium primùm: Sanguis fratris tui clamat contra te. Quod vbi ille audiuit; mox debitam facto suo ipse pœnam adiungit: Ecce qui inueniet me, occidet me. Deinde post diluuiũ: Qui effuderit sanguinem, effundetur sanguis illius. In lege autem scripta: Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur. Item, Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias; ab altari meo auelles eum, vt moriatur. Et paulò pòst: Sin autem mors eius fuerit subsequuta, reddes animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore. Vltimò hoc loco: Qui gladium accipit, gladio peribit. Quam legem in posterum omnes gentes, ac si ipsius Dei ac naturæ manu conscriptam secutæ sunt. Habes ergo & tu Stephane Rex, paratum ac voce Dei probatum contra homicidas decretum. Caue igitur, ne ad dexteram, vel ad siniſtram declines: néue aut iustior, aut magis misericors quàm Deus sit, esse velis; si diu felix regnare cupis. Quid ad hæc lex illa Sarmatica? Nos tamen vigorem illum temperantes &c. Quid hoc est? debilitas intellectus, licentiæ laxamentum, audaciæ portus, innocentis sanguinis proditio. Qui ergo sumit autoritate priuata gladium, gladio pereat. *Cant. 8.* *Exo. 21* *Matth: 26* *Kazimirus Visliciæ 1368. fol. 22.*

Reprimit secunda ratione Dominus Petrum, quòd hoc modo ordinationi diuinæ, cui in omnibus tam secundis quàm aduersis parendum esse docet scriptura, resistat: Calicem quem dedit mihi pater, non vis vt bibam? Vltimò, quòd superfluam eam sumat operam, cùm aliundè longè maiora, firmioráque longè, habere possit præsidia. Angelis enim suis Deus mandauit de illo, vt custodiant eum in omnibus viis eius. An putas, quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi plus quàm du-

4 Reg. 19. odecim legiones Angelorum? cùm vnus contra cētum octoginta quinq. millia, tempore Senacherib Regis suffecerit: Verùm, tolerando plus vincimus, quàm feriēdo. Pulcherrimè igitur Gregorius Nazianzenus adhærendum esse potiùs Deo, quàm pro illo importunè pugnandum hoc elegantissimè docet:

Θεῷ δὲ πλεῖον ἔξέχε, ἢ προστάτᾳ.

Hoc est:

A Deo autem magis pende, quàm eius causam defendito.

Et zelus quidem conseruandus est; vindicta tamen legitimæ potestati vbique relinquenda. Videre autem licet Pontificem bonum, in mediis etiam periculis à salutari doctrina non abstinere. Fecit hoc idem po-

Act. 16. Paulinus Episcopus Nolanus. stea Paulus in carcere: fecit Petrus in vinculis: fecit seruus & captiuus Paulinus: fecerunt multi alii, in variis generibus tormentorum. Nos autem, ne in sinu quidem ipsius prosperitatis, ac omnium vitæ commoditatum aliquid tale audere volumus.

Represso Christus tumultu, obiurgato Petro, conuertit se ad turbas, & principes, magistratusque templi, & seniores populi, eosque denuo fundit, idemque illis, quod paulò antè Iudæ & cohorti demonstrat: nihil nimirum eorum arbitrio, aut consilio, sed omnia voluntate & ordinatione patris, in ea tota causa fieri. Nam & in die festo, eoq; celeberrimo, maximáque populi frequētia, quod paulò antè in consilio Caiphæ faciendum sibi esse non censuerunt, eum comprehendunt: & quem putabant fugiturum, ille se sponte offert: & cùm minimè sperabant, tum voto suo potiuntur. Tanquam, inquit, ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me: Quotidie eram vobiscum in templo docēs, & non me tenuistis, nolente me, quamùis toties frustra tentaueritis; sed ne nunc teneretis quidem: Sed hæc est hora vestra, hora noctis, æterni patris consilio fixa, & potestas tenebrarum, ad tempus vobis concessa, quam vel istæ tenebræ, in quibus venistis, isti titiones, istæ faces & laternæ, cum quibus me circumstatis, designant ac repræsentant. Non exultet igitur victrix malitia in scelere. Cœleste sacramentum pedibus quis conculcat: pulsat sacerdotes, ministros Dei: templa & altaria disiicit ac profanat: sacris abutitur vasis: sanctos ridet: matrem Dei insectatur: filium Dei blasphemat ac ostentui habet: Deum trinum & vnum impia sceleratáque voce, pennaque proscindit ac notat; laudatur tamen, honoratur, colitur. Non exultet nihilominus scelus in victoria: permisit hæc Deus peccatis nostris merentibus ita fieri: eleuatur iste, vt allidatur: prospe ratur, vt pereat. Hæc est hora sceleris, hæc interitus istorum, hæc potestas tenebrarum, qualem nunc istorum fuisse testatur saluator.

Tum discipuli eius, relicto illo, fugerunt omnes. Quorum notæ sunt felicibus temporibus voces: Quo à te ibimus? verba vitæ habes. Sed placebat sic illi, qui relinquebatur: nemo in cœna illum reliquit, præter proditorem: nemo in periculo adfuit, præter eundem inimicum: sic mundi est

constantia

constantia & fides. Et impletum est illud: Elongasti à me amicum & proximum, & notos meos à miseria. Sed & nunc, non semel sed toties, in medio item inimicorum suorum proditũ. A pastoribus primùm, horúmq; ipsorum Apostolorum successoribus, qui vident lupum venientem, & fugiunt, & deserunt oues: in ouilibus suis non resident: in siluis pisces, in fluminibus ceruos venantur. Deseritur similiter à regibus & principibus tepidis, qui cultum eius produnt: causam viduæ & aduenæ non iudicant: qui personam in iudicio accipiunt: potenti non resistunt: imbellem autoritate & iudicandi difficultate terrent: munera super innocentem cum Iuda accipiunt. Sed & populi ipsi eum relinquunt, dum sacra & cultum eius negligunt ac contemnunt: sacras ceræmonias rident: templa deserunt: festinat quisque in domum suam: domum autem Dei vacuam deserunt: ministros eius spernunt: quæ Dei sunt Deo, & quæ Cæsaris Cæsari non restituunt: Iudæos gentem peruersam fouent: opes paganicas crescere patiuntur: suos improbos mores non corrigunt: variis hæresibus se inquinant. *Psal. 89.* *Aggæi 1.*

Cohors autem, ministri, & tribunus Iudæorum, comprehenderunt IESVM, & ligauerunt: vinitores improbi hæredem vineæ, serui Dominum, operarii patremfamilias ipsum. Ligatur, per quem soluenda omnium erant vincula, & reparanda libertas: Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Ligant eum à quo solui potiùs velle debuerunt. Irruunt in lumen verum filii tenebrarum, & vtentes faculis atque laternis, non euaserunt infidelitatis suæ noctem, quia non intellexerunt lucis autorem: Occupant paratum teneri, inquit S. Leo: & trahunt volentem trahi: qui si vellet obniti, nihil quidem in iniuriam eius impia manus posset, sed mundi redemtio differretur, & nullum saluaret illæsus, qui pro omnium salute erat moriturus; vt faceret de nescientibus voluntatem suam. Hæc ille. Irruunt ergo, vt dixi, in lumen verum filii tenebrarum. Milite præsidiario nihil iniustius: nihil ministro sacerdotis insolentius. Quid ita? Otium & cibus alienus. Impletúmque est illud: Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me. Nimis laxas primi parentes nostri habuerunt manus, totaque eorum propago: vinciuntur nunc secundi Adam manus; vt in posterum nostræ continentiores sint: ligantur non tam funibus quàm peccatis nostris; vinciamur & nos funibus mandatorum eius. Et tum impletum est illud Iob: Conclusit me Deus apud iniquum, & in manibus impiorum dereliquit me. Nequaquam igitur, vt solent fortes, mortuus es fortissime Abner: manus tuę ligatæ sunt: pedes tui compedibus aggrauati: ferrum pertransiuit animã tuam. Spiritus oris nostri, Christus Dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus, in vmbra tua viuemus. Soluas tu vincula cordis nostri, in quem funes peccatorum nostrorum ceciderunt. *Leo ser. 8. de passio.* *Psalm. 21.* *2 Reg. 3.* *Psal. 114.* *Tren. 4.*

Tenetur igitur iustus Ioseph, hæret in manibus fratrum suorum: ducitur ille, qui cœlos cœlorúmq; orbes regit & mouet; portatur arca Deo plena ad Philistæos: nec tam ducitur, quàm contumelioſissimè & insolen-

Lucæ 3. tissimè trahitur & vexatur. Sistiturq; primùm apud Annam, summi Pontificis socerũ,q & ipse vocabatur põtifex:sistitur autẽ honoris potiùs causa,quàm iudicii; vt sic noua præda exhilaratus magnus sacerdos, suauiùs dormiat; vel quòd scelere & vigilia fessi, amplius nocte profunda progredi, tumultum populi declinantes, non potuerunt. Apud Añam (sequimur enim in hac parte D. Ioannem, qui vt solus Añæ meminit; ita quæ apud eum acta aut dicta sunt, solus ex omnibus Euangelistis, quanq̃ alii aliud sentiant,refert; sequimur D. Augustinum,sequimur veterem patriæ sensum & traditionẽ) examinatur, cæditur, miserè abnegatur. Quærit pontifex, quos & quales discipulos habeat: quam doctrinam profiteatur.Probatur apud sacerdotem hostia.Docent sapientes,in omni iusta & legitima, quam pro se reus instituere solet, defensione, hæc tria obseruari debere; vt sit prudens, modesta, & vera. Omnes has moratæ defensionis partes, Christus Dominus conseruat. Respondet prudenter; nã cùm partim de discipulis, partim de doctrina quæsitum esset, cúmque prius illud, ex hoc posteriori pendeat, discipuli inquam ex doctrina, hoc quod caput causæ continebat, verè & honestè defendit: Ego palàm locutus sum mundo: ego semper docui in Synagoga & templo, quo omnes Iudæi conueniunt,& in occulto locutus sum nihil. Testes eos,qui me comprehenderunt appello: qui,vt vides,in hac mea conditione conticescunt. Inimici ergo sint testes & iudices.

Ioan: 18.

Quod mutuum obsecro, tam prudens, tam solida, tam modesta responsio refert? Vnus assistens ministrorum, inquit Euangelista, dedit alapam Iesu dicens: Sic respondes pontifici? exhilarauit hæc alapa inimicum hominem,confudit & perculsit Petrum,& si quis similis amator Domini erat:percellat & nos. Cæditur vinctus: cæditur in domo sacerdotis: cæditur non conuictus. Terráne potuit hoc tantùm & tale sustinere facinus? nihil hoc factu vnquam indignius fuit. nam etsi in simplici quodam reo hoc admissum fuisset; summam tamen ea res haberet indignitatem, hominem vinctum, & non conuictum, nulla parte eius causæ cognita, à vili nebulone temerè cædi. Indignum igitur hoc esset factũ in omni reo: quid in illo,qui peccatum non fecit? in cuius ore dolus inuentus non est? qui splendor & imago est patris, verúsque & vnicus Dei filius, Deus ipse benedictus in secula? sustinuit tamen cæsus,quia ita voluit. Quis eius facti enormitatẽ aliqua ratione explicare possit? Exhorrescit, inquit Chrysostomus, cœlum: contremiscit terra de Christi patientia, de seruorum impudentia. Luxerunt hanc alapam multò antè Sibyllæ: Dabunt Deo alapas manibus incestis. luxit Ieremias: Dabit percutienti se maxillam. luxit Micheas: In virga percutient maxillam iudicis Israèl. Præfigurârunt hanc eandem magni vates & prophetæ. Nam & Micheas in domo Regis Achab, à Sedechia similiter cæsus est. Et Ieremias in domo pontificis eodem modo à sacerdote percutitur; sed non eadem patientia pertulit seruus,qua fert Dominus. Acerbè enim Ieremias,ob eam causam,vel in Deum ipsum inuectus est: Seduxisti me Domine, & seductus sum, quia

1. Pet. 2.

Sibylla.

Tren. 3

Mich. 5.

1 Reg. 23

Ier. 20.

quia factus est sermo Domini in opprobrium. Hic ipse hæres, ipse filius patris, contumeliosè cæditur: nihil horum tamen, verùm benignè & mãsuetè percussorem compellat; non propter illatam iniuriã vindicandam, sed ne tacens videretur malè locutus esse. Si, inquit, malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: doce, me malè dixisse: si autem benè, cur me cædis? Quid ista responsione veriùs, quid mansuetiùs, quid iustius? Qui enim accepit alapam, inquit Augustinus, nunquid vult eum qui percusit, aut cœlesti igne consumi, aut terra dehiscente sorberi, aut correptum dæmonio volutari, aut etiam alia huiusmodi qualibet pœna, vel etiam grauiore puniri? Quid horum per potentiam iubere non potuisset, per quem factus est mundus: nisi patientiam nos docere maluisset, qua vincitur mũdus? Dicet aliquis, cur non fecit quod ipse præcepit? cur respõdit, & non maxillã potiùs præbuit alterã? Quid, quòd & mansuetè respondit, & non solùm maxillã alterã iterũ ꝑcussuro, sed totũ corpus figendũ præbuit in ligno; & hinc potiùs demõstrauit illa præcepta patiẽtię, nõ ostentatione corporis, sed cordis præparatione fienda: fieri enim potest, vt alterã maxillam visibiliter homo præbeat iratus. Quanto ergo melius & respondet vera placatus, & ad perferenda grauiora tranquillo animo est paratus? Cùm tempore passionis, inquit Cyprianus, alapam accepisset à seruo sacerdotis, cúmque ei dixisset: Sic respondes pontifici? aduersus pontificem nihil Dominus contumeliosè dixit: nec quicquam de sacerdotis honore detraxit; sed innocentiam suam magis asserens & ostendens: Si, inquit, malè locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem benè, cur me cædis? *Ierem: 20.* *Ioannis 18.*

Quid ad hæc sacerdos? num ad facinus exhorruit? num furentem seruum represit? num obiurgauit? num grauiùs coërcuit? nihil horum: laudauit credo potiùs, ac honorario aliquo munere ornauit. Quis cœcus nisi seruus meus, dicit Dominus: & ad quem locutum est os meum? *Isaiæ 42* Nullus hostis capitalior Iesu, quàm impius pontifex. Fuit hæc consumatio vniuersi sceleris, in omnem æternitatem domus Israël; ita vt si nihil ad hoc facinus adiectum fuisset; satis iam perfecta fuisset in domo Añæ vniuersa malitia ingratæ gentis: ita vt ratione nulla extremum illud suum excidiũ effugere potuisset: hoc enim innuit non obscurè Micheas: Nũc, inquit, vastaberis filia latronis, obsidionem posuerunt super nos. Cur ita? In virga percutient maxillam Iudicis Israël. Sic in domibus Principum scelera populorum matureſcunt & consummantur. Tenete igitur principes, & vestras & vestrorum manus. Quicquid illi deliquerint, vobis imputabitur: quicquid intriuerint, vobis exedendum est: quicquid admiserint in vnum ex minimis istis, in se admissum putabit hic ipse Iesus Christus. Vos cæditis, si illi cædunt: vos expilatis, si illi expilant: vos opprimitis, si illi premunt. Vos item ministri, aliis potiùs artibus, studia & voluntates vestras, dominis vestris probare contendite, gratiámque illorũ aucupari, quàm istis sceleris & contumeliæ, aliundè potiùs vestra commoda, quàm ex alienis incommodis augere curetis. Ita scelus Adæ, quo *Mich. 5.*

Deo impudenter mendacium obiecit, cùm putat Deo affirmante, serpente autem negante, nequaquam se moriturum, hac alapa secundi Adæ expiatum est.

Examinatus, cæsus apud Añam: nequid malorum desit, à charissimo & animosissimo etiam non agnoscitur discipulo: Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. Petrus ardens amore, secutus est vbique à longè Christum: qui vbi primùm per tenebras permixtus turbæ in aulam venit, aulicísque se permiscuit, frigere cœpit, ad ignem accedit, ab ancilláque ostiaria liberiùs compellatus; (petulans enim res est fœmina, præsertim in domo sacerdotis) vno verbo victus labascit: & ad vnius mulierculæ vocem à proposito excidit: quod idem paulò pòst in domo Caiphæ eadẽ pusillanimitate bis fecit: salua quorundam sententia, idque ex magnis, qui triplicem eam abnegationem, vt & alia quæ apud Añam facta sunt, in domo Caiphæ factam fuisse rationibus confirmant. Nec pugno: luctus enim non pugnæ est tempus. Pertinebat hoc ad plenitudinẽ doloris Christi, vt qui à discipulo proditus est, idem à discipulo ter negaretur, idque pessimo profectu. Nam primùm simpliciter in domo Añæ Petrus negat: pòst in ædibus Caiphæ periurat: vltimò execrationibus se deuouet: quod ipsum species quædam est blasphemiæ. Primus siquidem præcipitii gradus in omni delicto cauendus est; nam reliqua, sponte sua ruunt: in foribus peccato obsistendum; nam ex penetralibus non ita facilè pellitur. Hæc autem ideò euenerunt, vt probetur omnem hominem mendacem esse, solum autem Deum veracem. Quo loco Ariana impietas quid dicet? An non hic est verus Deus, qui in futurum etiam scrutatur corda & renes hominum? quod planè in Petro eueniisse videmus: Priusquam gallus cantabit, ter me negabis, prædixit
Matth. 26. „ Dominus, & factum subsecutum est. Ecce fundamentum ecclesiæ ruit:
„ ecce, inquit Augustinus, columna firmissima, ad vnius auræ impulsum to-
„ ta contremuit. Vbi est illa promittentis audacia, & de se plurimũ præsu-
„ mentis? vbi sunt verba illa? Quare nõ possũ modò te sequi? Animam me-
„ am pro te pono. Hoccine est sequi magistrum, se negare discipulum? sic-
„ cine anima pro Domino ponitur; vt hoc ne fiat, vox ancillæ formidetur? Ecce paradisi cedrum concussam audiuimus, & non euulsam, inquit Gregorius, quatenus infirmis nobis, & de eius concussione nascatur timor, & de eius stabilitate fiducia. Oportuit autem infirmitate circumdari illum, qui omnium infirmitatibus mederi debuit: ter cadere, cui septies & septuagies alios subleuandi potestas datur: ter deprimi, qui triplici diademate insigniendus erat; nè efferatur, ne superbiat, ne oneri tantæ dignitatis succumbat: Atque, vt ait Euthymius, permissus est cadere Petrus, vt ignoscere discat iis quoque qui labuntur, horum imbecillitatem ex sua cognoscens: nam pastor constituendus erat: & vt magnorum factus operator miraculorum, modestior fit: ac sui casus recordatus, Deo rem omnem adscribat. Respexit ergo Dominus Petrum oculis, illi loquens, eum admonet: & inter calumnias sacerdotum,

& in-

& inter falſitates teſtium, inter cædentium & conſpuentium iniurias con ”
ſtitutus, illis turbatum diſcipulum conuenit oculis, quibus eum præui- ”
derat intus eſſe turbandum: & in illum conuerſa eſt veritatis inſpectio; ”
vbi erat cordis facienda correctio, inquit Magnus Leo. Quaſi quædam ”
vox illi inſonaret ac diceret: Quid habes Petre? quin in tuam conſcien- ”
tiam recedis? ad me conuertere, in me confide, me ſequere, meæ paſsi- ”
onis hoc tempus eſt: nõdum tui venit hora ſupplicii: quid metuis quod ”
etiam ipſe ſuperabis? Non te confundat infirmitas quam recepi: ego de ”
tuo trepidus fui: tu de meo eſto ſecurus. Pauentis animũ mox reſpexit, ”
erexit, & in fletus pœnitudinis incitauit. Felices, ſancte Apoſtole, lacry- ”
mæ tuæ, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem ſacri habuêre ”
baptiſmatis. Adfuit enim dextera Domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ laban- ”
tem te priusquàm deiicereris, exciperet: & firmitatem ſtandi, in ipſo ca- ”
dendi periculo recepiſti. Vidit in te Dominus non fidem fictam, non di- ”
lectionem auerſam; ſed conſtantiam fuiſſe turbatam. Abundauit fletus, ”
vbi non defecit affectus: & fons charitatis lauit verba formidinis: nec ”
tardatum eſt remedium abolitionis, vbi non fuit iudicium voluntatis. ”
Citò igitur in ſoliditatẽ ſuam ſe redegit petra, tantam recipiens fortitudi ”
nẽ, vt quod in Chriſti expauerat paſsione, in ſuo pòſt ſupplicio nõ timeret. ”

Et hæc quidẽ in ædibus Añæ pertulit & perpeſſus eſt noſter Ioſeph: Ita ille in domibus pontificũ, ita in domibus ſacerdotũ accipi ac tractari ſolet. Hoc itẽ eodem modo quondã apprehenderant, pdiderant, atq; alligârãt fratres iuſtũ Ioſeph. Nec diſsimili impietate, noſtro ſenectute delirãte ſeculo, capitur, ligatur; ſed & cæditur ab Ariana & reliqua hæretica labe idẽ innocens Chriſtus. Proditur ſimiliter oſculo & blanda ſalutatione, dum principium factum, omnipotentiæ diuinæ inſtrumentum, chariſsimus, dilectus, prædeſtinatus & aſcitus Deus, diuinus homo, plenus Deo, ab iſtis inſidiosè dici ac ſalutari ſolet; idem tamen Deus verus, cõſubſtantialis & coæternus patri eſſe negatur. Proditur autem eidem Synagogæ, iiſdem Iudæis, iiſdem gentibus, qui non melius de illo quàm iſti ſentiunt. Sed & ligantur brachia omnipotentiæ illius, manicis & compedibus Ariſtotelicæ philoſophię ſtringuntur, aut inexplicabilibus Hebraiſmorum tricis impediuntur, cùm omnipotentem diuinitatem eius non plus poſſe aut velle, quàm anguſtus ſenſus vel mens eorum inſana capiunt, homines ſtulti decernunt: nec plus illi fidei habent, niſi quantùm ipſi volunt, menteq. ſua hebeti aſſequuntur. Sed & in maxillam percutitur: nam cùm ipſe palàm ſe locutum eſſe mundo, & in occulto dixiſſe nihil profiteatur, Deum ſcilicet ſe verum, verum item hominem eſse, teſtesque eius ſint Euangeliſtæ omnes, Apoſtoli, Symbola, Concilia, Patres, orbis denique vniuerſus; iſti negant, ac ipſi veritati turpem mendacii colaphum infligunt. Nunc igitur vaſtaberis & tu filia latronis: obſidionem poſuerũt ſuper nos: In virga percutient maxillam Iudicis Iſraël. Ceciderunt iſti retrorſum; cades & tu: perierunt iſti; peribis & tu: veſtigia nulla reſtant horũ; ne tua quidem reſtabunt, niſi reſipueris & pœ-

nitentiam egeris. Quod cùm isti faciunt, Petrus, hoc est sedes Petri, sedes Apostolica, Christo eiúsque veritati vbique adest, quæ tuorum ora impudentia obstruit, auriculas aspidum non valentium audire vocem incantantis sapienter, reserat & obserat: pro Christo pugnat, eiúsque honorem tuetur. Verùm nos ad alia transeamus.

IOSEPH.

Gen. 27. COnfestim igitur vt peruenit Ioseph ad fratres suos, nudauerunt eum tunica talari & polymita: miseruntque eum in cisternam veterem, quæ non habebat aquam.

EVANGELIVM.

Matthæi 26. Mar. 14. Luc. 22. Ioan. 18. ET misit eum Añas ligatum ad Caipham Pontificem: Principes autem Sacerdotum, & omne consilium quærebant falsum testimonium contra IEsum, vt eum morti traderent, & non inuenerunt, cùm multi falsi testes accessissent. Multi enim testimoninm falsum dicebant aduersus eum: & conuenientia testimonia non erant. Nouissimè autem venerunt duo falsi testes: & quidam surgentes, falsum testimonium ferebant aduersus eũ, & dixerunt: Quoniam hic dicit: Nos audiuimus eum dicentem: Possum destruere templum Dei, & in triduo reædificare illud: Ego dissoluam templum hoc manufactum, & post triduum aliud non manufactum ædificabo. Et non erat conueniens testimonium illorum. Et exurgens summus Sacerdos in medium, interrogauit Iesum, dicens illi: Non respondes quicquam ad ea, quæ tibi isti obiiciunt, & quæ aduersum te testificãtur? Iesus autem tacebat, & nihil respondit. Et rursum summus sacerdos, interrogabat eum & dixit ei: Tu es Christus filius Dei benedicti. Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus, filius Dei viui. Iesus autem dixit illi: Tu dixisti: ego sum. Verùmtamen dico vobis: à modo videbitis filium hominis, sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli. Tunc Princeps sacerdotum scidit vestimenta sua dicens: Blasphemauit: quid adhuc desideramus testes? Ecce nũc audistis blasphemiã. quid vobis videtur? At illi omnes condemnauerunt eum esse reum mortis. Et respondentes dixerunt: Reus est mortis. Et tunc viri qui tenebant eum, illudebant ei cædentes: Et expuerunt in faciem eius, & velauerunt eũ, & colaphis eum ceciderunt: palmas autem alii in faciem eius dederunt, & percutiebant faciem

eius

eius, & interrogabant eum, dicentes ei: Prophetisa nobis Christe, quis est, qui te percussit? & alia multa blasphemantes dicebant in eum. Et ministri eum alapis cædebant. Stabant autem serui & ministri ad prunas, quia frigus erat & calefaciebant se. Erat autem cum eis & Petrus stans & calefaciens se. Et exiit foras ante atrium, & gallus cantauit. Exeunte autem ianuam, vidit eum alia ancilla: & rursus cùm vidisset eum ancilla, cœpit dicere circumstantibus his, qui erant ibi: Quia & hic erat cum Iesu Nazareno. Erat autem Simon Petrus stans, & calefaciens se: & post pusillum alius videns eũ dixit: Et tu de illis es. Dixerunt ergo ei: Nunquid & tu ex discipulis eius es? Petrus verò iterum negauit cum iuramento: Quia non noui hominem, & dixit: O homo non sum. Et post pusillum rursus, interuallo facto, quasi horæ vnius, alius quidam affirmabat dicens: Verè & hic cum illo erat; nam & Galilæus est. Et accesserunt, qui astabant Petro. Verè & tu ex illis es; nam & Galilæus es, & loquela tua manifestũ te facit. Dixit ei vnus ex seruis Pontificis, cognatus eius, cuius abscidit Petrus auriculam: Nonnè ego te vidi in horto cum illo? Iterum ergo negauit, & ait Petrus: Homo, nescio quid dicis. Ille autem tunc cœpit detestari & iurare, quia nescio hominem istũ, quem dicitis. Et statim adhuc illo loquente, gallus iterum cantauit. Et conuersus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini Iesu, quod dixerat ei. Quia prius quàm gallus cãtet bis, ter me negabis. Et egressus foras Petrus fleuit amarè.

Meditatio Tertia.

EIT igitur iudicium de iusto Ioseph: quale ne vnquam apud nos fiat, Deum immortalem precor. Probatur agnus à concilio, num sit digna hostia Dei. Congregantur Sacerdotes, principes Sacerdotum, & seniores populi, & scribæ, & vniuersum concilium. In quibus Scribæ, Doctores, legis lectores ac interpretes fuerunt, quam singulis sabbathi diebus, partim in templo, partim in Synagogis populo prælegebant ac interpretabantur. Vnde alii templi, alii Synagogæ Scribæ dicebantur. Congregati sunt principes familiarum, inquit scriptura, vniuersi populi, sacerdotes & Leuitæ ad Esdram scribam, vt interpretaretur eis verba legis: Et in alio loco: Stetit Esdras sacerdos, & lector legis super ligneum tribunal, quod fabricatũ erat, & assumsit librum coram omni multitudine. Quod & ipse Dominus apud Matthæum docet: Omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua

2. Esd. 8.

3. Esd 9.

" noua & vetera. Hoc idem longè fusius explicat Philo: Moris, inquit, fu-
" it sabbatis operam dare philosophiæ, principe antecedente ac docente,
Lib. 3. de vita Moysis. quæ opus facto ac dicto essent, reliquis audientibus. Ex quo nunc etiam
philosophantur sabbatis patrio more. Nam oratoriæ in ciuitatibus scho-
" læ sunt omnium virtutum, quibus humana diuináq; intelliguntur & cor-
" riguntur, Hæc illæ. Neque enim solùm literam legis Moyses, quæ ple-
runque, teste Paulo, occidit, populo reliquerat; sed etiam eius sensum &
interpretationem, quam ille oretenus Iosue successori suo communicauit:
hic senioribus, illi prophetis, isti scribis, manu de manu tradiderunt. Has
traditiones posterior Hebræorum schola, Cabalam appellauit. Nec in-
terpretandæ solum legis potestas penes illos fuit, sed etiam iudicandi:
quod & ex hoc loco & ex aliis multis patet. Et scribæ quidem isti fuerũt.
Principes autem sacerdotum dicebantur illi, qui vicenis quaternis sacer
dotum classibus, seu vicibus à Dauide institutis, singulis singuli præerãt,
vel summo sacerdotio aliquando defuncti erant. Seniores autem erant
populi, in adiutorium Moysi dati, eiusdémque spiritu prædíti. De quibus
Numeri 11: Descenditque Dominus per nubem, & locutus est ad eum, au-
ferens de spiritu, qui erat in Moyse, & dans septuaginta viris: cúmque re-
quieuisset in eis spiritus, prophetauerunt, nec vltra cessauerunt. Reman-
serant autem in castris duo viri, quorum vnus vocabatur Eldad, & alter
Medad, super quos requieuit spiritus; nam & ipsi descripti fuerant, & nõ
exierant ad tabernaculum. Cúmque prophetarent in castris, cucurrit pu-
er, & nuntiauit Moysi, dicens: Eldad & Medad prophetant in castris.
Statim Iosue filius Nun, minister Moysi, & electus è pluribus ait: Domine
mi Moyses, prohibe eos: At ille: Quid, inquit, æmularis pro me? quis tri-
buat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum? Re-
uersusque est Moyses, & maiores natu Israël in castra. Verùm de scribis,
de principibus Sacerdotum, Senioribus populi alii fusiùs, in quibus ho-
Lib. 6. de Repub. Hebræ. mo mihi amicissimus & doctissimus Carolus Sigonius. Congregantur
autem omnes, vt meditata iniustitia fucum accipiat ex consuetis iudican-
di formulis. Fuit autem hoc, quod ex his & tantis colligitur ordinibus,
summum & primum in toto illo populo, vt potè principis ciuitatis, & ad
quam vltimò ex omnibus aliis omnia referebantur, tribunal atque consi-
liũ, Hebræis Gazit siue Hierosolymitanum, Græcis συνέδριον & cathedra,
latinis concilium, Talmudistis Sanhedrin dictum, à quo nulla cuiquam
prouocandi dabatur potestas, ac omnium reliquorum municipalium iu-
diciorum finis, & vltima obsignatio. Quòd clarè ipse Dominus significat:
Audistis, inquit, dictum esse antiquis: Non occides: qui autem occiderit,
reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri
suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit consi-
lio: qui autem dixerit Fatue, reus erit gehennæ ignis. Quibus verbis si-
gnificauit maiores causas ad concilium adduci solitas esse, quemadmo-
dum ad iudicium minores. Porrò gehenna, executionum & supplicii lo-
cus fuit, quò cadauera damnatorum cremanda proiiciebantnr. Consti-

tuebatur

tuebatur verò concilium hoc (ſalua & integra lege ac Repub.) ex Rege primùm cum principibus populi, ac ſeptuaginta ſenioribus, pontifice ac principibus ſacerdotum, & ſcribis. Voco autem principes populi, duodecim principes Tribuum, qui Regi aſsidebant. Seniores verò ipſos, quos dixi ſeptuaginta populi ſenatores. Quod ne ipſi ex noſtro ſenſu dicere videamur, iuuat paucis totam eius concilii rationem ex Talmudiſtis, referente Galatino, adſcribere. Tempore quidem Moyſis Dei iuſſu, ſeptuaginta ſeniores prouecti, ac ſcientia probati delecti fuerunt, qui ipſius Moyſis in populi regimine coadiutores eſſent, ad quos & omnes legis difficultates declarare, ac definire, & in rebus grauibus & cauſis arduis iudicare pertinebat. De quibus illud Deuteronomii ſcriptum eſt: Si difficile atque ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris; ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, & ibi nomen eius euoces. Hi autem Sanhedrin vocabantur: & ſedebant in Conſiſtorio Gazit ad iudicandum iudicia animarum: dicebantur quoque Mehokekim, id eſt, ſcribæ ſiue legislatores, eò quòd quicquid tradebant & ſcribebant, tanquam lex ab aliis haberetur. Quorum collegium, ſceptrum datum à ſpiritu ſancto, Iacob domui repræſentabat: & in ipſis ſceptrum ipſum pendebat. Quare non ſolùm ſub regibus & ducibus reſidentes iudicandi poteſtatem exercuêrunt; verùm nullo etiam rege, aut duce apud Iudæos exiſtente, eorum tamen durauit autoritas: cúmque aliquem occidendum iudicaſſent, tota illa die nihil guſtarent. Iudicia porrò de pecuniis, & de rebus mobilibus fiebant per tres iudices: animarum per viginti tres. Nemo autem iudicabat tribum, ſceptrum, pſeudoprophetam, aut ſacerdotem magnum, niſi domus iudicii 71. Iudicum: nec egrediebatur ad bellum, niſi ſecundùm os domus iudicii 70. Iudicum: nec addebant ciuitati, nec ſalariis templi, niſi per eoſdem: nec faciebant Sanhedrioth, id eſt, conuentus Iudicum Tribubus, niſi per eoſdem. Collegium magnum erat 71. Iudicum: minus 23. Erant autem ſeptuaginta ſeniores, & vnus Moyſes. Minor ipſorum Sanhedrin conuentus, non poterat, niſi à 70. maiorum conuentu ordinari. Ipſi namque iudices 70. ordinabant aliorum iudicũ conuentus, qui in aliis ciuitatibus & locis circumquaque populum regebant; hac tamen conditione, vt vnusquisq; cuiusque regionis conuentus, magno maiorum conuentui Ieruſalem, & loco Gazith vocato exiſtenti, ſubeſſet. Iudices autem manuum impoſitione legebantur: ita, vt quinque neceſſarii eſſent, qui id munus præſtarent. Hos verò Sanhedrin Rex Herodes ſuſtulit: inde alii ſubſtituti ſunt, ſed ſine poteſtate ſanguinis. Vnde Pilato reſponderunt: Nobis non licet interficere quenquam. Inde ob falſum Chriſti iudicium, annos quadraginta, antequam templum à Romanis incenderetur, ex Conſiſtorio Gazith expulſi ſunt, & in Hamith conſederunt. Non licebat autem de capite agere, niſi in Gazith. Et facies ſecundùm verbum oris, quod nuntiabunt tibi de loco illo: item, Et ſurges & aſcendens ad locum. Ad extremùm, hi iudices quoq; omnes à Romanis iterum interfecti ſunt.

Deut. 17.

Deuteron. 17.

De eius

Deuteron. 17. De eius autem iudicii vi & autoritate, Moyses ad populum ex Dei præscripto hæc loquitur: Si verò difficile & ambiguum apud te iudiciũ esse perspexeris, inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, leprã & non lepram, & iudicum inter portas tuas videris verba variari; surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniensq; ad sacerdotes leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tẽpore, quærésq; ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem: & facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorum: nec declinabis ad dexteram neque ad siniſtram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imptrio, qui eo tẽpore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille. Quam eandem legem Iosephus sic reddidit: Si verò iudices nesciunt de rebus ad se delatis pronuntiare; integram causam ad vrbem sanctam mittent: & conueniẽtes, Pontifex & Propheta, & Senatus, quod visum sit pronuntient. Et autoritas quidem iudicii ac maiestas illius hæc fuit.

Formula verò intendendi aut repellendi criminis in capitalibus causis erat illa: Intendebatur crimen hoc modo: IVDICIVM MORTIS EST VIRO HVIC, quia hoc aut illud fecit. Repellebatur autẽ illo: IVDICIVM MORTIS NON EST VIRO HVIC, quia illud non fecit, aut quia iustè fecit. Condemnabatur autem reus verbis illis: REVS EST MORTIS. Contrà absoluebatur: NON EST REVS MORTIS. Perorata vtrinque causa, iudicibus suffragia dabantur, qui pro numero sententiarum, decernere solebant & exequebantur ipsi. Vbi verò res ad Romanos redacta est; concilio relicta tantùm est causæ cognitio: sententia & animaduersio erepta, Præsidiq; Romano permissa. Quod nunc in Christi causa fieri videmus. Verùm hæc prolixiùs fortasse, quàm oportuit, non sine causa tamen, de eius iudicii ratione dicta sint.

Magnum igitur fuit hoc concilium, & ex magnis: ita vt nihil inde nisi sanctum, nisi iustum, nisi moderatum, cum legeque Dei & rectæ rationis iudicio coniunctum, expectari possit. Sed vbi improbitas ac prauus affectus pectus obsederit, luménq; diuinum recesserit; tum nulla dignitas, nulla doctrina, nulla ornamenta sunt tanta, quæ nõ plus obsint quàm prosint. Quod nunc in hoc concilio euenire videmus: Obscuratum est aurum, mutatus est color optimus. Nam cùm in omni legitimo iudicio, hæc quinque sapientissimorum hominum testimonio requirantur (si modò iudicium & non prætextus quidam & species tantùm iudicii esse debeat) primùm, crimen certum & definitum: deinde, documenta atque testimonia firma & euidentia: tertiò, distinctæ iudicis, accusatoris, & rei personæ: quartò animus iudicis ab omni affectione & perturbatione liber, ad parcendúmque magis quàm ad sæuiendũ paratus. quod in Areopago fuisse legimus, vbi reo quidem ad sui defensionem tres, accusatori autem ad causæ propositionem duæ solæ dabantur horæ, qua de re multa alicubi Aristoteles: quintò, locus & tempus legitimum atq; liberum,

Thren. 4.

beram,caûſæq. informandæ ſufficiens: néue quid reus mali patiatur,prius quàm conuincatur; ſed iure ſuo gaudeat, ac æqua conditione cum accuſatore ſit. Nihil earum rerum in præſenti iudicio inuenies. Et de crimine quidem paulò pòſt fuſiùs nobis dicendum erit; & vtinam pro rei neceſsitate & dignitate dici poſsit. Documenta certè & teſtimonia nunc primum, vt videtis, quæruntur, nec inueniuntur tamen: & ſi quæ inueniuntur, conuenientia non ſunt, inducuntur falſi teſtes contra iuſtum Naboth, fit captatio in animã iuſti, vt interficiant innocentem. Quod in Suſannæ cauſa itidem aliquando ſimiliter factum fuiſſe legimus. Quo in eodem iudicio accuſator nuſquàm comparet: iudex accuſat: teſtimonia conquirit: reus tacet: vel ſi quid proloquitur,cæditur: aduocati nulli:tumultus & clamorum plena ſunt omnia: princeps iudicii furit,inſanit, tumultuatur, veſtimenta contra legem Dei ſcindit, cœlum terrámque conuiciis & clamoribus complet. Vbi eſt,Caipha(alloquitur iudicem S.Leo,) rationale pectoris tui? vbi eſt continentiæ cingulum? vbi ſuperhumerale virtutum? Myſtico illo ſacratoque amictu ipſe te ſpolias, & propriis manibus pontificalia indumenta diſcerpis; oblitus præcepti illius, quod legeras de principe Sacerdotum: De capite ſuo cidarim non deponet,& veſtimenta ſua non diſrumpet. Quid? quod, & quale tempus? Tempus noctis apud filios tenebrarum, quo vel ipſæ beſtiæ quieſcere ſolent. Solis occaſus,dicebat lex Romana, vltima tempeſtas eſto: hîc caput & principium negotii eſt. Tribunal ac locus negotii quis? domus inimici. Nihil igitur ſanum,nihil integrum, nihil iuſtum & legitimum in hoc fuit conſilio. Figura ſolùm,inquit Chryſoſtomus,iudicii ibi erat, in veritate autem latronum erat incurſus. Cui & quali iudicio,ne vnquam anima ſua interſit, néue illo contaminetur, ante multa millia annorum deprecatur Iacob Patriarcha: Simeon & Leui fratres, vaſa iniquitatis bellantia: in conſilium eorum non veniat anima mea; & in cœtu illorum non ſit gloria mea: quia in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum. Maledictus furor eorum,quia pertinax: & indignatio eorũ,quia dura. In quale item iudicium, ne anima tua ingrediatur vnquam, REX Stephane, Deum precor: etiamſi omne conſiliũ, etiamſi vniuerſus Senatus, etiamſi omnis populus, denique etiam ſi totus illabatur orbis & clamet: Reus eſt mortis; tu tamen reſpondebis: NON EST REVS MORTIS, QVIA IN NOMINE DOMINI NOBIS LOCVTVS EST.

Gene.49.

Quanquam autem hoc iudicium,ita vti diximus iniquiſsimum fuerit, imò iniquitas ipſa; non tamen aut ex nihilo,aut ſine ſpecie aliqua legis & pietatis natum fuit, non ſuo iuſtitiæ aut veritatis prætextu caruit. Habet enim hoc improbitas iſta præſertim Phariſaica, vt cùm plurimùm fallit, tum maximè verax & ſimplex videri velit: cùm maximè noceat, tum ſe vel inprimis prodeſſe ſimulet. Sed quæ tandem hæc legis & pietatis ſpecies fuit: quis iuſtitiæ & veritatis prætextus? Erat atrox lex contra blaſphemos lata: Educ, inquit, blaſphemum extra caſtra, & ponant omnes qui audierunt, manus ſuas ſuper caput eius: & lapidet eum populus vni

L.

uersus, & ad filios Israël loqueris: Homo qui maledixerit Deo suo: portabit peccatum suum: & qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo populi, siue ille ciuis, siue peregrinus fuerit. Qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur. Nec verò hæc lex de solis illis intelligebatur, qui verum Deũ blasphemarent, sed etiam de iis, qui falsis diis aliquando maledicerent: Sic enim paulò pòst eodem loco legimus: Homo qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum: & qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur. Cuius rei causam reddit Cyrillus: Nam si quis Deo quamùis falsò maledicat; gradum fecisse videtur, vnde ad verum Deum blasphemandum faciliùs ascendat. Ideò etiam alibi dicitur: Diis non maledices: quomodo hoc seculo à contemptu Diuorum, processum est, ad contemptum ipsius hæredis atq; adeò ipsius patrisfamilias! Et lex quidem blasphemiæ hæc fuit, grauis satis, vt videtis, & seuera; & meritò quidem. Qui enim detrahit illi, à quo omnia sua acceperit; hic dignus certè est, vt omnia illa, quæ accepit, ab illo auferantur: ad extremum, ne luce ista fruatur, cuius autorem odit, illiq́ue detrahit. Quæ lex, si nostro tempore haberet locum vllum; non multùm nobis hoc præsenti opus esset, in quo nostra versatur oratio, pro diuinitate Christi conatu. Sed hæc omnia turbãt fœda Sarmatica fœdera, illamq́. legi diuinę contrariam legem subrogãt: Si blasphemauerit Deum, siue ciuis, siue peregrinus, siue exul & profugus; etsi Pontifex, vel Rex, in talem animaduertere, aut illi dicam conscribere, eumq́ue appellare voluerit; tum ea causa contra Regem, contra Pontifices sumat plebs lapides, & lapidet eos omnis populus. Egregia capita, Dei populo, gentéque sancta digna. Verùm, hæc querela alterius loci & temporis est. Quemadmodũ autem lege de blasphemia tenebantur, qui contra Deum locuti fuissent: ita etiam qui contra templum Domini & ciuitatem sanctam prophetassent. Vnde ille Sacerdotũ & Prophetarum ad principes & ad omnẽ populũ contra Ieremiam clamor. Qua de re extabat peculiare Cyri Regis decretũ apud Esdrã: Omnis qui hanc mutauerit iussionem, tollatur lignum de domo ipsius, & erigatur & configatur in eo. Cõtinebatur quoq; sub lege blasphemiæ, vel inprimis, si quis se Deum, vel filium Dei esse ꝓfiteretur; non q̃dem simpliciter, aut qualemcunque Deum, Deiq́ue filium, (nam hoc & vsitatum fuit, & omni reprehensione caruit, in ipsaq́ue scriptura sæpius positum inuenitur: Ego dixi, dii estis, & filii excelsi omnes. Vos autem sicut homines moriemini: & sicut vnus de
Isaiæ. 63. principibus cadetis. Et, Deus stetit in Synagoga Deorum. Et, Tu, inquit, pater noster es, & Abrahã nescisuit nos) sed si quis natura se Deum ex vero genitum Deo iactaret, honoremq́ue diuinũ ad se transferret, talemq́; se filium Dei diceret, de quali dicitur in psalmo: Filius meus es tu, ego hodie genui te: hoc est, vnius & eiusdem naturæ & essentiæ, vnius æternitatis, virtutis & potentiæ mecum. In quo sensu paulò pòst vsurpant isti:
Ioan. 19. Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori, quia filium Dei se fecit.

fecit. Quod de adoptiuo filio, vel per similitudinem & gratiam in filium recepto, nullo modo, vti dictum est, intelligi potest: hac enim de re nulla lex fuit. Erat autem vsitatum in crimine blasphemiæ, vt vltra superiùs allatæ pœnæ seueritatem, illud ex more adderent, post decretũ latũ, eum qui damnatus erat, conspuerent, cæderent, omnibus deniq. ludibriis exagitarent omnes; & meritò quidem: dignus enim est omnium odio ille, qui vniuersorum parentem & benefactorem odit: dignus omni infamia, qui autorem omnis honoris non honorat: dignus omnibus omnium sputis, qui factorem suum contumelia afficit, cùm pietas vel ipso lædatur vultu. Cùm igitur ea vis & ratio, vti diximus, legis de blasphemia esset: Christus autem Dominus in tota vita sua, in tota prædicatione sua, in omni denique curriculo doctrinæ suæ, maximè verò ante mortem apud omnes quidem Euangelistas, præcipuè tamen apud Ioannem, nihil aliud magis doceret, magisque inculcaret, ac omnibus argumentis probatum esse vellet; quàm se verum Deum, verumque Dei filium, vnius & eiusdem naturæ & substantiæ cum patre esse: his duobus quasi fundamentis, Iudaica malitia ad perdendum Christum, in hoc ipso iudicio abusa est. Et doctrina quidem euidentissima Christi, qua se verum esse Deum, verique Dei filium, & verbis, & rebus professus est, hæc sparsim apud Ioannem reperitur. Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis. Recordati sunt verò discipuli eius, quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me. Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis? Respondit Iesus, & dixit eis: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo Iudæi: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis sui. Cùm ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat: & crediderunt scripturæ, & sermoni, quem dixit Iesus. Et illud similiter: Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret; vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitã æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum; sed vt saluetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est; quia non credit in nomine vnigeniti filii Dei. Et: Qui credit in filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est filio, non videbit vitam; sed ira Dei manet super eum. Et itẽ: Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. Propterea ergo quærebant eum magis Iudæi interficere, quia non solùm soluebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Respondit itaque Iesus & dixit eis: Amen amen dico vobis: non potest filius à se facere quidquam, nisi quod viderit patrem facientem. Quæcunque enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit. Pater enim diligit filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit: & maiora his demonstrabit ei opera, vt vos miremini: sicut enim pater suscitat mortuos & viuificat; sic & filius quos vult viuificat: Neque enim pater iudicat quenquam, sed om-

Ioannis 5.

Iudicium dedit filio; vt omnes honorificent filium, sicut honorificant
Ioan: 7. patrem: qui non honorificat filium, non honorificat patrem, qui misit il-
Ioan.8. lum: sicut enim pater habet vitam in semetipso; sic dedit & filio habere vitam in semetipso. Et deinde: Hæc est voluntas patris mei qui misit me, vt omnis qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Murmurabant ergo Iudæi de illo, quia dixisset: Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi: & dicebant: Nónne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem & matrem? Quo modo ergo dicit hic, quia de cœlo descẽdi? Et deinde: Clamabat ergo Iesus in templo docens, & dicens: Et me scitis, & vnde sim scitis: & à me ipso non veni; sed est verus qui misit me, quem vos nescitis, ego scio eũ: & si dixero quia non scio eum, ero similis vobis mendax: sed scio eum, quia ab ipso sum, & ille me misit. Quærebant ergo eum apprehendere, & nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius. Et: Tu quis es? Dicit eis Iesus: Principium, qui & loquor vobis. Multa habeo de vobis loqui & iudicare, sed qui me misit, verax est. Et ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo. Et non cognouerunt, quia patrem suum dicebat
Ioannis 8. Deum. Et dixit eis Iesus: Amen amen dico vobis, antequam fieret Abraham ego sum. Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum. Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo. Et iterum: Tu credis in filium Dei? Respondit ille & dixit: Quis est Domine, vt credam in eum? Et dixit ei Iesus. Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait: Credo Domine. Et procidens adorauit eum. Et dixit ei Iesus: In iudiciũ ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant: & qui vident, cœci fiant. Et audierunt quidam ex Pharisæis, qui cum ipso erant, & dixerunt ei: Nunquid & nos cœci sumus? Dixit eis Iesus: Si cœci essetis, nõ haberetis peccatũ:
Ioã.10. nunc verò dicitis, quia videmus, peccatum vestrum manet: Et, Quousq; animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palàm. Respondit eis Iesus: Loquor vobis & non creditis: Opera quæ ego facio, in nomine patris mei, hæc testimonium perhibent de me; sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis: Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis; & non peribunt in æternum: & non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus qui dedit mihi, maior omnibus est; & nemo potest rapere de manu patris mei: Ego & pater vnum sumus. Sustulerunt ergo iterum lapides Iudæi, vt lapidarent eum. Respondit eis Iesus: Multa bona opera ostendi vobis, ex patre meo: propter quod eorum opus me lapidatis? Responderũt ei Iudæi: De bono opere nõ lapidamus te; sed de blasphemia: & quia tu homo cùm sis, facis te ipsum Deum. Respondit eis Iesus. Nónne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi: Dii estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura; quem pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis, Quia blasphemas, quia dixi. filius Dei sum. Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite; vt cognoscatis & credatis quia

tis quia pater in me est,& ego in patre. Quærebant ergo eum apprehendere,& exiuit de manibus eorum. Et similiter: Dixit ei Iesus. Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me,etiamsi mortuus fuerit,viuet: & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi? vtique Domine. Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti. Ab illo ergo die cogitauerunt, vt interficerent eum. Et: Qui credit in me, non credit in me; sed in eum qui misit me. *Ioan: 12.* Ego lux in mundum veni; vt omnis qui credit in me,in tenebris non maneat. Et, si quis audierit verba mea, & non custodierit; ego non iudico eum; non enim veni vt iudicem mundum, sed vt saluificem mundum. Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum: sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die: quia ego ex me ipso non sum locutus; sed qui misit me pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam & quid loquar: & scio quia mandatum eius vita æterna est. Quæ ergo loquor, sicut dixit mihi pater, sic loquor. Quæ illo docente, plebs quidem, tanquam contra blasphemum, ex lege lapides arripiebat: sacerdotes verò principésque populi, tunc demum se colligunt: occasionem sibi datam esse gaudent: paratúmque crimen se habere & causam, cur eum occiderent ex lege de blasphemia lata, arbitrantur, ac ne quid aut ex odio, aut ex inuidia temere fecisse videantur, consilium aliquoties conuocant: mutuò cõsulunt: cum Iuda proditore rem transigunt: cohortem ad capiendum CHRISTVM mittunt: in consilio & iudicio sistunt: causamque blasphemiæ dicere iubent. Huc igitur accusatio omnis refertur, huc causæ cognitio tota, huc documentorũ perquisitio: huc testium & testimoniorum, qualiacunque illa sunt, inductio: huc duo illi nouissimi testes falsa allegantes, & quoad verba, & quoad sensum: Nos audiuimus eũ nouissimè dicentem: Possum destruere tem- *Matth. 26.* plum Dei, & in triduò reædificare illud. Quo non aliud docere voluerũt, quàm eũ vim diuinam ad se transferre voluisse, vt qui tale opus aggrederetur,quod non nisi diuinæ sit virtutis & potentiæ proprium,atq; ,pterea ex decreto Cyri crucifigedũ. Quod idem postea longè clariùs Pontifices ipsi apud Pilatum explicant, non alia scilicet causa illum se perdere velle, nisi quòd se germanum filium Dei diceret: Nos legem habemus, inqui- *Ioan.19* unt, & secundùm legem debet mori, quia filium Dei se fecit. Produxisset autem homines stolidi potiùs ad eam rem verè & seriò confirmandã loco mentitorum testium,Lazarum quadriduanum iam fœtentem, nuper *Ioan. 11* à morte excitatum: produxissent filiam Archisynagogi: produxissent ipsi *Matth. 9.* cœci, cœcum natum noua luce donatum: produxissent septem primùm, *Ioa. 9* deinde quinque millia hominum, quinq; panibus saturata: produxissent *Matthæi 14.* sexcentos alios claudos,surdos,paralyticos dæmoniacos,ab illo curatos; *Mar. 6.* hæc enim omnia diuinæ sunt virtutis, hæc verum Deum Deiq; filium de- *Lucæ 9.* signant; cùm talia signa nemo facere potest,nisi sit Deus cum illo. At in- *Ioa. 6* uidia id facere non pmittebat,ideo non cohærentes malunt adducere testes, quàm veris signis propositum suum demonstrare.

Quæ vbi minus, princeps cõsilii Caiphas, cohærere videt, plenus irarum, ꝑsilit, ac totũ se ꝑdit, ad illudq́; quod primum & vltimũ in hac causa fuit, confessionẽ scilicet facti extorquendã, se confert. Exurgit, vrget reũ: Tu es Christus filius Dei benedicti? Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus filius Dei viui? Quod ille eadem constantia, qua semper, clarè & distinctè, magnoque animo confitetur: Tu dixisti: Ego sum. Quod cùm alios in aliam accepturos partem rectè sciuisset, rem totam explicat, ostendítque hæc quidem in ea sua tam afflicta, vt tum videbatur, conditione, minus verisimilia videri; aliquando tamen tempus futurum, vt id ipsum propria experientia, magno suo malo, ipsi ꝑbaturi sint: A modo, inquit, videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli. Quid his verbis clarius, quid manifestius, quid explicatius dici potuit? ipse enim quem & qualem filium Dei se esse intelligat, interpretatur: eum, scilicet, qui in pari & æqua sit patris gloria: qui ad dexteram eius sedeat: cuius nubes sint ascensus eius: quem constituit Deus iudicem viuorum & mortuorum: cui pater tradidit omne iudicium: qui omnium dictorum factorum & cogitatorum, quod solius Dei, cordium scrutatoris est proprium, rationẽ exposcere debet: ad cuius aduentum, omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis propriis rationem. Videbitis, inquit, iustũ Ioseph, impii fratres, in prima Regis Pharaonis dignitate: videbitis ad oris eius imperium, cunctum populũ obedientem: videbitis constitutum super vniuersam terram Ægypti: annulo regio manus eius decoratas, torque aurea collum, veste byssina totum ornatum, ascendentem super currum eius, clamante præcone; vt omnes coram eo genu flecterent, & præpositũ esse sciãt vniuersę terrę Ægypti. Hoc idem quodam modo, sed non eodẽ modo, in simili iudicio, sed dissimili autoritate, respõdit Ieremias: Ego autẽ in manibus vestris sum, facite mihi quod bonum & rectum est in oculis vestris. Verùmtamen scitote & cognoscite, quòdsi occideritis me, sanguinem innocentem tradetis contra vosmetipsos, & contra ciuitatem istam, & habitatores eius. Multùm interest, seruúsne loquatur an herus, quod cœcitas Ariana non videt. Hic enim dicit: Sanguinem innocentem tradetis. At ille: Videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei. Quod quid, & quale sit, princeps sacerdotũ facto suo explicat: ac quia pontifex anni illius est, cœcos, etsi ipse parum videat, Arianos docet: Tunc princeps Sacerdotum, inquit Euangelista, scidit vestimenta sua: scindebantur enim ex more vestes, in blasphemiæ crimine, quod tamen ne à pontifice fieret, lege vetitum fuit. Et dixit, blasphemauit: vsurpat sibi diuinos honores, Deũ se facit cùm sit homo. Si filius hominis Ariane, vt [illegible]se dicit, quomodo blasphemauit? cur vestem scidit contra legem Cai-

[illegible] Si filius Dei, quod agnoscit Caiphas, cur idem non agnoscis? Idem [illegible]ius Dei, & idem filius hominis, verus Deus & verus homo, vnus in [illegible], duplex in natura.

[illegible]idet Pontifex confessione, gaudet quod voluit se obtinuisse: cau-

sam

Matth. 14. Mat. 26

Matth. 26

Symbolum Athanasii.

Ierem. 26.

ſam tenere ſe putat, triumphat: conſilium compellat. Quid adhuc deſideramus teſtes? Ecce nunc, inquit, audiſtis blaſphemiam: quid vobis videtur? At illi inclamant omnes: Reus eſt mortis. Diſsimile quid factum eſt in eo iudicio, quod de Ieremia inſtitutum fuit: cùm enim ſacerdotes & prophetæ, contra Ieremiam in porta templi, ſimile decretum tuliſſent, eò quòd ruinam templi prædicabat: Iudicium eſt mortis viro huic, quia prophetauit aduerſus ciuitatem iſtam: non idem reſpondit populus: Non eſt, inquit, viro huic iudicium mortis, quia in nomine Domini Dei noſtri locutus eſt ad nos. At hic conueniunt in ſcelere, vt conueniant in exitio. In eam ſententiam deſcendit conſilium omne, gens ſancta, populus quondam acquiſitionis, vinea electa, vt ſuum prodat gentibus autorem: Omnia hæc Chriſti Domini cor exedebant, iniuſtum iudicium, calumnia, quæ etiam ſapientem vincit, ſacerdotum improbitas, populi in malum conſenſus. *Ieremiæ 26.*

Lata ſentẽtia ex more in crimine blaſphemię veteri: ad ſputa, colaphos, ꝓbra, illuſiones ſe conferunt. Quarũ illuſionũ quinq; ſunt partes. Sputa in primis. Et cõſpuerunt eum, inquit Euangeliſta; ipſi ꝓpetua infamiæ ſputa in ſe recepturi. Conſpui extremæ ignominiæ eſſe exiſtimat Iob, iſti faciẽ Chriſti ſui conſpuere nõ ſunt veriti. Retulerũt ipſi paulò pòſt apud Caium pares illuſiones, vt refert Philo Iudæus ipſe. Velauerunt faciem illam quam multi Reges & prophetæ deſiderabant videre: & in cuius die exultauit Abraham, quem iſti nequicquam patrem ſuum dixerunt: digni, vt nunquam propitium & ſerenum eius vultum videant: digni vt nunquam æquis & liberis oculis, quod vſque ad hanc diem illis evenire videmus, quenquam aſpiciant. Oſtende autem tu nobis Chriſte faciem tuam & ſalui erimus. Et colaphis eum ceciderunt: alii autem palmas in faciem eius dederunt, & percutiebant faciem eius. Digni quos percutiat Dñus vlcere peſsimo, & vulnere inſanabili. Et ipſe poſuit faciem ſuam vt petram duriſsimam. Addebant probra verberibus: Prophetiſa nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſsit? & alia multa blaſphemantes dicebant in eum. Digni vt neque Regem, neque Sacerdotem, neque prophetam habeant & audiant vnquam. Blaſphemabant illum; ipſi in perpetuum cum poſteritate ſua, infames futuri & inglorii: Dabo eos, inquit Dominus per Ieremiam, in vexationem afflictionemque omnibus gentibus terræ: in opprobrium, & in parabolam, & in prouerbium, in vniuerſis locis, ad quæ eieci eos. Quod nunc etiam illos vbique ſequi & manere, quamùis tot legibus, tanta magiſtratuum autoritate, tanta gratia, tot opibus & corruptelis muniantur, cernimus. Dominator orbis terræ hæc talia pro nobis ſuſtinet, interrogatur contumeliis, pulſatur iniuriis, vexatur ſuppliciis, conuitiis laceſsitur. Et vidimus, inquit Propheta, eum tanquam leproſum: erat illi ſpecies neque decor: & vidimus eum & non erat aſpe ſiderauimus eum deſpectum, & nouiſsimum virorum. Do uitur, & in talibus vita ſpiritus mei, corripies me, & Expreſsit has omnes ludibrii partes grauiſsimè Sibyll- *Pſal. 79. Matth: 26 Iſaiæ 57. Deuteron. 28. Matthæi 26. Ier. 24.*

Et tunc ebrius Israél non mente videbit,
Non oculis cernet, non auribus audiet ipsis.
Hebræos sed enim summi lymphata tonantis
Cùm petet ira, fide sublata prorsus eorum,
Propter cœlestem, diuino semine cretum,
Offensum per eos puerum: tunc impius illi
Impinget colaphos, viroso; sputa sceleſtis
Israél labiis.

Et alibi.

Ad viroſa genas præbebit sputa pudentes.

Dignum pontificibus, dignum summis sacerdotibus, dignum populo Dei, dignum tanta celebritate & fama, de qua superiùs diximus; consilium atque iudicium. Fraude apud discipulum præceptorem emunt: inermem armati cingunt: non reluctantem ligant: sequi volentem trahunt: innocentem damnant: pro argumentis & tabulis, flagris, colaphis, sputis, verberibúsq; abutuntur. Nemo fit melior, inquit Hieronymus, quàm qui in perfecto ordine profecerit: nemo vicissim deterior, quàm qui in eodem ordine defecerit. Ergo captiuorum libertas ligatur: ergo patris sapientiæ, Angelorum gloriæ illuditur: ergo splendor diuinitatis, speculũ sine macula turpiter conspuitur, & Dñus cœli ceditur. Sed non eo tempore tantùm, hæc & talia, quod tamẽ indignissimum fuit, pertulit: perfert nunc eadem vel similia; si modò non cum maiore contumelia & iniuria coniuncta. Traditur à Simoniacis: illuditur ab hypocritis: conspuitur ab Hæreticis: denudatur ab vsurariis & raptoribus: blasphematur ab impiis, & apostatis. Eius reatu nostra culpa soluta est: eius velamine velamen à cordibus nostris sublatum: illius sputis nostræ sordes ablutæ: eius contumeliæ nostram abstulerunt infamiam: eius vincula nostros soluerunt no-
Psal. 115. dos: liuore eius sanati sumus. Quid igitur retribuemus Dño, pro omnibus quæ retribuit nobis? Calicẽ Dñi similiter accipiamus: & nomen Domini inuocemus. Verùm hæc hactenus. Nũc eò, quò diu iam spectat tota hæc oratio nostra, & quò omnis hic tãtus apparatus ducit, nos cõferamus.

Si Christus Dominus verus est Deus ac consubstantialis, & coæternus patris filius, vti omnes Patriarchæ, Prophetæ, Euangelistæ, Apostoli, Martyres, Virgines, Confessores testati sunt, vitáque & sanguine suo, hoc ipsum testimonium obsignârunt ac subscripserunt: omnia item concilia, patres, tota denique sancta Catholica & Apostolica docet atque confitetur Ecclesia: & vti nunc ipse pleno ore in medio inimicorum suorum per patris sui nomen adiuratus confessus est: tum hoc ipsum iudicium Caiphæ sceleratissimum fuit, vt potè aduersus Christum eius, verum Deum & hominem, ipsumque legitimum hæredem & Dominum, collectum & congregatum: Caiphas improbus & perditus Iudex, consilium malignum, populus nequam: Christus autem Dominus, verus Messias, v[illegible]nediator Dei & hominum, redemptor mundi, imago patris, agnus [illegible]us, hostia & sacrificium æternum, & est & fuit semper: populus

qui

qui illum ſequitur, populus ſapiens, verúsque veri Dei cultor, populus adoptionis, populus Deo chariſsimus, populus ſanctificatus, & emundatus, gens electa, conſors & particeps diuinæ naturæ, filii Dei, hæredes q- *Pſalm. 26.*
dem Dei, cohæredes autem Chriſti. Sin autem Chriſtus Dominus verus Deus, verúsque Dei filius non eſt, vti moderni Iudæi, Machometani, Ariani, ac reliquum Caiphæ conſilium, Ebionitæ, Photiniani, Samoſatenſes impiè mentiuntur, tum hoc quidem iudicium fuit æquiſsimum & iuſtiſsimum, ac iuxta legem Dei factum, vt potè ad vindicandam blaſphemiam inſtitutum: Caiphas pontifex bonus, conſilium ſanctum, decretum iuſtũ ac ſecundùm legem latum: ſputa, colaphi, irriſiones legittimæ: Chriſtus ipſe Dominus non modò non Meſsias, non redemptor, non mediator, ſed ne propheta quidem: peccatum fecit (horret animus referre, dictuq; refugit) dolus inuentus eſt in ore eius: contrà quàm docet vniuerſa ſcriptura, qui ſeipſum toties Deum verum, Dei filium eſt profeſſus, cùm non eſſet: iuſtè & meritò proditus, iuſtè morti addictus, iuſtè conſputus ac colaphiſatus: iurè & legitimè in crucem actus: religio Chriſtiana nulla, aut potiùs mera ſuperſtitio: nos ſtulti & amentes: inanis fides noſtra: inanis prædicatio noſtra: in iisdem ſordibus peccati, in quibus antea, hæremus: Iudæi & Saraceni, quod verum eſt, ipſi ſoli vident, verique Dei ſunt cultores. Deum immortalẽ, quid dico? Siſte igitur gradum, impium Caiphæ conſilium: ſiſte ſcelus; quò enim ampliùs progrediaris, non eſt, vt vides: Cœnum, in quo hæres, non cernis.

Habes, REX STEPHANE, & vtinam non habeas in Regno tuo, atque in vrbe illa Regia tua Cracouieñ, ſede coronationis tuæ, ac Lublineñ, cæteriſque quàm plurimis, Caiphæ ſocium ac cognatum, ex profugis & exulibus, cæteriſque mundi fæcibus, contra DOminum & contra CHRISTVM eius, qui te in REgem elegit, vnxit, ſuumque locum tenere voluit, iam olim magiſtratuum negligentia collectum atque conflatum, tua autem pietate ac zelo domus Domini & religione extirpandum ſynedrium atque conſilium, quod ſententiam in dies ſingulos in ipſum Dei filium iisdem verbis eodémque clamore ferat: Reus eſt mortis, quia filium Dei ſe fecit: conſilium inquam impium, conſilium malignum, conſilium iram Dei prouocans: dignum vt hoc cœno, his ſputis, quibus creatorem & redemptorem ſuum conſpuit, ipſum conſpuatur: his colaphis, quibus cædit, cædatur: his ludibriis, quibus afficit, ipſum afficiatur: his lapidibus, quos in Chriſtum ſuum collegit, obruatur: in crucem, quam illi parat, agatur. Et erit aut tam frigidus quis, aut tam Chriſti ſui parum amans princeps, vel Reſpublica aliqua, quæ hæc ferat? aut erit aliquod tam ſceleratum fœdus, quod tam peruerſo tribunali, aut conciliabulo patrocinetur potiùs quàm illud perſequatur, ſcopíſque profligandum cenſeat? aut tam perdita ſocietas, quæ hos tales ciue[illegible] quotidie crucis decretum in Chriſtum Dominum ferunt, ac mor[illegible] tentiam illis vocibus, tolle, tolle, crucifige, crucifige eum, ſtatu[illegible] nu ſuo foueat, & non pellat potiùs, ac in extremas terras defer

tet; si modò aliqua terra sit, quæ hæc monstra sine exitio suo ferre possit. Habes gemmas & vniones seculi tui, Stephane. Deum immortalem, vbinam gentium sumus? aut quam religionem habemus? aut quid tandem sperare debemus? in media medius fidius Turcia, vix hæc perferũtur. Lex Dei est, vt si fuerit inuentus homo occisus in agro, nec certus sit homicida, deportetur ad viciniorem vrbem, & deprecetur sacerdos & populus pro sanguine innocenter effuso. Iudicatus est & occisus apud nos linguis & calamis istorum ipse filius Dei: nemo tamen facinus persequitur, nemo pro scelere hostiam offert. Propitius ergo esto populo tuo Israël, quem redemisti, Domine: & ne reputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israël. Verùm quis eius rei enormitatem rectè exaggerare possit? Quæ qualia iudicia sint, vel à sceleratissimo Iuda, prima statim luce facilè cognoscuntur & damnantur. Tum videns Iudas qui tradidit eũ, quòd dãnatus esset, pœnitentia ductus, pecuniã qua vendiderat illũ, pretium vile, verè pretiũ calceamenti, vt prædictum fuit per prophetam, quali item venditum fuisse iustum Ioseph legimus, principibus sacerdotum, & senioribus populi restituit, quo palinodiã canit: aduersus seipsum sententiã fert, Peccaui tradens sanguinem iustum. Quæ quidem confessio, Christo quidem Domino fuit debita, Iudæ inutilis, quia ex seruili metu potiùs & infamiæ fuga, quàm ex vera charitate, sine spe veniæ fuerat profecta: in qua agnoscit magnitudinem sceleris sui; sed non agnoscit magnitudinem misericordiæ diuinæ: nec enim pœnitentia illum reuocauit ad Dominum; sed desperatio traxit ad laqueũ. At illi dixerunt: Quid ad nos: tu videris. Non negant, innocentẽ saguinem venditum esse: emptoris & venditoris eandem conditionẽ agnoscunt; nec tamen corriguntur: non eadem saltẽ pœnitentia permouentur, qua ille, Iuda ipso deteriores: Tu videris, inquiũt. Ac si dicerent: vade & suspende te. Digna vox concilio sancto, digna gazophylacio. Qualis pœnitens Iudas, tales consolatorès & magistri, thesauri custodes: sed & exitus ipse. At ille proiectis argenteis, abiit. Facerent hoc saltem Simoniaci ac vsurarii nostri, peculatores item ac patriæ proditores, vt proiiciant argenteos; & pœnitentiam agant. Sed illud expectant, Et laqueo suspendit se, & crepuit medius, ac diffusa sunt omnia viscera eius. Crepuerat diffusis visceribus, vt q viscera charitatis amiserat, amitteret etiam viscera sua: & qui omnia studia eò contulerat, vt multa possideret, etiam ipsa intestina perderet. Pecuniam perdidit: scelus admisit: vitam laqueo finiuit. Vt enim prima fronte peccatum mirè se omnibus commendare ac insinuare solet; ita in recessu ac exitu suo summè terret: diabolo à principio quidem omnia extenuante, in fine autem & exitu in immensum omnia ferente. Nõ enim permittit ille eos, qui non vigilant, videre malum antequam perficiant. Quod idem in Caino & aliis multis accidisse legimus. Ruit animus peccatoris, nisi spiritus sanctus verè Paracletus labentem ac planè iacentem soletur erigat, ac sibi ipsi restituat. Et hic igitur abiens, laqueo, vel tunc, vel paulò pòst, vt

Amos 2.

plerique

pleriq; opinantur, ſuſpendit ſe: crucem pactus eſt, cruce periit. Intelligens enim quantum ſcelus admiſiſſet, non ſufficiebat ei carere ſacrilegii mercede, niſi careret & ſalute. Expectaſſes, inquit S. Leo, conſumationẽ criminis tui, & donec ſanguis Chriſti pro omnibus funderetur peccatoribus, informis lethi diſtuliſſes ſuſpendium: cúmque conſcientiam tuam, tot Domini miracula, tot dona torquerent, illa ſaltem te à præcipitio tuo ſacramenta reuocaſſent, quæ in Paſchali cœna iam de perfidia tua, ſigno diuinæ ſcientiæ detectus acceperas. Cur de eius bonitate diffidis, qui te à corporis & ſanguinis ſui cõmunione non repulit: qui tibi ad comprehendendum ſe cum turbis & armatorum cohorte venienti, pacis oſculum non negauit? Sed homo inconuertibilis, ſpiritus vadens & non reuertẽs, cordis tui ſecutus es rabiem: & ſtante diabolo à dextris tuis, iniquitatẽ, quam in ſanctorum omnium armaueras caput, in tuum verticem retorſiſti; vt quia facinus tuum omnem menſuram vltionis exceſſerat, te haberet impietas tua iudicem: te pateretur tua pœna carnificem. Neque tamen hæc actio, à quo omnis eſt ſalus proficiſcitur: nam quòd Dominus furorem, inquit idem Leo, frementium pati voluit; in nullo autor eorum criminum fuit, nec egit vt hæ vellent; ſed ceſsit vt poſsent: & ſic vſus eſt obcœcatæ plebis inſania, quomodo & perfidia traditoris, quem ab immanitate concepti ſceleris, & beneficiis eſt reuocare dignatus & verbis: aſſumendo in diſcipulum: prouehendo in Apoſtolum: monendo ſignis: conſecrando myſteriis; vt cui nihil beneuolentiæ deeſſet ad correctionẽ, nihil occaſionis ſupereſſet ad crimen. Sed tu impiiſsime homo, ſemen Chanaan & non Iuda, nec iam vas electionis, ſed filius perditionis & mortis, vtiliora tibi diaboli incitamenta credebas; vt facibus inflãmatus auaritiæ, ad triginta argenteorum lucrum inardeſceres: & quid diuitiarum amitteres, non videres. Nam etſi putabas credendum eſſe promiſsis; quæ fuit ratio, vt tantillus pecuniæ modus præponeretur acceptis? Imperabas dæmoniis, & medebaris infirmis, honorabaris cum Apoſtolis: & vt finem tuæ cupiditatis expleres, patebant tibi furta de loculis, ſed animũ interdictorum admonitum, quod minus licuit ampliùs incitauit; nec tam placuit quantitas pretii, quàm magnitudo peccati. Vnde facinus cõmertii tui, non ideo deteſtandũ eſt, quia Dominum viliter æſtimaſti; ſed quia redemptorem etiam tuum, ne tibi parceres, vendidiſti. Et meritò tibi tua pœna eſt commiſsa, quia in ſupplicium tuum nemo te ſæuior potuit inueniri. Quod igitur in tempore præſtituto, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ Ieſus Chriſtus, crucifixus, & mortuus & ſepultus eſt, non propriæ conditionis neceſsitas, ſed noſtræ captiuitatis redemptio fuit. Hæc ille

Leo ſerm. 3.

Leo ſer. 16 de paſſion. Dñi.

Decernitur à præfectis gazophylacii, pecuniam in corbonam non
ſe mittendam, quia pretium ſanguinis ſit, quem ipſi iniquiſsimè comp
runt, agrum ex eo in ſepulturam peregrinorum, iuxta prædictione
phetæ, vt res non careat aliqua pietatis ſpecie, emendum de
Totus Chriſtus nobis datus eſt, cuius etiam pretium nobis ceſ
guine autem iuſto, de anima prodente & mercante ſangu

verbum nullum. Sepulcra dealbata, sepulcris emendis & erigendis nata, impia religione, inquit Leo, pecuniola parua restituta, tanquam perpetuum facinoris sui monimentum, ac contra se testimoniũ erigunt. Cuius cordis est ista simulatio? sacerdotum conscientia capit, quod templi arca non recipit. Refutatur illius sanguinis laxatio, cuius non timetur effusio. Quantislibet ita vos fallaciæ circumtegatis vmbraculis, initum est cum traditore commercium, quo iustum sanguinem sicut non licuit comparari; ita debuit nõ effundi. Ex male quæsito benefacere Iudaicam vocat eleemosynam Chrysostomus: Operiebatis altare meum lacrymis, cõqueritur apud Prophetam Dominus. Non vult Christus rapina nutriri: ingratissima sunt illi talia nutrimenta. Quæstui meretricum hæc talia comparat officia Nazianzenus inquiens:

Malachiæ 2.

Donum Deo gratissimum, mores pii.
Nihil dignius feres, feras vt omnia.
Quod pauper offert, ipse idem fac offeras.
Stipem meretricis Deus non accipit.

Pecunia Simoniaca, qua Christus eiusque dos & hæreditas venditur & emitur, sepulcro & furcæ comparandæ accomodatissima. Vel ipsi non ignoratis, quale plerisq; operæpretium lucellum hoc adferre soleat. Prouidentia tamen Dei factum est, vt pretium saluatoris non peccatoribus sumptum præbeat, sed peregrinis pretium subministret: non sacrilegis sit ad luxum, sed defunctis sit ad sepulcrum; vt iam exinde Christus, & viuos sanguinis passione redimat: & mortuos pretiosa possessione recipiat. Pretio ergo dominici sanguinis ager figuli comparatur. Figulus Deus pater est: nos autem figmentum manuum eius, hic ager figuli emptus est peregrinis ijs, qui sine domo patria toto orbe exules iactantur.

Innocens igitur iustus Ioseph testimonio consilii: innocens testimonio ꝓditoris: innocẽs testimonio gazophylacij: innocẽs testimonio ementium atq; vendentium: innocens omnium qui hactenus eius causam cognouerunt voce. Verè igitur sanguinẽ iustum prodiderunt & effuderunt. Nos autem in pretio sanguinis eius requiescamus & consepeliamur.

Fessi dolis & contumelijs in lectos profunda nocte se conferunt ipsi: vigilat autem ille, cui somnus alius non erat capiendus, quàm in lecto crucis. Repletum opprobriis Ioseph impij fratres in cisternam mittunt, vbi quam, & qualem, & cum quibus traduxerit eam noctem, testatur apud Iobum: Nocte os meum perforatur doloribus, & qui me comedunt, non dormiunt. In multitudine eorum consumitur vestimentum meum, & quasi capitio tunicæ succinxerunt me: comparatus sum luto, & assimilatus sum fauillæ & cineri. testatur apud Dauidem ipse: Probasti cor meum & visitasti me nocte. Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei. Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis, & in puluerem mortis deduxisti me. Quoniam circumdederunt me canes multi, consilium malignantiũ obsedit me. Te verò magne Ioseph, per hanc tuam tristem & amaram noctem, oramus omnes, ne

Iob. 30.

Psalm. 61.
Psalm. 21.

vnquam

vnquam quis noſtrum obdormiat in morte: ne quando dicat inimicus, prævalui aduerſus illum. Sed hæc quidem hactenus.

IOSEPH.

ET ſedentes vt comederent panem, viderunt Iſmahelitas viatores venire de Galaad, & camelos eorum portantes aromata, & reſinam, & ſtacten in Ægyptum. Dixit ergo Iudas fratribus ſuis: Quid nobis prodeſt, ſi occiderimus fratrem noſtrum, & celauerimus ſanguinem ipſius? melius eſt, vt venundetur Iſmahelitis, & manus noſtræ non polluantur; frater enim, & caro noſtra eſt. Acquieuerunt fratres ſermonibus illius. Et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de ciſterna, vendiderunt eum Iſmahelitis, triginta argenteis, qui duxerunt eum in Ægyptum.

EVANGELIVM.

ADducunt ergo Ieſum à Caipha in prætorium: Erat autem mane, & ipſi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, ſed vt manducarent Paſcha. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accuſationem affertis aduerſus hominem hunc? Reſponderunt & dixerunt ei: Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eũ. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eũ vos, & ſecundùm legem veſtram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudæi: Nobis non licet interficere quenquam: vt ſermo Ieſu impleretur, quem dixit. Significans qua morte eſſet moriturus. Cœperunt autem illum accuſare, dicentes: Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram, & prohibentem Tributa dare Cæſari: & dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe. Introiuit ergo iterum in Prætorium Pilatus, & vocauit Ieſum. IEſus autem ſtetit ante Præſidem, & interrogauit eum Præſes Pilatus, & dixit illi: T
Rex Iudæorum? Reſpondit Ieſus: A temetipſo hoc dicis
tibi dixerunt de me? Reſpondit Pilatus: Nunquid eg
ſum? Gens tua & Põtifices tui tradiderũt te mihi, quid
ſpondit Ieſus: Regnum meum non eſt de hoc mund
mundo eſſet Regnum meum; miniſtri mei vtique
non traderer Iudæis: nunc autem regnum meũ n
xit itaque ei Pilatus: Ergo Rex es tu? At ille reſ
Tu dicis, quia Rex ſum ego. Ego in hoc nat

Matth. 27. Mar. 15. Luc. 23. Ioan. 18.

veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cùm hoc dixisset, iterum exiuit ad Iudæos & ad Principes Sacerdotum, & turbas: Ego nihil inuenio causæ in hoc homine. Et accusabant eum summi Sacerdotes in multis. Et cùm accusaretur à Principibus Sacerdotum, & Senioribus, nihil respondit. Tunc Pilatus rursum interrogauit eum, dicens illi: Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? Non respondes quicquam? Vide in quantis te accusant. Iesus autẽ amplius nihil respondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur Præses vehementer. At illi inualescebant, dicentes: Commouit populum docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsq; huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit, si homo Galilæus esset. Et vt cognouit quòd de Herodis potestate esset, remisit eũ ad Herodem, qui & ipse Hierosolymis erat illis diebus. Herodes autem viso Iesu, gauisus est valde. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audiret multa de eo, & sperabat signum aliquod videre, ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. Stabant autẽ Principes Sacerdotum & Scribæ constanter accusantes eum. Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatũ. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die; nam antea inimici erant adinuicem. Pilatus autem conuocatis Principibus Sacerdotum, & magistratibus, & plebe, dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem, quasi auertentem populum, & ecce ego corã vobis interrogans, nullam causam inuenio in homine isto, ex his in quibus eum accusatis, sed neque Herodes; nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei: emendatum ergo illum dimittam. Per diem autem solennem consueuerat, & necesse habebat Præses populo dimittere vnum ex vinctis, quemcunq; petiissent: habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas, qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium. Et cùm ascendisset turba, cœpit rogare, sicut semper faciebat illis. Congregatis ergo illis Pilatus, respondit eis, & dixit: Est autem consuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Pascha. Vultis ergo dimittam vobis Regem Iudæorum? Quem vultis, dimittam vobis Barabbam, an Iesum, qui dicitur Christus? Sciebat enim quia per inuidiam tradidissent eum summi Sacerdotes. Sedente illo pro Tribunali, misit ad eum vxor eius, dicens: Nihil

hil tibi & iusto illi: multa enim passa sum hodie per visum propter eum. Princeps autem Sacerdotum, & seniores, concitauerunt turbam, & persuaserunt populis, vt magis peterent Barabbam, Iesum verò perderent. Respondens autem Præses ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi clamauerunt rursum omnes simul dicentes: Non hunc; sed tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam. Erat autem Barabbas latro, qui erat propter seditionem quandam factam in ciuitate & homicidium, missus in carcerem. Iterum autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere Iesum. Pilatus autem iterum respondens ait illis: Quid ergo vultis faciam de Iesu, qui dicitur Christus? At illi iterum succlamabant dicentes omnes: Crucifigatur, crucifige, crucifige eum. Pilatus verò tertiò dixit ad illos: Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis inuenio in eo. Corripiam ergo illum, & dimittam. At illi instabant vocibus magnis, postulantes vt crucifigeretur, & inualescebant voces eorum, & magis clamabant, dicentes: Crucifigatur, crucifige eum. Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit. Et tunc milites Præsidis, suscipientes Iesum in Prætorio, duxerunt eum in atrium Prætorii, & congregauerunt ad eum vniuersam cohortem: & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei: & plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dextra eius. Et veniebant ad eum, & genu flexo ante eum, illudebāt ei, & cœperunt salutare eum, & dicebant: Aue Rex Iudæorum. Et conspuebant eum: Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius arundine, & dabant ei alapas, & ponentes genua adorabant eum. Exiuit ergo iterum Pilatus, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, vt cognoscatis, quia in eo nullam inuenio causam. Exiuit ergo Iesus foras, portans coronam spineam, & purpureum vestimentum. Et dicit eis: Ecce Homo. Cùm ergo vidissent eum Pontifices, & ministri, clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, & crucifigite; ego enim non inuenio in eo causa[m]. Responderunt ei Iudæi: Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori, quia filium Dei se fecit. Cùm ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. Et ingressus est [prætorium] iterum, & dicit ad Iesum: Vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? Respondit Iesus: Non haberes potestatem

lam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea, qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Iudæi autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris: Omnis enim qui se Regē facit, contradicit Cæsari. Pilatus autem cùm audisset hos sermones, adducit foras Iesum, & sedit pro tribunali in loco qui dicebatur Lithostrotos, Hebraicè autem Gabbata. Erat autem Parasceue Paschæ, hora quasi sexta, & dicit Iudæis: Ecce Rex vester. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices: Regem non habemus nisi Cæsarem. Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua, lauit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum à sanguine iusti huius, vos videritis. Et respondens vniuersus populus, dixit: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Pilatus autem tunc volens populo satisfacere, adiudicauit fieri petitionem eorum. Dimisit autem illis eum, qui propter homicidium & seditionem missus erat in carcerem, quem petebant, Barabbam: Iesum verò flagellatum tradidit eis voluntati eorum. Tunc ergo tradidit eis illum, vt crucifigeretur.

Meditatio Quarta.

IAm tandem Ismaëlitas spectare cœperunt impii fratres Ioseph, hoc est Romanos, Romanumque præfectum Iudæi. Fuit hoc in omni seculorum memoria, duplicem semper & vbique fuisse rerum cognoscendarum & iudicandarū potestatem, duplex tribunal, iurisditionem duplicem: spiritualem inquam, & secularem. Spiritualem quidem, quæ de rebus sacris ad Deum, resque diuinas pertinentibus cognosceret. Secularem, quæ popularia & ciuilia negotia tractaret, ac ea quæ à spirituali iudicio decisa sunt, ipsa exequeretur, legisq; diuinæ vindex & administra esset: illi suppetias ferret, ac quasi succenturiaretur: nisi si quando iidem vtramque hanc potestatem & authoritatem sibi diuinitùs traditam sustinerēt, quod penes hoc consilium aliquando fuisse diximus: pòst tamen vel illis ereptum est, vel saltem cum Romanis, vt videmus, illorum peccatis ita merentibus, communicatū. Cernimus enim Sacerdotes & Pontifices post cognitionem causæ, Christum tr[illegible]re Pontio Pilato, seculari præfecto. Abolere hæc omnia nostro secu[illegible]t, contra omne ius & æquum, omnemque omnium seculorum [illegible]z consuetudinem, fœda licentiæ fœdera: sordet hoc hominibus licentia

licentia ebriis, nihilque præter iudicium & æquum tribunal metuentibus, vt monstra sint, monstraque alant, cum nullaque re conueniant, quæ cum recto ordine rectaque ratione sit coniuncta: ideo spirituali iugo excusso, seculare etiam excutere conantur. Hæret igitur nunc Summus Pontifex noster in pontificũ consilio. Congregantur, vt dicere cœpi, iterum mane ad perdendum innocentem, nocentia pectora. Dignum Aaronico ordine matutinũ. Sic nimirum Dauid: In matutinis meditabor in te. Extrahunt ex cisterna iustum Ioseph: ad lucem orto sole, ne tenebræ nocturnæ cuipiam suspectę sint: sistunt in iudicio: & vt certiùs constet de dicto iam sæpius crimine, cùm ipsius euidentiæ & certitudinis causa, tum longè magis nostræ fidei & institutionis gratia, vt & infidelium conscientię cæderentur, & fidelium corda confirmarentur, illud κρινόμενον de quo totũ iudicium institutum fuit, num scilicet verus Deus Deique filius sit, & in quo totius causæ cardo, vt dictum est, versabatur, iterum repetunt: Si tu es CHRISTVS, dic nobis palàm. Respondit ille, se non semel, sed toties iam dixisse; nec tamen fidem sibi adhibitam esse. Et nunc frustra idẽ dicturum: Si vobis, inquit, dixero, non credetis mihi: si autem & interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimittetis; dissimulare tamen quod verum est, nolo. vtque etiam atque etiam intelligatis, ita vt dixi esse, néue vllam excusationem vel vos, vel progenies vestra in posterum Ariani, Ebionitæ, & cæteræ similes pestes habeant, iterum repeto: Ex hoc autem erit filius hominis sedens à dextris virtutis Dei. Arripiunt isti confessionem: contestantur causam: Tu ergo es filius Dei? Dixit ille, se esse filium hominis: isti autem vrgent: Tu es ergo filius Dei? Quid ita? Quia sedere à dextris Dei nihil aliud esse intellexerunt, quàm parem esse Deo. Respondet ille tertiò: Non modò ipse iam dixi, quia ego sum; sed & vos hoc idem toties me asserente ingeminatis, quod itidem ego palàm confiteor & recognosco, me esse. Concilium demum & vniuersa multitudo populi conclamant, constare de crimine, dignum esse morte, & ideo executionis causa vinctum ad seculare tribunal, hoc est Pilatum ducunt. Ducebantur postea à Simone & Ioanne, seditionis ducibus, ad Titum & Vespasianum, & alios quàm plurimos similiter & isti. Quod idem qu
dam impii fratres iusto Ioseph fecerunt, dum eum Madianitis ve
Longè tamen atrociùs isti. Nam illi seruare vtcunq; voluerunt
fatentur: Quid enim, inquiunt, nobis prodest, vt occidamus
strum, & cælauerimus sanguinem eius? isti volunt perdere
nis tradunt. Debebat ab vtraque gente iudicari, vtramqu
triusque iudex futurus; vt omnes sub eodem peccato co
æquo gratia eius indigerent. Probatur igitur hostia à ge
iudicatur, vel ex ipso tempore. Iam enim ipsi demonst
sceptrum de Iuda, & ducem de fœmore eius, quod i
runt. Non audent autem ingredi in prætorium, ne c
mines nimirum iusti, vt possint comedere Pascha.
rium contaminat, parricidium non? hypocritæ, c

deglutiunt, æternum deinceps verum Pascha non manducaturi. Atqui vos ipsi & prætorium & Pilatum, nouo & inusitato homicidio contaminastis, quem in societatem sceleris vestri vocastis. Ridiculi sanè, qui vt agnum comederent, qui nihil aliud quàm Christi mysterium figurabat, cauent, ne inquinentur: in ipsam veritatem, verum agnum insaniunt, inquit Cyrillus.

Reperit mitiora & benigniora omnia apud Ismaëlitas, quàm apud fratres inuenerat noster Ioseph: & iustificata est Sodoma ex Iudæa. Pilatus enim, vbi videt nouam accusationis formam, captum & vinctum, antequam esset auditus, armata hominum manu duci, prodit foras: omnes iusti & legitimi iudicii leges & conditiones conseruat ethnicus iudex: omnes liberādi rei vias tentat. Crimen primum quærit, sine quo nemo appellari, nemo damnari debet: Quam accusationem, inquit, adfertis aduersus hominem hunc? Benignè satis. Isti autoritate rem causamque obtinere, ac reum potentia opprimere, & sine crimine condemnare volunt. Autoritate enim vrget, inquit D. Leo, qui vero crimine caret. Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Pilatus hominem vocat, isti malefactorem: magna differentia. Infelix autoritas, quæ ad damnum vel exitium alterius comparata est.

Adhæc Pilatus: Non est, inquit, meum, neque Romanum, neque cuiusquam alterius, qui modò aliquam iusti atque æqui rationem habeat, sine certo crimine aliquem condemnare. Ego enim iuris sum administer; non alieni odii vindex. Si lex vestra hæc docet, accipite eum vos, quorum est hæc pietas, hæc æquitas; & secundùm eam legem vestram iudicate illum; nam à populi ROmani more & æquitate hoc est alienissimum, aliquem sine certo condemnare crimine. Eximium honorem apud hominem ethnicum, legi diuinæ immaculatæ faciunt perditi Sacer-
Dan. 13 dotes. Quod idem in causa Susannæ obiecit alicubi Daniel lasciuis illis senibus. Magnum profectò est, de vita hominis sibi similis statuere hominem mortalem: Dei, & eorum qui eius vices gerunt, hoc munus & iudicium est proprium; qui vt solus dedit, ita pro suo iure repetere vitam à quo que potest: soliqúe magistratui, ídque ex iure & legibus à Deo creditum: vbi bis errare non licet: vbi sera est omnis pœnitentia: vbi simul omnia aut restituuntur, aut eripiuntur, & vbi in suum quodam modo caput iudex sententiam fert. Magnum hoc semper fuit apud omnes populos, ac in omni rectè constituta Repub. sed præcipuè in populo Romano, omnis
sti & honesti principe. Cuius duas illas potissimas fuisse artes, Iustitiam
iam, & patriæ ac libertatis Amorem: propter quas tam latè imperium
produxissent, vt iidem essent fines vrbis & orbis, testatur magnus
stinus. Quòdsi hæc tanta tãtiq; momenti fuerunt apud eos, qui De-
on nouerant, & quorum spes vltra vltima sua funera, vltimosque ci-
non superuiuebat; quanti esse debent apud Christianos veros Dei
s, qui vnius corporis membra, vnius mensæ familia, vnius patris fi-
& nuncupantur, & qui aliquando communi subiacebunt iudicio,

& sen-

& ſententiæ? Nihil igitur feſtinè, nihil temerè, nihil abſque magna ratione, nihil ex tempore, nihil aliqua perturbatione in hoc genere ſtatui debet: præſtatque nonnunquam noxium dimittere, quàm innocentem damnare. Leges enim bonorum & innocentium cauſa feruntur. Quòdſi in eorum exitium cõuertantur, etſi remedio ad innocentiæ præſidium inſtituto ad eius perniciem quis abutatur; tum nulla eſt iniquitas tanta, quæ poſsit cum hac iniquitate rectè cõparari. Qua autem negligentia id plerunque in populo Chriſtiano fiat, quibus committatur, qua nonnunquam malitia & crudelitate peragatur, pudet etiam dicere. Quibus canum curam vix tutò committeremus, hos iudices capitales conſtituimus. Nimirũ hoc idem in Areopago, hoc Spartæ, hoc Romæ factitatum eſt. Nouerat eas æqui & honeſti rectè Pilatus artes: crimen quærit, rem totam diligenter examinat.

Pudore æquitatis Romanæ confuſum Iudaicum ſceſus, mitius agit. Nobis inquiunt, non licet occidere quenquam. Quaſi verò ſolus carnifex homicida ſit, qui ſuis manibus ſuffigit in crucem. Animum habebatis homicidam: linguas habebatis homicidas: conduxiſtis proditorem: conduxiſtis cohortem: conduxiſtis falſos teſtes: vitam cum ſanguine depoſcitis. Et verè vobis non licebat occidere quenquam; iam enim ea poteſtas, ita vt dictum eſt, vobis improbis hominibus, propter funeſtas cædes, ac inſatiabilem quandam prophetici ſanguinis ſitim, erepta, ad Romanosque translata fuit, quæ ad vos quondam ex lege Dei pertinebat, iuxta illud prophetæ: Sacerdotes populum meum docebunt, quid inter ſit inter ſanctum ac prophanum, & inter impurum ac purum indicabunt eis: & circa iudicium ſanguinis ipſi inſiſtent, vt diiudicent: & iuſtificationes meas iuſtificabũt: & iudicia mea iudicabunt: & leges meas, & præcepta mea in omnibus ſolennitatibus meis cuſtodient, Translato ad Romanos demũ imperio, trãslata & hæc ipſa animaduertẽdi poteſtas. Quod ſi aliquãdo ea vſi ſunt poteſtate, id vel cõniuentia Romanorũ fiebat, præſertim in iis, quæ cõtra leges & autoritatẽ populi Romani non fiebãt, vel furore populi excandeſcentis, vel conſenſu magiſtratus Romani. Eſt ergo acerbæ cõqueſtionis cuiuſdã potiùs, expoſtulationísq; vox iſta, quàm cuius, vt vulgò putatur, religionis. Ac ſi dicerent: Erat quidẽ penes tiam ea poteſtas in ſontes animaduertendi, quam vos quo iur iniuria abſtuleritis, nihil dicere volumus. Vide autem malar Nondum crimen, quod caput iudicii fuit, propoſuerunt; & dicunt: Nobis, inquiunt, non licet occidere quenquam: ac quem accuſant, nullo propoſito crimine occidendus eſſe ſtis omnes Prophetas, prophetarumque filios, mendace vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à bel, vſque ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ, que templum & altare: quem ſanguinem ipſius hæredi gnare vultis.

Ezech. 44.

Nectunt ergo crimina, ne ſine cauſa illum perder

sed longè diuersa ab illis, quę in consilio & apud populum proposuerunt quòd scilicet se Deum Deiq́ue filium faceret: hoc enim apud Pilatum nihil valiturum videbant. Nunquam enim hypocrisis ad veritatem dicit quidquam aut facit; sed ad speciem tantùm & causam, omnia componere solet. Illud igitur solùm adferunt, quod cum Christi inuidia coniunctũ fuit, & quod aliquem locum apud iudicem habiturum putabant, regni scilicet affectationem. Inuenimus, inquiunt, in nostro iudicio, illum subuertentem legem nostram, (instruentem ac curantem potiùs, à vestraq́; subuersione auertentem) & prohibentem censum dare Cæsari (imò vobis detrectantibus iubentem) dicentem se Regem esse: declinantem & fugientem regnũ potiùs, vobis affectantibus, & nihil non eius causa molientibus. Meritò ergo subuersi sub tributo degunt, rege orbati.

Audita causa Pilatus, non furit, non insanit, non vociferatur, quòd sacrum consilium fecerat: solum locum & liberum reo dat, quem clamoribus obrui videbat, comiter satis accusationis partes expendit: omissisq́ue duobus eius capitibus, de tertio, ex quo duo superiora pendebant, prudenter interrogat, de regni scilicet affectatione. Nam qui regnum affectat, hic simul & populum colligit, & tributa ad se transferre conatur. Quærit ergo dicis causa potiùs, quàm quòd ita sentiat Pilatus: Tu es Rex Iudæorum? Respondit ille: Quid Pilate in me Regium vides? scio tamẽ hoc totum quidquid est, à te non proficisci. Infert ille, ita esse: Iudæus, inquit, non sum: gens tua & pontifices tui, qui te cõmendare debebant, tradiderunt te mihi: quid feci sti? Scio enim aliquid aliud esse quàm isti prætendunt: quod idem aliquando iisdem Iudæis hoc reo iudice exprobraturus est. Explicat demum totam causam Dominus, istorúmque malitiam aperit: suam innocentiam demonstrat: Regnum, inquit, meum non est de hoc mundo: si enim ex hoc mundo esset regnum meum; ministri mei vtiq; decertarent, vt non traderer Iudæis: nunc autem regnum meũ non est hinc. Non impedio dominationem vestram in mundo, nolite metuere Romani: sed potiùs venite ad regnum meum, quod non est de hoc mundo. Fuit hæc responsio Pilato quidem non multum vtilis, nobis autem perneceſſaria; vt sciremus cuius Regis & cuius regni ciues simus: vtque haberemus, quò tendere, vbi spes nostras defixas habere deberemus. Regnum tuum regnum omnium seculorum. Quod idem multò antè per Danielem docuit: In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus cœli regnum, quòd in æternum non dissipabitur: & regnum eius alteri populo non tradetur. Potestas eius, potestas æterna, quę non aufe-tur, & regnum eius non corrumpetur, Comminuet autem & con-vniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternum. Vbi cœli regnum, ræ appellari videmus. Non dicit autem regnum suum non esse in ..ndo: quomodo enim illud verum esset, quod antea per prophe-dem prædixit veritas? Ego autem constitutus sum Rex ab eo, super ·tem sanctum eius, prædicans præceptum eius. Et illud: Sedes ı seculum seculi, virga directionis, virga regni tui. Sed dicit nõ esse

esse ex hoc mundo, hoc est, non esse à mundo, potestatibusque mundi illi delatum; sed ab ipso cœlesti parente, qui dedit illi sedem Dauid, vt regnet in Domo Iacob in æternum: aut via mundi quæsitum; in mundo enim victores regnant: iste victus primum & cruci affixus regno potitus est. Sed neque viribus mundi crescit, vel propagatur. Tum enim vincit, inquit Hilarius, cùm læditur: tum intelligit, cùm arguitur: tum obtinet, cùm deseritur: dum persequitur, floret: dum opprimitur, crescit: dum contemnitur, proficit: tunc stat, cùm superari videtur. proficit aflictionibus: sanguine martyrum irrigatur: tristitia erigitur: angustia lætatur: ieiuniis reficitur: neque sapientia, aut consilio mundi tenetur, aut regitur. Huius enim regni illa lex est: Si quis te percusserit in maxillam, præbe illi alteram: & si quis à te petit tunicam, da illi & pallium, quod à prudentia & consilio mundi est alienissimum. Neque item aut amat mundum, aut amatur ab illo. Si, inquit, de hoc mundo essetis, diligeret vos mundus. Non aufert mundi regna, sed firmat potiùs. Denique in mundo non conquiescit, neq; sedem figit: Nolite thesaurizare vobis thesauros super terram, &c. Ciues item non sunt de hoc mundo, per amorem & imitationē mundi; sed terrena omnia præ desiderio cœlestium contemnunt. Non est igitur ob eas causas quas dixi ex hoc mundo, est tamen in hoc mundo: habet enim visibilem pastorem Petrum, eiusque successores: habet magistratus; alios quidem pastores, alios Doctores, alios Euangelistas, vsq; ad consumationem sanctorum: haber claues, iudicia, leges, mores, consuetudines. Constituit enim Deus hunc Christum excelsum super omnes reges terræ. Et dedit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine eius omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum; quod vel ipse portæ inferorum, aut negare, aut expugnare non possunt. Vnde inquit Augustinus: Hic non ait, regnum meum non est in hoc mundo, sed, Non est de hoc mundo. Nam non dicit, regnum meum non est hic, sed, Non est hinc. dedit illi potestatem, honorem, & regnum, & omnes populi tribus & linguæ seruient ei. Verùm hæc alio in loco fusiùs explicauimus. Proposuit Iudæus, assumpsit Christus, concludit causam non intellectam Pilatus: Ergo REX es tu? Ac si diceret: Nihil minus apparet. At ille: Non, inquit, nego, nomen regni ab hoc habitu, hácque mea præsenti conditione alienissimum esse: neque ea de [illegible] dixi, quòd id tibi probare me posse iudicarem; sed quia [illegible] tus sum in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. [illegible] cundia vbique conseruanda est, vt non mentiamur: Et [illegible] ex veritate est, audit verba mea. Ex qua cùm tu non [illegible] quòd ea quæ dico, non intelligas. In promptu igitur [illegible] ni, Caluinistæ, cæteriq; hæretici verba Christi non [illegible] ritate non sunt. Quærit Pilatus, ne omninò nihil [illegible] veritas? Nec expectato responso, à Neoptolemo [illegible] bus paucis philosophandum esse; nec enim om[illegible] quod res est fatetur: Ego, inquit, nihil inueni

Hilarius de Trinitate.

Matth. 6.

Phil. 2

rus igitur & mundus agnus, verus Deus & homo, qui iniquitatem non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius, testimonio præfecti gentilis, ac in eo totius populi Romani ignarus legis prophetat. At non idem principes Sacerdotum, non idem gens electa, regale sacerdotium facit; imò contumelias, ne reus euadat, nectunt, crimina confingunt. Quis cœcus? nisi Sacerdos, & ad quem locutum est os Domini. Reus obtento à iudice innocentiæ suæ testimonio, quòd satis fuit, ampliùs non respondet; vt illud impleatur: Et quasi agnus coram tondente se obmutescet. Et, posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator aduersum me.

Isa. 53
Psalm. 38.

Clamoribus oppresso, iudex addit animum: tacet ille; inualescunt isti: crimina criminibus, mendacia mẽdaciis connectunt: Commouit populum per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsque huc.

Pilatus Galilæa audita, ad secundam, vbi prima non cessit, rei liberandi viam se confert, translationem scilicet aliò causæ & dilationem negotii: melius est enim nonnunquam causam opportunè differre, vel ad alium iudicem transferre; quàm subitò aliquid iniquum decernere. vtque & Iudæis satisfiat, nec tamen ipse alienæ improbitatis, quod fœdissimum est, administer sit, (Deo ita volẽte, vt tanta hostia plures innocẽtię suę testes & iudices habeat) mittit eum ad Herodem, idque potissimum ex ea causa, quam D. Lucas notauit; vt reconciliaret animum Herodis propter Galilæos, quorum sanguinem Pilatus miscuerat cum sacrificiis eorum: vt illud impleatur: Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum: quod Apostoli de Pilato & Herode interpretantur. Ita in Christo persequente, sæpè etiam inimici conueniunt, quod nunc in hæreticis secum pugnantibus videmus. Vendiderant Madianitæ in Ægyptum Phutiphari Eunucho Pharaonis, magistro militum, iustum Ioseph; mittit & nunc Pontius Pilatus Herodi proselytæ Christum Dominum; vt qui quatuor habiturus erat rerum suarum gestarum scriptores, sanctos inquam Euangelistas, quatuor item habeat innocentiæ suæ iudices & arbitros. Portatur victima iratorum canum manibus, dum res illis, cõtrà quàm sperabant, parum succedit. (putabant enim illi Pilatum subitò eorum improbitati subscripturum) frustrati spe irascuntur, fremunt, to túmque furorem in eum, quem in manibus habent, euomunt.

Lucæ 23.
Act. 4.

Herodes autẽ viso Iesu, gauisus est valde; erat enim cupiens ex multo tẽpore videre eũ, eò quòd audiret multa de eo, & sperabat signũ aliquod videre ab eo fieri. Solẽne curiæ est, eò quòd satura, quòd otiosa sit, in magna scurrarũ segete, scurras quærere, & facere imposturas, monstra atq. ludicra psequi. Sed & postea similiter ab eodẽ Christo signa quærebantur, à Iudæis primùm, mox à Manichæis, Donatistis, deinde vltimò hoc nostro seculo à Luteranis, Caluinistis, sed & à curiosis & superstitiosis Catholicis quærũtur. Interrogabat ergo eum multis sermonibus, num ille ipse esset in Bethleem natus, à Regibus orientis salutatus, donísque

eptus, & qui tantę stragis & crudelitatis parẽti suo causa extiterit. Verùm non

rum non proiicit bonus dispensator, ante porcos margaritas: nec dat curiositati locum, qui docuit etiam de verbo otioso reddendam esse rationem; qui non in hoc venerat, vt principum curiositatem delectaret; sed vt hominum saluti consuleret.

Spernit & despicit eum Herodes, ac indutum ludibrij causa, veste cãdida qua Reges vtebãtur, ad Pilatum remittit. Facilè contemnitur in aula, qui ridiculus esse aut monstra alere non sustinet. Exuitur iustus Ioseph suis vestimẽtis: induitur scurrilibus, vt non cum latronibus tantum, sed & cum fatuis reputetur Dei sapientia, ille ipse, qui dedit Salomoni sapientiã, qui dat homini scientiam; idq; nostræ stultitiæ causa. Quam tamen candidam vestem voluit Deus innocentiæ filii sui esse testem. Non ociosum, inquit, Ambrosius, quòd veste alba induitur ab Herode, immaculata tribuens indicia passionis, quòd agnus Dei sine macula cum gloria peccata mundi susciperet. Hócque est improperium illud Iesu Christi, hoc Ephod Sacerdotis nostri, quod nos ad altaria portamus Sacerdotes, & quo ei similiter ab Herodianis illuditur; qui canes & equos suos tàm sancto habitu vestire non verentur, ipsi canes impudentissimi. Ita non satis est Christo apud Herodem illusum esse, nisi etiam nunc inter suos illi illudatur. *Iaco. 5.*

Traditus à Pontificibus, examinatus à Pilato, illusus ab Herode, sistitur iterum eodem furore apud eundem Pilatum. Cogitemus obsecro eas Iesu Christi cursitationes, quas ille nostra causa à vesana & irata, cui tum nusquam succedebat, Iudæa, tractus magis quàm ductus exantlauit: ac eius vestigia sanctè adoremus, quas piis peregrinationibus quondam populus Christianus, sanctè & religiosè colebat ac repræsentabat, nunc ridet & contemnit.

Pilatus partim recuperata Herodis amicitia exhilaratus: partim importunitate Iudæorum fractus; partim ipso tædio victus labascere cœpit, ac dimisso rigore iustitiæ, per compositionem & arbitrium rem transigere, hacque tertia via, quanquam minus iam Romana, reum liberare contendit: ita vt neque totum Christum amittat, neque totum tamen, quod arbitrii est proprium, lucretur. Quod ibi fit, vbi iustitiæ atque legum exigua habetur ratio, iurisque dicendi, penes iudices ac magistratus, parua potestas aut libertas est. Primùm igitur quòd arbitri facere solent
que negotium exaggerat: cum vtraque parte separatim agit
Iudæos iniqua petere, dum mortis iudicium illi intendunt:
mortis causas inueniũt, testem similiter eius rei Herodem
duorum principum Reip. amplissimum innocentiæ Ch
Deinde summam huius compositionis eis proponit
qualis hoc tempore de sorte & hæreditate eiusdem
sticis inquam bonis, frequens fieri solet, nempe
sunt, debitori condonẽtur, in futurum aliquid pro
nis erat, vt qui capite plectebantur, quandoque p
tur, vnde fasces simul cum securibus magistratui
igitur prius se illorum causa facturum pollicetur

tis supplicium illi condonaturum. Virgis, inquit, cæsum dimittam, Sed qui tradit Christum innocentem ad flagellandum: tradet paulò pòst eundem ad crucifigendum. Qui enim concedit stulto & erranti populo parua; cõcedet deinceps & magna.

Agere interim nescio quid, de vnius vincti ex more olim recepto, dimissione turba cœpit: ipsúmque Pilatum eo nomine compellare, quem in memoriam liberationis illorum ex Ægypto, singulis annis, diei festi causa, Romanus præses dimittere solebat. Arripit eã occasionem, vt longè mitiorem, Christi liberandi ab ipsismet porrectam Pilatus: atque vt ne vmbram quidem excusationis relinqueret Iudæis, offert spontè & libenter illis, quòd priùs precariò obtinere solebãt: primúsque proponit illum, quem sine omni exceptione morte digniſsimum esse iudicabat, vt potè publicum homicidam, nec homicidam tantùm, sed seditiosum etiam, ac publicè pacis turbatorem, & cui istos infensissimos esse nouerat, Barabbam inquam; proponit & Christum, quem ob nullam aliam causam, præter solam inuidiam, ab eis traditum esse sciebat: nec putabat illos ita ab omni lege & iure, & religione alienos esse, vt anteferrent Christo Barabbã latronem. ac si diceret: Si non vultis vt innocentem dimittam, saltem cõdemnatum festiuitati donetis.

Verùm mala mens, malus animus: falsus est Pilatus. Petunt principes sacerdotum, ac ministri templi, nec ipsi solùm, sed vltra, eòdem turbam concitant, ad impiam facinoris societatem pertractam, latronem sibi dari: autorem autem vitæ morti addici, ídque magna contentione vrgent: Non hunc, inquit, sed Barabbam. Citò obliti sunt benefactorum eius. Vbi nunc est Iairus, vbi Centurio, vbi Regulus? Sed quò fortuna, eòdem fauor hominum. Tale est iudicium & censura mundi; mendaces filii hominum in stateris, viliorem salutis suæ salutem iudicat, quàm homicidæ. His tu credas, his tu committas. Hunc vocant: grauis enim illis fuit ad nominandum, qui oculos eorum perstringebat etiam ad videndum. Grex perditus factus est populus meus. Pastores enim seduxerunt eos: nõ liberat suum Ionatham improbus populus: posuerunt tum lucem in tenebras, dum pro Christo elegerunt Barabbam, luto aurum, agnum lupo
Act. 3 postposuerunt. Quod illis postea exprobrat D. Petrus: Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus patrum nostrorum, glorificauit filium suum Iesum, quem vos quidem tradidistis, & negastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti. Vos autem sanctum & iustum negastis, & petistis virũ homicidam donari vobis: autorem verò vitę interfecistis, quem Deus suscitauit à mortuis, cuius nos testes sumus. Hic duo aderant hirci, is cum peccatis populi in desertum inferni dimittitur, alter pro peccaabsolutorũ vt agnus occiditur. Hæret igitur, inquit Beda, Iudæis vsq; odie sua petitio, quam tanto labore impetrârunt. Quia enim data sibi oione, pro IESV latronem, pro Saluatore interfectorem elegerunt; mecò salutem perdiderunt & vitam, & latrociniis & seditionibus se in tandiderunt; vt patriam regnúmque suum, quod plus Christo amauerunt

runt,perdiderint: & hactenus eã,quam vendidêre, ſiue animę,ſiue corporis libertatem, recipere non meruerint. Habent ergo Barabbam, latrones latronem:habẽt homicidę homicidam.verum quidem Chriſtum & Meſiam,ſecundùm poſtulata ſua,ęternum amiſerunt; Antichriſtum autem fœdum latronem eius loco expectant,& expectabunt tantisper, dũ veniet & malos malè perdet. Vtinam aũt hoc idem ſimiliter tali tempore in populo Chriſtiano non fiat. Succeſſore nouo habet opus aliquod ſacerdotiũ.proponitur ad deligendum vir quispiam ſpectatæ doctrinę atq; probitatis,optimeq; meritus;proponitur ſimiliter nebulo aliquis : inclamat turba,turbęq; duces & magiſtri,Non hunc,ſed Barabbã.vacat ſimiliter magiſtratus aliquis ciuilis:offertur homo Catholicus,timens Deũ; ſubiicitur item Arianus quis:ſimiliter inclamat populus,ſed & templum nonunquam,tẽpliq; miniſtri, Non hunc ſed Barabbam. Paret Pilatus,paret populus,ſuo malo. Sed & vobis hodierno die ex hoc loco proponitur vanitas & veritas: hæreſis & Catholica fides : caro Chriſti & caro meretricis : & pollicemini quidem vos pro tempore aliquid; paulò tamen pòſt, vbi deuotio refrixerit, lacrymæq; aruerint, carnem retinemus, Chriſtum in crucem agimus. Non poſſum,inquis,continens eſſe: non potes,quia non vis.

Miratur improbam mentem Pilatus, rogat : Quid ergo vultis faciam de Ieſu,qui dicitur Chriſtus? Iſti repetitis vicibus inclamant : Crucifige, crucifige,crucifige eum. Vrget ille tertiò illud, quòd totam cauſam apud eum, qui modò honeſtatis & conſcientiæ aliquam habeat rationem,continet : Quid enim mali fecit? nullã inuenio in eo cauſam mortis:ſine cauſa nemo morti adiudicari debet. Iſti perſtant in ſcelere, perſtant in clamore : Crucifige, tolle eum. Atqui ſi blaſphemus eſt, vt dicitis, lapidari ex lege debet,non crucifigi. At iſti voluerunt,vt diu cum morte luctatus, multas mortes pateretur : memoríaq; eius maledicta eſſet. Vrgent ergo crucem, quàm paulò pòſt ipſi ita ſunt ſub Flacco perpeſi ; vt ob multitudinem locus non ſufficeret crucibus,& cruces corporibus.

Cùm igitur & hanc viam , quam vel ipſi obtulerunt, Pilatus ſibi minus ſuccedere, hominesq. improbos nullam innocentiæ rationem habere videret; ad priorem illã longè acerbiorem ſe refert: tradit illum ad flagellandum ac illudẽdum; iam tamen antè cõſputum & illuſum. Fit ſpectaculũ mirandum angelis,mirandũ cœlo ac vniuerſę naturę: lugendum cunctis mortalibus. Exuitur iterũ ex ſua polymita veſte iuſtus Ioſeph: electus puer, ſpecioſus forma prę filiis hominum ; nudatur, ligatur, flage-
cæditur pectus Deo plenum,filius cordis paterni. Prô dolor : i-
ſus ante hominem Deus : & ſupplicium patitur,in quo nullu
potuit inueniri. Ligatur vera vitis ad vlmũ:vt vberiùs botr
guinis guttas proferat : tenent eum vincula charitatis ad
tum. Nam alioquin manus iſtorum exaruiſſent : vt q
am,extendenti in virum Dei ſceleratam manum,eueniſſe
pinquauit,permittente Deo,flagellum tabernaculo eius:
contra illũ flagella: ac pro totius orbis delictis,factus eſt plaga

Vno verbo complexi sunt hæc Euangelistę omnes: Et flagellauit eum. Excíderat,credo,in re omnium indignissima scribentibus calamus: oculi lacrymis perfusi caligauerunt;non est enim sensus,neque sermo,vbi amaritudo. Ferunt Apellem,cùm immolanda Iphigenia esset, tristem Calchantem, mœstum Vlyssem, mœrentem Menelaum, vt potè fratrem pinxisse, obuolutum caput Agamemnonis patris feciſſe, quoniam luctum paternũ penicillo non posset imitari. Non dissimili planè modo sancti Euangelistę flagellationem, vibices & nuditatem regis sui, quæ nullis lacrymis, nulla oratione satis dignè condecorari poterat, operiendam potiùs silentio, quàm exponendam oratione sibi putauerunt. Quod & ipse nunc facerem,nisi paulò pòst ipse Deus pater per Pilatum,hunc ipsum Iesum sic flagellatum ac denudatum, omnibus mortalibus præsentandum, oculísq; eorum subiiciendum voluerit. Quod cùm ipsi dignè oratione explicare non possimus,explicet nobis ipse Spiritus sanctus: primùm per Sibyllam,

Sibylla. lib.8 vt potè à tam indigno facinore remotiorem, à luctuque & lacrymis liberiorem:

Verberibusq; sacrum tradet proscindere tergum:
Virginem enim castam, tradet mortalibus ipse.
Perque feret tacitus colaphos, ne fortè sciatur,
Quis sit, cuius sit, mortalibus vnde locutum
Venerit.

Isaiæ. 50. Explicet per prophetas, Isaiam primùm: Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti,ab increpan-

Psalm. 128. tibus & conspuentibus in me. Dauidem demum: Supra dorsum meum

Iob. 16. fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem suam. Per Iobũ quoque: Aperuerunt super me ora sua exprobrantes: percusserunt maxillas meas: satiati sunt pœnis meis. Sed quis hæc dignè oratione explicare potest? aut cuius lingua hoc loco non conticescit? Suscipiebat quondam spontè sua populus Christianus partem aliquam plagarum ista rum: seq; liberosque suos, & familiam tali die affligebat. Faciebant hoc idem viri,fœminæque Deo dicatæ: faciebant monachi: nunc posteaquam mundus Luteranum se factum miratur, omnia hæc lusus, iocúsq; putantur. Quibus enim nos flagris pro nostris flagitiis digni non sumus? qua castigatione? quibus flagellis? Qui rosis delectatur, hic & spinas, ex quibus decerpuntur, amat, inquit Magnus Basilius. Qui Christum amat, flagella illius sequitur. Cùm autem hæc fiebant, credibile est Angelos etiam ipsos, velatis faciebus suis hero suo astitisse, planctumque magnum ...isse, ac in tanta confusione ipsos confusos fuisse,illudque dixisse: Quis ... gloriæ? Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ. Mirare Chri... risimum ô Christiane;qui nec voce, nec gemitu de dolore ...que tactu percipe dolores verberum, quæ ad ossa & ... collige sanguinem humi decidentem: eum adhibe ... tuis, oráque Dominum, vt ne frustra pro te tam ... tur.

Flagra

Flagra, ſequuntur irriſiones & contumeliæ: cùm enim Chriſtus Dominus ſe Regem eſſe, non ſimpliciter quidem, ſed certo modo dixiſſet; aduerſarij autem hoc vnum imprimis apud Pilatum vrgerent, in vtriusq; partis contumeliam, tam accuſatorum, quàm rei, Pilatus Herodem ſecutus, qui illum alba regia ludibrii cauſa induerat, eum coronari iubet. Nemo enim ſuis detrahit, aut eos contemnit; quin ſibi ipſi primò detrahat, ſéque primùm ridendum deſpiciendumque propinet. Celebrauit non obſcurè eam coronam Sibylla:

Horrentémque ferat de vepre coronam:
Nam ſanctis veniet de vepre æterna corona
Lectis. Tum calamo compungent ilia, legis
More ſuæ.

Et alibi:

Sed manibus paſsis cùm menſus cuncta coronam
De ſpinis tulerit.

Celebrauit Iſaias: Coronans coronabit te. Celebrârunt alii multi. Hæſit hoſtia Abrahæ in ſpinis; ſpinæ peccatorum noſtrorum pupugerunt caput eius, nõ paucas tum crede mihi, in capite eius ſpinas fractas heſiſſe.

Et vos quidem Reges corona aurea de lapide pretioſo coronari ſoletis: veſter autem, communis omnium Rex & Dominus, ſpinis coronatur, vel vt illud quod paulò antè dixit, re ipſa comprobet, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, vel vt ſpinis ſuis ſolicitudines vitæ noſtræ extirparet: & pro ſpinis lignum vitæ vtendum largiretur. Godefredus primus Hieroſolimorum Rex noluit auream coronam eo loco ſuſcipere, vbi Dominus eius tuliſſet ſpineam. Quamùis autem vos Reges diademate aureo coronemini; non tamen ſine ſuis difficultatum & moleſtiarum ſpinis. Meminiſti tu Rex Stephane, illo ipſo primo tempore, quo regni prehendendi, futuræque coronationis cauſa, in monaſterio Claræ Tumbæ conſtitiſti; & quo eòdem tempore ego primùm apud te hoc ipſo Concionatoris officio fungi cœpi; quod & quale diadema tuum futurum tibi prædixi: nõ vtiq; ſine ſpinis, quæ te, vt vides, vbique ſequuntur, caputq; hoc tuum nobile premunt & pungunt. Et aurea quidem corona ſemel & iterum hoc toto regni tui tempore vſus es: hæc autem ſpinea quotidiana planè tibi eſt. Sed bono ſis animo, ac per omnia regem tuum Chriſtum ſequere. P cepit ille pro ſpinea corona, coronam gloriæ, & honoris, & fortitud recipies & tu aliquando. Vicit ille mundum, vicit hoſtes ſuos. vas figuli confregit; vinces & tu: conſedit in throno dext patris ſui quietus; ſedebis conſors regni illius & tu: & imitator eius eſſe velis; vbi enim ille eſt, ibi & mi tholicum eſt bona agere, mala pati: per ſpinas pe ſentes ad vuas. Non ſit ergo membrum delicatum

Fit igitur, vt dixi, ſpecimen coronationis F brantur partes. In coronationibus Regum, pr Reipub. virorum, ordinúmq; regni, ac totius r

congregatur & hic vniuersa cohors. Exuitur secundò ille, qui coronari debet, priuati hominis vestimentis, induitur regalibus; exuunt & nostrum Regem vestimentis suis, & induunt eum veste purpurea, qui est, fuitque semper proprius vestitus Regum; non sine tamen sanguine. Coronatur Rex; plectitur & huic, hoc vt dictum est modo, de spinis acutissimis corona, capitique eius imponitur. Sceptrum & gladius nouo Regi in signũ potestatis & gubernationis datur; ponunt & isti, in manu Regis sui arundinẽ, calamum chirographi contra nos scripti; & vt vacuitas, fragilitas, inconstantiaque regnorum terræ designetur. Ne confidant néue innitantur reges super baculo arundineo; cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam. Quis enim vestrum ô Reges vacuus non est? quis non eget? quis in multis nominibus non hæret? quis omnibus telis fortunæ non subiacet? Fiunt publicæ gratulationes, & acclamationes, Viuat Rex; flectunt & isti genua, ac clamant: Aue Rex Iudæorum. Longè dissimili salutatione ab illa, quam nudius sextus audiuimus: Salue Rex Israël: Benedictus qui venit in nomine Domini: Benedictum regnum patris nostri Dauid: Osanna in excelsis. Ea est constantia gloriæ mundi. Sparguntur flores, multiplex moneta in vulgus proiicitur; in nostrum Regem sputa & verbera iaciuntur. Creat & designat nouus Rex, nouos milites, repetitis vicibus capita illorum gladio feriẽdo: percutitur arundine hoc loco caput ipsius Regis spinis coronatũ. Quod idem cum istis similiter hoc tempore Ariani faciunt, dum diuinitatis eius caput vanissimis & leuissimis disputationibus ferire non erubescunt.

Isaiæ 36.

Et hæc quidem coronatio fuit Regis cœli & terræ, quam isti quidem prophani homines ludibrii causa repræsentabant: Deus autem, qui habitat in cœlo, & qui manibus inimicorum suorum nouit & potest ad laudem & gloriam suam vti, constituebat in æternum hunc ipsum Iesum regem super Sion montem sanctum suum, prædicaturum præceptum eius. Quem enim, inquit Athanasius, vt hominem condemnauerant, eum mortuum deinde vt Deum adorauerunt: & quem aspernabantur vt vilem & contemptibilem, eum confitebantur Regem: cui tunicam & vestem detraxerant, eum purpura circumdederunt: & quem ignorantes contumeliis afficiebant, eum Prophetam nolentes etiam appellauerunt: & quem per ludibrium subsannationemque pulsabant, ei triumphalia addiderunt ornamenta, coccineam chlamidem, & coronam spineam, & calamum. simulque regnum, coronationesq; vestras, earúmque ceremonias ô Reges consecrabat, ac veluti Apotheosin quandam illarum faciebat, punctionẽq; nitatem earum clarè demonstrabat; vt eadem ratione & vos Reges, mine istius Regis, spinis coronati, cũ illa nominis eius inuocatione, GAMINI PRIMVM. Deus Deiq; filius, Iesus Christus Dñs noster, qui e oleo exultationis vnct⁹ est prę participibus suis, ipse per pręsentem nctionis infusionẽ, Spiritus paracleti super te benedictionẽ infundémq; vsq; ad interiora cordis tui penetrare faciat; quatenus hoc tractabili oleo, dona inuisibilia percipere, & temporali regno

Psal. 2.

iustis

iuſtis moderationibus executo, æternaliter conregnare ei merearis, qui ſolus ſine peccato, Rex regum viuit & gloriatur, cum Deo patre in vnitate ſpiritus ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen. CORONEMINI DEINDE. Accipe coronã regni, quæ, licet ab indignis Epiſcoporũ manibus, capiti tuo imponitur: In nomine patris, & filii, & ſpiritus ſancti. Quam ſanctitatis gloriã, & honorem & opus fortitudinis intelligas ſignificare: & per hanc te participem fieri miniſterii noſtri non ignores: ita vt ſicut nos interioribus paſtores, rectoresque animarum intelligimus; ita & tu contra omnes aduerſitates Eccleſiæ Chriſti defenſor adſiſtas, regnique tibi à Deo dati, & per officium noſtræ benedictionis, in vice Apoſtolorũ, omniumque ſanctorũ, regimini tuo comiſsi, vtilis executor, perſpicuusq; regnator ſemper appareas: vt inter glorioſos athletas, virtutum gemmis ornatus, & præmio æternæ felicitatis coronatus, cum redemptore & ſaluatore noſtro Ieſu Chriſto, cuius nomen vicemq; geſtare crederis, ſine fine glorieris. Qui viuit & imperat Deus, cum patre, & Spiritu ſancto in ſecula ſeculorum. Amen. SCEPTRVM ET VIRGAM REGNI VESTRI ACCIPIATIS. Accipe virgam virtutis atque veritatis, qua intelligas te obnoxiũ, mulcere pios: terrere reprobos: errantes viam docere: lapſis manũ porrigere: diſperdere ſuperbos: & releuare humiles. Et aperiat tibi oſtium Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui de ſemetipſo ait: Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſaluabitur: qui eſt clauis Dauid, & ſceptrũ domus Iſraël: qui aperit & nemo claudit: claudit, & nemo aperit; ſitque tibi auctor, qui eduxit vinctum de domo carceris, ſedentem in tenebris & vmbra mortis, & in omnibus ſequi merearis eum, de quo Dauid propheta cecinit: Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi, virga æquitatis, virga regni tui. Et imitando ipſum, diligas iuſtitiam, & odio habeas iniquitatem: quia propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, ad exemplum illius, quẽ ante ſecula vnxerat oleo exultationis, præ participibus ſuis, Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui cum eo viuit & regnat Deus in ſecula ſeculorum. Amen. IN THRONO DENIQVE ET SOLIO VESTRO COLLOCEMINI. STA, & retine à modo locum, tibi à Deo delegatum, per autoritatem omnipotentis Dei, & per præſentem traditionem noſtram, omnium ſcilicet Epiſcoporum, cæterorúmq; Dei ſeruorum: ac quanto clerum ſacris altaribus propinquiorem proſpicis; tanto ei potentiorem in locis congruis honorem impendere memineris: quatenus mediator Dei & hominum te mediatorem cleri, & plebis, in hoc regni ſolio confirmet: & in regnum æternum ſecum regnare faciat Ieſus Chriſtus Dominus noſter, Rex regum & Dominus dominantium, qui cum patre & Spiritu ſancto viuit, & regnat Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Et ſolebant quidem veteres, ne tam ſublimi loco & honore regni regum corda efferantur, vel mendici manticam, vel vas luteum, vel mortis ipſius ſpecimen, atque imaginem ante oculos illorum, in coronationib' proponere; vt memores ſint humanæ conditionis, ortus ac exitus ſ verò meo Regi hanc ipſam ſolam, excelſi præ omnibus Regibu

ronationem, cùm in illo ipso principio & prehensione regni huius; tum per hoc totum sexennium, semper mihi proponendum esse duxi, atque etiam nunc propono; vt hanc intueatur, hanc amet; hac se oblectet, hac suas spinas soletur: sit hoc proprium eius Emblema, hæc domestica imago, hæc magni Apellis pictura, hoc insigne omnibus secundis & aduersis rebus illius: huiúsq; memoria obuersetur in oculis eius die ac nocte, omnibus diebus vitę suæ. Demittet & assumet animum, prout res & fortuna feret, nunquã; vbi hunc Regem ita coronatum semper in oculis suis gestabit ac circumferret. Dabit autem operam Rex & alii principes, ne eorum ministri atque milites, denuò flagellent Christum: flagra autẽ sunt illa, blasphemiæ turpes, libidines fœdæ, pauperum oppressiones & di-
Cant. 3 uexationes, iudicia temeraria, obtrectationes & id genus alia. Egredimini igitur, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius. Quis est iste qui ingreditur habens imaginem quasi Regis, & nihilominus serui despectissimi cõfusione repletur? coronatus incedit; sed ipsa etiam corona cruciatus est illi; & mille puncturis caput eius diuulnerat: Regali purpura induitur; sed in ea despicitur potius quàm honoratur: sceptrum in manu gestat; sed eo ipso caput eius reuerendum feritur. Speciosus forma prę filiis hominum, diffusa est gratia in labiis eius, propterea benedixit eum Deus in æternum.

Hunc in modũ tractatus, sic illusus, sistitur apud Pilatum, quem vel ipsa miserabili specie sua multò plus quàm ante permouit. Arripit igitur ex illa præsenti eius cõditione ac istorum inhumanitate, alium eius liberandi modum: humani inquam sensus & cõmiserationis; quàm rationem, cùm apud omnes, qui humanę sunt memores conditionis, tum pręcipuè apud populum Romanum, plurimũ in omni fortuna & re valuisse, magnosq; motus & iras mitigare solitum esse: rectè sciebat eam enim esse naturã inuidię, testis est Aristoteles, vt extinguatur illa quidem nõ ita facilè; in misericordiam tamẽ aliquando, tum, cùm ille cui inuidebamus, in extremam aliquam calamitatem & miseriam deducitur, commutetur: sola enim miseria, alterius inuidiæ satis facit: hac pascitur, hac satiatur, hac alteri recõciliatur. Producit ergo illum, oculísque eorum subiicit, an hoc modò aliqua ratione inuidia in misericordiam versa mitius sæuire incipiat: Ecce, inquit, [illegible] eum foras, vt cognoscatis, quia nullam inuenio in eo cau[illegible]robitati vt satisfiat, sic eum tractandum dedi. Exiit [illegible]oronam spineam, & purpureum vestimentum, non [illegible]ecce plus quàm Salomon hic. Exiit manibus li[illegible]ergere sanguinem in oculos passim stillantem. [illegible]& dominationes occurrunt! Deus iterum [illegible]c loco Christiani, Christi dolorem, mœ[illegible]is hæc oratione explicare posset? Di[illegible]nullus metus, vinctæ manus. Si, inquit, [illegible]ini numinis metus, si non hominum

pudor

pudor; moueat, saltem obsecro, communis naturæ conditio; homo tamen est, vt videtis: si modò homo & non species quædam & simulacrum hominis, cui aspectus non est, nouissimus virorum. Homo, inquam, est nõ bellua, quæ tamen ipsæ speciem suam recognoscunt, diligunt, ac illi compatiuntur, opem & præsidium ferunt. Si regi inuidetis, iam parcite, quia abiectum videtis. Feruet ignonimia, frigescat inuidia. Ecce, inquit, homo: Caro vestra, frater vester, imago à pessimis pictoribus depicta. Hæc eadem vox ex dissimili sensu profecta, fuit Ebionis, Photini, Samosateni, & aliorum nostri seculi hæreticorum, qui hunc ipsum sanctum, sanctorum, non plus quàm hominem esse autumant, ac eodem Pilati digito demonstrant: Ecce homo.

Et hæc quidem Pilatus pro homine afflicto & innocente liberando perhumanè. Deus autem ille summus, cuius voluntate & arbitrio hæc fiebant omnia, voluit hunc ipsum Iesum per manus Pilati producere, in cõspectum omnium gentium, totiúsq; vniuersi; vt videant omnes, quomodo propter scelus populi sui percussit illum, videant inquam, & redamẽt & sciant, quia sic Deus dilexit mundum; vt filium suum vnigenitum daret *Ioa. 3.* pro illo, & vt autorem suum humana natura, sciendo, quanti ab eo sit dilecta, plus diligat. Proposuit item illum, vel horum ipsorum Iudæorum, & Principum Sacerdotũ oculis; vt saltem ex hac imagine, hunc illum ipsum esse quondam ab Isaia, aliísque Prophetis verisimis coloribus depictum recognoscant, & conuertantur, vel saltem nullam in posterum exculationem habeant: Et nos putauimus eum quasi leprosum, inquit Isaias, & *Isa. 53* percussum à Deo & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras: atritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostrę super eum: & liuore eius sanati sumus. Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus eius, & forma eius inter filios hominum. Iste asperget gentes multas, super ipsum continebunt reges os suum: quia quibus non est narratum de eo viderunt: & qui non audierunt, contẽplati sunt: Quis est iste, inquit idem Isaias, qui venit de Edom, *Isa. 62.* tinctis vestibus de Bosra, iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ? Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta sicut calcantium in torculari? Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum: calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea: & aspersa est vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui. Dies enim vltionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit. Circumspexi, & non erat auxiliator: quæsiui, & non fuit qui adiuuaret: & saluauit mihi brachium meum, & indignatio mea ipsa auxiliata est mihi. Et conculcaui populos in furore meo, & inebriaui eos in indignatione mea, & deduxi in terram virtutem eorum. Vides igitur, quanta hic sit mysteriorum profunditas? Quis non stupeat? Quis non obmutescat? Quis non horreat? Quis non contremiscat? Quis non ad lachrymas prouocetur? Quis non ad pœnitentiam? Quis non ad amorem? Quis non ad gratiarum actionem? Quis non ad omnia bona? Quis non ad omnia mala? Quis non ad omnia? Quis non ad nihil? Quis non ad omnia & nihil? Quis non ad omnia & nihil? Quis non ad omnia &

spargamus flores ramosque oliuarum, dicentes: Benedictus qui venit in nomine Domini. Nos enim tanto redimimur pretio, tanto curamur impendio: opprobria eius nostrum abstulerunt opprobrium: vincula eius nos fecerunt liberos: corona spinea capitis eius, diadema regni adepti sumus; vulneribus eius sanati sumus. Tu vero ô Rex gloriæ Iesu Christe, corona confitentium te, sequentium te, pugnantium pro te, viuentium p te, manentium in te, quis te tam amaro vinculo confusionis addixit? Ecce operit confusio caput tuum & faciem tuam amabilem. Respice Domine in faciem Christi tui, & miserere nobis.

Quid ad hæc Iudæa? nunquid ingemuit? nunquid Regem suum cognouit? nunquid permota est? nunquid pœnitentiam egit, vel saltē pepercit? Nihil horum, sed tanquam fera viso sanguine irritata inclamat: Tolle, tolle: Crucifige, crucifige eum. Expectaui vt facerent iustitiam, & *Isa. 5.* ecce clamor. Breui rogabunt eundem Pilatū, vt de cruce corpus eius tol- *Ieremi. 12.* leretur; quantò magis rogabunt, vbi videbunt in quem trāsfixerint. Facta est illi hæreditas eius, quasi leo in sylua: dedit contra illum vocem, ideò odiuit eam. Nihil nunc ab istis impetratur: sed ne illi quidem paulò pòst ab inferioribus se impetrare poterant. Fœdum vitium, cœcū & inplacabile, inuidia est: nihil videt, etsi omnia videat, à videndoq; nomen habeat, non virtutem, non merita, non vlla ornamenta cuiusquam: nihil audit, etsi curiosissima sit, nisi quòd cum miseria & calamitate alterius coniungatur: nulla re mouetur; etsi omnium rerum egens & vacua: non beneficio, non officio, non studio: nullum sensum humanitatis & elegantię habet: gratulatur nulli, condolet nulli, secundis rebus lætatur nullius: solis aduersis casibus pascitur. Fugite inuidiam, fugite ô Christiani, nisi cœci, surdi, atque muti, simul esse velitis. Illa cùm semel, inquit Chri- „ sostomus, insano & violento facinore obfusa fuit ratio, difficillimum „ est resipiscere, nisi generosissima sit anima. In primis igitur initiis obsi- „ stendum est: nemo repente fit malus. Fera igitur pessima deuorauit Ioseph, illa, inquam, quæ omnes Prophetas, omnia sublimia deuorare conata est pectora; & quæ, vbi cætera omnia consumpserit, vltimò seipsam conficere solet, inuidia inquam.

Miratur malitiam hominum simul, & execratur ethnicus homo: ac dum perditos homines à se non posse curari videt, reum dimittit: Accipite eum vos, & secundùm leges vestras, si tam iustè & æquæ sunt vt vos, iudicate illum; ego enim in eo non inuenio causam. Temere & sine causa hominem innocentem condemnare, nec volo nec possum. Māgnum id certe & mirificum in seruatore, qui tacendo & non respondendo, tam efficax erat in persuadendo; vt iudex vltrò factiones aduersus e- m initas & agnosceret & confiteretur, seque magis turbis hominum `n iusticiæ gratificatum esse. Qui si respondisset Pilato, poterat suspi- ormidine eum mortis ad loquendum inductum fuisse: iam cùm ta- iid admireris, nisi illius robur fortitudinémque in contemnenda cúmque illum de innocentia ita excusset Pilatus, quid aliud in

men-

mentem venire poteſt; niſi illum ipſum, qui ibi iudicio ſubiectus ſtabat, Deum eſſe.

Pudore tandem & metu, ne liberetur reus, compulſus hypocrita populus, omiſſo poſteriore, quod non cohærebat, crimine, ad primum illud, de quo ſuperiùs diximus, quódque caput negotii fuit, ſe confert, ne aliquid contra legem ſuam facere viderentur, præſertim cùm toties Pilatus legis eorum fecerit mentionem. Nos, inquit, legem habemus, & ſecundùm legem debet mori; quia filium Dei ſe fecit. *Ioan.16* Audiat igitur impium Caiphæ Synedrion, Ariani, inquam, atque Ebionitæ, ducem & principem conſilii ſui Caipham, ſtatum cauſæ conſtituentem; et ſi patris ipſius voci palàm à magnifica gloria profectæ, non credunt, Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ſi non ipſi filio, Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret: ſi non ſpiritui ſancto in ſcripturis loquenti, Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis: ſi non Petro, ſummo paſtori, Tu es Chriſtus filius Dei viui: ſi non Paulo, Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, nouiſsimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſecula: ſi non ſanctis Catholicis Symbolis, non quatuor primis conciliis: ſi non conſenſui orbis terrarum vniuerſi: ſi non Iudæis & Machometanis ipſis, qui hoc nomine populum Chriſtianum oderunt: ſi non Diabolo hoc idem affirmanti, Si filius Dei es, mitte te deorſum; credant ſalutem Principi atque præſidi ſenatus & conſilii ſui, qui magno Pilati conatu compulſus, hoc tandem proponit crimen, quia filium Dei ſe fecit. Adoptiuum dices & per gratiam vſurpatum. Atqui hoc modo vt dixi, omnes filii Dei ſumus: Filios, inquit, educaui, & illi ſpreuerunt me. Atqui hoc nomine accuſabatur nemo, plectebatur nemo. *Ioan. 3.* *Ioan. 1.* *Mat. 16* *Hebræ. 1.* *Matthæi 4.*

Perſenſit hoc & credidit Pilatus, quod iſti malitia excœcati videre nolunt, de vero & germano filio Dei dici, ideò timere cœpit. Timuit iudex reum ſuum, & magis quàm ipſe reus videbatur conturbari: metumque in ſe hominis condemnati ſenſit: atque ipſemet ſuam in Chriſtum quaſi in ſe latam ſententiam cohorruit, & ideo introducto Ieſu in Prætorium dixit: Vnde es tu? Ac ſi diceret, de cælóne, vt iſti dicunt, an de terra prouenis? aut quo tandem ex ſuperis Deo genitus, aut cuius numinis filius? Graue hoc quæſitum fuit, longéque humeris Pilati impar. Generationem eius quis enarrabit? Tecum principium, inquit Dauid, in die virtutis tuæ, in ſplendoribus ſanctorum, ex vtero ante luciferum genui te: Et egreſſus eius à diebus æternitatis, &c. Maiora hæc fuerunt, quàm vt à Pilato capi poſsint, cùm ne nunc quidem à multis, qui Chriſto nomina dederunt capiantur. Ideò Dominus non reſpondet quicquam, ne [illegible]litatem Deorum, vel aliquam illorum ſobolem apud hominem gentilem confirmaſſe videatur; vt & exemplo ſuo doceat, æternam eius gener[illegible] onem, ſilentio potiùs quàm ſermone vllo honorandam eſſe, vt de qu[illegible] mini mortali, & pauca, & reuerenter dicere conueniat; ideo, in *Ioan: 19.* *Iſaiæ. 53.* *Pſal. 109.*

non respondet quidquam. Nos autem inter greges mulierum, hæc tanta mysteria pandere nõ erubescimus: nihílq; nos dixisse putamus, omnemq; eruditionis opinionem perdidisse; si non hanc cupressum simulemus vbique: & si non tertio quoque verbo adorandam Trinitatem, ortúmq; filii Dei apud rudem plebeculam compellemus. Deplorat hoc exitiosum alicubi Naziañ: Cacoëthes: Non cuiusùis est ô viri de Deo disserere: non inquam, cuiusùis (non adeò vilis ac protrita hæc res est, & eorum qui adhuc humi reptant) addam etiam non cuiusùis temporis, nec apud quosùis, nec de quibusùis, sed certo, & apud certos homines, & aliquousq; hoc faciendum est. Non cuiuslibet quidem, quoniam his duntaxat, hoc muneris incumbit, qui exactissimè explorati sunt, contemplandiq́ue acumine excellunt, priúsque etiam & corpus & animum à vitiorum sordibus purgârunt: aut, vt parcissmè loquar, iam in hoc toti sunt, vt se à vitiorum labe purgent; impuro enim rem puram attrectare, ne periculo quidem fortasse caret: quemadmodum nec ægris oculis, solis radios intueri. Quando autem? Tum videlicet, cùm nosmetipsos in quietem atq; otiũ asseruerimus; nec alioqui princeps nostri pars improbis formis vagísq; confundatur, dũ velut deformibus literis, elegantes literas, cœnoq́; vnguẽ tum admiscemus. Vacare enim haud dubiè oportet, vt ad Dei cognitionem perueniamus. Apud quos porrò? nempè apud eos, qui rem huiusmodi studiosè ac seriò amplectuntur: quíque non vt quippiam aliud; sic hoc quoq; inepta nugacitate prosequuntur, post Circenses luctos & spectacula, post cantationes, post expletum ventrem & venereas voluptates. Qui quidem ita perditè affecti sunt, vt hoc quoque in oblectamentorum parte numerent: nimirum de diuinis rebus nugari, atque arguta disputatione concertare. Iam, de quibus & quousq; disputandum? De his solùm, quæ ingenii nostri modulum, captumq́ue auditoris non excedunt; ne alioqui vt nimia vocis intentio, atque immodicus cibus aures & corpora labefactat, itidémq; sarcinę viribus grauiores subeuntium humeros, ac crebriores pluuiæ terram opprimunt; ita etiam auditores quæstionibus grauioribus ac durioribus oppressi atq; confecti, pristinas quoq; vires amittant. Neq; verò hæc quisquam ita accipiat, quasi Deum perpetua memoria colendum esse negem, ne rursus aduersum nos irruant, omnia facilè ac statim in calumniam trahunt. Nec enim tam sæpè spiducere, quàm Dei meminisse debemus; imò, si dici hoc potest, aquàm hoc faciendum. Nam & ego inter eos nomen meum prolegem probant, quæ die ac nocte iubet meditari, vespere e narrare, ac benedicere Dominum in omni tempore: vtar, dormias, siue à somno exurgas, siue iter facimemoriaq́ue ipsa ad puritatem informari. Itáque habere per me sane licet cuique; at nõ item prohibeo, ne de Deo disputetur (id enim fiat: nec hoc ago, vt docendi munus eri excedantur. Et alibi: Quin potiùs

Nazian. de Theologia oratione 1.

tiùs finibus noſtris philoſophiam circumſcribamus: nec in Ægyptum abripiamur: neque ad Aſyrios protrahamur: nec cantemus canticum Domini in terra aliena: hoc eſt, promiſcuè apud omnes auditores, ſiue noſtri ſint, ſiue externi, ſiue hoſtes, ſiue amici, ſiue candidi, ſiue maligni ac præpoſteri, qui ſummo ſtudio res noſtras explorant, nihílq; magis optarint, quàm malorum noſtrorum ſcintillam in flammam aſſurgere, quam etiam furtim excitant atque accendunt, auraéq; ſuæ inflatu in cœlum attollunt, & Babylonica flãma in orbem omnia populante ſublimiorẽ reddunt. Quoniam enim in ſuis dogmatibus nihil ſibi præſidii roboriſq; cõſtitutum vident; hoc in noſtrarum rerum imbecillitate venantur. Ac proinde, quemadmodum muſcæ vulneribus; ita noſtris calamitatibus, aut ſi mauis, erratis imminent. At nos quidem nosmetipſos diutiùs ne ignoremus, nec moderationẽ, quę in his rebus tenenda eſt, aſpernemur. Quòd ſi inimicitias atque odia extinguere non poſſumus; illud ſaltem inter nos conueniat, vt myſtica myſticè, & ſancta ſanctè proloquamur, nec in profanas aures, quæ in vulgus efferri nefas eſt, proiiciamus; ne alioqui conſtet eos, qui dæmones adorant, & turpium fabularum ac rerum cultum profitentur, nobis grauitate ſuperiores eſſe; quippe qui iis, qui non iisdẽ ſacris initiati ſunt, cruorem potiùs ſuum, quàm ſermones quosdam impertirent. Verùm hæc prolixiùs fortaſſe ex Nazianzeno, quàm præſens quidẽ locus poſtulabat; res certè, & ętas hæc curioſa, poſtulaſſe videbatur.

Offenſus profundo Chriſti ſilentio in re magna Pilatus, duriùs illum compellat: Mihi, inquit, nõ loqueris? neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te? Cur igitur, quem nihil mali feciſſe fateris, cùm poteſtatem habeas, non dimittis? Hoc eſt, Pilate, contra te ipſum ferre ſententiam: quem enim innocentem prædicas, & cuius cauſam agis, damnas. Arrogantius hoc dictum viſum eſt Dei filio; ipſius enim æterni parentis prouidentiam & gubernationem regimenq; tangebat: ideò qui ad ſputa, flagra, verbera tacuit, ad blaſphemiam patríſq; iniuriam, magno in poſterum exemplo, tacere non vult: plus enim hæc, quàm illa, Deum offendunt. Quod idem Chriſtiani Principes, aliíq; fideles ſtudioſè facere debent. Quid enim illum mouebit, quem Dei non mouet iniuria? in hoc ſolo loco pio pectori tacere non licet. Vbi tacet, tanquam ouis tacet: vbi loquitur, tanquam paſtor loquitur. Non ha-
res, inquit, in me poteſtatem vllam, niſi tibi datum eſſet de-
inquit, putes, aut Iudam, aut Caipham, aut conſilium
populum iſtum petulantem, aut quenquam alium
ter v nà mecum facit hæc omnia; iſti inſtrumen
illiúsque ſunt voluntatis. Trador à patre quid
obedientia & humilitate, à Iuda ob auariti
ipſo paulò pòſt tradar ob metum humanæ
ſibi dictum putent Sacramentarii, Trinit
corporis & ſanguinis Chriſti Sacrame
Chriſtum Dominum à patris ſubſtar

gant: dum tremendam Trinitatis maiestatem de sede sua exturbare more gigantum conantur: non habituros eos eam potestatem, nisi illis data esset desuper, nostris peccatis ita merentibus, istorum autem extremo malo & exitio: quos non dissimilis aliquando exitus consequitur, qui Pilatum consecutus est.

Obseruandum autem hoc loco est, omnem potestatem à Deo esse, omnem desuper dari; etiamsi illa à Caipha, etiamsi à Pilato, aut Nerone quodam exerceatur, ipso Domino ita docente, quæ plerunq; in tales confertur, quales vita & mores illorũ, quibus prę sunt, merentur. Liberiùs expostulasse, sanctum & pium monachum quendam cum Deo, refert in suis annalibus Cedrenus; cur Phocas homo impurissimus hominibus Christianis præesset? responsumq; illud retulisse, quòd tùm improbior in tota Græcia reperiretur nullus: qui si foret, tum pro malicia populi illius non alium imperaturum fuisse. Qui igitur potestati resistit, Dei ordinationi resistit: condemnationem sibi acquirit: cum potestate desuper data pugnat.

Pilatus igitur partim ipsa compellatione filii Dei, quoùis Ariano melior, perterritus, partim Christi grauissima reprehensione permotus, tantò magis in proposito persistit, conditionibus, vt cepit, boni iudicis satisfacere contendit: dumque furentem populum, neque ratione, neq; humanitate, neque autoritate infringere potest; reum simpliciter dimittere instituit. Quod cùm isti animaduertunt, hominem homine terrent, autoritate vrgent: Si hunc, inquiunt, dimittis, non es amicus Cæsaris. Vera temporum nostrorum euertendæ æquitatis ars. Si hoc vel illud non facis, non es amicus illi, & illi. Si facies, illum & illum tibi amicum habebis: Interea omne patratur nefas, omne ius euertitur. Notæ sunt illæ voces: Quid, inquit, dicet ille, aut quid faciet, si contra familiarem aut necessarium suum, sic vel alio modo processum fuerit? Sola compellatio potentis, ius quærit vel euertit omne. Mirũ est eos aliqua vasa auro plena, vel pelles bene callentes, quod nunc facere solent, tunc similiter Pilato, fulciendi negotii causa non attulisse: credo feciisse, sed pro vltimo præsidio causæ reseruasse. Exturbant ergo Cæsare Pilatum: principe iudicem: accipit personam in iudicio, damnat innocentem. Incidit tamen paulò pòst in hunc eundem scopulum miser, quem nunc metuit; siquidem nihilominus, vt referunt quidã, in exilium ab eodẽ Cæsare postea alia ex causa actus, præfecturaque priuatus est.

Consedit igitur pro tribunali homo mortalis, Dominum vitæ morti addicturus, iudicem viuorum & mortuorum iudicaturus: nec tamen penitus Romanæ obliuiscitur humanitatis: tentat vltimum innoxii liberandi modum, quo plerunque res magnæ, quæ seriò componi nullo modo poterant, compositæ aliquando leguntur: iocum inquam & salem. Ridet ergo cùm quadam subsannatione: Ecce Rex vester. In hunc scilicet affectati regni cadit. Portabat enim tunc adhuc Christus insignia ludibrii si det Pilatus; at inuidia non ridet: nec ioco, nec serio Regem compellari

pellare ſuſtinet: Tolle, tolle, inclamant, crucifige eum. Atqui paulò pòſt vt deponatur de cruce perterriti rogabitis. Atrox atq; inprimis infame genus ſupplicii crux fuit, tam apud Iudæos quàm apud Etnicos, quod ad contaminandum in perpetuum ſanctum nomen Ieſu iſti excogitauerunt, ſeruile ſupplicium Valerius vocat. De cuius infamia & atrocitate, in lege ſic ſcriptum reperimus: Quando peccauerit homo quod morte plectendum eſt,& adiudicatus morti,appenſus fuerit in patibulo: non permanebit cadauer eius in ligno; & nequaquam contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in poſſeſsionem. Itaq; vnum hoc ſolum exemplum tam fœdæ animaduerſionis à ſummo conſilio profectũ in ſcripturis reperitur,nec quisquam vnquam,quod legamus,hoc genere ſupplicii decreto ſeniorum punitus eſſe inuenitur,præter Chriſtum. Complures tamen poſtea ſpontè ſubierunt crucem Chriſti, qui nunc in turba clamauerunt, Crucifige eum. Quam ſupplicii infamiam & turpitudinem, cùm Pilatus rectè noſſet, amplius in eodem loco perſiſtit: Regem veſtrũ crucifigam? Quid iſti? Regem, inquiunt,non habemus niſi Cæſarem. Ita Cæſarem primum pro rege ſuſceperunt: paulò pòſt autem pro Deo ſuſcipêre ſunt coacti: cùm Caius Caligula vix aliquot intercedentibus annis ſtatuam ſuam equeſtrem in ſanctis ſanctorum collocâſſet. Reſiliit, vt inquit Cyrillus, apertè ab amicitia Dei populus Iudæorum; & reliquit vt Moyſes dicit, Deum qui ipſum genuit, & adhæſit Cæſari. Et non erit amplius populus eius, qui eum negaturus eſt. Improba gens, tempore Samuelis importunè ac ſine cauſa Regem ſibi dari petiit, ac tum etiam per ſingulos dies in ſuis ſynagogis,tot patriarcharum ac prophetarum vocibus, illum quotidie maximis expetebat votis: Mitte Domine quem miſſurus es: præſentem odit & negat, nunquam pòſt habitura. Iam igitur ipſis teſtibus ſublatum erat ſceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, cõtra quàm nunc docent. Miſera res eſt, nauis ſine gubernatore: domus ſine patre familias: Reſpublica ſine rectore: exercitus ſine duce: Regnum ſine Rege. Quod nos duplici hoc interregno abũdè ſatis probaui-
vtinam probemus nunquam: nec tamen cauemus, neque ta-
ſum ſaltum complanari atque muniri curamus. Non alia
quam quòd quidam in eo ſaltu non exiguum ſibi vectig-
tuerunt,& perierunt. Viuat igitur Rex meus,nec vno-
cerna eius. Verùm ea quæ ſequuntur videamus.

Deuteron. 21.

Dan. 9.

Volebat quondam diabolus per vxorem
uerſum diuini fauoris curſum iuſti Ioſeph im
& nunc per vxorem Pilati idem inimicus ho
ſe multa illa perpeſſam eſſe nocte, iuſti iſti
teſtimonium innocentiæ reddat creator
reddere noluit. Plura per ſomnũ gentili
vigilans Iudæa credere aut intelligere
circumſpecta animi prauitas: vt non
cuere manus, veluti ſi quis ſerpente

quod fieri non potest quin ipse prius mordeatur: aut si quis ignem manu sumat, vt hostem lædat: interim non aduertat seipsum comburi. Nihil igitur, inquit, sit tibi & iusto illi. Sed potentior est Deus quàm mulier aut diabolus: profecerunt nihil. In saluandis enim hominibus, inquit S. Leo, „ per crucem Christi, communis voluntas erat patris & filij, communéque „ consilium: nec vlla poterat ratione turbari, quod ante æterna secula & „ misericorditer erat dispositum, & incommutabiliter præfinitum.

Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, & magis tumultus fieret, seriò rem aggreditur. Ac vt testatum relinquat omnibus, neq; penes se, neq; penes reum vllam causam tantæ immanitatis fuisse, accipit aquam, & lauat manus suas, Hebræo fortasse more, iuxta illud: Lauabo inter innocentes manus meas. Lauisset cor potiùs quàm manus: quia quem interius absoluit, ídq; manuum lotione palàm testatur, paulò pòst damnaturus est. Lauat igitur manus coram vniuerso populo: additq; vocem testem conscientiæ suæ. Innocens ego sum à sanguine iusti huius, vos videritis: Ego iudex sum, allegata & probata sequor, conscientiæ vestræ innitor. Sed innocẽs esse non potest; qui iisdem labiis Iesum misit in crucem, quibus eum pronunciauerat innocentem. Noua sententia in nouo reo: nam cùm in aliorum nocentum damnatione, crimen & scelus in sententia primo poni meritò debeat; in huius decreto posita est iustitia. Debebatur talis sententia illi, qui est salus iustitia & redemtio nostra, vt liberè dicere possemus: Crucifixum adoramus, sed non adulterum, non sacrilegum, non aliquo crimine contaminatum. Non à Pilato tamen hæc primùm proficiscebantur; sed manus & voluntas eius, contra quem decretum ferebatur, hæc faciebat omnia. Quid enim magnopere ad Pilatũ pertinuit hæc ipsa manuum lotio? aut vnde illi ista religio? aut quis eum eo nomine appellare debuit vnquam? sed ipse, qui iudicabatur, qui damnabatur, hæc faciebat: ídque multas ob causas. Primùm, vt vltima iudicis sententia & istorum damnaretur perfidia, & eodem Ariana improbitas exploderetur decreto. Si enim hic est sanguis iusti: ergo hic est filius Dei, ita vti ipse verisimè professus est: et quo nomine captus, illusus, Pontíoq; Pilato traditus est. Denique vt omnibus constet, nobis autem sanguine eius redemtis inprimis, eum nullo suo meritò, sed propter nos ipsos nostrámq; salutem passum, crucifixum, mortuúmq; esse, hæc-
ipsa res, vltima causæ illius sententia, ad omnem posteritatis memo-
ntestata esset, & obsignaretur. Vt enim mors in carne ab Adam
ismissa, consumata est ab eius diuinitate; sic peccatum confe-
stitia, inquit Magnus Basilius.
ec temulenta Iudæa? num inusitata iudicis sententia per-
ad factum nouum exhorruit? num erubuit? Nihil minus.
ouo perfusa gaudio, scelerati voti compos facta exultat,
n magna cruce signat, in se, posterósque suos, crimen,
nem. Sanguis, inquiunt, eius super nos & super fili-
erunt illud: Cùm extenderitis manus vestras ad me, a-
uertam

auertam oculos meos à vobis. Manus enim veſtræ plenæ ſunt ſanguine. Viri ſanguinum in horas deteriores euadunt. Quem enim Deus ſemel deſpexerit, corriget nemo: & vbi ille deſtituerit, tum omnia ſurſum deorſumque ferentur. Omnia contra vos egiſtis ô miſeri. Nam & tum cùm Dominum ſpoliabatis, inquit Athanaſius, vos ipſos ſpoliaſtis: cùm ligabatis, vos ipſos ligaſtis: cùm flagellabatis, idem vobis feciſtis: cùm vulnera inferebatis, vobis intuliſtis: cùm illi illudebatis, vobis illuſiſtis: cùm condemnabatis, vos ipſos condemnaſtis: cùm morti addicebatis, tũ ipſi mortui eſtis: non Domino, ſed ſibi noxij. Vt enim, ſi quis lapidem manu ſecare velit, lapidem quidem non ſcindit, manum autem vulnerat; ſic contra Dominum agentes, vt potè incorruptibilem ſuam perniciem moliebãtur: & immortali mortem intentantes, ipſi in mortem rapiebantur. Parũ ergo illis fuit tanto ipſos contaminatos eſſe facinore, niſi eodem filios ſuos aſpergerent. Mollitur Adamas hirci ſanguine, horum pectora ſui Meſſię ſanguine molliri non poſſunt. Nihil tamen vobis tam atroci ſententia, opus fuit, quæ ſua ſequebatur natura. Peccauit ſiquidem Pilatus faciendo quod voluit; in veſtrum tamen exitium confluxit, quidquid veſter furor extorſit. Non fœdauerunt tamen ſanguine iſto, ſed mundauerunt magis veram patrum ſuorum ſobolẽ, veros & non degeneres filios Abrahę. hoc enim ſanguine paulò pòſt lotus Stephanus, vidit cœlos apertos, & hunc eundem Ieſum ſtantem à dextris Dei: hoc ſanguine Paulus aſperſus, meruit tertium cœlum adire: hoc Petrus claues regni cœlorum quæſiuit: hoc alii innumeri deinceps filii iſtorum quotidie lauantur & ſalui fiunt. Sit ergo, ſanguis illius & ſuper nos, ſuperq; filios noſtros; ſed longè alia ratione, quàm ſuper iſtos fuit: iſtis enim factus eſt in exitium, nobis in lauacrum, pretium atq; poculum; modò nos eo ſanguine dignos & gratos exhibeamus. Alioquin, inquit Bernardus, exquiretur à me ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram: nec immunis ero ab illo tam ſingulari ſcelere Iudæorũ, quòd videlicet tantæ charitatis ingratus fuerim, quòd ſpiritui gratiæ contumeliam fecerim, quòd ſanguinem teſtamenti pollutum duxerim, quòd filium Dei conculcauerim. Iſtos autem [illegible] an parricidas dicam potiùs eorumq; poſteritatem tali ſan[illegible] æquis oculis aſpiciemus, amabimus? his populos no[illegible] tos, hoc ipſo ſanguine reſperſos ſubiiciemus? mem[illegible] bus impudentiſsimis ſeruire cogemus? cùm his a[illegible] bia turpis lucri cauſa cõmunia habebimus? Si ſ[illegible] cuiusquam noſtrum in aliquo conſperſa veſtig[illegible] culis illum hominem aſpicere poſſemus? [illegible]r quàm frater, plus quàm pater eſt: verendú[illegible] dignitate aliquando offenſus Deus, cogat[illegible] re, qui nunc ſponte nos illis ſubiicimus. P[illegible] lus, iſtos quidem excitare, ac in priſtinan[illegible] mos inſerere: nos autem, qui oleaſter ſur[illegible] bus calcandos ſubiicere. Sed de his ſatis

Pilatus igitur volens satisfacere, non iam iuri, aut iusticię, vel æquitati, quod ipsa lotione manuum testatus est, sed istorum furori; tradit eum cupiditati eorum, ad cuius extremum iudicium virtutes cœlorum mouebuntur, infernus reddet mortuos suos, natura vniuersa contremiscet. Iob in acie statuit Vriam vt interficiatur. Ecce, inquit, ipse in manibus vestris est. Caue tu Stephane Rex, ne vnquam Christum tuum, eiúsq; membra voluntati aut cupiditati cuiusquam tradas; non si omnes mortales offendendi, non si sexcenties tibi moriendum esset, non si fractus illabi debeat orbis: ne timeas illos: pone modò istum Christum penes te, & cuiusuis manus pugnet contra te. Plures tecum sunt, si vel vnus Angelus Domini tecum sit: ne timeas fortissime virorum: in hac tua fortitudine vinces. Causa igitur tua Iesu Christe iudicata est quasi impii, causam iudiciúmque tu recipies, vt exinde sis iudex viuorum & mortuorum: Ne intres in iudicium cum seruis tuis Domine; quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

2 *Reg.* 11.

Iob. 36.

Psalm. 142.

Et hoc quidem modo tradiderunt Madianitis atque Ægyptiis impii fratres iustum Ioseph: hoc similiter tradiderunt Romanis, Romanóque præfecto, Christum Dominum ad illudendum, flagellandum, conspuendum, ac ad extremum crucifigendum perditi Iudæi. Hácque eadem ratione eorundem Iudæorum nefaria propago, Ebionitæ, inquam, Samosatenses, Ariani, cæteríque hæretici, hunc ipsum Christum parricidali impietate Iudæis, Turcis, ac Saracenis, vt item illudant ei, flagellent, ac conspuant, spinis coronent eum, & si ad extremum fieri posset, crucifigant, produnt ac impio ære vendunt. Tradunt autem non manibus, sed moribus, disidiis, blasphemiis ac perditissimis dogmatibus suis, quæ isti, dum vident, corrumpuntur, viámq; veritatis deserunt, ac nomen Iesu Christi, eiùsque sacrosanctæ religionis rident ac proscindunt: Propter vos, inquit, nomen meum malè audit in gentibus. Nos stultos & insanos putãt, qui tam laceram, tam discordem religionem cultúmque amplexi sumus. Quis enim ex his qui foris sunt eum cœtum sequatur, quis laudet, suspiciat, & non potius damnet ac irrideat? qui in tot hæreses, in tot disidentia schismata sit dissectus potius quàm diuisus: & qui de suis sacris & mysteriis, tam malitiosè, tam petulanter, tam impudicè sentiat & loquatur; non modóque his istorum moribus ad lucem veritatis infideles non rede
ur, sed magis in suo errore, tenebrísque confirmantur? Ad quos enim
po in hac sententiarum varietate se conferant, aut quomodo illos se-
, qui ipsi vbi certò defigant pedem non habent? ita vt planè por-
sæ salutis, Iudæis, omnibúsque gentibus, sectis ac disidiis suis,
ibus inquietis, & disidentibus dogmatis suis obstruxisse vi-
ciem eius dicent isti, non conspuimus, maxillam non percus-
m flagris non affliximus: at vnicam eius sponsam Ecclesiam,
os de ossibus, membrum de membris eius, tot calum-
s dilaceratis: at matrem eius virginem sanctam, impu-
ties proscidistis: at faciem æternæ eius diuinitatis, quod
lon-

longè turpius est, tot nefandis blasphemijs conspuistis: coronam spineam capiti eius non imposuimus; at æternitatis & omnipotentiæ diadema ex capite eius nefariè detraxistis. In crucem saluatorem mundi non sustulimus; at ex solio dextræ patris impiè & sceleratè detrahere conati estis. Regem nostrum non occidimus; vt hominem non occidistis, vt autem verum Deum quantum in vobis est, Ariana perfidia, quæ inter vos posuit sedem suam, extinguere molimini, dum eum in æternitate natum, & viuentem non agnoscitis, nullo vnquam tantum scelus dignè expiaturi æuo. Assume Domine zelum pro sponsa tua, & pro nomine sancto tuo. Sed ad alia transeamus.

IOSEPH.

Tulerunt autem tunicam eius, & in sanguine hædi quem occiderant tinxerunt, mittentes qui ferrent ad patrem & dicerent: Hanc inuenimus: vide vtrum tunica filij tui sit, an non? *Gen. 37.*

EVANGELIVM.

SVsceperunt autem Iesum, & postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamydem, & induerunt eum vestimentis eius: & eduxerunt eum, vt crucifigerent eum. Et baiulans sibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locus, hebraicè autem Golgotha. Exeuntes autem, & cùm ducerent eum, inuenerunt, apprehenderunt, prætereuntem quendam hominem Cyrenæum, nomine Simonem, venientem de villa, patrem Alexandri & Rufi: hunc angariauerunt, vt tolleret crucem eius: & imposuerunt illi crucem portare post Iesum. Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum. Conuersus autẽ ad illas Iesus dixit: Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros; quoniam ecce venient dies, in quibus dicent tæ steriles, & ventres, qui non genuerunt, & vbe- ctauerunt: tunc incipient dicere montibus, Ca- collibus, Operite nos. Quia si in viridi ligno h- quid fiet? Ducebantur autem & alii duo n- terficerentur. Et perducunt illum, & ver- citur Golgottha, quod est interpretatur derunt ei vinum myrrhatum bibere cu- gustasset, noluit bibere, & non accepit. locum, qui vocatur Caluariæ, ibi cruc- cifigunt cum eo alios duos latrones, *Matth. 27. Mar. 15. Luc. 23. Ioan. 19.*

tris, & alterum à sinistris eius, medium autem Iesum. Et impleta est scriptura, quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est. Scripsit autem & titulum Pilatus, & posuit super crucem. Et imposuerunt super caput eius causam eius scriptam. Et erat titulus causæ eius inscriptus super eum literis græcis,& latinis, & hebraicis: Hic est IESVS NASARENVS, REX IVDAEORVM. Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt, quia prope ciuitatem erat locus, vbi crucifixus est Iesus. Et erat scriptum hebraicè, græcè, & latinè. Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum: Noli scribere, Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi. Iesus autem dicebat: Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Milites ergo cùm crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius, & fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem, & tunicam. Diuidentes verò vestimenta eius, miserunt sortes super eis, quis quid tolleret. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit, vt scriptura impleretur, dicens, per Prophetã dicentem: Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt: & sedentes seruabant eum. Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum. Prætereuntes autem blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes: Vah, qui destruis templum Dei, & in tribus diebus illud reædificas: saluum fac temetipsum, descendens de cruce: si filius Dei es, descende de cruce. Et stabat populus expectans. Et deridebat populus cum eis. Similiter enim & principes sacerdotum illudentes, ad alterutrum cum Scribis & Senioribus dicebant: Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere: si Christus Rex Israel est, descendat nunc de cruce; vt videamus & credamus, & credemus ei: se saluum faciat, si hic est Christus Dei electus. Confidit in Deo, liberet nunc eum, si vult. dixit enim: Quia filius Dei sum. Illudebant autem ei & milites, accedentes, & acetum offeren[illegible], dicentes: Si tu es Rex Iudæorum, saluum te fac. Idi[illegible]tem & latrones, qui erant crucifixi cum eo, improperabãt autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat s: Si tu es Christus, saluum fac teipsum, & nos. Re[illegible]item alter, increpabat eum, dicens: neq; tu times De[illegible]n eadem damnatione es? Et nos quidem iustè, nam [illegible]ecipimus, hic verò nihil mali gesit. Et dicebat ad memento mei, cùm veneris in regnum tuum.

Et di-

Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso, Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matriseius Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ. Cùm vidisset ergo Iesus matrem,& discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam. Erat autem ferè hora sexta,& facta hora sexta,tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vsque in horam nonam. Et obscuratus est sol. Et circa horam nonam, exclamauit Iesus voce magna dicens: Eli, Eli,Lamma sabacthani: quod est interpretatum, Deus meus,Deus meus, vt quid dereliquisti me? Quidam autem illic stantes, & audientes dicebant: Ecce Eliam vocat iste. Postea sciens Iesus, quia omnia iam consummata sunt,vt consumaretur scriptura,dicit: Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circum ponentes, obtulerunt ori eius. Continuò enim currens vnus ex eis, acceptam spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere, dicens: Sinite, videamus,si veniat Elias ad deponendum eum. Cæteri verò dicebant: Sine videamus,an veniat Elias liberans eum. Cùm ergo accepisset Iesus acetum,dixit: Consumatum est. Iesus autem iterum clamans voce magna ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens emissa voce magna,& inclinato capite, tradidit spiritum. Et ecce velum templi scissum est medium, in duas partes, à summo vsque deorsum,& terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciui-
tem, & apparuerunt multis. Videns autem centurio, qui
uerso stabat, quod factum erat, quia sic clamans expir
rificauit Deum dicens: Verè hic homo iustus erat
mo filius Dei erat. Et qui cum eo erant custod
terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt
filius Dei erat iste. Et omnis turba eor
spectaculum istud, & videbant quæ
ra sua, reuertebantur. Erant autem
ge aspiciētes,quæ sequutæ erant I
inter quas erat Maria Magdalen
seph mater, & mater filiorum
Galilæa, sequebantur eum,& r
simul cum eo ascenderant Hi

nes noti eius à longè, & mulieres quæ sequutæ eum erant à Galilæa hæc videntes.

Meditatio Quinta.



Accipiunt & isti Ioseph, an tunicam potiùs illius,& vestimentũ tantùm. Sola siquidem humanitas eius, manibus eorum subiecta erat: sola illorum voluntati tradita: sola omnibus illorum exposita iniuriis. Ipsum Dei verbum, inquit Damascenus, omnia sustinuit carne, diuina eius sola natura impassibili perdurante. Nam vno Christo, ex deitate & humanitate composito, in deitate & humanitate exi-
» stente, patiente, hoc quidem passibile, vt natũ erat pati, patiebatur; at non
» simul patiebatur, quod erat impassibile. Nã anima passibilis existẽs, inciso
» corpore, ipsa nõ incisa condolet, & compatitur patienti corpori: at diui-
» nitas impassibilis existens, non cõpatiebatur corpori. Et id sciendũ, quòd
» dicimus Deũ carne passum; diuinitatẽ autem carne passam, aut Deum per
» carnem passum, nequaquam. Vt si quis arborem vndiq; radiis solaribus,
» circumfulgentem ac circumdatam, securi excidere vellet, arborem quidẽ
» ipsam scindet ac feriet: solem autem radiósq; eius vndique arborem co-
» illustrantes, nequaquam lædet; neq; enim natura solis hoc patitur, neq;
» id solis radius admittit. Et quemadmodum, si quis ignito ferro superinfun
» dat aquam, quod quidem natũ est pati, ab aqua (ignis dico) extinguitur:
» incolume verò manet ferrum; non natũ enim est ab aqua corrumpi: mul-
» tò magis carne passa, sola impassibilis diuinitas, passionem non admittit,
» inseparabilis ab ipsa permanens. Non tamen necesse est omnimodè & si-
» ne quocunque defectu, exempla imaginem referre: quandoquidem ne-
» cesse est in exemplis, & simile contemplari & dissimile; alioqui non esset
» exemplũ, (nam quod in omnibus simile, idem profectò fuerit non exem-
» plũ) & maximè in diuinis. Hæc ille. Quo quidẽ nec dissimili modo & nunc humanitas quidem Christi, tanquam aliquod Ioseph vestimentum ferebatur, agebatur, scindebatur, sanguine perfundebatur: diuinitas verò imperabat, leges dabat regnabat, ac cuncta quæ fiebant disponebat. Et charquidem conscissa fuit, verbum autem æterni patris æternum mansit.

Exuit igitur tertiò ludibrii vestimentis magnus Sacerdos: indui-
is ille sit, dum publicè in locum supplicii ducitur, vel ex do-
itis ab omnibus agnosci possit. Educunt isti ex vrbe
suam pariter ipsi miserè instar Cain signandi, sine
te, si Proeta futuri, profugi, exules, extorres,
diuini icii n se circumferentes. Et baiulans sibi
im qui dicitur Caluariæ locum; non enim illi soli vr-
ale debebatur sacrificium, nec vllis terminis
at. Educitur Abel à fratre vt perimatur:

portat

portat Isaäc ligna ad victimæ locum: adest Abraham cum ariete vepribus hærente: adest Ioseph cum fasce somniato, & tunica talari sanguine lita: adest Moyses cum virga & serpente suspenso in ligno: adest Heliseus cum ligno ad quærendam securim, quæ in imo demersa est: adest Ionas de ligno in mare ventremque Ceti proiectus. Portat strenuus miles hastam, qua deiecturus erat aduersarium: portat bonus pastor ouem in humeris suis: portat Sacerdos altare suum, non tanquam mediator, sed tanquam præuaricator; pro cydari spinis, pro stola cathena vsus: nam & victima qua confirmabatur testamentum, extra septa populi immolabatur. Grande spectaculum: sed si spectet impietas, grande ludibrium; si pietas, grande mysterium. Videt impietas regem pro virga regni lignum sui portare supplicij; videt pietas regem baiulantem lignum ad seipsum figendum, quod fixurus erat etiam in frontibus regum, spernendum oculis impiorũ, in quo erant glorificatura corda sanctorum. Ipsam crucem suam gestans humero commendabat; & lucernæ arsuræ, quæ sub modio ponenda non erat, candelabrũ ferebat: Et factus est principatus eius super humerũ eius: *Isa. 9.* cùm ad irrisionem regiæ dignitatis, supplicij sui, iussus est portare trophæum. Qui igitur vult venire post illum, abneget semetipsum & tollat simi- *Matth. 16.* ter crucem suam, & sequatur eum. Sub qua, cùm deficere cœpisset partim propter eius pondus (quindecim enim pedum lignum fuisse scribitur) partim ob exhaustas nocturno diurnoque labore & dolore vires, & quod ad rem magis pertinet, propter totius mundi peccatorum onus, quod in ligno ferebat, (sedebamus enim omnes in ligno cum pondere peccatorũ nostrorum) partim etiam illorum causa, qui sub cruce aliquando deficere quidẽ, non tamen succumbere aut cadere debebant. ne igitur priùs, quàm illi rabiem suam explere possint, ipse caderet, Simonem quendam Cyrenæum, hominem rusticanũ, (nefas enim & infame fuit homini ingenuo, aut vrbano tale contrectare lignum) qui cum eo simul crucem ferat, cogunt. Gẽnus hominum rusticum, cruci portandæ natum, beatum, si modò patienter illam ferat. Nam & huic Simoni ea res posteritatique eius inter Christianos honorifica fuit, & nunc est, & Deo proculdubiò gratissima: ipsi certè indigni erant, qui tam sanctum vel co[illegible]
let autem quosdam necessitas adigere ad fe[illegible]
enim ita facilè quis spontè Christi crucem s[illegible]
tas, quæ propellit ad salutem; malorum[illegible]
Quis dedisset porrò mihi tunc tecum Ie[illegible]
cis tuæ portasse? Feram igitur eam nu[illegible]
etiam in capite meo: & vtinam digne[illegible]

Sequebatur autem eum turba popu[illegible]
nis nonnulli causa, spectatum alij, vt ir[illegible]
re suo plangebant & lamentabantur [illegible]
& qui antea regibus & præsidibus non r[illegible]
corde eum quærentibus nunc conciona[illegible]
rum, eius crudelitatis gratia euentura er[illegible]

nam impietatem, quæ omnium malorum causam, ipsius adeò perditionis, in Christum, eiusq; æterni patris prædestinationem confert, illiq; longè grauiorem crucem imponit, refutat: Filiæ Hierusalem nolite, inquit, flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Super istos fundantur istæ lacrymæ, quos tales viscera vestra pepererunt. Perditio igitur tua ex te ô Caluine, salus autem ex Domino Deo tuo. Damnat similiter & ridet planctum hodiernæ diei confusio hæretica, in eóq; confutando, testimonio huius loci abutitur. Nolite flere super me, sed super vosipsas flete, & super filios vestros. Quasi verò aut nos, aut quispiam Christum defleat, & non potiùs peccata sua, quæ tantæ mortis tantorumque laborum causam, & occasionem dederunt, dantq; quotidie: quæ ipsa hodierno die summus hic ipse Sacerdos & Pontifex, cum lachrymis & voce valida in cruce deplorauit, pro illisq; felle & aceto potatus est. Non igitur nos prohibet flere aut mœstos esse, quin potiùs grauissimè conqueritur se non inueniisse, qui condoleat illi, & qui conteratur super contritione Ioseph; sed modum potiùs & veram causam planctus, quæ esse debeat, docet, ac præscribit, peccata, inquam, nostra. Plangent eum planctu, inquit Zacharias, quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti: in die illa magnus erit planctus in Hierusalem. Lachrymæ huius diei, thesaurus alterius vitæ est. Verùm maius quid spectat hoc loco veterator antiquus, vt scilicet repellat à nobis precium nostrũ, vt dum non compatimur Christo, non conregnemus: dum illi non condolemus, non congaudeamus; vt crucis expertes, à gloria excludamur. Tu ergo, luge, dole, & lacrymare: quia tantarum pœnarum causam attulisti: quia tantis beneficiis ingratum animum hactenus attulisti: quia fortasis hæc mors Domini tui, non medelam & gloriam, sed maiorem damnationẽ tibi est allatura. Quàm autem hæc impleta sint omnia, quæ præsens Propheta noster piis fœminis prædicit, alias copiosius diximus.

Lucæ 23.

Zach. 12.

De causis supremi excidij Hierosoly.

Ducebantur autem & alii duo nequam maioris infamię causa cum eo, qui tamen crucem in humeris suis portare non cogebantur, quorum alter paulò pòst gloriæ & triumphi illius testis & præco futurus erat, alter laquei Iudæ socius. [illegible] risti confessor esse noluit, vt pro iniquis iustus Ioseph [illegible] taretur, qui solus sine macula inuentus est.

[illegible] locum qui dicitur Golgotha, quod est interpre-

Eamus & nos, & moriamur cum eo. Exeantes improperium eius; nec enim sufficit simt vsq; morari, & partem eius crucis cum eo simul [illegible] rimur, & conglorificabimur. Denudatur ergo in totius, vniuersi splendor & ornamentum. Denasius, cùm hominem introduceret in paradisum, n accepit cùm è paradiso eiiceretur. Aptatur

crux

crux interea, ille fit apparatus supplicij sui spectator. Matrem cogitate: matrem, inquam, huius tam infamis ac crudelis supplicij spectatricem cogitate. Solebant vino potari fontes, quo minus cruciatus persentirent, isti apponunt vinum myrrhatum cum felle mistum. Amara vitis, amarum vinum fert, quo potat vinitorem suum: Vua fellis, vua istorũ, & botrus amarissimus. Quomodo conuersa es in amaritudinem vitis a- *Deut.* 32.
liena? gustu fellis & aceti diluitur esca peccati. Inhospitalem hanc vocat Sibylla mensam, ad quam dum recumbit ille, qui dat escam omni carni, & pullis coruorum inuocantibus eum; non aliud certè secum reputabat, quàm illud Ieremiæ: Ego autem plantaui te vineam electam, omne semẽ *Ezech:* 16.
verum; quomodo ergo conuersa es mihi in prauum vinea aliena? Et illud ab Ezechiele prædictum: Radix tua & generatio tua, non de terra Iuda, sed de terra Chanaan; pater tuus non Abraham, sed Amorrhæus; mater tua non Sara, sed Cethæa.

Cruce parata Saluatori suo, ponunt eum in immiti lectulo mortis, extenditur vestimentum Ioseph cõtextum artificio spiritus sancti, oculos ad patrem dirigit: Fodiunt, inquit Dauid, (quis enim hæc disertiùs explicare *Psalm.* 21.
posset?) manus eius, & pedes eius: dinumerant, id est, ita extendunt, vt rectè dinumerari possint, omnia ossa illius. Foditur dextera primùm illa, quæ iustis supremum illud præmium redditura est: Venite benedicti pa- *Matth.* 25.
tris mei, possidete paratum vobis regnum à cõstitutione mundi. Transfigitur sinistra, quæ carnifices istos, & eorum progeniem extrema plaga percutiet. Aures benedictæ matris ictus malleorum istorũ audierunt, & crebras illas percussiones in medio cordis acceperunt, oculi quoq; illius spectaculum hoc intueri potuerunt, mori non potuerunt. Expansæ manus, inquit Clemens Alexandrinus, significant genus humanum iam solutum peccati vinculis. Subleuatur hostia Deo gratissima, sacrificium vespertinum, precium mundi, arcus æternæ pacis & fœderis extenditur, botrus cœlestis in ligno appenditur: Achab mutato ves[illegible]
dit suum: Dauid pugnaturus contra Goli[illegible]
culo & quinq; lapidibus pergit ad eum
maiestatis gloriæ suę: subleuat Moy[illegible]
recumbit Elisęus super puerum vidu[illegible]
ad cuius præsentiam franguntur pe[illegible]
exaltatur serpens in deserto, vt antiq[illegible]
populum signum salutis, arbor cuius
vita nostra ante oculos nostros: per
stræ plenus, non corruptibilibus au
vnigeniti patris filij. Subleuato corp
vniuersaq; eius concutiuntur viscera
guine, aër purgatur manuum extensi
fuit, è terra quoq; summoueretur, & e

Flecte ergo ramos arbor alta
Et vigor lentescat ille, que

Vt superni membra regis, miti tendas stipite.
Sola digna tu fuisti ferre secli pretium,
Atque portum præparare nauta mundo naufrago,
Quem sacer cruor perunxit, fusus agni corpore.

Salutauit in spiritu multis annis antè, lignum hoc, Iacob Patriarcha: summitatemq; virgæ eius, vt inquit Paulus, in fide adorauit. Salutauit Salomon: Benedictum, inquit, lignum, per quod fit iustitia. Salutauit Sibylla:

Hebr. 11.
Sap: 14.
Sibyl: lib: 6.

O lignum felix in quo Deus ipse pependit,
Nec terra capit sed cœli tecta videbis,
Cùm renouata Dei facies ignita micabit.

Crux autem pretiosa fit triumphale signum, lignum humile exaltatur, cui mundus inclinat caput, quod adorant angeli, quod tremunt dæmones; sola contemnit ac ignibus subiicit impia hæresis. O admirabilis igitur, inquit S. Leo, potentia crucis! ó ineffabilis gloria passionis, in qua & tribunal Domini, & iudicium mundi, & potestas est crucifixi! Traxisti enim Domine omnia ad te: & cùm expandisses tota die manus tuas ad populum non credentem, & contradicentem tibi, confidendæ maiestatis tuæ sensum totus mundus accepit. Traxisti Domine omnia ad te, cùm in execrationem Iudaici sceleris, vnam protulerunt omnia elementa sententiam cum obscuratis luminaribus cœli, & conuerso in noctem die, terra quoq; motibus quateretur insolitis, vniuersáq; creatura impiorum se vsui negaret. Traxisti Domine omnia ad te, quoniam sciisso templi velo, sanctasanctorum ab indignis Pontificibus recesserunt; vt figura in veritatem, prophetia in manifestationem, & lex in euangelium verteretur. Traxisti Domine omnia ad te, vt quod in eo Iudææ templo obumbratis significationibus tegebatur, pleno apertóq; sacramento, vniuersarum vbiq; nationũ deuotio celebraret. Nunc enim & ordo clarior Leuitarum, & dignitas amplior seniorum, & sacratior est vnctio Sacerdotum; quia crux tua omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte. Nunc etiam carnalium desideriorum necessitate cessante, omnes differentias hostiarum, vna corporis & sanguinis tui implet oblatio, quoniam tu es verus agn[illegible], qui tollis peccata mundi; & ita in te vniuersa pernum est pro omni victima sacrificium, ita vnum de

Exech: 17.

[illegible]. Ascendamus igitur & nos ad palmam, & appre-

[illegible], & cum eo alios duos latrones hinc & hinc,
[illegible]nistris, medium autem Iesum. Tres in carce-
[illegible]uit Bernhardus, tres in cruce: Ioseph, siqui-
[illegible]egis carcerali, custodia mancipatus: Chri-
[illegible]atis duobus vtiq; reputatus est; vt causa illi-
[illegible]tur. Vt qui inter patrem & spiritum san-
[illegible]ominum mediator existit, qui nuper glorio-
[illegible]am in monte Thabor apparuit, qui sedet super

Cheru-

Cherubim, tectus alis Seraphim, & qui olim iudex viuorum & mortuorũ venturus est; ille nunc damnatus nostri causa, medius inter duos latrones pendeat. Sed nescit humanis sordibus inquinari fons omnis puritatis. Illustratur etiam hominum probris fons omnis gloriæ. Inuenit illic condemnatus, quem ex latrone faceret paradisi ciuem; tantùm aberat, vt supplicij societas contaminaret ipsum. Audiant hæc omnes gentes, auribus percipiant omnes qui habitant orbem, quíque terrigenæ & filij hominum, simul in vnum diues & pauper. Quis vnquam audiuit tale, aut quis vnquam vidit quid simile? Magis es mirabilis, Domine, in humilitate nostra, quàm in maiestate tua. Tuæ igitur victorioſæ crucis regale vexillum in nomine tuo Christe adoro, tuum spineum Diadema, clauos, tua vulnera exosculor.

Et imposuerunt super eum causam ipsius, ob quam damnatus est, scriptã literis Græcis, Latinis, & Hebraicis; vt ne quis ignoret, vt quæ merces in hac crucis officina venũ exponantur, omnes sciant: HIC EST IESVS NAZARENVS, REX IVDAEORVM. Præstans edera. Hic est qui venturus est in salutem populi: Hic est salus nostra, & redemtio Israël: Hic est rex omnium gentium & omnium linguarum: Hic est fons omnis sapientiæ ac scientiæ, & de plenitudine eius accepimus omnes. Quia enim rex simul & sacerdos est, inquit Rabanus, cùm carnis hostiam in altari crucis offerret, regis quoq; dignitatem titulus prætendit. Promulgatur nunc primùm à Pilato ad omnes gentes, inquit Euthymius, regnũ Christi, causa mortis; traditum eum morti, vt nos pararet sibi regnum, ac perpetuam hæreditatem. Rex natus est, rex moritur, in cuius fœmore postea Ioannes scriptum vidit: Rex regum, & Dominus Dominantium. Non scribitur autem causa eius, quia se filium Dei fecit, hoc enim verisimum fuit, nec ea causa à Pilato damnatus est, ad quem ea res nihil pertinebat, sed quia regnum affectauit, quod ipsum tamen nunquam fecit. Quo igitur nomine tunc à Pilato absolutus est, nunc ab Arianis damnatur. Signi-
cabat autem Deus, futurum vt imperiũ Christi amplecterentur. &
tes quiq; quales erãt Græci; & potentes, quales Romani; & il
etas ac religio ante omnes elucebat, quales fuerant Hebr
ptiuitatem Christi redigatur omnis mundi sublimitas:
celebret Christi maiestatẽ, & Iudæorum perfidiam
hoc loco tres eruditas linguas, quas passim indo
quam, Græcam, & Latinam, Spiritus sanctus; o
niuersas gentes alloqui, sacra per orbem c
magna sublimiter, sacra sanctè peragan
males homines prophanant, vulgúso
igitur reges, ament principes, ame
ceps regum causam suam, titulós
it: quicquid sanctum, quicqui
magnificum & illustre in om
quam mundissimis vasis cor

omnem eruditionem, omnem antiquitatem prophanari, atq; aboleri necesse erit. Quod non ita pridem his neglectis à maioribus nostris probatum fuit: & ne iterum posteritas probet, vehementer metuendum est. Iam enim à longè prospicio nubes ac nebulas quasdam, quæ magnã stragem & calamitatem huic segeti minari videntur, nisi iustis præmiis ingenia hominum, studium, atque industria excitentur.

Pupugit ea inscriptio malè conscium Iudaicæ gentis pectus. Inclamauerunt omnes: Noli scribere rex Iudæorum (nostra enim hæc contumelia est) sed quia ille dicit regem se esse Iudæorum. Quomodo item Caiphas dixit, filium Dei se fecit. Si igitur Ariana impietas hinc colligit, Deum verum non fuisse, propterea quòd Caiphas dixit, eum filium Dei se fecisse, neget & regem, neget & prophetam cum hac turba, quæ similiter dicit, eum regem se fecisse. Longè enim disertiùs Deum Deiq; filium, quã regem aut prophetam se esse professus est. Conantur ergo crucifixo auferre famam, qui viuo auferebant vitam. Verùm diuina non mutantur decreta, non mutat titulum Pilatus: non corrumpit Dauid in tituli inscriptione: Propterea, inquit Augustinus, Pilatus quod scripsit, scripsit, quia Deus quod dixit, dixit. Et causæ quidem summi regis descriptio hæc fuit, hic verissimus & sanctissimus titulus.

Aug. in psal. 55.

Ipse autem rex arcum suum extendit, sagittas suas vibrauit, & parauit eas, sagittas, inquam, amoris, & charitatis. Sicut enim serpentis vox de arbore scientiæ boni & mali sibillando venenum inspirauit, ita postremæ voces Christi de arbore crucis efficaces fuerunt ad nostram salutem, & vehementer ignitæ, à summa charitate profectæ.

Atque inprimis verum Pontificem & mediatorem se esse docens, qui posit etiam pro inimicis suis exorare, in ipsa eleuatione manuum suarum, cùm iam sacrificium matutinum in holocaustum vespertinum transiret, in ipsa, inquam, virtute incensi, quod cœlos ascendebat, terram operiebat, inferos respergebat; exaudiendus pro sua reuerentia, clamat, Pater ignosce illis. Inauditum dicendi genus, noster exorditur orator, primamque sagittam dilectionis & pietatis, pro suis ad patrem dirigit inimicis, factáque est vox Domini in virtute: Pater, inquit, ignosce illis, nesciunt quid faciunt. Cygnea verba: is qui hactenus in propria [illegible]it, & nisi adiuratus vix vt loqueretur adduci potuit; nunc causa im[illegible] in cruce disertus est. Orat autem Christus pro suis occisoribus; tu [illegible]abis pro detractoribus? Magni testamenti sunt hæc verba vltima, perpetuò in filiorum memoria defigenda; vt [illegible]ti sanguine conscripta priuilegia videant, ac tanquam ex cathedra [illegible]uandam deuotionis doctrinam legant. Solebat enim magister [illegible] docere & facere, exemplo seruare doctrinam; nec tam verior, quàm testis esse, vt sit & redemtor simul & doctor. Vide [illegible]ini, inquit Bernardus, quæ posuit prodigia super terram, [illegible]inis coronatus, clauis confossus, affixus patibulo, op[illegible]nium tamen dolorum immemor, Ignosce, ait illis.

Hinc

Hinc multæ miſeriæ corporis, hinc multæ miſericordiæ cordis, hinc dolores, hinc miſerationes, hinc oleum exultationis, hinc ſanguinis guttæ decurrentis in terram. Excuſat igitur inimicos ſuos, non accuſat, neque enim attendebat quòd ab illis, ſed quòd pro illis moriebatur: Neſciunt, inquit, quid faciunt. Et verè neſciebant, putabant enim illi hunc ipſum CHRISTVM, quem tam inhumanè tractabant, capitalem eſſe hoſtem & aduerſarium ſuum: at ille tunc curabat eos, ac in brachiis ſuis portabat. Arbitrabantur, viuo ac ſuperſtite illo, Romanos venturos, ac imperium eorum & vrbem ſubuerſuros, venerunt vbi mortuus eſt. Opinabantur hoc modo nomen eius ſe vel extincturos, vel maximè omnibus exoſum reddituros, ſub infami crucifixi titulo; & tum inprimis illuſtre reddiderunt. Hac eadem morte credebant, memoriam eius ſimul cum vita ſe abolituros: regnum, imperium, opes, & libertatem ſuam aucturos, & memoriæ quidem illius ſempiternum trophæum excitârunt; ſe autem & ſua omnia amiſerunt. Et cùm maximè contra commoda ſua pugnabant, tum ea ſe plurimùm ſtabilire arbitrabantur; cæca enim eſt malicia, tunc ſe maximè putat proficere, cùm plurimùm deficit; tunc ſtare, cùm labitur; tunc oriri, cùm interit. Quod idem fratribus noſtri Ioſeph accidiſſe legimus. Quem enim perire per inuidiam voluerunt; hunc dominum vniuerſę Ægypti ac ſuum deniq;, hoc vno facto conſtituerunt, manipulumq; cui ſeruire recuſabant, ipſimet manibus ſuis in throno gloriæ locârunt: neſcit ergo improbitas, neſcit inuidia quid agat. Sed & nos ſimiliter plerunque quid faciamus, neſcimus: nam & hæ voluptates, hæcq; ipſa incontinentia, quam putamus nos alere & conſeruare, ſæpiùs nos perdit; & hæc ambitio, quam exiſtimamus nos in cœlum ferre, deprimit & deiicit; & opes iſtæ quibus diuites eſſe nobis videmur, ſæpè fame & ſiti nos conficiunt. Neſciunt ergo iſti quid faciunt, ſed neq; nos ſcimus, quando peccamus. Maledixerat Semei Dauidi, fugienti 2 R
Abſalonem: diſsimulauit tunc ille pro tempore iniuriam, at moriens ſeri
filio præcepit: Habes apud te Semei filium Gera, filij Iemini de Ba
qui maledixit mihi maledictione peſsima, quando ibam ad c
quia deſcendit mihi in occurſum, cùm tranſirem Iordane
per Dominum dicens: Non te interficiam gladio: tu n
innoxium. Vir autem ſapiens es, vt ſcias quid facies
eius cum ſanguine ad inferos. Non idem facit nc
pro ſuo Semei, eum excuſat ac tuetur: adeſt ca
que, ſed cum lacrymis & clamore, inquit Pa
ſua reuerentia exauditur. Flet iſte, vt no
credo equidem, tum, niſi hic tantus aduc
terram ipſam ſceleris illius immanitate
viuos eos abſorpturã, aut ignem ſeo
ſcenſurum, qui homines nefarios r
docuit bonus magiſter, orat pr
mus imperatoris miles Steph

nique sancti omnes cæteri. Facit & porrò faciat meus Rex Stephanus, cuius ego diuinam & planè propriam in condonandis iniuriis virtutem agnoui. Rediisset tunc Iudæa perdita ad se, atque illa verba Saulis vsurpasset: Nunquid vox hæc tua est fili mi Dauid? iustior es tu quàm ego. Sed nihil horum: muta est vbi alto clamore profundis lacrymis opus fuit. Confessa fuisset: Pater ignosce nobis, nescimus quid facimus: nec sumus digni cœli ac lucis huius vsura, quæ ipsa à nobis conspectum suum auertunt, sed tacet ac tanto patrono causam suam deserit. Nos tamen ne deseramus, loquatur ille pro nobis: Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.

Multa pertulerat hactenus Christus Dominus in animo suo, multa in honore & existimatione, plurima in corpore, supererant perexiguæ fortunæ; & in his aliquid causa nostra perpeti voluit. Duo sola paupertatis magister & retributor vestimenta habuit, ille qui omnium nuditatem vestit, quibus & ipsis denudatur, vt & nos nudi nudum Christum sequi discamus. Nudus enim peccauit primus Adam; nudus etiam satisfacere debuit secundus Adam. Apotheosis ista paupertatis fuit. Et hæc igitur vestimenta precium funesti laboris occupant carnifices; & alterum quidem maius & insignius, in oculis totius populi, Christo, matréque eius inspectante, inter se diuidunt; de alio inconsutili, vel quòd commodè diuidi non potuit, vel vt & hac ratione fidei Christianæ Catholicæque Ecclesiæ indiuisa virtus & vnitas declaretur, inter se sortiuntur. Retulerunt factum hoc Euangelistæ omnes: retulit iisdem ferè verbis Dauid: Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Quæ autē causa sit eius tam diligentis commemorationis (neq; enim quidquam frustra & temerè hoc loco dici aut fieri videtis) paucis consideremus. Forma hæc & species dispensationis, sortis ac hæreditatis eiusdem Iesu Christi, bonorum, inquam, ecclesiasticorum, in omne futurum tempus esse debuit. Ideóq; de aliorum latronum vestimentis, quid actum sit nihil legimus. Videre enim licet hoc loco expressam quandam imaginem similis dispensationis, an potiùs direptionis, eorūdem bonorum. Vbi enim quid se offert, quod Domino careat; ibi similiter videas, si maius aut pinguius quod vestimentum est, partem eodem modo fiscum, partem aulam, partem equestrem ordinem, partē militem, partem nepotes & abnepotes ferre & agere; Christo autem Domino, sponsæq; eius, Apostolis, Apostolicisque viris, relinqui nihil: si quid autem minutius, & quod rectè diuidi non possit, obtigerit; tum de hoc clerum ipsum inter se sortes mittere; sortes autē [illegible] e, emptiones, venditiones, permutationes, coadiutorias, expe- [illegible] s, & id genus alia monstra Symoniaca, eodem Christo, matréque [illegible]e sponsa Ecclesia, etiam nunc hæc eadem ex cruce & sub cruce & dolente. Cuius quidem sortis ac hæreditatis suæ Deus pa- [illegible] eius, diuersis temporibus, diuersos & multiplices dispenre quæsiuit, Antistites, prouinciarum primùm; quod lis Ecclesiæ partibus, non malè veteri more fit: po-

Psal. 21.

pulos

pulos deinde vniuersos, clerum demùm, reges ac principes seculares vltimò: nusquam tamen tuta fides. Deus virtutum conuertere, respice de cœlo & vide & visita vineam istam, & perfice eam, quam plantauit dextera tua; vindemiant enim eam omnes, qui prætergrediuntur viam. Verùm hæc alterius loci sunt & querelæ. *Psal. 19.*

Et milites quidem Romani parum aut nihil amplius in Christum, aut feciſſe aut dixiſſe creduntur; ſed ex more veteri, corpora pendentium tantiſper dum morerentur aſſeruaſſe dicuntur. Quid tum Iſraël? num illa tam benigna, quæ pro illo fundebatur, emolitus eſt deprecatione? num ad ſe rediit? num ingemuit? num pectus percuſsit? num cum fratribus Ioſeph confeſſus eſt, Serui tui ſumus, obſecramus vt obliuiſcaris ſceleris fratrum tuorum, & peccati atque maliciæ quam exercuimus in te? Nequaquam: ſed pro benedictione reddit maledictionem, pro oratione blaſphemias. Non ſufficiebat improbæ genti caput eius ſpinis & vepribus confodiſſe: oculos lacrymis & ſanguine obrutos ac perfuſos eſſe: collũ capite inclinato grauatum, manus & pedes vi clauorum premi & exedi, cor mœrore confici, totum corpus dolore & ardore ſolis liqueſcere, vt verum holocauſtum eſſet; niſi etiam blaſphemiis & conuiciis aures eius perſtringerent: & in quem manibus ſæuire non poterant, linguarum tela iacerent, vltráque fixuras clauorum, adderent tela linguarum. Quid hoc aliud fuit, quàm in cruce vulneri ſalis acrimoniam iniicere? Fit prodigium multis & commotio capitis in populis, caput noſtrum, gaudium noſtrum, honor noſter bonus Ieſus. Cham ridet patrem, Michol Dauidem. Vt igitur impleretur: Poſuit me quaſi in prouerbium vulgi, & exemplum eis: clamant iſti: Vah, qui deſtruis templum Dei, & in triduo reædificas illud. Vos ipſi perditi & ſcelerati homines, verum templum diuinitatis eius, carnem, inquam, illius fœdè laceraſtis. Nihil tamen aliud dicunt, nec aliis verbis, quàm illud quod olim per prophetas prædictum fuit. non aliam certe ob cauſam, quàm vt & ipſi, & totus cognoſcat mundus; nihil eos aut plus, aut minus contra illum, vel facere vel dicere potuiſſe; niſi quantum ille ipſe cum æterno patre & ſpiritu ſancto ordinauerat, multisque ſeculis antè prædixerat. Vt illis rectè illud obiici poſsit, quod Ioſeph quondam fratribus obiecit: non eorum ſe conſilio, ſed Dei voluntate illa omnia, quę ſuſtulit, perpeſſum eſſe. Quæ autem illę ſunt voces, quæ maledicta? Saluum fac teipſum, deſcende de cruce. Similiter principes ſacerdotum indefeſſa malicia vociferantur: Alios, inquit, ſaluos fecit, & nunc ſeipſum non poteſt ſaluare. Si filius Dei eſt, descendat de cruce, vt videamus & credamus ei. Atqui non erat prędictum S. Leo, Dominus deſcendit de ligno, ſed Dominus regnauit à ligno. Sic iſti ſcenici actores ſuo regi varia ſpectaculorum genera exhibuerunt. Eadem ſunt Arianæ & Ebioniticæ voces. Si filius Dei eſt deſcendat de cruce, ſi Deus, ſignum det, verum Deum, ac verum hominem ſe eſſe probet. Rursus vocem iterum, à magnifica gloria profectam: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Surrexit, quod *Gen. 50.* *Ioh. 17.*

tius est, de sepulcro: mortem vicit: portas inferi fregit: principem tenebrarum eiecit foras: orbem subegit: potestates seculi subuertit: idola nominaque illorum deleuit: regnum æternum, contra quod portæ inferi prævalere non possunt, extruxit: omnia ad se traxit; nec tamen illi credere vultis. Confidit in Deo, liberet eum (quasi vero fidere Deo scelus sit aliquod) si, inquit, vult. Blasphemat malignum consilium. Vbi est illa humanitatis lex, ô pontifices, afflicto nõ addendam esse afflictionem? misericordia vbi? sensus humanus vbi? omnia tamen hæc prius præuisa & prædicta fuerunt. Omnes videntes me, deriserunt me, locuti sunt labiis & mouerunt caput. Sperauit in Domino eripiat eum: saluum faciat eũ, quoniam vult eum. Et: Nam & fratres tui, & domus patris tui, etiam ipsi pugnauerunt aduersum te, & clamauerunt post te plena voce. Et in alio loco: Ego redemi eos, & ipsi locuti sunt contra me mendacium: Et nõ clamauerunt ad me in corde suo, sed vlulabant. Portabam eos in brachiis meis, & nescierunt quòd curabam eos. Verè positus est hic in signũ contradictionis. Memor ergo esto domine improperiorum tuorum, eorum, quæ ab insipiente sunt tota die. Ne obliuiscaris voces inimicorum tuorum, superbia eorum qui te oderunt ascendit semper. Quando igitur blasphemiæ nobis ingeruntur aut contumelia afficimur, siue spectaculo exponimur; hæc considerantes, omnem abiiciamus ab anima tumoris flammam: cogitantes simul, quod ipse quidem Deus erat, nos autem homines: ipse Dominus, nos autem serui: ipse sine peccato, nos autem peccatores: ipse à seruis patiebatur, nos autem à conseruis: ipse propter nos, nos autem propter nos ipsos: ipse quidem spectantibus Iudæis, Romanis & Græcis, nos verò coram paucis.

Psalm. 21. *Ieremi:* 12. *Oseæ* 7. *Psalm.* 73.

Sed & latro, ne quid malorum aut contumeliarum deesset, qui simul crucifixus erat cum eo, blasphemabat eum dicens: Si tu es Christus, saluum fac temetipsum & nos. Respondens autem alter increpabat eum. Magnum hoc miraculum in cruce operatus est Dominus. Nec tam ma-

Luc. 23.

[illegible] ones eiiceret, mari & ventis imperaret, mortuos susci-
[illegible] declarauit; vt nunc dum consputus in facie, clauis
[illegible] e contemtus malignam illam atque longo sce-
[illegible] is mentem immutat. Quando Petrus nega-
[illegible] ſus est sursum. De totius mundi sterilitate
[illegible] innocéntiæque suæ testem ac defenso-
[illegible] patronum inter fratres: inuenit apud
[illegible] enit Christus dominus apud Caipham
[illegible] nit in cruce latronem. Sed ne hoc i-
[illegible] x, vnquam eueniat, Deum precor.
[illegible] defensorem: habet Christus in cru-
[illegible] & exornantem, causámque illius
[illegible] t; qui in eadem damnatione es?
[illegible] em est, sed causa differens. Et
[illegible] imus: hic verò nihil mali gesit.

Decernit

Decernit latro in cruce, pro hostia quæ offertur, nullam in ea maculam ineſſe. Communis eſt hæc vox, & eſſe debet, in omni aduerſo tempore omnium. Ægrotat quis, dicat: nos quidem iuſtè patimur, hic autē quid mali fecit? Infamiam ſuſtinet, dicat eodem modo: ex diuite pauper ſubito euadit, dicat eadem: ex multorum liberorum patre orbus fit, ſimiliter dicat: à potenti tyranno premitur, torquetur, plectitur, dicat idem; in multis enim delinquimus omnes: hic autem quid mali fecit? Feciſſet hanc confeſsionem primus Adam, non indiguiſſet ea defenſione alter Adam: Exacuebant linguas venenatas, ſcribit quidam, blaſphemantes Chriſtum Iudæi, & conclamabant, & euomebant conuicia: & quaſi victores inſultabant pendenti. Fugerant Apoſtoli, ſola plebs maledicta firmatis nequam ſermonibus, celebrabat ludibrium. Itáque oblato confeſſionis & fidei odoramento, impoſitóque latroni blaſphemanti ſilentio, victoriæ ſuæ palmam & auctoramentum à iudice exigens, conuertens ſe ad Chriſtum dixit: Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum. Non vult de cruce deponi, ſed in cælo reponi, tanquam omnes cogitationes habens in cælo. Eadem ferè vox fuit Pauli cupientis diſſolui & eſſe cum Chriſto: tantus ſubitò ex latrone factus eſt theologus. Beatus eſt quem tu erudieris domine, & de lege tua docueris eum. Vt mitiges ei à diebus malis, donec fodiatur peccatori fouea. Conſiderare neceſſe eſt, quem modum, quem locum, quod tempus hæc cauſa habuerit, & quam celerem auditum confeſsio meruerit, quídque poſsit pœnitentia. Petrus factus fuit in domo Caiphæ latro: latro factus eſt in cruce Petrus: Memento, inquit, mei domine, dum veneris in regnum tuum. Hícne nudus ſanguine perfuſus, ſocius ac particeps patibuli tui Dominus eſt? Cùm veneris, inquit, in regnum tuum. Quod regnum obſecro? Hæccine ſpinæ ſunt diadema Regum? Hiccine liuor eſt purpura, aut hoc patibulum tribunal iudicis? Beatus es latro, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater tuus qui in cælo eſt. Quibus poſtpoſitis, inquit Arnoldus, quaſi plagarum & ſanguinis immemor, dictator Euangelii latro efficitur: & (quod perſuaderi illa hora difficile erat) Chriſtum Deum in cruce fatetur: ibi orat ibi adorat, multa ſimul pietatis officia complectitur, credit, timet, compungitur & pœnitet, confitetur & prædicat, amat, confidit & orat. Hæc ille. Quid Abraham? quid Iſaac? quid Iacob amplius de hoc ipſo Chriſto dixiſſent, quàm quod hic dicit? audiſti Philoſophiam in tribulatione, & reuerentiam in ſupplicio, quem corpore non poteſt, veneratur: hominem ſupplicii ſui participem adorat: vt Dei mun dicantis, & de hoſte triumphantis auxilium implorat: homine xum, ſententia Iudæorum infamem & maledictum Regem glo cat. Non in oculis igitur tantùm illius, obuerſabatur illa ſpe- tis, quæ fuit in oculis impiorum, quibus per Moyſen dictu vita tua pendens ante oculos tuos, & non credes vitæ paulò pòſt in paradyſo regnantis. Quod hæretici di rent, paulò continētiores eſſent in crimine idololatr

Arnoldus tract. 2. de 7. verbis domini vltimis.

Pſal. 93.

Arnold. ibidem.

cùm similiter eundem Christum in speciebus panis & vini, eadem fide qua iste, adoramus: nam idolum quidem inane diuinitatis simulacrum est, nos verum regem cum latrone colimus, etiamsi nullam præsentem speciem regni eius videamus. Audiuit improbus latro probum latronẽ, & conticuit. Audiant impuri latrones Ariani, sanctum latronem, & obmutescant: ex illóque fidem, quam abnegarunt, discant: Memento mei, inquit, domine: Dominum compellat, non igitur seruus est. Cùm veneris in regnum tuum: Rex igitur non subditus, & rex cæli & terræ: Regnum, inquit, tuum, quod non rapina quæsiuisti; sed germana hæreditate consecutus es.

Quid ad hæc Rex? quod & quale cum prætoriano milite suo mutuum facit? Bonus & dulcis Iesus citò exaudit, citò promittit, citò dat: Hodie, inquit, mecum eris in paradyso: videbis in maiestate, quem confi-
Psalm. 28. teris in infirmitate. Vox domini in magnificentia, inquit Dauid: magnum præmium, magnæ confessionis. Quod quondam confessus est Petrus, confitetur nunc latro: ideò cæli eiusdem recipit sedes. Bonus do-
Arnald: ibidem. minus, tribulato corde clamantem ad se seruum suum, etiam in vltimo peccati puncto non negligit. Hora mortis erat, iámque confitentis anima faucibus hærebat, iámque linguam eius alligabat angustia, illóque articulo temporis ferè ab ipsis Apostolis salus desperabatur. Modus passionis, crux inter omnia turpissimum & atrocissimum: hic tamen non de-
Lucæ 23. sperat & recipitur, Hodie mecum eris in paradyso: Nondum enim cæli doctrina clarebat. Non ergo animæ iustorum, vt noui Epicuri Anabaptistæ putant, extinguuntur: non simul cum corpore occumbunt; sed cum Christo duce & imperatore suo sempiterno cælo fruuntur. Secunda hæc fuit magni imperatoris sagitta, qua suum ex latrone fecit martyrem. Dignum magno rege munus, digna communis certaminis corona, dignum brauium, primum spolium in cruce opimum: ibi latro locatur, vn-
corruit. Diuersus autẽ latronum exitus: alter antecedit Christũ
lter Iudam in infernum. Illi quondam, inquit Bern: qui e-
h in carcere videre somnia & audire interpretationem,
locuti sunt, & vnus accepit promissionem priorum, si-
abat regi, & audiuit, Restitueris in gradum pristi-
es, & responsum mortis accepit. Porrò eorum qui
e, alteri vtique confitenti dictum est: Hodie
teri verò blasphemãti non quidem à domino,
abat quenquam) sed à socio responsum est:
n eadem damnatione es. Nulla igitur pœni-
anquam raro vera, quæ nimis sera; nam &
a ile legitur. Memento, igitur & nostri,
um tuum. Ne derelinquas nos domine
bis. Audi vocem nostram & effice, ne
inter brachia tua, & viuere volu-

Et vt

Et vt nulla pars abesset doloris, stabat iuxta crucem Iesu mater eius, proxima; proxima inquam loco, proxima mœrore, proxima amore: non eam pudebat crucifixi filij quia anima eius simul cum filio crucifigebatur, stat ad arborem altera Eua: conformauit se illa serpenti; hæc Christo: fructúmque de arbore salutis decerpit prima, quæ prior in portando experta est laborem, ac eum quem pariendo effugerat, tum abundè compensat dolorem: prima imitationem crucis experta, quæ prima lætitiam sensit: miscebantur lacrymæ matris, cum guttis sanguinis filij: stabat iuxta crucem, & filium pendentem contemplabatur. Assistas & tu beata mater lecto doloris nostri. Redibant tum illi in mentem ingentia viri facta, ingentia promissa, veniebat in mentem illud. Hicciné est ille in tam infami ligno suspensus, de quo in primo eius conceptu prædixit Archangelus: Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur. Hæcciné crux est sedes illa Dauid? Et dabit illi dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Redibant item in memoriam Simeonis non dissimilia à præsenti statu oracula: Tuam ipsius animam pertranfibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Redibant Elizabethæ gratulationes & vota. Quòdsi mater non sine cruce, quid speret mollis & dissolutus Lutheranus? Tu verò Iesu Christe, latroni pœnitenti loqueris, & matri non loqueris? Intuetur te illa in mulieribus benedicta, & confixis in te oculis, vulnera tua materna pietate considerat. Et licèt nõ ignoret, quid boni conferat mundo passio tua; tamen parentis affectu commoritur, & pectus maternum immanitate doloris arctatur. Suspirat intrinsecus, & erumpentes reuocat lacrymas, & eò amplius anxietas intumescit; quò prohibetur egredi, & per luctus lamentáque di-
queris tamen, eámq; sagitta veræ pietatis solaris: Mul-
us: capitis oculorúmque ac nutu discipulum designan-
erit in omni tẽpore tuo necessario, loco filij. Qui veta-
trem, ille etiã nunc ipse in cruce cõpellare noluit m-
discipulo: Ecce mater tua: partes ergo meas age:
ga matrem tuam simul & meam: cultu matri debi-
cundùm Deum esse debet, illam cole. Breue te-
culium facilè dispensatur: nihil sibi ex suo resta-
tradidit discipulo. Pudeat pontifices, aliósq
rum legatorum, longorum codicillorum. I
torum, executores esse facultatum non hær-
commendatur Ecclesia: Ioanni casto Mar-
fica & quieta. Fuit hæc vox domini conf-
enim hoc loco non commoueatur? qui-
tem tum nobis in persona Ioannis mat-
honorem & amorem commendauit;
nostris necessitatibus ad eam, tan-
Accipe nos sanctissima domina in

Luc. 1.

Lucæ 2.

Arnold: tracta: 3.

Tu autem sapientissime Rex, illud apud te statue, atque ita iudica, Ecclesiam item catholicam, cuius nuper verissimos colores atque ornamenta, ex quibus illa cognosci possit, apud te explicaui, ab eodem IESV CHRISTO in cruce pendente, ex cuius latere illa, aperto tanquam altera Eua ex costa Adæ, hodierno die profluxit, atque progenita est, eiúsque sanguine, qui inde manauit, sanctificata atq; lota, iisdem verbis quibus dilecto discipulo Ioanni matrem suam commendauit, nunc tibi similiter comendari, STEPHANE REX inclyte: Ecce mater tua, quæ te in lauacro fontis cœlorum regno genuit: quæ Catholicè & Orthodoxè educauit: quæ singulis annis corpore & sanguine sponsi sui pascit & reficit: quæ in maximum Regem & Principem vnxit. Accipe igitur illam in germanam tuam, vt quidem olim accepisti & adamasti.

Deficiente sole iusticiæ Christo Domino, defecit & obscuratus est sol, nubeque obduxit faciem suam: vt in cuius natiuitate stella noua ap-
Matthæi 27. paruit; in eiusdem morte sol lugeat: Et tenebræ factæ sunt super vniuersam terram. Moyse extendente manus suas, tribus in cœlum diebus, fa-
Exo. 10. ctæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra. Obscuratus est autem sol, partim in confessionem domini & creatoris sui, vt morientem dominum pro vniuerso mundo, vniuersa agnosceret terra, teste magno Dionysio Areopagita, tum adhuc Ethnico: cuius illa vox, visa ea totius mundi per-
„ turbatione, fuit; aut Deum in natura deficere, aut hanc machinam mũ-
„ di statim dissoluendam: partim in signum gloriæ regni Christi; Cœli enim
Psalm. 18. enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciant firmamentum: partim ob reuerentiam creatoris, ne oculi prophani arcam testamenti nudam conspicerent: partim in execrationem improbitatis abominationis Iudaicæ, quam vel sol ipse amplius æquis oculis aspicere non potuit, earúmque tenebrarum in quibus ipsi cœci versabantur: sic enim
Iob. 5. prædictum fuit: Per diem incurrent tenebras: & quasi in nocte sic palpabunt in meridie; quia domino peccauerunt: partim ob communem doloris sensum, factori suo declarandum. Pendente enim in patibulo
reatore, inquit S. Leo, vniuersa creatura congemuit; & crucis clauos
elementa senserunt. Nihil ab illo supplicio liberum fuit; hoc
onem sui, & terram traxit & cœlum, hoc petras rupit, mo-
ruit, inferna reserauit, & densarum horrore tenebrarum, ra-
ondit. Debebat hoc testimonium suo mundus autori, vt
toris sui, vellent vniuersa finiri.
testimonium perhibente sole, ac vniuersa machina mũ-
ibus ferè horis totis, tacuerunt omnes: nemo locutus
tium magnum fuit. Impij, vt prædictum erat, in tene-
donec creator omnium intonuit, donec altissimus de-
a enim totius mundi consternatione, in illo motu,
retur fortasse quis, Dominum iam tum nullam do-
, gaudere potius quàm mœstum esse, conuersos
oluit igitur nobis constare rationem sensus & a-

nimi

nimi sui, quem etiam tum clauorum doloribus pressus habebat: partim quòd portæ omnes cuiusùis consolationis ei occlusæ fuerunt, nec solatium aliquod à cœlo, vel à terra, vel à patre, vel à seipso accepit, quod vtiq; nulli martyrum contigit: partim ppter eos, qui talis meriti participes nõ esse, quíq; ab ea gratia excidere, eámque repudiare debuerunt, habebat. grauissima ad patrem plena doloris & amoris missa sagitta: Eli, Eli, lama zabatani: hoc est, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Vox domini super aquas, Deus maiestatis intonuit; dominus super aquas multas. Mutat iterum vestitum Rex Achab, suámque potentiam, qua cælos & astra mouit, iterum nostræ infirmitatis vocibus tegit. Vox ista doctrina est, non querela, inquit S. Leo, Nam cùm in Christo, Dei & hominis vna persona sit; nec ab eo potuerit relinqui, à quo non poterat separari: pro nobis trepidis & infirmis interrogat, cur caro pati metuens exaudita non fuerit. Instante enim passione ad sanandum & corrigendũ nostræ fragilitatis metum, dixerat: Pater, si possibile est, transeat calix iste à me: Verùmtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Et iterum: Pater, si non potest hic calix transire nisi illum bibam, fiat voluntas tua. Qui, ergo trepidatione carnis euicta, iam ad paternam transierat voluntatem, & toto mortis terrore calcato, opus suæ constitutionis implebat; cur in ipso tantæ victoriæ exaltatus triumpho, causam & rationem, qua sit relictus, id est non exauditus, inquirit; nisi vt ostendat illum alium esse affectum, quem ad humanæ formidinis excusationem recepit; alium illum, quem ex æterno placito patris pro mundi reconciliatione præelegit? Vnde ipsa vox non exauditi, magni est expositio sacramenti, quòd nihil humano generi conferret redemptoris potestas; si quod petebat, nostra obtineret infirmitas. Modò hominem, modò Deum se prodit: modò omnipotentem, & modò infirmum; vt inter se sublimitas & humilitas, vices negotio congruas partiantur: modò supplicat, modò imperat: modò se dicit derelictum, modò latroni promisit paradisum. Agit secundùm vtramque naturam, quod exigit causa. In hac contemnitur, in illa gloriam » regnúmque largitur. Eli, Eli, Lama zabatani: quod interpretatum est, » Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti? Deum autẽ suum vocat; ne quis quod proprium est alterius, ad alterum existimet esse alienũ: & quod componere videtur, secare præsumat quasi diuisum. Hactenus li. Præclarè autem Origenes, hæc cum interrogatione quadam p quàm simpliciter prolata esse interpretatur. Aspiciebat tum Christus minus populum illum infidelem ac contradicentem: præsentemq; tem repudiantem: aspiciebat in posterum multa millia hominu stultitia & malitia tanto abusura beneficio. Quærit ergo: Deus meus, cuius & qualis gentis & populi causa, quàm impro gratæ, quàm contra sua commoda pugnantis me dereliqui- se derelictum dicit; quomodo traditum, quomodo dor in manibus impiorum relictum, quomodo percussum Quòd scilicet hæc vt fierent, vnà cum ip & spiritu

Psal. 28.

Leo serm. 16. de passione Domini.

Matth. 29.

Arnol. 1. tra. de 7. verbis vltimis

nostra causa voluit & decreuit. Ad quam interrogationem magnificè a-
Isaiæ. 53. pud Isaiam respondet Pater: Propter scelus populi mei percussi eum.
Falsò igitur & mendaciter ex hoc colligunt hæretici loco, diuinitatem ab
humanitate Christi tum separatam fuisse, eam reliquisse, ab eaq; recessis-
Caluinus lib. 2. cap. 16 sect. 11. institutio. & lib. concor. cap. 27. se: atque has voces hominis à Deo derelicti, doloríque succumbentis ac
desperantis esse potiùs, quàm confitentis. Illúmne tu derelictum dices,
qui cœli paradisiq; dispensator est, cui sol stetit? cœlum ac vniuersa na-
tura condolet? militat æther? Docet magnificè sapientia Dei, hũc ipsum
Christum nunquam vel à patre, vel à diuinitate sua desertum fuisse, in fi-
Sap: 10. gura eiusdem nostri iusti Ioseph, cùm inquit: Hæc venditum iustum non
dereliquit; sed à peccatoribus liberauit eum, descendítq; cum illo in fo-
ueam, & in vinculis non derelinquit illum; donec afferret illi sceptrum re
gni, & potentiam aduérsus eos, qui eum deprimebant: & mendaces o-
stendit, qui maculauerunt illum, & dedit illi claritatem æternam. Qui di-
1 Ioannis 2 uidit Christum, eum antichristum esse docet Ioannes. Quid autem aliud
est diuidere Christum, quàm ab humanitate diuinitatem eius separare?
1. Corint. 2. Si, inquit Paulus, cognouissent; nunquam dominum gloriæ crucifixissẽt.
Fuit ergo etiam in cruce dominus gloriæ, nec vnquam esse desiit: eaque
fecit & dixit, quæ non nisi domino gloriæ conueniebant: regna dabat:
peccata dimittebat: paradisum reserabat: saluabat. Non derelictus est,
» inquit Damascenus, vnquam à propria deitate; sed nos derelicti sumus &
» despecti, quem priores dereliqueramus, & derelinquimus sæpè. Derelictus est igitur & percussus, quantum ad sensus tum hominum: neque ille
sese derelictum queritur, cùm sit semper in Patre manens; sed in istis qui
illi tum illudebant. Derelictus est ille in gentibus atque Iudæis, qui fi-
dem eius suscipere non debebant: in hæreticis, qui illam deprauare conã-
tur: in malis Christianis, qui eandem fœdant & prauis moribus inquinãt:
in omnibus denique illis, ad quos fructus eius tanti pretii peruenire nec
potuit, nec debu[illegible]; qui firmam vocationem suam facere bonis operibus
[illegible]is neglectu[illegible] Quod enim ille semel assumsit, deseruit nunquam;
[illegible]eritur autem in membris suis, & affligitur: quem
[illegible]r, potatur, hospitio recipitur, & similia; quæ
[illegible]ntur nunquam, nisi ipsa primò deserant. Na-
[illegible]næ communio inter patrem & filium, non admittit scis-
[illegible]sit ibi discretio personalis; vna tamen est diuinitas & essen
[illegible]eritur humilitas, adest maiestas, fortius est & sapientius
[illegible]n hominum, quod in Christo Iudæus & Græcus stul-
[illegible]um. Agit igitu[illegible]put causam corporis sui; & pro
[illegible]edicus, in t[illegible]mpatitur; vt etiam ex parte se
[illegible]& [illegible]am) sit peccatum, qui ab-
[illegible]quitur; quia naturæ im-
[illegible]eritur ítaque cum dere-
[illegible]oluit: & euecturus se-
[illegible]us naulum carnis suę
protulit;

protulit: inuiſcatísque dentibus eorum illuſit voracibus, & tam ſe quàm
prædam ſuam abſtraxit & euexit. Obtinuit itaque deiectio capitis veniã
corpori, & percuſſo vertice ſolidata ſunt membra; vt non ſegnis ſit recõ-
penſatio, & ſemper quid debeat homo Chriſto, pro quo ille mortuus eſt,
in hac forma meditetur, & relegat; fixúmque præ oculis ſit hoc charita-
tis argumentum, maneátque hoc viuum documentum, & continuę per-
ſuaſionis exemplum. Deus meus, inquit S. Leo, Deus meus, quare me *Leo ſer. 17 de paſſion. Dñi.*
dereliquiſti? tanquam fixo Ieſu in crucis ligno, paternæ ab eo deitatis o-
mnipotentia receſsiſſet. Cùm in tantam vnitatem Dei & hominis natura
cõuenerit; vt nec ſupplicio potuerit dirimi, nec morte diſiungi. Manen-
te enim in illa proprietate vtraque ſubſtantia, nec Deus reliquit ſui cor-
poris paſsionem, nec Deum fecit caro paſsibilem; quia diuinitas quæ e-
rat in dolente, non erat in dolore. Vnde ſecundùm verbi hominisq; per-
ſonam, idem eſt qui factus eſt inter omnia, & per quem facta ſunt omnia:
idem eſt, qui impiorum manibus comprehenditur; & qui nullo fine con-
cluditur, id eſt; qui clauis configitur, & qui nullo dolore ſauciatur: idem
poſtremò eſt, qui mortem ſubiit, & ſempiternus eſſe non deſiit; vt vtrum-
que ſignis non dubiis manifeſtetur, quòd vera ſit in Chriſto humilitas, &
vera maieſtas. Quia ideò ſe humanæ infirmitati virtus diuina conſeruit;
vt dum Deus ſua facit eſſe, quæ noſtra ſunt; noſtra faceret eſſe, quæ ſua
ſunt. Non ergo aberat à patre filius, nec à filio pater: & illa deitas incom
mutabilis, & inſeparabilis trinitas, nihil ſui poterat à ſe habere diſcretum.
Quàmuis enim ſuſceptæ incarnationis diſpenſatio ad vnigenitum Dei fi-
lium propriè pertineret; ſic tamen pater non abiu
admodum caro non diuidebatur à verbo. Ide
clamabat dicens: Quare me dereliquiſti? vt
re oportuerit eum non erui, non defend
linqui, hoc eſt ſaluatorem mundi fie
rem, non per miſeriam, ſed per miſe
definitione moriendi. Quæ verò illi
nima & poteſtate eſt amiſſa, & pot
Apoſtolus, quòd pater filio non pe
eum. Et iterum dicit: Quoniam Ch
tradidit pro ea, vt eam ſanctificaret
fuit paternæ, quàm ipſius voluntat
ret, ſed etiam ipſe ſe quadam ratic
ſed voluntaria ceſsione. Continuit
vt diſpoſitione vteretur occulta,
mortem, & mortis autorem ſua
peccatores ſaluos faceret, ſi perſe
tur hoc fuerat (dilectiſsimi) vt Ie
tanto ſcelere ſæuire potuiſſent, qu
ſcientes, ſacrilega eluſione diceb
teſt ſaluum facere. Si Rex Iſraël
mus ei. Sed hæc ex patribus ha

Verùm cùm prædictum fuisset liquescere debuisse cor eius, in medio ventris eius, arescere tanquam testam virtutem eius, & linguam adhęsuram faucibus illius, cùm propter nocturnos & diurnos labores, tum propter dolores, spirituum ac sanguinis exhaustionem, & vt cõpleretur scriptura: Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto, clamauit, Sitio. Ardoris ac dilectionis, qua arsit hostia, sagitta hæc fuit. Vox Domini intercidentis flammam ignis, flammam charitatis. Suscepit enim sitim flagris multimodis arefactam. Dolores enim, acres sunt ad extorquẽdam sitim, quodam insito inenarrabili calore internum exinanientem humorem, & igneis quibusdam accessibus patientia viscera concremantibus. Indifficile quippe fuerat cuncta valenti verbo Dei, etiam hoc à propria carne remouere. sed quemadmodum spontè permisit cætera pati; patitur & hoc. Per spontaneam igitur voluntatem quærebat bibere. Exhaustum erat sacrum pectus sudore sanguineo, & lignum illud cui affixus erat, sanctis baiulauerat humeris: & vt solet ex mœsticia somnus nõnullis obrepere; sic poterat sitis illa accendi. forsitan sic erat. Ego verò sacramentalem hanc sitim intelligo, in qua non tàm desideratur potus, quàm hominum salus. Neq; enim ab irrisoribus & interfectoribus poterat beneficium expectari; quia omnes ad impietatem proni, paratiores erant augere iniurias, quàm misereri vel compati. Perseuerabant adhuc, nec flagellis, nec sputis, nec colaphis poterant saturari. Vnde nec consequens videtur, vt audita sitis eorum cor emolliret, quibus parũ erat quòd debat, nec satis actum esse ipsa morte malignantibus videbatamen sicut per Dauid prædixerat, irruentibus in se vniuer- [illegible] tanquam parieti inclinato, & macerię depulsæ, currit & sitit. Sitit cõuersionem, currit ad remissionẽ: exoluit quæ nõ rapuit. Et licèt illi pretium illud magnum cogitarent repellere, iam absorpto serpente festinat ad lauacrum inimicorum, & moritur pro impiis, & rebelles adoptat; & tanti effectus beneficii largitur ingratis. Quid hoc sibi vult, inquit Bernardus, ô saluator mi? Quid sitis? fidem vestram, salutem vestram, gaudium vestrum, plus animarum vestrarum, quàm corporis vestri me cruciatus terret. O b[illegible], coronam spineam sustines de tua cruce: & de vulneri- [illegible] pro sola siti clamas, dicens: Sitio. Quid sitis Domine Ie- [illegible]am redemptionem hominum, & gaudium humanæ salutis. [illegible]e dicis; quod perinde est, atque si diceres: plus me affligunt [illegible]àm mea: maiori cum dolore perfero peccata tua, quàm tor- [illegible]eæ. Poterat autem & hanc sitim, vt & multa alia incom- [illegible]e Dominus; qui Isaiæ dissectione pereunti fontem aquæ [illegible]ribitur; sed voluit multos sitis suæ testes habere, vt & nos [illegible]us & esuriamus aliquando: vel hoc ipso die, quo sitim & [illegible]stra sustinuit caus[illegible]: (neq; solo cibo & potu, quod hære- [illegible]à falso distinguamus Euangelium, & veram doctrinã) charitas sitiebat Christi, quæ hoc illi propinas, quod [illegible]oletum: nam patre. tui fuerunt vua suauissima, vua saluberrima:

Psal. 68.

Psal. 20.

Cyril. 6. syno. actio. 10.

Arnoldus 4. tract: de 7. verbis domini

luberima: Fiat ergo mensa tua coram te in laqueum, inquit Dauid, & in *Psalm. 68.*
retributiones,& in scandalum. Obscurentur oculi tui ne videant: & dorsum tuum semper incuruetur. Effundat dominus super te iram suam, & furor illius iræ comprehendat te. Fiat habitatio tua deserta, & in tabernaculis tuis non sit qui inhabitet, quoniam super dolorem vulnerũ Messiæ tui addidisti, iuxta illud Ezechielis: Sicut fecisti sic fiet tibi: retributio tua,retribuetur tibi in caput tuum: Væ qui potum dat amico suo immiscens fel: et Isaiæ, Væ iniquo,praua secundùm opera manuum suarum accident ei. Fuit hæc inhumanissima Iesu Christi mensa, dura illa fame, qua filii quidem istorum columbarum stercore, & alia fœditate, filiæ autem natorum suorum carnibus vescebãtur, expiata. At ille cùm gustasset, *Matthæi 24.*
noluit bibere. Acerba refectio, amarum poculum valedicentis ac recedentis ex hoc mundo creatoris. Memento igitur Christiane fellis & absinthii huius, quod tu peccatis tuis factori tuo propinasti: vineam meam expectabam,vt faceret vuas,& fecit labrusca. Florens hic mundus,spongia inanis est: & omnis concupiscentia eius aceto amarior.

Completa igitur magnus orator magnæ actionis causa, conficit epilogum: sextamq; obsignationis atque sigilli omnium laborum & dolorũ suorum iacit sagittam: Consumatum, inquit, est. Fuit hæc vox domini *Ioa. 19.*
præparantis cedros, & reuelabit condensa, & in templo eius omnes di- *Psalm. 28.*
cent gloriam. Hyems transiit, imber abiit, & recessit, finis est malorum & initium bonorum. Consumata est, non istorum, sed mea æterníque patris voluntas. Consumatum est peccatum,sed & pro peccato satisfactũ; consumata sanctificatio: omnia remedia ad salutem, sudoris inedię potionis sanguinis sumpta; vmbræ legis in res ipsas conuersæ, signis Caluini relictus est locus nullus: & ideo velum templi,quod figuris res a[illegible]
scisum est à summo vsque deorsum. Completæ propheti[illegible]
labores, superati hostes, mendaces linguæ & fallac[illegible]
improbitas, iudicium mundi peractum, lata s[illegible]
mortis deletum, pater cœlestis placatus, p[illegible]
summo fœciali sanguine æterni fœderis ict
potestates,mundus nouum accepit exordi
obesset, quibus saluandis regeneratio subi
reuixit: transierunt vetera, & ecce facta
rum in Christo credentium, & in sancto
cum ipso vna esset passionis societas, & r
Apostolo: Mortui estis,& vita vestra es
Non ergo nouas fides sibi fingant hom
cominiscantur, non nouum expecten
rum,& in æternum non commoueb

Ad extremum,vt testaretur se
tionali & humana carne constan
esse; sacrificium vespertinum ple
verus sacerdos, exclamauit voce

tunc orasse in cruce dicitur, quos Ecclesia malignantium odit. Pater, opus ad quod me misisti, impleui; opus redemtionis cõfeci: proinde apud te depono animã meam, post triduum resumendam. In manus tuas cõmendo spiritũ meum: vt probaret non vi ereptam, sed sponte & voluntate positam dilectam animam suam, pro nobisq; oblatam: réque ipsa doceret eum se pastorem esse, qui ponit animam suam pro ouibus suis; neminémque maiorem charitatem habere, quàm vt animam suam ponat quis etiam pro inimicis suis. Nec tantùm animam suam, sed omnium in seipso
" animas Deo comendauit. Sola mors adhuc restabat, inquit Athanasius,
" atque hæc sola metuens appropinquare non audebat; ideo Christus in-
" clinato capite vocauit eam. Nam omnes moribundi, moriuntur primùm,
" & tunc inclinant capita: Christus inclinato primùm capite, vel in obedi-
Ioan.19 entiam patris, vel vt nos benigno oculo aspiceret, emisit spiritum: ac in corpus die tertia suscitandum, quietem placidi soporis immisit. Hæc autem vox edocet, inquit Cyrillus, quòd animæ sanctorum non deinceps
" inferno clauduntur; sed apud Deum sunt: huius rei facto à Christo prin-
" cipio. Aggressus est mortem vt homo, & ideo pauebat & tædebat, vicit
" vt Deus. Quis ita facilè, inquit D. Augustinus, dormiuit, vt iste animam su-
" am patri reddidit? Quis tam facile & valide vestimenta deposuit sua; vt
" iste tunicam humanitatis nostræ deponit? Infirmata carne, vox inualuit di
" uina, quæ dicit: Aperite mihi portas iustitiæ. Vnde sequitur: Iesus autem emissa voce magna expirauit. Nos cum imma voce aut sine voce morimur, qui de terra sumus: ille autem cũm exaltata voce expirauit, qui de cœlo descendit. Nec mirum: Mortis enim & vitæ Dominus erat: in cuius manu non illius tantùm anima fuit; sed omnes omnium spiritus sunt iustorum, ex qua nemo vnquam poterit eripere illos, vt non necesse sit eos, aut in campos quosdam Elysios cum hæreticis relegare, aut somno æterno, duraéq; mortalitati cũ minutioribus philosophis addicere, cùm in manu omnipoten[illegible] Dei deponamus illos, nec obliuiscamur fideiussoris nostri; quia ipse a[illegible] suam posuit pro nobis. Sicut enim olim Noë ex arca columban[illegible]isit ore gestantẽ ramum virentibus foliis; ita Christus emisit spiritum [illegible]uum, post triduum rediturũ cum exercitu virentium sancto

Præclarè verò Augustinus dicere solebat: Neminẽ, etsi nullius sce[illegible]scius esset, commitere debere, vt sine pœnitentia migret de ipse Dei filius sine oratione non moriatur. Quod igitur alid re ipsa contra omnem Arianam Ebionæamq; impietaficè probauit: potestatem nempe se habere ponere anim recipere eam. Qua causa? aut quis vnquam morofari potuit? Non alia certè quam illa; quòd vt pater etipso; sic dedit & filio vitam habere in semetipso. Ve-

cutus est Dei filius in cruce. Respondet iisdem pariæretica impietas eum aut relictum aut neglectum rificis tam præcedentibus quàm sequẽtibus signis.

Cùm

Cùm Christus expirasset, inquit Cyrillus, velum quasi vestem suam ad „
comprimendam Iudæorum impietatem illicò scidit. Quod diuinitus di- „
xerim id eò esse factum;vt sanctũ Dei templum populi causam lugere in- „
telligeretur. Velum templi sciſſum est in duas partes, à summo vsque de- „
orsum: scidit pater æternus vestimenta templi sui in morte vnigeniti fi-
lii sui: mortúoq; summo sacerdote omnia sacra quondam latentia aperta,
portaq; paradisi reserata: & terra mota est,& petræ sciſſę sunt;pectora ta-
men Iudaica omnibus petris duriora non mollescunt: monumenta,id est,
mortis sedes & domicilia reserata; multaq; corpora sanctorum qui dor-
mierant surrexerunt, & exeuntes de monumentis,post resurrectionem e-
ius venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.

Vidēs autē Cēturio,qui ex aduerso stabat,quod factũ erat,quia sic cla-
mans expirâsset, signa item & miracula; glorificauit Deũ. Pulcherrimam
totius causæ contra omnē Iudaicam,Saracenicã,Arianamq; perfidiam,&
impietatem fecit Catastrophen: Verè filius Dei erat homo iste. Deum &
hominem Ethnicus homo confitetur,Iudæus tacet: Impietatem Iudaicã,
inquit S. Leo, monumentis & petris omnibus duriorem, nulla proditur *Leo sermo. 18*
mitigasse compunctio; vt appareat paratiores ad intelligendum filium *de passione.*
Dei, tunc fuisse Romanos milites; quàm Israeliticos Sacerdotes, aut nũc
Arianos. Repetunt iterum atque sæpius hunc epilogum milites; repetit
turba: Verè filius Dei erat iste. Vertuntur contumelię in honores: Et qui,
inquit, cum eo erant, custodientes Iesum; viso terræ motu, & his quæ fi-
ebant timuerunt valdè dicentes: Verè filius Dei erat iste. Et omnis tur-
ba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fie-
bant percutientes pectora sua reuertebantur. Quod vt idem faciant ali-
quando nostri noui Iudaisantes, Ebionitæ,Photiniani,Samosatenses,Ari-
ani, Eunomiani, faxit Deus immortalis.

Iudæi autē quoniã Parasceue erat, vt nõ remanerent in cr
Sabbatho,(erat enim magnus dies ille Sabbathi)roga
gerentur eorũ crura, & alterius qui crucifixus est
cùm venissent, vt viderunt eum iam mortuũ,no
vnus militũ,lancea latus eius aperuit, cauern
bilei, portam salutis, quam prænunciabat
intrabant animalia, quæ non erant dil
Huc igitur ingrediamur omnes,donec
amus,qbus ita irretiamur,vt posthac
Hæc requies mea in seculũ seculi: h
omnibus apertum, etiam hostib
quod clausum manet etiam frat
& aqua. Sanguis inquam, qui r
poculum, aqua verò delendo
prima mulier educta est de
Adam sponsa, de latere eius fo
seris poculum,inquit Chryso

bibis latere, & eo modo sis affectus. Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimoniũ eius, & ille scit, quia vera dicit, vt & vos credatis.

Ergo mortuus est Ionatas, qui fecit tantam salutem in Israël? Quomodo cecidit qui saluare solebat populum Israël? & facta est salus magna in illa die. Agat igitur gratias vniuersum semen Iacob; quia non despexit Dominus vocem orationis & deprecationis illius. Quid enim pro salute eius facere debuit, & non fecit? Quàm largè omnia quæ habuit tradidit: crucifixoribus suis orationis affectum, latroni paradisum, matri filium, filio matrem, mortuis vitam, manibus patris animam, toti mundo
„ signa potentiæ suæ. Præ omnibus auibus Pellicanus, inquit Epiphanius in
„ Physiologo, prolis est amans, fœmina nido incubat pullos suos custodiẽs
„ ipsosq; fouet complectiturque, & nimiis osculis sauciat. Perforat itáque
„ illorum latera, & illi moriuntur. Post tres verò dies accedit mas Pellica-
„ nus, & mortuos inuenit pullos, & valde angitur, doloréq; impulsus pro-
„ prium latus percutit ac terebrat, emanátque sanguis, quem super mortu-
„ orum pullorum vulnera instillat, qui vitæ restituuntur. Sic Dominus no-
„ ster Iesus Christus, cuius latus lancea aperuit, continuóque sanguis & a-
„ qua exiuit, super mortuos filios, hoc est Adamum & Euam, cæterósque
„ prophetas, & super omnes mortuos sanguinem suum fudit, vniuersumq;
„ mundum illuminauit, & per triduanam sepulturam ac resurrectionem su-
„ am ad vitam illos reduxit. Quapropter per Prophetam dixit: similis fa-
„ ctus sum pellicano solitudinis. Sic cœlestis Pellicanus, pullos suos à ser-
„ pente ictos, lateris sui sanguine viuificat. Vide igitur, inquit Bernardus, ó
„ Christiane, caput inclinatũ ad osculandũ: brachia extẽsa ad amplexandũ:
„ manus pforatas ad largiendũ: latus apertũ ad diligendũ: totius corporis
extensionẽ ad se totũ impendendũ. Agnosce dignitatẽ tuã, agnosce p̃tiũ tuũ: agnosce põdus & magnitudinem peccati, quod tali hostia auferendũ & expiandũ fuit: agnosce pœnæ seueritatem, quę tanto pretio redimen-
[illegible] vim gloriæ, quæ tali mercede comparatur. & vide similiter, quid tu re[illegible]teri tuo debeas, & quæ te pœnæ maneant, si ingratus fueris: si filium Dei cóculcaueris, & sanguinem testamenti pollutum duxeris, in quo sanctificatus es, & spiritui gratiæ contumeliam feceris.

[illegible]rò Iesu Christe fili Dei viui, per hanc pretiosam mortem tuam,
[illegible]es; vt & nunc, & in vltimo die vitæ nostræ, animas item no-
[illegible] commendes patri, easque intra foramen petræ lateris tui re-
[illegible]vt catelli tui bibant de stillis cadentibus ex latere tuo. Nũc
[illegible]imus pater æterne, quòd diligis nos; quia non pepercisti
[illegible]o propter nos. Quam ergo mercedem dabimus tibi? aut
[illegible]est esse beneficio tuo? si fortè digneris accipere nos i-
[illegible]psum quod sumus, tui sumus: Ecce vox sanguinis fra-
[illegible]iat ad te de cru[illegible] Vide domine pallium, quod in ma-
[illegible]ationis, Ægyp[illegible]retricis, pudicus ille adolescẽs
[illegible]stimans iactu[illegible]nenti, quàm innocentiæ suæ,
[illegible]oliatus à carn[illegible]i carcerem mortis descende-
re, quàm

re, quàm per mundi gloriam adulterinæ voci aquiescere. Filia populi mei accingere cilicio, & cõspergere cinere: luctũ vnigeniti, fac tibi plãctũ amarũ. Hierusalem surge, & exue te vestimentis iucunditatis: induere cinere & cilicio; quia in te occisus est Saluator noster: dic regi & domi- natrici, humiliamini, sedete; quoniã descendit de capite corona glorię vestræ. Hic est Rex Stephane, Rex tuus, qui te exaltat de portis mortis; vt annũcies omnes laudationes eius in portis filiæ Sion: susceptor tuus & liberator tuus de inimicis tuis iracundis, qui liberat te de laqueo venantium, & à verbo aspero: scapulis suis obumbrat tibi, vt sub pennis eius securè degas; qui te scuto bonæ voluntatis suæ tegit: qui obumbrauit super caput tuum in die belli; vt non timeas à timore nocturno: à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano: qui Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis; vt super aspidem & basiliscum ambules, & conculces leonem & draconem: qui longitudine dierum replet te, & ostendet tibi salutare suum. Hunc igitur ames, hunc diligas, hoc te oblectes: fasciculus myrrhæ sit dilectus tuus, quem portes inter vbera tua. Tu autem pater cœlestis, vide vtrum hæc sit tunica filii tui, respice in hoc vestimentum eius adeò miserè à fera pessima consciſſum ac lacerum, támque largo sanguine aspersum: respice de sanctuario tuo in hanc faciem deiectam, sanguineq́; & lacrymis madentem Christi tui: aspice in sanctissimam hostiã hanc, in hoc latus largè apertum, in vulnera hæc profundè transfixa: & indue hoc pretio mortis eius nuditatem nostram; nósq; sanguine eius munda, sitque mors eius custos vitæ & mortis nostræ. Respice super familiam tuam, pro qua hic ipse filius tuus Dominus noster Iesus Christus, non dubitauit manibus tradi nocentium, & cru[illegible]bire tormentum. Fiant oculi tui intenti super sponsam filii tui, Eccle[illegible]ctam, super Regnum istud, Regem, Proceresq; regni istius, Ciu[illegible] omnem Christianum populum. Sis Domine exercituum, [illegible] tum exultationis residuo populi tui, & spiritus iu[illegible] cium, & fortitudo reuertentibus de bello ad p[illegible]

Ier. 6.

Ier. 13.

Psal. 90

Finem autem dicendi audiamus omnes
in cruce, & vos eadem cogitatione
carne, desiit à peccatis, vt non i[illegible]
tati Dei, quod reliquum est, in ca[illegible]
præteritum tempus ad voluntatem
bulauerũt in luxuriis, desideriis, vin[illegible]
bus, ebrietatibus, & illicitis i[illegible]
sponsus pro sponsa: qui[illegible]
atur sponsa

A v[illegible]

EPINICION
SIVE
Gaudium Paſchale.

VIVIT Ioſeph, & ipſe dominatur in omni terra Ægypti: Ioſeph quoq; ponet manus ſuas ſuper oculos tuos. Geneſ: 45.

Gen. 44. PVTAbant quondam inhumani fratres, ipſorum ſcelere ac conſpiratione, extinctum eſſe Ioſeph: putabant nomen & memoriam eius, in perpetuũ abolitam; ſic enim vnus pro omnibus, apud eundem deprecatur: Oro Domine, audi me, vt loquatur ſeruus tuus, verbum in auribus tuis, & ne iraſcaris famulo tuo: tu es enim poſt Pharaonem dominus meus. interrogaſti priùs ſeruos tuos, habetis patrem, aut fratrem? & nos reſpondimus tibi Domino meo: Eſt nobis pater ſenex, & puer paruulus, qui in ſenectute illius natus eſt, cuius vterinus frater mortuus eſt; & ipſum ſolum habet mater ſua, & pater tenerè diligit illum. Putabat ſimiliter gens Iudæa, carnẽ ex carne, os ex oſſibus eius, crudeli ſua improbitate Chriſtum Dominum alterum Ioſeph
Sapien: 2. omninò periiſſe: cuius quidem illæ ſunt voces: Videamus, ſi ſermones illius veri ſint, & tentemus, quæ ventura ſunt illi, & ſciemus, quæ erunt nouiſsima illius. Si enim eſt verus filius Dei, ſuſcipiet illum, & liberabit illũ de manibus contrariorum. Contumelia, & tormento interrogemus eum; vt ſciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius: Morte turpiſsima condemnemus eum. Erit enim ei reſpectus ex ſermonibus illius. Et illæ: Confidit in Deo, ſaluũ faciat eum ſi vult. Si filius Dei eſt deſcendat de cruce, & credemus illi: Alios ſaluos fecit, ſeipſum ſaluare nõ poteſt. Viuit tamen contra omnem ſenſum & voluntatem fratrum Ioſeph; & ipſe dominatur in omni terra Ægypti: conſtituit eum Pharao Dominum
& principem omnis poſſeſsionis ſuæ: viuit & Chriſtus. Lapis
erunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. A Do-
iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Sagittæ paruulo-
lagæ iſto im, & infirmata eſt omnis virtus eorum. Diſsi-
ini nutu conſilium Achitophel: conſultor ipſe ac vendi-
riit: ben dixit Dñus nouiſsimis Iob magis, quàm prin-
Aman cr acem, quam Mardochæo parabat. Conſtitu-
h Rex ſuper Sion montem ſanctũ Domini, prædicans
erauit in Domino & ſaluum fecit eum; quia voluit e-
ulcro, & co edit ſuper ceruices inimicorum ſuorum.
ino, glor im magnificatus eſt: equũ & aſcen-
e: ac Epin breue noſtri Ioſeph, hoc lætiſsimo
ac trium-

ac triumphali die occinamus; vt qui non ita pridem humiliationis illius diem mœsti celebrauimus; iidem nunc exaltationis manipuli eius diem læti, eadem comparatione conseruata, celebremus. Nam & in lege veteri post occisionem agni paschalis postridie sabbathi, quæ dies apud nos est Dominica: manipulus primitiarum eleuabatur. Salutata illa quæ in morte propè crucem steterat, proxima loco, proxima dolore, proxima amore, Regina cæli lætare. &c.

Prima Pars.

Viuit Ioseph.

COmparemus igitur, vt cœpimus, vtriusque IOseph tempora, hoc modo. Consecutus est ille, postquàm venditus est à suis, ac in Ægyptum translatus, nomen nouum, nomen excelsum, nomen magnificum, eiúsq; nominis exaltationem; sic enim inquit scriptura: Vertitq; nomen illius, & vocauit eum lingua Ægyptiaca, saluatorem mundi. Sortitur longè maius excellentiúsque nomen alter Ioseph Christus Dominus: Christus (inquit Paulus) factus est obediens pro nobis vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen; vt in nomine eius omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum. Tantò autem maius nomen præ IOseph hæreditauit; quantò pleniorem vberiorémq; attulit salutem. 1.

Pro veste polymita, quam impii fratres discerpseruut, ac necud-
guine conspersérunt, pro pallio, quo à meretrice spoli-
uit amictum regium ille; sic enim scriptura: T-
Pharao, & dedit in manum eius, vestiuit-
quem aureum circumposuit. Quæsiuit
sciisso sacco, plenum gloriæ corpus; id
pro patibili passionis expers, pro igno- ric
tute. Quo nomine magnificè patri in gr.
cum meum, & circumdedisti me læti 2.

Pro fœdo & infami carcere, la- erat
cepit Ioseph: Vno tantùm regni s- lam
Christus Dominus pro tribunali lu- amn-
bunal æterni iudicii: pro cisterna, noct
parentis, cuius vocem hodierno di- Fil-
genui te. Sede à dextris meis, don- ini-
dum tuorum.

Factus est Ægypti princeps præ-
lis Pharaonis imperio subiectis, sæ c-
quit scriptura, ascendere super c- un-
ne; vt omnes coram eo genu f-
uersæ terræ Ægypti, hunc in m-
perio, non mouebit quisquam

Non disimili voce hodierno die æternus parens compellat filium: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cũ tremore. Osculamini filium, ne quando irascatur Dominus. Quam quidem tam latè fusam hæreditatẽ, nunc hæretica labes & inuidia illi eripere, ex eiúsque manibus excutere necquicquam conatur; dum nescio quos paruulos & inuisibiles greges ouilis eius iactat.

5 Quæsiuit in Ægypto Ioseph sponsam: creuit duobus filiis, Manasse, quod interpretatur, Obliuisci me fecit Deus laborum meorum, & domus patris mei: & Ephraim, quod est, Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ. Nactus est simili modo Christus Dominus sponsam, tum quando immisit in humanitatem suam soporem; ac de latere largè aperto alteram Euam profudit: eámq; sanguine & aqua lauit & sanctificauit, sibíque ipsi despondit: augetur duobus filiis Iudaico inquam & gentili populo, populis amplissimis, quorum iidem erant fines qui & orbis. Qua sua fæcunditate mirum in modum apud Dauidem lætatur: Cõfitebor tibi in ecclesia magna, in populo graui laudabo te.

6 Cesserunt sub potestatem Ioseph inimici eius: vidit supplices plorantes ante pedes suos fratres: audiuit modum: cognouit confessionem improbi facti: vindictæ potestatem ostẽdit. Et adorauerunt eum fratres sui, & confessi sunt: Meritò hæc inquiunt patimur, quia peccauimus in fratrẽ

[illegible]entes angustias animæ illius, dum deprecaretur nos & non

[illegible]circo venit super nos ista tribulatio, & in oculis eius Deus

[illegible]tem seruorum suorum. Omnia hæc longè magnificenti-

[illegible]n nunc videt secundus Ioseph: videt inquam, & vincit,

[illegible]s, & parcit subiectis: modò ipsimet sibi parcere in animum ind[illegible]Christúmque seruatorem suum cognoscant.

7 Confudit omnes diuinatores, coniectores, vaticinationes, atque responsa primus Ioseph: Ægypti sapientes conuicit, eorúmq; magister factus est: potentes fregit, sibiq; seruire coëgit. Deleuit etiam ipsa nomina idolorum, eorumq; cultores, ita vt non ampliùs memoretur nomen il-

[illegible]n n[illegible]er Ioseph: oracula extinxit: sapientiam huius mũdi, eam qui-

[illegible]erba & tumida fuit, stultam fecit: humilem autem erexit &

[illegible]es & principes cruci suæ seruire ac iugo suo colla subdere

[illegible]; sublimiorem vim confregit.

[illegible]a morte ac iniqua fame & eos à quibus venditus est, & eos

[illegible]omparârunt, & præterea alios multos Ioseph: eaque de

[illegible]in eas terras venditum & abductum fuisse testatur. Fa-

[illegible]nificentiùs alter Ioseph: nec se tantùm, aut suos, aut v-

[illegible]em ad certum ter[illegible]us aliquod seruat; sed illud efficit,

[illegible], siue ille amicus [illegible]ue inimicus fuerit, non pereat;

[illegible]nam: paneq[illegible]:orporis & sanguinis sui vberrimo

[illegible]quam ampliu[illegible]iat; ac vel proditorem ipsum, si

modò

modò tanto beneficio vti potiùs quàm abuti voluiſſet: conuertentur ad veſperam, & famem patientur vt canes, & circumibunt ciuitatem: edent pauperes & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum.

Obſcurum erat nomen Ioſeph, anguſtis terminis eius concludebatur gloria, ac propter humilitatem & abiectionem, in hominum ignoratione verſabatur: à ſolis vix cognoſcebatur fratribus, priusquàm in Ægyptum venditus fuiſſet. At poſtquàm eò trãſlatus eſt, decus honósq; eius increbuit, ac nomen vniuerſam compleuit terram. Eodem modo Chriſti Domini fides & doctrina, antequam moreretur, anguſtis quibusdam finibus, pectoribus inquam Apoſtolorum, tanquam planta quædam pretioſa, media hyeme anguſto vaſe, continebatur. At vbi à morte ſurrexit; fides & doctrina eius totum peragrauit orbem: hócq; ipſum arbuſtum tanquam primo quodam Vere, ex anguſto illo vaſe trãſlatum, ac ſecus de curſus aquarum plantatum, extendit ramos ſuos vsque ad mare, & vsque ad terminos terræ propagines ſuas, dedítq; fructum ſuũ in tempore ſuo. 10

Nudus ab omni re in Ægyptum ingreſſus Ioſeph; quæſiuit magnam hæreditatem non tam ſibi quàm fratribus, poſteritatique ſuæ. Idem nobis acquiſiuit noſter Ioſeph, vt hæredes quidem Dei, cohæredes autem eſſemus ſui.

Benedixit Dominus Ægypto propter Ioſeph, & multiplicauit eum tã in ædibus quàm in agris: in Chriſto benedictæ ſunt omnes familiæ gentium. Sperauit igitur vterque Ioſeph in Domino, & ſaluos fecit illos, quia voluit eos. Fecit potentiã in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Neque enim quisq̃ in eo ſperauit vnquam, & confuſus eſt. In te ſperauerunt patres noſtri: ſperauerunt, & liberaſti eos. 11

Auditúmque eſt hoc, & cœpit vulgari in aula regis: Veneru[illegible] fratres Ioſeph, & gauiſus eſt Pharao, & omnis familia eius. Audiatur hoc idem etiam nunc in aula Regis mei: S[illegible] luia, alleluia, alleluia. Congaudeat [illegible] cuius nouiſsimis Deus magis benedix[illegible] mino, quia gloriosè magnificatus e[illegible] mare. Alleluia, alleluia, alleluia.

SECVN[illegible]

Vi[illegible]

Diem humiliationis & exaltat[illegible] bus celebrauimus; nunc diem [illegible] eadem conſeruata comparatione

Multoties multísq; modis cog[illegible] primus Ioſeph; itidem apparet [illegible] multis ſignis & argumentis noſte[illegible]

Cognoſcit primũm Ioſeph fr[illegible] nam tandem modo? prius inq[illegible]

minus ſubditos, patronus clientes, quàm è contrario, quod plerunq; vſu venit, cognoſcitur; ſic enim, inquit ſcriptura: Et tamen fratres ipſe cognoſcens non eſt cognitus ab illis, recordatusq́; eſt ſomniorum quæ aliquando viderat. Idem euenit hodierno die alteri Ioſeph: Ieſus, inquit, appropinquans ibat cum illis, oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoſcerent. Tenebantur autem vtrorumq. oculi conſcientia peccati. Nã & illi fratrem vendiderunt; & iſti trepidi relicto Domino neſcio in quibus angulis delituerũt. Innocens oculus perſpicax & liber eſt, facilè cernit omnia; cæcum & obſcurum ſcelus, luce caret, in tenebris verſatur: perdito lumine cordis, & corporis lumen facile cæcutit: limpido oculo opus eſt, & ab omni ſorde libero hunc ſolem aſpecturo. Quærite, inquit, Dominum in bonitate. Ideo plerumq; malè creditur; quia prauè & licẽtiosè viuitur. Primùm Dominus reſpicit Petrum; tum demum videtur à Petro. Beatus igitur ille, quem tu Domine primus oculo miſericordiæ tuę reſpexeris. Miſericordia ergo tua præueniat nos: & ſubſequatur omnibus diebus vitæ noſtræ.

3 Peregrini peregrinum in terra peregrina fratres Ioſeph cognouerũt. Sed & Chriſtus in forma peregrini peregrinis diſcipulis inter peregrinandum apparet. Habet & habuit ſemper præſtans quiddam, Deoq́; gratum peregrinatio: vel apud eos ipſos, qui ſolo regebantur rationis lumine. Quo veluti è fonte illæ leges hoſpitales, illa hoſpitalitatis iura manârunt. rimi credentium patres, Abraham, Iſaac, Iacob, & omnes alii Patriar- xire iubentur de domo ac cognatione ſua: peregrinantur: in caſu- nt: Angeli, ipſeq́; Angelorum Dominus hoſpitio recipiuntur. quadraginta annis per deſerta circumductus eſt, cui illa to- r: Memineris, inquit, quòd & tu peregrinus fueris in ter- ra al la lotio peregrinantium pedum? quid amicum oſculum? quid reli ? Sed quæ cauſa tanti honoris? aut cur tanti fit peregrina io? N us enim hîc, inquit Paulus, ciuitatem manentem; ſed futuram in s. quo nomine illi veteres per deſerta, cauernas, ſolitudines ober quibus non fuiſſe mundum dignum teſtatur Pau-
Hebr. 11. lus: confitentes qu eregrini & hoſpites ſunt ſupra terram. Qui enim dicun, ſignifican e patriam inquirere. Nuſquam ſiquidem corpus n peregrinatione exercetur: nuſquam animus melius laitur: nuſquam liberius curę & ſolicitudines ſeculi remittm homo conditionem ſuam melius recognoſcit.

h, priusquàm oculos ſuorum aperiat, exercet, probat, cata gaudia maiorem pariant lætitiam; & vt omne ſolatiexercitio. Nam & primo fratrum in Ægyptum aduenquaſi ad alienos durius loquitur Ioſeph: ter explorain fratrem, quòd illis mortis acerbiſsimæ inſtar fuit, lomum, vno retento, & in carcerem coniecto, diſſiomniq; amore, remittit: ſecundo item aduenuluc clam ubiicit, furtíq; inſimulat, Beniamin retinet,

retinet, pro ſeruo habere vult. Vnde illa acerba Ruben, apud male tractatos fratres, querela ac confeſsio? Nunquid non dixi vobis, nolite peccare in puerum, & non audiſtis me? En ſanguis eius exquiritur. Sed & Chriſtus Dominus priuſquàm ſuis innoteſcat, oculos illorum ligat: fidem & amorem in ſe probat: docet, arguit, increpat: ſtultos & amentes vocat, deſerere vult, ægrè tenetur, ad ſpeciem deſerit, tùm demum ſe quis ſit prodit, innoteſcit, cœleſti menſa paſcit, ad ſuos remittit.

Vtraque hæc cognitio vtriusq; Ioſeph, non eſt facta ſine aliqua ſpecie piæ ſimulationis & diſsimulationis; nam & Ioſeph diſsimulat ſe fratres noſſe: diſsimulat dolorem, diſsimulat fraterna viſcera. Simulat ſe alienum; imò inimicum etiam ſi fieri poſſet. Et Chriſtus Dominus Dominum ſe negat: ſerui & peregrini ſpeciem repræſentat: amorem premit: abitum parat. Non quòd omninò ſimulatio aut diſsimulatio bona ſit (quæ tùm demum laudatur, vbi in eius vtilitatem, cui fucus fit, comparata eſt) ſed vt per quæ quis peccat, per eadem puniatur. Simulauerant fratres Ioſeph, eum à fera peſsima deuoratum eſſe: hócq; nomine patri impoſuerunt, alienum ſanguinem pro ſanguine filii obtulerunt. Aliud item diſcipuli de Chriſto nunc confitentur, quàm aliquando ſenſerunt: vtriq; ſuis irretiũtur laqueis: per eadem ſimiliter vtrique puniuntur. Sed & ipſe pater iſtorum Iacob, deceptus eſt veſtimentis Ioſeph; quia & ipſe aliquo modo quondam aliena repræſentârat pro ſuis veſtimẽta patri itidem ſuo Iſaac; hácque ratione primogenita Eſau ad ſe auertit; vt ſic nullum malũ impunitum, nullum bonum irremuneratum ſit.

In vtraque cognitione verus ſenſus de vtroque Ioſeph ad aliquod
pus amittitur; vt tantò certior & illuſtrior in omnem æternitatem
dat ac ſtabiliatur. Nam & fratres de Ioſeph aliud longè, quàm fuit
unt; dicunt enim: Eſt nobis pater ſenex, & puer paruulus, q
ſtute illius natus eſt, cuius vterinus frater eſt mortuus: & ipſu
bet mater ſua; pater verò tenerè diligit illum. Et diſci
inquiunt, ſperabamus, quia ipſe eſſet redemturi
omnia, tertia dies eſt hodie, quòd hæc fac
dam ex noſtris terruerunt nos, quæ ante l
& non inuento corpore eius, venerunt
lorum vidiſſe, qui dicunt eum viuere.
monumentum, & ita inuenerunt, ſic
inuenerunt. quorum hæſitatio, facta
firmatio: nominis vtriusq; Ioſeph ill
reſurrectio eorum, qui labuntur.

Vterque Ioſeph cognitus eſt in
tæ diſpenſator eſt menſæ. alter enin
plet, cognoſcitur: alter itidem innot
Chriſtus meliùs cognoſcitur, quàm ii
ſacrorum corporis & ſanguinis ſui m
nis deſignantur; ac etiam tùm ibide

tur. Quibus cùm hæretici vel non vtantur, vel malè vtantur, neq; Chri-
ſtum, neq; ſponſam eius rectè agnoſcere poſſunt, nec agnoſcent vnquam.
8 In vtriusq; agnitione ante verum & ſerium gaudium, quod plerunq;
euenit, fit pauor, metus & trepidatio. Nam & Ioſeph toties lacrymatur, &
turbatur: Auertit ſe, inquit ſcriptura, parumper & fleuit. Sic viſo Beniamin vterino fratre: Deus, inquit, miſereatur tui, fili mi: feſtinauit in domum ſuam; quia commota fuerant viſcera eius ſuper fratre ſuo: & erumpebant lacrymæ, & introiens cubiculum flebat. Quid fratres, hærent: quò ſe vertant non habent: in portu bonæ ſpei, ſpem omnem amittunt. Vnde illæ voces Iudæ deſperantis planè: Oro Domine mi, loquatur ſeruus tuus verbum in auribus tuis, & ne iraſcaris famulo tuo; tu es enim poſt Pharaonem Dominus meus. Interrogaſti prius ſeruos tuos: Habetis patrem aut fratrem? & nos reſpondimus tibi domino meo: Eſt nobis pater ſenex, & puer paruulus, qui in ſenectute illius natus eſt, cuius vterinus frater eſt mortuus: & ipſum ſolum habet mater ſua; pater verò tenerè diligit eum. Dixiſtiq; ſeruis tuis: adducite eum ad me, & ponam oculos meos ſuper illum. Quod cùm ſeni retuliſſemus, reſpondit ille: Vos
is quòd duos genuerit mihi vxor mea. Egreſſus eſt vnus, & dixiſtis:
deuorauit eum: & hucusq; non comparet. Si tuleritis & iſtum, &
i in via contigerit; deducetis canos meos cum mœrore ad infe-
igitur doloris & acerbitatis compellat Ioſephum. Ego ſum
s tuus, qui in meam hunc recepi fidem, & ſpopondi, dicēs:
m, peccati reus ero in patrem meum omni tempore. Ma-
uus pro puero in miniſterio domini mei, & puer aſcē-
non enim poſſum redire ad patrē abſente puero;
eſt patrem meum, teſtis aſsiſtam. Simili-
um cognoſcunt, hæſitant, titubant, do-
ua ſe clauſtra cóèrcent, ob ídq; ob-
edendum, in omnibus quæ locu-
s, agones ante coronas, mœror
r: Nónne hæc oportuit Chri-
nos igitur ſi compatiemur,

atque incredibilem quā-
ectio finiri debet. Audi-
ie vulgatum in aula Re-
ó, & omnis familia eius.
cor noſtrum ardens erat
ſcripturas? Et ſurgentes
erunt congregatos vn-
d ſurrexit Dominus ve-
, viſo Domino. Cante-
eſt: equum & aſcenſo-

TERTIA PARS.

Viuit Ioſeph.

TEmpus cunctationis ac ſimulationis cuiusdam abiit: tempus manifeſtationis ac magni conuiuii adeſt. Iuuat igitur tanti tamq; munifici gaudii participem vel ſaltem ſpectatorem eſſe: iuuat conuiuio intereſſe.

Plenam igitur pacem primùm adfert vterq; Ioſeph: totúmque ſe fratribus prodit, aut effundit potiùs. Et primus quidem ille ſic: Ego ſum Ioſeph: adhuc pater meus viuit? Secundus autem: Pax vobis: Ego ſum, nolite timere. 1.

Explicat vterq; Ioſeph ſuas opes, ſuas facultates, dignitatem ſuam, incrementa ſua, apud fratres: & primus quidem ille ſic: Non veſtro conſilio; ſed Dei voluntate huc miſſus ſum, qui fecit me, quaſi patrem Pharaonis, ac Dominum vniuerſæ domus eius, ac principem in omni terra Ægypti. Nunciate patri vniuerſam gloriam meam: & cuncta quæ vidiſtis in Ægypto. Ite in terram Chanaan, & tollite inde patrem veſtrum, & cognationem: & venite ad me; & ego dabo vobis omnia bona Ægypti; vt comedatis medullam terræ. Secundus ſimiliter idem facit. Ac primùm diuinitatis ſuæ diuitias explicat; dum mentes & cogitationes illorũ ſe noſſe earum manifeſtatione oſtendit; dum tanta vi & ſplendore coruſcus adeſt; dum datam ſibi omnem poteſtatem, ſiue in cœlo, ſiue in terra, paulò pòſt dicit: Spiritum ſanctum donat: remittendi peccata integram poteſtatem tradit. Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Euntes ergò docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Humanitatis deinde: oſſa inquam, carnes, vulnera omnibus gemmis & margaritis pretioſiora. Videte manus meas & p. ego ipſe ſum: palpate & videte; quia ſpiritus carnem & oſſa ſicut me videtis habere. Et cùm hoc dixiſſet, oſtendit eis man & latus. Quas ille cicatrices, partim ad firmanda ſuæ, partim ad confirmationem martyrum, co rorem malorum, in teſtimonium dilection delicti noſtri, ſignum & vexillum trium fœderis, relictas eſſe voluit: & cum qu ſpectu Dei apparet, pro nobis iram fur tuntur peccata, quaſi placida aura qu mantibus illis, peccatíque veniam ex mauerit vnquam ſanguis Abel. 2. *Matth:* 28.

Fit pauor, ſtupor, atque extaſis qı tia, ac potentia Dei: cuius conſilium ſt mutua recognitione. Et de fratrum qu ne illud: Non poterant illi fratres Vnde Ioſeph dicit: Nolite pauere. I ſtetit in medio illorum, & dicit eis: P

ti verò & conterriti, putabant ſe ſpiritum videre. Et dixit eis: Quid turbati eſtis: & aſcendunt cogitationes in corda veſtra? Item: Adhuc autem illis non credentibus & mirantibus præ gaudio, &c. Nemo igitur reſiſtat: nemo contradicat voluntati Dei: nemo conſilia illius contemnat. Vt enim in diebus deiectionis vtriusq; Ioſeph nihil dictum, nihil factum, nihil commiſſum fuit, niſi quod ab æterno patre permiſſum & multò antè conſtitutum erat; ita & in exaltatione vtriusq; idem fieri videmus.

4 Conuiuatur vterq; Ioſeph cum fratribus ſuis: & Ægyptius quidem: Ponite, inquit, panes: Quibus poſitis ſeorſim Ioſeph, & ſeorſim fratribus: Ægyptiis quoq. qui veſcebantur ſimul ſeorſim (illicitum eſt enim Ægyptiis comedere cum Hebræis: & profanum putant huiuſcemodi conuiuium,) ſederunt coram eo primogenitus iuxta primogenita ſua, & minimus iuxta ætatem ſuam. Et mirabantur nimis ſumptis partibus, quas ab eo acceperant: maiorq. pars venit Beniamin; ita vt quinq. partibus excederet: biberuntq. & inebriati ſunt cum eo. Noſter autem: Habetis hîc aliquid quod manducetis? Et obtulerunt ei partem piſcis aſsi, & fauum mellis. Conuiuatur autem non aliqua neceſsitate ſua; ſed ſolatii ſuorum cauſa, ſed gloriæ & reſurrectionis ſuæ firmandæ gratia, noſtræ item futuræ inſtaurationis adumbrandæ; cibus enim nouum facit hominem, & ipſe innouatur, quæ reſurrectionis eſt propria imago.

5 Conſolatur vterq. ad hoſpitalem menſam ſuos: excuſat, animat, deſperare non vult: in æterni patris profunda conſilia potiùs, quàm in eorum voluntatem transfert omnia. Et Ioſeph quidem hunc in modum:

[illegible] ſed Dei voluntate, huc miſſus ſum qui fecit me, qua-
[illegible]item: Nolite pauere, neq. vobis durum eſſe vide-
[illegible]pro ſalute enim veſtra miſit me Deus ante
[illegible]modo. Nonné hæc oportuit Chri-
[illegible]? & incipiens à Moyſe, & omni-
[illegible]mnibus ſcripturis, quæ de illo

[illegible]erque magnificam inſtruit,
[illegible]ierſam gentem ſuam: Fe-
[illegible]ei: Hæc mandat filius tu-
[illegible]rę Ægypti. Deſcende ad
[illegible]sq; iuxta me, & tu & fi-
[illegible]a, & vniuerſa quæ poſ-
[illegible]ierſum diſperſi, vt cō-
[illegible], inquit, docete om-
[illegible]lij, & Spiritus ſancti:

[illegible]ph. Ille quidem dedit
[illegible]ria pro itinere. Singulis
[illegible]rò dedit trecentos argē-
[illegible]ecunię & veſtium mittens
patri

patri ſuo, addens eis aſinos decem, qui ſubueherent ex omnibus diuitiis Ægypti: & totidem aſinas triticum in itinere panesq. portantes. Noſter autem, multiplicem, quò ad Deum & quò ad hominem, pacem offert: Spiritum ſanctum donat: ſuam autoritatem tribuit: Hierarchieę dignitatis honorem confert. Sicut miſit me, inquit, viuens pater; ita & ego mitto vos: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittentur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt: Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium. &c.

Viam ac itineris rationem, ſortiendæque partis in regno gloriæ ſuæ 8
proponit vterque Ioſeph. Neque qualemcunque rationem, vt potè Caluinianam aut Luteranam, ſed tritam atque Catholicam, per quam omnes inceſſerunt ſancti. Via autem illa communis eſt, oportuiſſe nimirum vtrunq. Ioſeph pati; & ſic reſurgere, capútq. ſubleuare ſuum, neque ipſos principes ſolos, ſed & omnes alios, qui vbi illi ſunt, ipſi aliquando peruenire volunt; ideo addit: Et prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſsionem peccatorum in omnes gentes.

Conſilium igitur Domini ſtat, & omnis voluntas eius manet. Viuit Ioſeph, & dominatur in omni terra. Lætare ergo Hieruſalem, & conuentum facite omnes, qui diligitis eum: gaudete cum lætitia, qui in triſtitia fuiſtis; vt exultetis & ſatiemini ab vberibus conſolationis veſtræ. Dabit enim Dominus vobis coronam pro cinere: oleum gaudii pro luctu: pallium laudis pro ſpiritu mœroris. Eleuare, eleuare, conſurge Hieruſalem, quæ bibiſti de manu Domini calicem iræ eius. Vſque ad fundum calicis ſoporis bibiſti; & epotaſti vſque ad fæces. Audi hæc pau
non à vino. Hæc dicit dominator tuus Dominus
gnauit pro populo ſuo. Ecce tuli de m
fundum calicis indignationis tuæ
ex illo vltra. Cantemus erg
magnificatus eſt: eq
proiecit in m
Allel

AD PETRVM COSTCAM EPISCOPVM Culmen: virum Amplissimum.



Æpenumerò, pro eo, quem aliqui mihi quandoq; tribuebant, concionandi vsu, quæri ex me solitum est; quid de hac tota siue vi, & facultate, siue modo & ratione sentirem: ita vt necesse haberem, ne aut inuidus, aut contumelioſus viderer, toties eadem multis dicere & respondere. quod in hoc meo morbo mihi magna cum difficultate & molestia euenire solet. Eam ob causam semel eo labore me liberandum esse, atque quid de hac re iudicarem, aliquid literis commendandum, putaui. Non quòd eius rei aliquam artem tradere vellem, quæ diuinitùs potiùs confertur; quàm aliqua humana arte, præceptisq; constat: neq; vt alios doceam, quæ ipse non planè didici; sed vt me hac ipsa molestia, eadem sæpiùs repetendi, liberarem. Ita autem hæc scribo, vt suum cuiq; de hac re integrum relinquatur iudicium. Te autem R^me Antistes, in hac causa iudicem appello: tibíque hæc nostra addico: quòd te aliquando de eo toto negotio & argumento, dum Torunii in illa prima Reip. quasi conglutinatione essemus, disertissimè ac perdoctè, pro tuis singularibus ingenii ac eloquentiæ opibus, differentem audiuerim: & quòd hæc tua doctrina, liberalitas, virtus denique ipsa digna sit; vt omnium bonorum literæ atque conatus ad te confluant: denique vt illa tua, quæ texis atque retexis, premisque sapiens, plusquàm nonum in annum, quæ iam omnes boni expectant, & quibus iam satis matura esse videntur, à te aliquando hoc genere scriptorum eliciam. Vale, nosque vt soles, etiam atque etiam vehementiùs ames.

SIMON SIMONIDES LEOPOLIEN.

am molesti pertinax morbi labor,
honorem, & oris abstulit decus,
nterpreti Socolouio,
posset vsque pristinum
in quo Regum inclytas
illa maiestas sacra
rsus exoleſceret;
, hanc sua ipsemet manu,
m expressit sui;
le sese fingerent.
haud putaueris,
eui, vna atque altera,
nem editum Socolouium:
go, vel adumbratio,
, pari exemplo solet
, pictor expressam dare
, aptam imaginem.

STANI-

PARTITIONES ECCLESIASTICÆ.

ANDREAS, & SOCOLOVIVS.

ANDREAS. Ordire igitur id totum, de quo inſtitui volo, à Fine: qui vt eſt vltimus in actione, ita inſtituto primum eſſe debere, in ſcholis didici. SOCOLOVIVS. Finis, vt ſcis, duplex eſt; ſummus ſeu vltimus, & interiectus ſeu deſtinatus. Et in hac quidē cauſa, finis primus & vltimus, eſt honor Dei, & ſalus proximi: interiectus autem, errores & vitia euellere, bonos autem ſenſus & virtutes inſerere, iuxta illud: Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce conſtitui te hodie ſuper gētes, & ſuper regna; vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſsipes, & ædifices, & plantes. ANDR. Officia ad eum finem conducentia, quę? SOCO. Docere præcipuè ac pmouere. Nam delectare acceſſoriū & humanū eſt: ſatisq. in vera philoſophia delectat, qui docet & mouet. AND. Obiectum totius facultatis, in quo ea verſatur, quod ſtatuis; quænē eius ppria affectio? SOCO. Scholam oles, Andrea; nec malè tamē. Obiectum quidem eſt, voluntas Dei, quam dicit eſſe Paulus ſanctificationem noſtram. Propria autem affectio eſt, veritas. Sic enim inquit [illegible] ctor: Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium phibeā veritati. ANDR. Quibus præſidiis & in[illegible] ſtro Prædicatori, vt hoc efficiat, opus eſt? S[illegible] ſuperno dono ac lumine inprimis, ne de [illegible] præcepi eis, neque locutus ſum ad eos [illegible] te, ac zelo pro domo Domini; vt illud [illegible] & legem tuam dilexi. Vitæ item inte[illegible] narras iuſtitias meas, & aſſumis teſ[illegible] rò odiſti diſciplinam; videbas fu[illegible] teris portionem tuam ponebas. [illegible] tu ſcientiam repuliſti, repellam [illegible] tia & aſsiduitate, vt in lege D[illegible] per dicendum eſt, ſemper ite[illegible] onéq. frequenti mens & or[illegible] ni faciat negligēter. Voce[illegible] ſis deprecatio: Obſecro [illegible] tertius; & ex quo locutu[illegible] guæ ſum. Et Ieremiæ: [illegible] puer ego ſum. Poteſt ta[illegible] penſare. Et quod capu[illegible]

Ier. 1.

Theſſal. 4.

dere vult. Nam & in legato hoc maximè requiritur; vt sit eiusdem sententiæ cum eo, qui illum mittit; idemque nolit & velit, quod agit, & cuius causa mittitur. ANDR. A quibus autē dicēdi & differendi modis hęc facultas distingui debet? SOC. A causa ciuili primùm: deinde quæstione, quam disputatā vocant: pòst à Scena & Tragœdia: à sermone item aulico & profano: demùm à Satyra & inuectiua, vt modestia nostra nota sit omnibus hominibus. AND. Ad quorū imitationem se componet Concionator? SOC. Christi inprimis, Pauli, Prophetarū, Apostolorum, Sanctorum Patrum, inter quos patres, Chrysostomus hac in parte omnium iudicio excellit. AN. Qua verò id faciet mercede? SOC. Ea nimirū, quę
Dan.12 est apud Danielem: Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æ-
Matth. 5. ternitates. Et illa Christi Domini: Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.

ANDR. Quid igitur in tota sua facultate videbit? SOC. Illa tria communia, quid dicat, quo quidque loco, & quomodo dicat.

ANDR. Quid igitur dicet? SOC. Huc spectat materia & motus. Materiam habebit, si aut scripturam aut locū cōmunem tractauerit. Scriptura variis modis materiam præstabit: nam aliquando tota, quæ tum ab Ecclesia ad populum recitatur, explicari potest: aliquando pars illius. Si tota, id multipliciter: aut historicè, continua rerum & verborum serie eam explanando, quod D. Gregorius, Beda, & alii faciunt: aut expositione prætermissa, exempla & doctrinas simpliciter, vel ad hæreses confutandas, vel ad vitam instituendam, per communes sententias ex ea eliciendo; quod Basilius in suis moralibus libris, quos Ascetica appellauit; D. item Thomas in suis sermonibus, & hoc tempore multi facere solent: iíq; ex magnis & [illegible]æclarè faciunt: aut partitione facta, quod nunc in frequentiori vsu est, per capita tota res explicanda est: vel propositis etiam certis e[illegible]d quos præcipuè refertur, finibus, in illis totam orationem consur[illegible] quondam in Italia præceptores feciſſe memini. [illegible]nam lucem & commendationem habet. Vel [illegible]ria aliqua difficultate, in prima concionis [illegible]ttinget, quod nunc in Italia communi[illegible]erit, habet ea res venustatem singula[illegible]x ab aliis; sed acumine opus est, & [illegible]ita consequetur, si in singulis incisis [illegible]a instituti argumenta, præsertim si [illegible]unt præter ea, quæ diximus, occa[illegible]siastici eiusdem temporis, introitus, [illegible]quæ aliquando ipsa basis concionis [illegible]d illos qu atuor cōmunissimos, olimq; [illegible]ioaros, & à sanctis patribus vsurpatos [illegible], Tropolo[illegible]am, & historicum sensum, [illegible]tè prudente[illegible]. referentur. Solebat enim

Origenes

Origenes iam ſuis temporibus, ſcripturam mundo comparare: vtque is conſtat quatuor elementis, ita ſcripturam quatuor ſenſibus conſtare dicebat, literali videlicet, ſeu hiſtorico, quem fundamentum cæterorum appellat: morali, ſub quo comprehendit allegoricum, & tropologicum: phyſico, qui paſsim non numeratur: theologico, qui idem atque anagogicus eſt. Quod faciliùs ex ipſius verbis, ſi fortè eorum benè memini, intelliges. Diuina, inquit ſcriptura, mundus quidam eſt intelligibilis, ſuis quatuor partibus, veluti quatuor elementis, conſtitutus: cuius terra eſt, veluti in medio; imoque inſtar centri, hiſtoria: circa quam aquarum ſimilitudine abyſſus circumfunditur moralis intelligentiæ, quæ à Græcis ethica ſolet appellari: circa quas, hiſtoriam dico, & ethicam, veluti duas præfati mundi inferiores partes, aër ille naturalis ſcientiæ circumuoluitur: quam naturalem dico ſcientiam, Græci vocant phyſicam. extra autem omnia & vltra, æthereus ille igneus ardor empyrei cæli, hoc eſt ſupernæ contemplationis diuinæ naturæ, quam Græci theologiam nominant, circumglobatur, vltra quam nullus ingreditur intellectus. Hæc ille. Sed & locus communis poteſt cauſam dare differendi, qui aut ſimpliciter tractandus, aut coniunctè. Simpliciter quidem, partim oratorum more, rem perpetua oratione, clarè ac dilucidè explicando: partim philoſophorum via & ratione, hypotheſibus, & fundamentis iactis, & præmiſſis. Coniunctè autem, vel locum communem cum Euangelio coniungẽdo; vt ſi quis incertitudinem vocationis & gratiæ ſingulorum, qua ſe hæretici efferunt, probare velit, parabolam de eo, qui veſtem nuptialem nõ habuit, vſurpet: vel contrà Euangelium cum loco communi; vt, ſi quis Euangelium de ſaucio eunte Ieroſolymam explicet: accommodet & illuſtret illud loco communi de iuſtificatione. Locus autem comm[illegible] mi poterit: modò ex re ipſa; quomodo Baſilius de ebrietat[illegible] modò ex perſona; quomodo Ambroſius de S. L[illegible] pore; quomodo Nazianzenus de Paſcha[illegible] quomodo Chriſtus Dominus ex conſp[illegible] uiſsimam inſtituit orationem: modò [illegible] thenis, ab ara, in qua erat ſcriptu[illegible] gnificè de vero, qui fecit cælum [illegible] us tẽpore famis, Cyprianus de r[illegible] dinis, alii de bello. ANDR. Qui[illegible] tur? SOC. Tace Schonæe: aud[illegible] tionem propriè ſpectant, de q[illegible] quod & magnis contigiſſe, ipſ[illegible] terent. Neque enim hoc loco i[illegible] mus, ſed ne poſſumus quidem.

Matthæi 22.

Lucæ 10

ANDR. Quoniam igitur de [illegible] quibus Chriſtianus Orator el[illegible] cæleſtium rerum cupiditatis [illegible] do obliuionis, miſericordiæ [illegible]

desiderii; odii in malum, zeli pro domo Domini, suiipsius, ac rerum humanarum contemptus; vt discat auditor, contemnere mundum, contemnere nullum, contemnere sese, contemnere se contemni. Nam iocus & risus, aliique humani affectus, hîc locum non habent, nisi si quando ex commiseratione ducantur, & in traductionem & contemtum vitiorum hæresumq; fiant: curas hominum, spes vanas, magnum in rebus inane rideant: & mundi fallacias, artes, insidias aperiant: hominum peruersitatem, duplicitatem, hypocrisim, vanitatemq; detegant. Quod Chrysostomus, Basilius, & alii sæpiùs faciunt: Basilius autem in illis orationibus maximè, quas de auaritia, vsura, ebrietate item diuinitùs conscripsit. ANDR. Vnde hos affectus colligis? SOC. Ex Christi, prophetarum, Pauli, aliorumq; sanctorum doctrina; vobis enim philosophis hæc minus placere solent. ANDR. Quomodo autem hos motus excitabit atque accendet? SOC. Charitatis quidem, ipse diligendo: spei, ipse sperãdo ac desiderando: pœnitentiæ, si ipse contritus fuerit. Quod idem de aliis sentiendum est; vt non modò incendere auditorem, sed ipse etiam ardere videatur. Neque enim aut titio extinctus accendere potest, aut fax ardens non inflammare. Iuuabit tamen plurimùm, si Prophetas, psalmos, sanctósq; patres diligenter legat; & ex quibus capitibus moueant, notet, hoc est, materiam, motus, rationem, & modum. Quinimo, vbi ipse frigebit, neque eorum grauitatem imitando consequi poterit, (quod plerunq; fit) ipsos & ad se, & ad alios, accedendos patronos aduocet, illorúmque perfectas & integras sententias adhibeat: neque priùs vel orando, vel clamando, vel ipse plorando defatigetur, quàm vberem lacrymã excusserit. In quo mirũ est, quantum excellebat LVCAS ille noster Dominicanus, vir quondam in dicendo magnus. Hoc idem planè efficiet, si Concionatores spiritu ardentes ipse audierit: ac spirituales quosdam libellos, in quibus semina & scintillæ pietatis continentur, legerit; D. inquam F[illegible]L, Basilii, Augustini, Bernardi, Bedæ, Anselmi, Bonauentu-

[illegible]ersonis, Granatẽ, & si qui sunt in hoc genere alii.

[illegible]? SOC. Nihil. ANDR. Videris mihi simi[illegible]cœnam quosdam vocasset, ac præclarè mẽ[illegible]accipiendi hospites differuisset, ipse ap[illegible]rophetas, & Patres remittis: hoc est [illegible]gare, vbi ipse ad cœnam eos voca[illegible]& Grammatici loqui docent; verba [illegible]Et Arithmetici numeros tradunt; pecu[illegible],non suppeditant; ipsi inopes plerunque. [illegible]pse ped[illegible]n vbi figat, aliquando non ha[illegible]largim[illegible]r: studio priuato opus est, ani[illegible]nulta. Firmiùs tenentur, & cum maiori [illegible]tur, quæ uisque ipse obseruauit. Nam [illegible]fatear) [illegible]diculi mihi visi sunt; dum aut [illegible]o. ent. Qu[illegible]i verò ista non natura potiùs,

quàm

quàm aliqua arte conſtent. Sed hoc ſit aliquid. Conabimur tamen & nos aliquando, Deo Duce & vita ſuperſtite, in hoc genere aliquid præſtare: ac Notas quasdam Euangelicas, quibus commonſtretur, quid ex vnoquoq; Euangelio, & ad mores inſtruendos, & ad hæreſes refutandas, ſumi poſſit. Sed res, vt vides, magni eſt laboris, valetudo autem noſtra perexigua.

ANDR. Videmus quid agas: fontes digito commonſtras.

Quoniam igitur de materia & motu dixiſti, ad ordinem te referas; & quid quoq; loco tuus Concionator dicturus ſit, doce. SOC. Priusquàm de ordine dicimus, commonendus eſt quarundam rerum, ſine quibus rectũ ordinem conſeruabit nunquam. Primùm, ne ſe varietate & multitudine argumentorum obruat. Errant enim illi, qui ſe tum copioſos putãt, ſi de omnibus rebus vno loco dixerint. Copioſus verè ille erit, qui de re propoſita, & ad eundem finem, ita vt fidem faciat, aptè & ſufficienter dicere poterit. Secundò, ne omnia, quæ aut ſcit, aut legit, etiam de eodem argumento, dicat. Multa enim poſſunt eſſe, aut infirma, aut ambigua, aut incerta, aut aliqua circumſtantia inquinata. Ne illud Fabii ipſi eueniat, vt dum nihil perdere vult, perdat omnia. Cortices relinquat, nucleos proponat, quantum fieri poteſt: ac optima quæq. ſemper, ad præſensq; negotium accommodatiſsima, ſeligat: vulgò audita & cognita relinquat, neque id curet vt multa, ſed vt multùm dicat. Sed & ea, quæ ſeriò ad probandum ſumuntur, præter ea, quæ primò & per ſe probant, eò amplius aliquid eruditum, iucundum, inopinatum, quaſi ex latere habeant, quod auditorem & delectet, & inſtruat; quod SCARGA noſter pr[illegible] clarè facit. Tertiò, vt nõ magis cogitet quid dicat, quàm quid nõ d[illegible] ſæpè illa, quæ non dicenda erant, euertũt & inquinant, quæ p[illegible] cta ſunt: ac vt deſiderium ſuæ orationis, quod m[illegible] ſemper relinquat. Quartò, ſi graues materi[illegible] tò & ſtatim à principio eas proponat, [illegible] cibos: neque more ruſticorum ad extr[illegible] gis enim & ſuperfluis, conſumpto tem[illegible] locus: feſſóq. auditore exhauſtis virib[illegible] illa perſequetur, ac ne quicquam clep[illegible] motus, & tædia aſpiciet, ſeque ita cor[illegible] gatus, cur prior ſemper in Olympia[illegible] reſpondiſſe fertur, ſe priùs domo eg[illegible] volumus, citò ac ſtatim illud aggre[illegible] diis quidem longis (vt ad rem pr[illegible] men illis aliquando vtetur, vniu[illegible] parabũtur, honeſtúmq; cauſæ a[illegible] tiam captare, quid opus eſt apud[illegible] ſunt? niſi fortè in perſona ſit ali[illegible] ſuſpectè dixerit. Sed commodi[illegible] inſtituere, perſonæque ſuæ ob[illegible] ſermones hominum non curar[illegible]

pud se corrigere. ANDR. Vnde ergo ordietur? SOC. Ordietur, vel ex totius argumenti partitione, causæq. informatione: vel continuabit præsentem sermonem, cum superiorum temporum doctrina; quod vt ad docilitatem est maximè accommodatum, ita quandam habet venustatem: vel si quid prætermissum, aut secus commissum sit in priori concione, complebit, & interpretabitur: vel ea, quæ illum impedire videntur, auferet. Habent & illa non parum dignitatis & venustatis, si ordiamur à graui aliqua prophetia, vel à figura veteris legis, præsenti negotio accommodata, vel à communi verbo siue prouerbio, dicendique modo, vel à subita quadam circumstantia, insperatoq. euentu.

ANDR. Vbi exorsus fuerit, quid faciet? SOC. In ciuilibus quidem causis narrari solet; apud nos non ita frequenter: fit tamen aliquando. Illud autem narrationis genus, crebriùs adhibetur, quod per omnes partes orationis fusum est. In quibus seruabit illa communia vestra (nam nihil hîc proprium video) nempè vt vera narret & consentanea, certis & receptis authoribus eadem fulciat: cognita non inculcet: non omnia explicet: multa attingat solùm: neque altè causam ordiatur: inprimis autem obscuritatem, quæ narrationem maximè sequi solet, fugiat. Quod ita consequetur, si temporum, locorum, personarum, & alias circumstantias obseruabit.

ANDR. Quid deinceps sequitur? S. Contentio, in qua cardo negotii versatur, totaq; ratio persuadendi posita est. Constat hæc confirmatione & refutatione, vt scis. Optat alicubi Hieronymus, vt Lactantius ita potuisset nostra confirmare, quemadmodum aliena refutauit. Nam neq; ille, qui sua confirmare non potest, aliena rectè & solide refutare poterit & alienis non refutatis, nostra stabilire difficile est. Constat hoc

argumentis. Argumenta ex locis petuntur. Loci autem, aut insiti

i insiti, in re ipsa hærent, & solertia rationeq; colliguntur.

authoritate constant. Prius genus locorum, Dia-

st; indeq; scientes, & dogmatici vocantur.

t, Christianorum est peculiare: indeque fi-

stimonia sequamur, vocari solemus, hique

de illud Isaiæ: Nisi credideritis, non intel-

us autem in fide sua viuet: id est non sensu

ota illa series Patrum, quam Paulus recen-

fide subnixa, sua omnia sciebat, & vixit,

retatur: Arma militiæ nostræ non carnalia

uctionem munitionum, consilia destruen-

tollentem se aduersus scientiam Dei, & in

em intellectum, in obsequium Christi, & in

nem inobedientiam; cùm impleta fuerit ve

r tamen & insiti aliquando loci. Assumti

numerantur à doctis.

ne aliqua diuina non scripta, quod indicat

D. Paulus

D. Paulus: Prophetæ duo aut tres dicant, & cæteri diiudicent: quod si 1. Corint. 15.
alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat. Argumenta autem ex hoc primo loco, non habent vim faciendi fidem Catholicam, nisi reuelationes authoritate Ecclesiæ confirmatæ sint, quod ex verbis S. Pauli constat, cùm reuelationes in cœtu diiudicandas esse docet. Nam alioquin, & maximè hoc seculo, periculosus est hic locus, fundamentum planè Anabaptistarum & Svenckfeldij.

Secundus ordine, fide verò primus locus est, è scriptura sacra. Omnis, 2. Timot. 3.
inquit Paulus, scriptura diuinitùs inspirata, vtilis est ad docendum, arguendum, corripiendum, & erudiendum. Scriptura autem sacra duplicem potissimùm sensum habet, mysticum, & historicum, quem passim literalem vocant. Mysticus quidem valet ad docendum, ad corripiendum, ad erudiendum; sed ad arguendum, id est, ad fidem faciendam, non ita est accommodatus; potest enim esse multiplex & varius, quod Dionysius Areopagita, in epistola ad Polycarpum, Hieronymus in Matthæum, docuerunt. D. Augustinus quidem, contra Donatum, multum ridet illos, qui ex illis verbis Canticorum: Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meri- Cant. 5.
die: probare voluerunt Ecclesiam Catholicam tantùm esse in Africa, quòd sit pars meridionalis. Quod tamen ita intelligendum est, si sensus mysticus non alio loco scripturæ expositus & comprobatus sit. Nam alioqui rectè concludit: Vt quod dictum erat sensu historico de Salomone: 2. Capit. 7.
Erit mihi in filium, & ego ero ei in patrem, Paulus exponit de Christo. Et quod dictum erat de cœlis: Cœli enarrant gloriam Dei; idem Paulus Psalm
vsurpat de Apostolis. Ex historico autem sensu, certum & firmum sumi-
tur argumentum; eadem tamen ratione; si Ecclesiæ authoritas & in-
pretatio accesserit. Nam fieri potest, vt aliquis sit sensus histori-
spiam loci; tamen, quia nondum est ab Ecclesia c mat-
non potest argumentum tale, cui penitus inhære in
lus se vsque ad tertium cœlum raptum fuisse dicit: pleri-
quod oculis cernimus cœlum interpretantu , nec-
men sensus talis non est, qui fidem constituat
de re ab Ecclesia definitum sit. Quaprop-
argumentum è scriptura, quæ vel maxi-
quod fidem Catholicam generet; ni-
tio Ecclesiæ Catholicæ. Hoc signifi-
Isaac alioquin magnus Patriarch-
cob, & pellem Esau: Rebecca,
vtpotè cui mysterium hoc rev
eius, & maiorem seruiturum
cob, aut verus Esau. Huc ec
bolæ nouæ. In figuris veter
priè consistat figura, & ad
pretabitur, vt superiùs dixi
petram illam deserti Paulus

Eodem modo antiqui patres probârunt ex veteris teſtamenti figuris, Chriſtum verum Meſsiam eſſe;quia Paulus,& alij Apoſtoli eas ipſas figuras hoc modo expoſuerunt. In parabolis autem noui teſtamenti, præceptum Chryſoſtomi obſeruandum eſt: In omni parobola ſemper aliquid eſſe præcipuum,quod dicatur ad probandum id, de quo agitur; multa deinde ad explendum ſenſum, & ornandam orationem, dici: igitur cauendum eſſe,ne ex illis rebus,quæ in parabolis explendę narrationis cauſa dicuntur, argumenta ſumamus. Nam alioquin & furari & fœnerari ex parabolis licitum eſſe colligeretur; vt de villico, & de talentis traditis. Clauis autem aſſequendi ſenſus,& aperiendæ parabolæ,hęc erit.Primùm occaſio, vnde nata ſit parabola, videnda eſt: deinde ſimilis parabolæ in alio loco interpretatio:denique, quod ſummum eſt, vltima ſententia, & quaſi Epimythion,hoc eſt,ſcopus & ſenſus parabolæ,quo concludi ſolet; quale eſt illud de veſte nuptiali: Multi vocati,pauci electi. Et illud,de primo accubitu: Qui ſe exaltat,humiliabitur. De virginibus item: Vigilate, quia neſcitis diem, neque horam. Dabit autem operam, ne ad confirmandum,ſcripturas aut alienas,& multùm remotas,aut ambiguas, aut in contrario ſenſu prolatas, afferat: hæc enim aliquando vero ac legitimo ſenſui apud vulgus multum detrahere ſolent, ac hominibus verſutis latus Doctoris aperire, eumque ridendum propinare.Pluſque interdum vnus debitè locus allegatus valet, quàm ſexcenti extra propoſitum inuecti.

Matth. 22. *Luc.* 14. *Matth.* 2.

...ue & eam oſtentationem fugiet, quæ & moleſta eſt,& nihil prodeſt.

...locus,ex traditione,quæ eandem vim penitus habet ad fi...cieñ, quàm ſcriptura. Sic enim Paulus hæc coniungit: ...ditiones,quas didiciſtis,ſiue per ſermonem, ſiue per epiſto... ...ue per ſcripturam. Non enim minus verbum Dei eſt, quo... ...quàm quod ſcriptura. Ex eo enim tota res pendet: non qu... ſcriptum ſit aliquid,ſed quòd à Deo pro...tum. Et quæ Ap... ...nt,antequam ſcripto mandarentur, Dei ...a erant; indeque ... ...cabulo ſcripturæ, etiam ipſa traditio ...ur; & D. Paulus, ſ... ...lium traditionem vocat: Ego accepi ...no,quod tradidi v... ...mò in hoc, traditio ſuperat ſcriptu...d tempore prior... ...rior, quòd latiùs pateat, nec cor...& interire, aut in vario... ...ta facilè torqueri poſsit. Itáque ...es ſe chartæ atque atra... ...nulta credere nolle dixit. Dum ...traditione loquimur, ea... ...Catholica ſit, quæ & ſcripturæ ...tioni conueniat, & quam E... ...eſia approbauit, cum D. Augu...o. De qua plura alibi diximus.

2. *Theſſal.* 2.

...s, eſt ab authoritate Conciliorum generalium, ex quo ...a,eiuſdem fidei & authoritatis ſunt, cum ſuperioribus. ὁμοούσιον patri credimus, quia ita prima Nicena Synodus ...c nomen in ſacra ſcriptura non inueniatur. Sic Spi... & filio ὁμόουσιον & ab vtroque procedere;quia Con...mana Synodi, eodem tempore, ex ſcripturis ita ſanxe-

ſanxerunt. Idque eas ob cauſas, partim, quòd Concilia Eccleſiam Catholicam repræſentant, quæ errare non poteſt; eſt enim columna ac firmamentum veritatis: partim, quòd præſentem Spiritum ſanctum habeant. ſic enim in primo illo Concilio Apoſtolico: Viſum eſt nobis, inquiunt, & Spiritui ſancto; ac ſi Spiritus ſanctus illius Concilii Dux & præſes fuiſſet, vt quidem fuit: partim, quòd promiſsionem illam Chriſti acceperint: Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Hæc autem, quæ dicimus, de iis Conciliis intelligimus, quæ legitimè congregata ſunt; & ex illis perſonis, ex quibus ritè congregari debent; & ab iis, quibus hoc munus incumbit, vt congregent, & præſideant, quæq. ἀκέφαλα non ſunt. Nam alioqui conciliabula & conuenticula potiùs, quàm Concilia erunt dicenda; quale Arimineñ fuit; & nunc paſſim hæreticorum omnia ſunt, & fuerunt ſemper. Habita eſt tamen & Synodis prouincialibus legitimè congregatis, & ſuperiorum authoritate confirmatis, ſua ſemper fides & authoritas. *Matth:* 18.

Quintus locus eſt, fide & authoritate proximus, à Decretis Pontificum: habet autem vim ex illis capitibus. Primò, quòd ab antiquis diebus, inquit Petrus, voluit Deus per os illorum audire gentes verbum Euangelii, & credere. Deinde, ex illa celebri commiſsione muneris: Paſce oues meas, paſce agnos meos; paſcuis certè verbi & doctrinæ. Tertiò, ex oratione Chriſti Domini: Ego pro te oraui Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Hæc tamen de [illegible] lis decretis intelligenda erunt, quæ de rebus ad fide[illegible]inent[illegible] officio muneréq. proprio fiunt: nam in aliis mu[illegible] bus, aliisque circumſtantiis, ſæpè mutantur *Act.* 5 *Ioan:* 21. *Luc.* 22

Sextus locus eſt, ex conſenſu Patrum [illegible]imi[illegible] loris: partim, quòd ii, vt plurimum Ep[illegible]ru[illegible] in locúmque Apoſtolorum ac diſcipu[illegible]n[illegible] lud: Pro patribus nati ſunt tibi filii[illegible],pro leſtibus ſignis ac miraculis cõprob[illegible]par ſentes Chriſti diſcipulos viderin[illegible]ió lorum diſcipuli fuerint; ac pleri[illegible] ipſi interfuerint, manibuſque ſu veteris, quam illi recens plant tacito omnium Conciliorum mata ſit: tùm, quòd à noſtris tione liberi fuerint, quod teſtiu ad quos tempora & controue eruditionem, linguarum co & diligentiam, quibus o nentiam, cum quibus eſſ autem, quod dico, inte temporum, meo iudic affirmant, non opin

ſententias perſequuntur. Nam tum aliquando in contrariam partem eorum ſententiæ propendere, ſtudio refutandi, videri poſſunt.

Septimus, ſumitur ex authoritate vtriusque ſcholæ, noſtræ inquam, & eorum, qui Canonica iura interpretantur: quæ, vt Cathedræ populari minus ſeruit; ita ad fidem Catholicam faciendam, propter ea quòd recentior ſit, non ita vt ſuperiores, valet. Tenenda tamen eſt, ſed vt opiniones & diſputationes ipſe teneas, vſum populo dones. Nam & pictor imagines præbet populo, penicillos & lecythos domi ſibi relinquit. Nihil enim magis vitioſum eſt, quàm inſtrumenta & præſidia artis, quod ne coci quidem faciunt, oſtentare. Vtatur magiſtris ipſis domi: foris doctrinam Chriſti doceat. Vellem autem vltra D. Thomam non multum progrediatur, niſi conſilii capiendi cauſa: non quòd alios contemnẽdos cenſeam; ſed quòd tantùm temporis non ſuperſit, vt omnes legere poſsit; & veterum patrum magna ſit copia, quibus legendis ætas vix ſufficit humana.

Habent & Rabinorum libri Cabaliſtarúmque, ſuum aliquem locum, præſertim, ſi cum Iudæis certamen ingrediendum eſt, quod ſæpè fit; vel cum his hæreticis, qui nunc noui Iudaizantes vocantur; vel apud dubios, & vacillantes Chriſtianos. Eorum autem maximè, qui ante Chriſti aduentum fuerunt, aut paulò pòſt, qualis Ionatas, Rabenu Hacados, (quem propter authoritatem, magiſtrum noſtrum ſanctum, Hebræi veteres vocant) Philo Iudæus, & Ioſephus, & alii quidam. Non ſolùm iſtis autem vtetur, ſed quandoque etiam ad Philoſophos, eorúmq; rationes, & teſtimonia ſe conferet, hiſtorias item. Id autem potiſsimùm iſtis in locis. Primùm, ſi cum infidelibus diſputabit, apud quos ſacra ſcriptura locum non habet; idque vel eorum argumenta longè firmioribus refutando, vel noſtra confirmando. Itáque Lactantius illud non laudat in Cypriano, quòd diſputans contra Demetrium Philoſophum, diuinarum ſcripturarum teſtimo-
vſus iit. Deinde ea, quæ ſacris ſcripturis probari non poſſunt, ad ſa-
tamen doctrinam pertinent explicando; vt de cœlo, de ſpiritibus,
utibus, & vitiis; de formis ac ſpeciebus rerumpub. de bello, & pa-
timò curioſorum hominum atque inconſtantium animos confir-
o, quod D. Paulus quandoque facit; vt de reſurrectione, vitáque
ura. Quidquid enim vſpiam verum eſt, hoc noſtrũ eſſe, dicere ſolebat
uguſtinus. Sed & Dauid, extorſit de manibus Gigantis proprium illius
uo illum iugulauit. Et Samſon mandibula aſini, non propriis
mis, confecit mille Philiſtæos. In Deuteronomio item iube-
velit ducere vxorem alienigenam, priùs tondeat illius caput,
ques. Quod D. Hieronymus de prophanis ſtudiis, ad fidei
candis, eorumq; ſuperfluis reſecandis intelligit. Sic Io-
ondonauit vitam, ea ratione; vt inſeruirent Iudæis, cæ-
portanda aqua. Verùm, hæc Baſilius in eo libro,
ex gentilium libris petenda vberius. Ita autem
er recordetur, in aliena ſe poſſeſsione verſari.

Quod

Quod ita efficiet, ſi nihil priùs & antiquiùs habebit, illis ipſis prioribus capitibus fidei noſtræ, de quibus dictum eſt: & ſi cùm aliquantisper in his ſubſtiterit, pedem ſtatim tanquam ex quodam itineris diuerſorio referet, ne videamur multum Ægyptiis opibus indigere. Et de locis quidē, noſtræ facultatis propriis, ſatis.

ANDR. Quid de communibus locis, qui vulgò inſiti vocantur? habésne aliquid quod doceas; vt à definitione, partium enumeratione, notatione verbi; item ex genere, ex forma, ex ſimilitudine, ex differentia, ex contrario, ex coniunctis, ex antecedentibus? SOC. Non contemnendos puto: imò diligenter cognoſcendos, illisque vtendum: quos qui cognoſcere velit, eum ad veſtros remitto. Neque enim fruſtra hæ veſtræ artes communes dicuntur; inſeruiunt enim omnibus, qui illis vti velint. ANDR. Eſtne aliquid peculiare, quod ad noſtræ artis vſum, ex parte eorum locorum dici poſsit? SOC. Nihil admodū. Eadem enim eſt ferè ratio in omnibus: ſi quid tamen eſt, docuit hoc præclarè in ſuis Theologicis Topicis, vir acutus & diſertus, & ad elegantiorem Logicam planè natus, Ioachimus Perionius Gallus, qui facilè & legi, & comparari poteſt.

ANDR. Quid de argumentorū ordine? in hoc enim loco verſamur. SOC. Illud cōmune, veriſimum tamen, vt maximè firma in fronte collocet; debiliora & mediocria in mediam turbam atque gregem coniiciat; fortiſsimis ac robuſtiſsimis, totam concludat aciem. Hæc enim, quia vltima ſunt, maximè inhærent animis: prima primò influunt, & animos audientium occupant: leuia autem planè dimittat: eleuant enim cauſam, & bonis argumentis fidem detrahunt. Reliqua, quæ artis ſunt, ex arte veſtris petes; vt quidem tu fortè melius noſti hæc; nos enim hæc [illegible] lim, vt vides, de manibus dimiſimus. Et cōtentionis quidem [illegible] erit. Pugnabit autem, qui lateribus ſuis confi[illegible] ſi q[illegible] hoc genere potentem videbit; in vita [illegible] ctè verſabitur. Cauſam enim magnam

ANDR. Contentionem, quid ſequitur [illegible] mam totius contentionis hæc complectitur breuit[illegible] ùs, & per figuram aliquam, quàm ex inſtituto v[illegible] Amplificationem item & motum. Neque qu[illegible] quem totum negotium à principio compara[illegible] item morum & vitiorum; maximè enim ea[illegible] cuntur. Nihil autem magis fugiendū eri[illegible] rauerimus, aliud nouum quoddam ar[illegible] faſtidio inſtituere videamur; néue [illegible] optimam cauſam, inſulſa & inep[illegible]

ANDR. Quoniam autem [illegible] quomodo tandem dicet? S[illegible] inter illos quidem veſtros, q[illegible] illam inter Brutum & Cice[illegible]

onem? Caput autem huius rei in eloquendo, & agendo consistit; quæ vtraque vobis magistris, qui hæc magnificè in scholis iactare soletis, ne vobis denuò auditores auocemus, plenius explicanda relinquimus. Nobis satis erit nostrum sensum, de hac re, paucis aperire; quibusdam, quæ ab eo negotio nõ multum remota sunt, priùs in medium allatis. Primùm, si aliqua præstanti eloquentia præditus fuerit is ipse tuus Concionator, ne eam dissimulet, sed aptè & decorè ad laudem Dei vtatur: si exili; ne summam affectet. Nam neque D. Chrysostomus, auream suam eloquentiam dissimulauit: neque D. Thomas Chrysostomi affectauit. Dabit Dominus Deus vtrique profectum, modò vana non quæratur gloria. Secundò, cum arte hac vestra dicendi non se venditet, ac ne cum cæteris quidem. Nam si in ciuili oratione hæc multùm obsunt, fidemque orationi detrahunt; quantò magis in cælesti doctrina? Qui enim vult, ne sibi infantia obiiciatur, disertus videri nolit: Et proinde ornamenta, quæ nimis comptam reddunt orationem, respuet: simplicitatem, & verecundiam, amabit: concinnitatem nimiam, inuidiosumq; numerum, non consectabitur; simplicitas enim veritatis pedisequa est, eiusque comes modestia. omnis autem affectatio, & fucus, suspectus est, iis præsertim in causis, quæ omnem fucum & vanitatem conculcant. Itaq; ineptias illorum mirari non possum, qui ea, quæ omnibus modis deberent occultare, iactãt, ac proferunt; omnemq. eruditionis opinionem se perdituros existimant, nisi quid crudi & indigesti aliundè afferant. Tertiò, dabit diligentem operã, vt è tenebris materias educat, nõ in eas inducat. Hoc autem efficiet, si non cupressum vbique simulabit, & proximam seruabit regulam. Nempè, vt voces secundæ impositionis, & id genus alias, tanquã populo ignotas, fugiat: sua lingua vtatur; vel ea, qua illum vti necesse est, & quam optimè nouit, alienasq. non immisceat. Vltimò, ne pro virtutibus aliorũ vitia imitetur; néue exprimere velit, ad quæ natura minus aptus est, quod ne[illegible] omici quidem faciunt. Quibus conseruatis, oratorũ supellectili, par-
[illegible]recundè vtetur; simplicitate, veritate, & grauitate contentus:
[illegible]icendi adhibebit sanum, cast[illegible]seuerum, perspicuum, verecun-
[illegible]odestum, moratum, à ser[illegible]iari non remotum; ex sacris
[illegible]is, D. Pauli, & aliorur[illegible]ctrina, sacris Canonibus,
[illegible]ue Patribus context[illegible]am mirabamur in hoc ipso
ORE Dominican[illegible]e, quàm vitã & moribus,
[illegible], qui totam il[illegible]orationem acumine quodam condiebat.
[illegible]gen ere itidem non paucos, nec multùm inter se dissi-
[illegible]mag norũ virorum fœcunda mater, CRACOVIENSIS
[illegible]ent rioni, meo iudicio, valdè vtilis, & necessaria, quos
[illegible]ore audire cõtigerat. Grauis & simplex fuit ora-
[illegible]is & concinna BENEDICTI: casta & verecunda
[illegible]x acuta LEOPOLIENSIS: benè & liberè doce-
[illegible]e præest, PILSNENSIS. Adhibebit item
[illegible]aptè & concinnè, quibus sacra doctrina
[illegible]s mirè

mirè delectatur. Figuras verborum non multum curabit: quicquid enim nimis tersum, & expolitum est, ab hoc genere alienũ esse debet: sententiarum, pro loco & tempore, vbi se offerent, non omittet; neque tàm à Demosthene, Platone, Cicerone, quàm à Dauide, Isaia, Salomone, & aliis prophetis eas mutuabitur. Illas præsertim, comparationis, similitudinis, oppositionis, libertatis dicendi, quam Græci παρρησίαν vocant; magis autem illas Pauli, vt arguat, obiurget, increpet, obsecret, instet opportunè, importunè, polliceatur, comminetur, terreat, mulceat, consoletur. Quorum ornamentorum plenæ sunt prophetiæ, vt diximus, plena Pauli scripta, de quibus posset esse separatus dicendi locus. Verùm obseruabit quispiam ex vobis hæc; nam nostra valetudo qualis sit, ipse vides. Maiora, crede mihi, sunt hæc apud nostros, quàm apud eos, quos vestri admirantur, quantum legisse vtrosque licitum est. nam neque numine carent cælesti, & vetustiora sunt, & in magnis argumentis versantur. Sed ea, huius seculi impietas depressit, quæ illi Athanasii, Basilii, Nazianzeni, homines ipsi admirabiles mirabantur. ANDR. Hoc illud est: dissimulas quædam. Obiurgare iubes: eius rei modum tradis nullum. Atqui hoc est difficilè; offendit multos, maiores præsertim. SOC. Non dissimulo, id difficile esse; sed hoc curæ nobis esse non debet. Si enim placere hominibus volet, Christi seruus non erit: Qui hominibus placere voluerunt, confusi sunt, inquit Psalmus, quoniam Dominus spreuit eos. Poterit tamen & hic, quod ad hominem contagione infectum, medici ingressuri facere solent, aliquam medelam, seu cautionem, quam προφυλακτικὴν vocant, adhibere. Si obiurgabit, non libenter, non a
non malitiosè, non ex odio, non vindictæ causa, non in gratia
non ad vulgi opinionem, ea quę scit; non quæ ab aliis acce
dat: si in eodem loco non diutius commorabitur
omnino id coactum se facere demonstrabit, o
distribuat: zelo & amore illorum, quos
tiùs quàm homines insectetur; vt illu
infirmatur, & ego non infirmor? qui
quo genere illud præcipuè seruet, ne
at; & vt præsentes (quod ingenui est
ANDR. De actione, quid censes?
cursui accommodata; & non modò
hac Oratoria paulò quietior, & mode
ris; multa oculis & vultu conficiens,
Ita vt non præsumat, ac si in popina l
apud homines, eiusdem infirmitatis
omni rectè suscepto negotio viden
sunt eiusdem naturæ & conditio
Deo. de quo agendi genere, ne
tus in Oratore, inquit, erectu
excursio moderata, eaque r

digitorum : non ad numerum articulus cadens: trunco magis toto se ipse moderans ; & virili laterum flexione, brachii proiectione in contentionibus, contractione in remissis. Vultus verò, qui secundùm vocem plurimum potest, quantam affert tum dignitatem, tum venustatem ? In quo cùm effeceris, ne quid ineptum aut vultuosum fit, tum oculorum est magna quædam moderatio. Nam vt imago est animi vultus;sic indices oculi : quorum & hilaritatis, & vicissim tristitiæ modum , res ipsæ de quibus agetur, temperabunt. ANDR. Quid ? memoriæ, quod minimè oportuit, oblitus mihi videris ? SOC. Ludis ? Thesaurus hæc est & custos eorum omnium, de quibus diximus ; sine qua cætera, etiamsi præstantissima fuerint, in eo qui dicit, peritura intelligimus. Hæc à Deo, & à naturæ bonitate, datur : studio & diligẽtia augetur : vsu,& exercitatione perficitur : vita continenti, rectaque victus ratione conseruatur. Rem benè præuisam, probè intellectam , multùm diuque cogitatam , ac debito dispositam ordine,facilè condit,ac vbi opus est,promit. Nam reuera,quod planè prætermiseram,tum demum rectè & maturè orator dicet;cùm non ex tempore ficta, sed multum & diu cogitata, de quo Cato apud Ciceronem gloriatur, domo attulerit. Cætera de memoria, quæ à vestris traduntur , subtiliora magis, quàm certiora videntur : quæ tamen non reprehendo. Et hæc quidem ex aliqua obseruatione, optimorumque , per multos annos, Concionatorum, tam domi, quàm foris, diligenti auscultatione, vsu denique aliquanto nostro hactenus.

QVÆSTOR,

Siue

De parsimonia atque frugalitate.

AD MARTINVM LESNOVOLSCIVM, Castellanum Podlachiæ, virum illustrem.

NON ignoras, Martine Lesnouolsci, philosophiam à Platone animi medicinam dici, eiusq; omnibus morbis, vel obsistere, vel eos penitus auferre. Sed nec illud quidem tibi obscurum est; vt singulos homines, ita & gentes atq; Respub. vniuersas suis morbis non carere, atque vnamquamque aliquo proprio & peculiari. Docent hoc præclarè apud Liuium Rhodiorum legati: Tam ciuitatum, quàm singulorum hominum mores sunt, inquiunt: gentes quoque aliæ iracundæ, aliæ audaces, quædam timidæ, in vinum & Venerem proniores sunt aliæ. Athenienſium populum, fama est, celerem, & supra vires audacem esse ad conandum: Lacedæmoniorum cunctatorem, & vix in ea, quibus fidit, ingredientem. Non negauerim, totam Asiæ regionem inaniora parere ingenia, & nostrorum tumidiorem sermonem. Et illi quidem hæc de suis. Gentis autem nostræ, quasi populare vitiũ est, profusio dam ac prodigalitas, nulla ratione suscepta. Qui morbus, etsi pri ac fronte, non ita turpis aut exitio ,uid ac magnificentiæ habere videatur: si tamen p mè lethalis atque pernicioſus est: quod plus re verbis explicari debeat. Rectè etenim diceb patrimoniorum, suiipsius interitum esse; facultatibus viuitur. Et queruntur quide nibus ea grauis & molesta est; medi Quod cùm viderem, aliquid ex eo cta valetudine, hoc tædiosissim esse putaui. In quo, quantum certè cupio. Tuum autem, volui; idq; merito tuo. Te stris, si non splendidissimis præsenti huic fortunæ pa te amisisse, ex superiorib que enim ex eo genere primùm à lacte remot

unt. Sed neque illorum, qui statim ac limen aulæ & fori attigerint, vixq; scholæ puluerem excusserint, legem sibi & necessitatem impositam esse putant; vt literis detrahant, illísque perpetuum bellum indicant, earúmque osores & inimici sint. Tu quidem, me herculè, plus in luce hominũ, quàm in spatiis Lycæi, quotidie ex libris discis, discebasq; semper, quæ aliquando ipsi cũ magna voluptate nostra ex te audire solebamus. Tantò autem minus cum illis aliquid commune habes, quos, vbi fortuna paululum euexerit, primùm sui, deinde omnium obliuiscuntur. Probasti hæc non ita pridem abundè omnia, qui inter tot tuas occupationes, & horũ temporum difficultates, tanto locorum interuallo à nobis disiunctus, ad latus ipsius optimi Regis, necessitatũ SOCOLOVII, præceptoris quondam tui, oblitus non fueris; sed illas munificè & liberaliter ex tuo subleuâris. Meritò ergo te DEVS immortalis in eo posuit loco, in quo & virtus tua illustrior esset, & tu ipse pluribus commodare posses. In quo, vt te diu saluum & incolumem, cum laudis ac nominis tui splendore & decore, pro patriæ vtilitate, ac literarum (quæ certè apud nos gratis patronis opus habent) incrementis conseruare velit, etiam atque etiam vehementer opto. quod equidem faciet, si te omniáque consilia tua, sub alas protectionis eius, vt quidem facis, condideris: & nunquam à præceptis & mandatis ipsius recesseris; si vbique beneficia eius recognoueris, atque ad laudem & gloriam nominis illius retuleris omnia. Vale, & illum virũ esse non puta, cui non crescit animus in periculorum accessione.

QVÆSTOR,

SIVE

De parsimonia atque frugalitate.

QVÆSTOR, & MEMPSIMOERVS.

QVAESTOR. Probare non possum ingenium istud, institutúmque tuum, huncque erga patriã sensum & affectum: paruipendis tua: nidi tui te pœnitet: arridet tibi nihil: fastidis omnia: semper tibi deformis illa, obscura, pauper, sterilis, inops, paque alma, vt ita dicam, & vitalis patria videtur. qualia quondam ingenia, Lacedæmone asserti legibus solitum esse, testis est Demonicus, prima commendatio est, patriam si eam aliquid pulchrum & excellens πολλὰ ἄστεα ἐῖδεν, Ithacam tamen sudulum affixam sapientiss. ille vir, post viginti

viginti annorum peregrinationes, Rhodo, Cypro, aliisque florentissimis insulis, immortalitati denique ipsi antepositi. Spartam igitur & tu, quam nactus es, orna, vel excede. MEMPSIMOERVS. Ita est vt dicis: nam & ipse mihi, postquàm huc redii, eo nomine vt displicere incipio: videóque me aliis molestum esse, inimicósque sine causa parare. Sed quid faciam? quid enim tibi in eo loco placeat, quid laudes, vbi nihil debitè, nihil ordine, nihil ex legibus fit? Nam vt cætera omittam, hæc ipsa paupertas, quem nõ moueat? publicæ opes nullæ, ærarium exhaustum, priuatorum hominum fortunæ absumtæ, hostes potentes vndiq; plurimi. ac vbi primùm aliquis motus belli increpuerit, tum demum maxima cum molestia ac cursitatione nescio quid pecuniæ, & ægrè cõquiritur. Ἐχεμυθία igitur Pythagoræ mihi in posterum sequenda erit. QVAESTOR. Erras: nam & hæc ipsa, quæ recenses mala, hominum vitia sunt potius, disciplinæque corruptæ atque dissolutæ, quàm soli & patriæ. Quam quidem, si ego aut insulis fortunatis, aut Ægypti fœcunditati, cuius ipse Nilus cultor & irrigator esse dicitur, aut vicinæ huic nostræ quondam felici Pannoniæ comparare vellem; nimis fortasse amans patrii soli viderer. Si verò eam esse dico, cuius neminem bonum meritò pœnitere possit, huius me iudicii pudebit nunquam. Mitto portus, mitto emporia, mitto flumina, frumenti copiam, pascuorum vbertatem, quę tot exteras gentes alũt, equos, iumenta, victus facilitatem, mitto alia. Viri certè & vires, quæ primæ & summæ opes Reipub. putantur, nobis non desunt, nec defuerunt vnquam. Ars fruendi bonis nostris nobis deest, illaque ipsa, cuius nomine omnes virtutes complexus est Tullius, frugalitas, quæ iam ad vltimu
extremum multorum vitio mihi deducta esse videtur. MEM. Explices
id obsecro, atque aliquantum in hoc loco consistas, si otium est, & s
& ipse vt sic cõsoler me; & aliis hæc eadẽ accusantibus qd respõd
sim habeã. QVAES. Res difficilis & odiosa, vt vides, & q
fendere potest: faciam tamen tua causa aliquid, si modò
de toto hoc genere, siue vsu & abusu bonorum, siue
paucis (quoniam otii aliquid nactus sum) explicab
quò res, & ad quæ extrema deducta sit, ostend
bus eò deueniri solet, demonstrem: vltimò
ram. Minus quidem grata me dicturum vi
qui, etsi ingenium meum non moneret,
termisero, aut si quid aliud senseris, su
rem strenuè aggredere, nec quenqu

QVAESTOR. Faciamus ergò
tium: cùm de vsu bonorum pub
re parua nos disputare. Nisi e
stretur (dicebat Plato) frustr
& firmitatem aliquam in Re
tor, per intemperantiã abli
Itaque publica & priuata b

ſtantiam, quòd hæc quaſi fundamentum vitæ ſint: nũnc rem, cũ qua conſilium ſimul quæri & amitti dicebat Comicus: nunc viſcera, quòd his homo viuat: nunc ſanguinem quòd his vegetetur, his alatur: nunc neruũ, quòd in his tota vis & robur ſit: nunc denique vitam appellare ſolebant. Bonis igitur Reipub. abſumptis, bonis priuatorum profuſis, ſubſtantiam, rem, neruos, viſcera, ſanguinem, vitam denique ipſam, cum ciuium ipſorum, tum vniuerſæ Reipub. abſumi oportet. Hæc autẽ res tanta ad quod extremum, non apud nos ſolùm, ſed planè vbique quodam modo deuoluta ſit, pudet dicere. QVID enim nunc paſsim hominibus, tam priuatim, quàm publicè, ex ſua ſubſtantia, ex ſuo neruo, ex ſuo ſanguine, ex ſuis viſceribus, ex ſua denique vita ſupereſt? Nihil aliud, crede mihi, præter nomina. Non dico nomina, hoc eſt, debita; quanquam etſi hoc modo dixero, nihil aberrauero. Quantum enim aut publicè, aut priuatim, vbique debeatur, tu ipſe rectè vides; hæcque nomina ipſa multorum malorum cauſa ſunt; ita vt non immeritò inter cæteras ſalutationes Græcorum, hæc fuerit vna ex præcipuis, ὀφελεῖν μηδενί, hoc eſt, vt nihil cuiquam debeas. Sed cùm dico, nihil paſsim homines præter nomina habere, id ita intelligo: Si quis bona Reipub. agros, rura, oppida, pertrãſeat, (quod mihi ſæpè pro hoc meo munere contingit) & quærat, cuius ſit hic ager, hoc rus, iſtud oppidum? reſpõderi ſolet, Reipub. ſi ampliùs quæras, quis ipſos fructus, qs, puentus, ex illo agro, ex hoc oppido, accipiat? mox illũ, vel illam, vix non & illud, accipere reſpondent. Et bona quidem, bona Reip. eſſe, bona regalia eſſe; ſed Rempub. ſed Regẽ inde nihil capere. Atq; hoc eſt nomina rerum, non res ipſas habere. Eam enim tu rem meam appelles volo, qua ego fruor, cuius fructus ad me pertinent, cuius dominus ſum: hoc autem, quod tu dicis, ludibrium potiùs, quàm certa poſſeſsio

Quomodo enim id m[illegible]im, vbi me fame nonnunquam, niſi aliunde ac prouideam, perire contingit? Sic igitur Reſpublicæ, ſic Reges, omina, patum vel nihil habent. Sed & priuati item hominis, pa-ius, aut equitis tranſeo rus, agrum, oppidum, cuius ſit quæro; ondet quis, huius vel illius eſſe, addit Magnificum & illuſtre iquod ex annalibus nomen. Quis autem fructus, quis proapit? ille & ille aduena. quis? mercator, vſurarius, Iu-. Quid hoc aliud eſt, quàm non iam res, ſed nomina tenere? MEM. Idem igitur ſentis, quod ipſe mos eſſe, QVAESTOR. Non idem certè, nã nt potiùs, vt vides, quàm patriæ. Si enim rectè & is vteremur, abundaremus, crede mihi, omnes: ia, ita egemus, vt non facilè nos tueri poſsimus. ionis eſſent, eadem ſemper manerent, corrigi nõ ſciplinæ intentione facilè corriguntur.

icis. non pugno. Sed quibus tandem modis & vi- ſole- paucis explica: ídque ordine & nu-

mero

mero certo, quod Quæstorem decet, quò rectius eorum, quæ à te dicen tur, meminisse possim. QVAES. Multa quidē illa sunt, & quę breui tempore haud ita facilè recensèri possint; ex multis tamen pauca hæc accipe.

Prima, vt omnium rerum ita & huius causa mali in educatione posita est: cuius vim alicubi peruenustè Hippocrates explicat, atque miratur. Frangitur fructiferæ arboris surculus, inseritur in sylvestrem trūcum, crescit in magnam arborem; nec tamen fructum aut naturam mutat, propter illam primæuam sibi à teneris insitam vim. Lycurgus hoc idē, quod dicimus, suis demonstrare volens, duos educauerat catulos, iisdem parentibus natos, quorum quidem alterum gulæ assuefecerat, alterum venationi: deinde vtrunque in concionem produxit, ollam, ac leporē proposuit; secutus vterque educationem suam, leporem alter, ollam alius. Intulit ille: Videte ciues, cùm ex eodem genere sint, quàm dissimiles ob educationem inter se euaserint; quantóq; efficacior, quàm natura, ad res honestas sit exercitatio. Ita in omnem partem in educatione est vis maxima. Hæc enim educatio, quæ dura & aspera est, quæ ab omni superflui sumtus aspectu etiam liberos arcebit, quæ agellum suum eiúsque culturam puero inculcabit, quæ industriam, quæ labores, quæ artes bonas, quæ militiam, inprimis autem parcum & frugalem victum cōmendabit; hæc, inquam, & priuatim & publicè, beatos ac locupletes ciues facere solet. Contrà, mollis illa, delicata, sumtuosa, iners, quæ non sua sed aliena spectare iubet; quæ spebus (vt ita dicam) vanis incautam ætatem inflat, illíq. imponit; quæ altero quidem oculo bona publica, altero ecclesiastica intueri iubet; hæcque iam in cunis inculcat, tu eris Episcopus, tu Præpositus, tu Abbas, tu Cancellarius, tu Referendarius, tu hic vel ille Capitaneus, tu Rex etiam aliquando, non addito, Si DEVS volet, & vixerimus; illa, inquam, educatio, pestis [illegible] est. Nam plerunq; & hæc incerta non assequuntur, & sua certa am[illegible]t: suntque Aesopico cani persimiles, qui dum vmbram frusti carnis [illegible]tatur, veram carnem amisit: ignaui efficiuntur, artes rerum quæ[illegible]m negligunt. amissis autem suis, illa quibus in cunis sunt lactati, v[illegible]uantur; qui ciunt fanda & nefanda? vires & valetudinem[illegible]iunt: i ventos sectando, emoriuntur: hinc simoniæ, h[illegible]inæ, istæ nundinationes, & quę non? moríq; potiùs nudi & egentes redeant. Vnde illi quandoque [illegible] corum, hydropicorum, chiragricorum, poda dorum, qui curias & aulas principū sequuntu ras, qua necessitate adacti eas cruces sufferan sunt, quàm id gentiles & propinquos suos ve deant non habere. Quibus [illegible] illud, in h re solet, quod Sisypho acc[illegible] peruenerint, aliqua leui immuta[illegible] labantur: sic turpes inopésq; simul, iu æuum. MEM. Generosa tamen

langueſcant & deiiciantur. QVAESTOR. Generoſa, ſed non ambitioſa, ſed non ſuperba, & temeraria, & quæ ſpes pretio non emat. Faciliùs enim animi ſumuntur, quàm ponuntur: facilè ſe prodit, facilè emergit, quem ipſe DEVS ad aliquid magnum vocat. Illuſtris virtus diu latere nō poteſt. MEM. Proſequere igitur vt cœpiſti reliqua.

QVAESTOR. Alterum vitium eſt, vbi paupertatis & parſimoniæ pudere ciues incipit, quem quidem peſsimum pudorem appellat apud Liuium Cato. Fuit ſiquidem quondam, apud priſcum ſeculum, magna laus ac dignitas parſimoniæ & frugalitatis; ita vt quem virum bonum appellare vellent, hunc frugi vocarent: nominéque frugalitatis, totam virtutem, teſte Tullio, complecterentur. Vnde illa principum familiarum à frugalitate ducta cognomina, Fabiorum, inquam, Piſonum, Lentulorum, Ciceronum, Porciorum, Vitelliorum. Magnæ laudi fuit L. Quintio Cincinnato quatuor iugerum ager, ſtiua illa, raſtri illi, ſudor ille pulueri permiſtus, veſtis ruſtica, quam vt deponeret, priusquam dictaturam ſuſciperet, quæ tum ei ruſtico operi intento deferebatur, ægrè Senatus populúsque R. impetrauit. Laudantur duo illi populi R. Conſules. P. Valerius Poplicola, princeps, omnium conſenſu, belli pacísque artibus ſuo tempore, & Agrippa Menenius, vir omni vita pariter plebi ac patribus charus, interpres & arbiter concordiæ ciu[illegible]n, reductor plebis in vrbem: quòd adeò exiguis copiis fuerint, vt cū[illegible]s funeri deeſſet, de publico ſint elati. Menenium etiam, qui ill[illegible]cuſabat, plebs extulit, ſextantibus in capita collatis. Quid [illegible]xiore diſputatione tātorum virorum [illegible]pertatem ſcrutari [illegible]m patet, quid viui poſſederint, quibus [illegible]s defuit. Regulus Attilius ex Africa Impe[illegible]úmque Rom. ſcripſit, villicum in agello, qu[illegible]pinia habebat, mortuum eſſe; occaſionémq; nactum mercenarium, amoto inde ruſtico inſtrumēto, deceſsiſſe: ideóq; petere, vt ſibi ſucceſſor mitteretur, ne deſerto agro, deeſſet vnde vxor atque liberi alerentur. Quæ poſtquam Senatus à Conſulibus accepit, & agrum Attilii illicò colendum locari, & alimenta coniugi eius ac liberis præberi, réſq. quas amiſerat, redimi publicè iuſsit. MEMPSI. Sed quę[illegible] cauſa eſt, cur, aut paupertas tanti fuerit, aut parſimoniæ pudo[illegible]ſimum vocet Cato? QVAES. Magna profectò, quàm ipſemet [illegible]ſimul ac pudere, quod non oportet, cœperit, quod oportet [illegible] dum pudet pauperem, aut parcum eſſe, quod non o[illegible]vſurarium, furem, mendacem eſſe, non pudebit; cuius [illegible]rtuit. Et reuera magnarum nonnunquam rerum pau[illegible]. Nam & ipſe pop: Romanus, imperii ſui initia [illegible]: eóq; nomine ſemper Diis immortalibus, ſim[illegible]ſtetit, ſacrificabat. Multas virtutes paupertas [illegible]fuit in Ariſtide: benigna in Phocione: ſtre[illegible]ens in Socrate: diſerta in Homero. Sed hæc

Tertium

Tertium vitium eſt, vbi non paupertatis tantùm & parſimoniæ homines pudet: ſed etiam conditionis ac ordinis ſui nonnunquam. Piget aratorem eum eſſe, qui eſt; mercatorem ſuæ mercaturæ pœnitet; eodémq; modo alios. Indéque euenit, vt nemo pro ſuo ordine & cõditione viuat: nemo ſe ſuo metiatur modulo. Homo ruſticanus in victu, amictu, familia, iumento, vult eſſe par & ſimilis vrbano: vrbanus, equiti: eques, Patritio & Senatori: Senator, Duci ac Principi: Duces & Principes, Regibus, aut ſi quid maius eſſe poteſt. Sic nemo intra ſuos continet ſe limites. Sacerdotibus detracta byſſus ſua & biſtinctus hyacinthus: aurũ & gemmæ ſuæ altaribus: Regibus ſua purpura, agaſonibus etiam communicata. Ita homines, tanquam altaria, & ſimilitudinem templi, ſine omni decore & verecundia, incedere videas; perſonatos putes, ne dicam ſcurras. Mihi mehercule nihil magis ridiculum videtur, quàm cùm regio veſtitu, regis familiam, Regem antecedere videam; ita vt nihil ſit, quod regem à ſuis diſtinguat: ſæpéque homines aberrare contingat, vt illos pro regibus honorent & ſalutent. Apud Perſas quidem vel in ſella regia cõſediſſe capitale fuit. Rarus quondam apud nos vſus vini fuit, idque ſtatis temporibus, & inter paucos, magno fructu & emolumento vitæ longæ & ſanæ mentis; nunc vulgatiſsimus, qui ad caulas & ſtabula vſque peruenit. Ita erectum eſt magnificum temulentiæ trophæum, opes exhauſtæ. Scena non cohærebit, ſi vna perſona in alterius munus & ordinem inuadat; & vita communis cohærebit? Non equidem puto.

Quartum malum, malíq. cauſa, aliena pro ſuis venditare, atque ſe corniculæ more cum alienis plumis oſtentare. Nam hæc ipſa purpura, & pretioſa veſtis, lanæ ſunt ouium: & hoc ipſum Carmeſinum ac ſericum, bombicis opus eſt: hæ ipſæ pelles, luporum, vulpium, tigrium, pantherarum, ac reliquarum ſylueſtrium ferarum, indumenta ſunt. Vnde illud Epicteti: Nulla aliena præſtant [illegible] ſinquus ſemet iact[illegible]
diceret, ſum pulcher, ferenc[illegible]
pulchrum equum habere, ſc[illegible]
um? vſus rerum. Nos dum [illegible]
amiſimus. Neq; verò illa arg[illegible]
tem Socrati: Mea veſtis eſt p[illegible]
quàm tu. aut illa: Generoſior [illegible]
neroſior. Quanto melius & v[illegible]
tua, eodem modo de equo.

Quintum vitium eſt, vbi [illegible]
perflua iis, quæ ad vitę vſum ſ[illegible]
non habet: de epulo tamen a[illegible]
bi Socrates, cùm in forum ver[illegible]
rebus opus nõ habere. Multa [illegible]
Palatinus quondam Podoliæ [illegible]
nia illa quibus opus habere vi[illegible]
ne quibus eſſe non poſſent. Fi[illegible]

flua sunt, facultates profundimus; ad ea, quæ nobis necessaria sunt, non sufficiant. Et superflua quidem sunt infinita, necessariorum autem est certus modus.

Sextus gradus præcipitii est, vbi ad opinionem, non ad naturam viuitur. Venter tuus est satur, & hospites: lateri benè, tergo benè, iumento benè. Quid igitur vis? oculi non saturi: aures non plenæ, quid foris dicant, quid sentiant, quid de conuiuio opinentur, quàm magnificè sint accepti. Abi igitur, & suspende te. Atqui si ad naturam viuis, nunquam eris pauper: Si ad opinionem, nunquam eris diues, sed ne satur quidem. refertus ieiunabis, ebrius sities. Personata, & quæ magis visum quàm gustum delectent, obsonia, laudaui nunquam. Venter enim, vt auribus, ita & oculis caret.

Septimum illud est malum, immoderatæ dotes, quarum spe multi amittunt sua, familiæ sumtu exhauriuntur: omnis deinde muliebris luxus. Creuerant satis ante secundum bellum Punicum populi Ro. opes: in Hispaniam vsque protulerat idem populus vires suas; Scipionem, qui tum in bella gerebat, charissimum habuit: cùm tamen is, elocandæ filiæ virginis adultæ causa, se ex Hispania reuocari à Senatu petiisset, Senatúsque patris sibi partes desumsisset, consilio vxoris ac propinquorum Scipionis, ... te constituta, summam eius quadraginta millia æris sola, hoc est, quadringentos ferè taleros, ex ærario erogauit, ac puellã nuptui dedit. Tarentæsonis filia, maximam dotem ad virum decem millia æris attulerat: ... t, centum nostros taleros. & Alegalia, quia cum quingentis milli... quinque milli... huiusmodi talerorum, mariti domũ ... t. Nunc decem millia dotis priuato ... inarum dos fuerat. Nota est illa lex ... ertat apud Liuium Cato; qui in medio ardore Punici belli legem tulerat, ne qua mulier plus semiuncia auri haberet, néue vestimento versicolori vteretur. Masilienſium quoq; fru... at ... id eos mulierum dos maxima centũ ... inque aureos. Genuensis mulier, si ..., hoc est, gemma aliqua pretiosa, ... llos in cõmuni opere est; maritus ... x dote detrahit: hácque ratione o... onseruatur, sumtu & luxu excluso.

... miles, vel domesticus sumtuosus. ... copiæ, quòd primo domesticorum ... faciunt: deinde ditissimam etiam ... us vix post trecentos annos suo mi... æter socios, an aliquando fuerit vsus, ... nisi fortè insanis illis & fatalibus ciuili... ibus. Nostri item homines, nobis prie vti ita passim cœperunt, vel propter disciplinam

disciplinam remissam, vel propter externos reges. Dimidia virtus ciuium perit, accersito externo milite. Sed ne illud quidem minus malum, vbi domestico militi, nunquam satis fit, non stipendio, non donatiuo, non præda, non rapina: sumptus maximi, deliciæ superfluæ, quę militem effœminatum reddere, ærarium verò exhaurire solent. Scipio, vbi Numantiam, à multis imperatoribus nequicquam oppugnatã obsessurus in castra veniſſet, multámq; & licentiam, & superstitionem, & delicias deprehendisset, nigro circumdatus sago circuiuit; lugere se exercitus turpitudinem dicens, vatésq; omnes, & ariolos, & lixas, & lenones statim eiecit, ac vasa omnia, præter ollam & veruculum, & calicem fictilem, amandari iussit: argenteum quoq; poculum, non maius duabus libris habere volentibus, ægrè permisit; lauari autem prohibuit: edixit quoque, vt stantes crudum pranderent obsonium, cœnarent autem discumbentes, panem vel pultem simpliciter, & carnem tostam aut elixam. Indéq; Numantini, cùm toties victricem suam fortunam mutatam mirarentur, quidam respondisse fertur: Pecora Romanorum etiam nunc eadem esse, sed mutatum pastorem.

Nonum vitium illud est, ex quo hæc mala nascuntur, quando exotica quæruntur omnia, domesticum & patrium placet nihil: non victus, nõ vestis, non seruus, non ensis, non equus. Mercator extremos oportet vt currat ad Indos, dum tergo & palato ciuium satis faciat. Plura ex pharmacopoliis quàm ex macello in mensis apponuntur; interdum ea, quæ neq; conuiua neq; conuiuator nominare possit, sæpiúsque ad Plinium & Dioscoridem, Athenæum item recurrere oportet, antequam cœna intelligatur: quam ad rem docto etiam interprete opus est. Equi ex Arabia vsque adducti, alimenta non norunt: noua rerum satione opus est, quam tellus, vt ignotam, non accipit. Neque pudet aliena pro suis venditare idq; sine omni iudicio & delectu plerunque. Nam quæ apud e[illegible]
nes seruorum aliquando sunt ali[illegible]nud istos, eo [illegible]
quod externa sunt, pro sec[illegible]
tur. Neq; item mihi placet in[illegible]
gentes nudas, cum rudi panno,
etsi illud significare posset, quem
& ipsum non valdè laudabile est
gnum est; & indigestum pannu
dandus est igitur populus Ron
sus sit: in cæteris, domesticis c

Decimum illud est, magis
luxus ac profusiones peregrina
us tantùm & alterius, sed omni
blico aut priuato commodo, a
quidem, quid Italicum, quid C
cum, & Britannicum, Vngaric
dolendum est, fortè & Byzan

gentes & nationes aurum, argentum, ebur, lectos, vestes, totámq; supellectilem pretiosam: mensas & epulas aliæ: aleam, Bacchum aliæ: amores sumptuosos, vnguenta, & musicam nonnullæ: multæ vmbratiles pugnas, & certamina scenica; nos simul hæc omnia. Neq; sufficiebat alienum luxum ad nos transtulisse, nisi aliquem nostrum addidissemus. Est autem ille, qui in alendis non necessariis corporibus situs est: quem expressit illud vetus prouerbium σώματα πολλὰ τρέφειν. Computat Herodotus, in vnius hominis superflui annuum victū tantùm insumi, ac si trecentos, & quinquaginta, & aliquod homines vno die alas. Tot enim dies anni sunt. Fabricium quidem Licinium continentiæ suæ beneficio, sine pecunia perdiuitem fuisse, ac sine vsu familiæ abundè commendatum, testantur veteres. Cato verò superior, tribus solis seruis comitatus Hispaniam rexit, qui, vt ipse scribit, pellibus hœdinis pro stragulis vti solebat, eodem cibo & vino, quo nautæ, contentus. Posterior autem Cato, non plures quàm duodecim seruos, delicata iam & luxu soluta Roma, totis illis bellis ciuilibus circumduxit. seruos dico, non illos dominorum dominos. Et ante hos Manius Curius, qui ter triumphum vna porta egit, duos solos in castris calones habuit. Ita ille [illegible] de Sabinis, deque Samnitibus, deque Pyrrho triumphator, pauc[illegible]os habuit, quàm triumphos. Nos nō familiam, sed cohortes in r[illegible]e & quiete ducimus, & plerunq; pretiosiùs vestitos, quàm nos [illegible] ad Philosophum, siue (vt leuissimè dicam) ad vxorem veniend[illegible]agna comitante caterua progredimur. Quæ res, etsi vbique oc[illegible]en in Repub. libera minus ferenda est. Nam greges isti, seruitut[illegible]m insigne sunt, quasi aut ipse metuas, aut metui velis. Q[illegible]rtati magis repugnat, quàm alienū [illegible]rum suffe[illegible], primum locum dare, fulmina bō-

[illegible] potentem, inquit, aduersarium habeo. [illegible] pugnat enim potentia cum liber-

[illegible] est Tum[illegible] inter armatos sententiam dicere? s comitatus tum primùm Romani habere cœperunt, vbi perierunt. [illegible] secures magist[illegible]ri præferri, aliquando subtristius est; Ru[illegible] generosum pectus oportet, vbi cernit, [illegible]cere. Qui liber est, solus, vel cum pauet neminem. Nam de iumentis quid [illegible]m: vnam mulierculam, cum qua vel gis vehimus, in quibus sex egregii missent. Apud populum Romanum ali[illegible]es iūcto vehiculo, in vrbe oppidoúe, causa, veherentur. Pretium quidem [illegible] magis esse potest hominis stulti ac [illegible]ntis; quàm iumentum, quod e[illegible]re comparare? Quòd si eam Rempu. in qua piscis sit carior boue: quid de [illegible]setur, quàm equitis? Hoc certè est cō-

Vndeci-

Vndecimum malum est, si non ex eo, quod habent, sed ex eo quod aliquando habituri sunt, ciues viuere assuescant. Hoc autē multis modis fit: Primùm, si multorum qui sequuntur annorum, priusquàm oriantur fructus absumant: cui vitio egregiè inseruire solet illa insidiosa, tam auarorum quàm prodigorum hirudo & administra, quam spongiam itē rectè dixeris, quæ emundet miseros subditos, quam Itali Arendam vocant: deinde, vbi venturæ hæreditates, priusquàm emergant, profundūtur: postea speratæ dotes: vltimò futuræ dignitatum & sacerdotiorum spes. & ita speratis rebus viuitur. Homo parcus & frugalis, ex conditis viuit: præsentibus gaudet, ac fortuitis temporibus reseruat: futura expectat: colligit tanquā semper victurus; dispensat tanquā cras moriturus.

Duodecimum malū est illud, dum ciues nō ex rebus ac facultatibus, sed pro rebus & fortunis suis viuunt: hoc est, non amplius fructibus & prouentibus suis contenti sunt; sed ad extremum res ipsas, & fortunas, vnà cum ossibus & cineribus maiorum suorum vendunt, vel oppignorāt, ne quid aut suæ, aut maiorum suorum memoriæ ad posteritatem extet, ipsi aliquādo & primi & vltimi hæredes. Desperatorum ac deploratorum hoc hominum est. Nam vt illi, qui fame enecantur, vltimò consumtis omnibus carnes suas, tanquam in rabiem versi, absumunt; ita isti consumtis fructibus, fundos ipsos deuorant. Infausta proles, quæ, quod ipsi ad vsum tantùm concreditum est, perpetuò abligurit: impia in maiores, crudelis in posteros, exitiosa in seipsam. Dignissimi, è quorum dextera, ab agnatis & cognatis, annulus cum signis & imaginibus maiorum suorum detrahatur. Quod quondam Scipioni, superioris Africani filio ignauo, propinquos fecisse, qui ei annulum, in quo caput Africani sculptum erat, è manu detraxerunt, legimus. Indignum hominem inertem nobilis familia iudicauit, qui vultum patris sui in prodiga & timida manu haberet. Nunquam hunc veneranda illa vetustas admisisset ad sua charistia, quorum illa inuitatio:

Innocui veniant: procul hinc

Tertiumdecimū, vbi ciues reb

Quid rides? MEM. Quasi verò deo iam rem ad extrema deduci.

QVAESTOR. Quartadecin adhibeatur: si ægri tam graui m voluntati satisfacere permittantur uerbium: Ad agnatos & cognatc gentis illius designabat. Vbi enim vbi profusiùs illa dispensare; hic c rum & cognatorum à magistratu modum inueniret. Quod si iis c bebatur, qui tantisper eum résq hac de re Imperatorum leges: v mediis, ætas, & tempora nostra

Vltimum vitium, vbi authores, adiutores, & perfectores eius profusionis, non modò non puniuntur, sed etiam ditescunt, legitimorumque dominorum possessiones, ad non legitimos transferunt. Multæ hoc in loco administrorum sunt species, dum alii noua genera voluptatum ac deliciarum, alii monstrorum & vanitatum, alii dapum & temulentiæ comminiscuntur: sed nulli peiores, quàm illi, qui præsentem pecuniam illis quærunt, aut ipsi suppeditant, modò & ipsi ditescant, & lautis patrimoniis ac veteribus facultatibus alios exuant. Idque nonnunquam ipsi cognati & agnati faciunt, genus hominum cruce dignissimum. Quid enim est insano gladium dare, aut furentem soluere? Huc referuntur illę exitiosæ arendæ: vsuræ intolerabiles: miserorum iuuenum tormenta & cruces: monstrosæ obligationes. Vnde iurium inuersiones: binæ & ternæ eiusdem rei venditiones. Quæ omnia, quo tu meliore nomine, nisi quandam ἀνθρωποφαγίαν appelles, vbi homo hominem deuorat, nec artem aliam nouit, quàm alios absorbere, eorúmq; fortunis abuti.

Atque hæc quidem vitia sunt, quibus Resp. tam priuatim quàm publicè exhauriuntur, in grauémq; & periculosam phtisim incidunt. Nam & in tabe hoc idem euenit, vt primùm membra quædam magis præcipua arescant, ac vlcere conficiantur, postea reliquum corpus consumatur; indéque phtisim generari medici docent. Ob quæ eadem vitia, nostram Rempub. eò quò quereris deductam puto, nisi tu fortè aliquid aliud sen-
as. MEM. Ego verò non modò non aliud sentio, sed illud etiam ad-
, non hanc solùm Rempub. quam ne tu quidem ditissimam dicis, sed
oletissimum etiam regnum his talibus vitiis exhauriri oportere: lon-
liud sentio nunc, quàm nuper sensi, Rempub: hanc scilicet ino-
od hactenus non sit tantis
ostes se quotidiè tueatur,
on sit. Quibus enim aliis
art
um ac immensarum profu-
sionun
epub. salua, se saluos esse nō
posse, vt ipse testatur Cæsar, existimarunt? Rectè nosti, ob quam causam
Cu
esarem secuti sint. Aurea illa apud Liuium
ero, inquit, audistis, diuersis duobus vitiis
orare, quæ pestes omnia magna imperia

us? MEM. Res ipsa indicat. Quid enim
rbos exposueris, remedia eorum afferas?
us morbus est, curari difficilè potest. MEM.
id est; morbus hic inueteratus est, non tamen
TOR. Ego quidem apud nos, nullum remedium
to tam laxo & latè fuso populo, quàm vt ipse
n iltè, quàm ineptè, quàm ridiculè hæc faciat:
niæ, aut dedecoris, aut incommodorum, aut
quàm publicè ferat; vt cùm pro laude infami-
am, pro

am, pro commendatione ignominiam, pro authoritate riſum, ſe conſequi cognouerit, à re vaniſsima aliquando abſtineat, eámq; oderit perpetuò. MEM. Hoc igitur, obſecro, ſi potes, & quantum potes, explica. QVAES. Res quidem per ſe ſúaq; ſponte clara eſt: tamen ſi ita placet, quid ea profuſio mali, tam priuatim, quàm publicè, vt diximus, afferat, paucis expẽdamus. Publica quidem bona, ſi diſtrahantur, quantum in ea re inſit incommodi, non tam Plato aut Ariſtoteles, aut aliquis ex veteribus, quàm Deus ipſe docuit. Cuius lex apud Ezechielem illa eſt: Si dederit princeps donum alicui de filiis ſuis; hæreditas illius, filiorum ſuorum erit, poſſidebunt eam hæreditariè. Si autem dederit legatum de hæreditate ſua, vni ſeruorum ſuorum; erit illius vſq; ad annum remiſsionis, & reuertetur ad principem; hæreditas autem eius, filiis eius erit, & non accipiet princeps de hæreditate populi per violentiam, & de poſſeſsione eorum, ſed de poſſeſsione ſua hæreditatem filiis ſuis dabit; vt non diſpergatur populus meus, vnusquiſq; à poſſeſsione ſua. Diſpenſationem regiorum bonorum, quæ tùm hæreditaria fuerunt, lex iſta docet, cuius ſenſus hic eſt: Si rex aliquot habuerit filios, & ex his vni dederit donum; ferent æquo animo alii: donum erit eius, & poſteritatis ſuæ. Si autem dederit alicui, vel ex militibus, vel ex familiaribus ſuis; fruetur liberalitate regis, ſed ad annũ quinquageſimum, qui Iubileus vocabatur, tantùm: quo anno, alienata, ex vnaquaq; tribu & familia, ad dominos ſuos redire oportebat; ne tribus & familiæ exhaurirentur, aut inter ſeſe confunderẽtur. Et legis quidẽ ſenſus hic eſt. Cauſa autem legis illa, vt non accipiat princeps de hæreditate populi per violentiam, & de poſſeſsione eorum: hoc eſt: non exhauriat rex facultates ſuas; ne vbi defuerint, alienas ſequi opus habeat. Quod quidem multis modis (durũ enim onus neceſsitas eſt regni, eiúsq; ſumtus) eſſe poterit: vel per violentian
quomodo Achab inuaſit vineam iuſ
affinitates, cum externis regibus
phat legimus: vel per auaras œ
ſarúmq; venditionem: vel per
num fortunis inſidiãtes, ac è
plura, quàm velimus exemp
giorum inuerſiones: portor
ta: calumnias, ac deſertas
rex non faciet, tum illud,
vt, vbi omnia ex multitud
ſtratu aſſentator populi (
ni & cupiditati eorum co
rebus ſacris, nunc de licen
bus licitetur; modò habe
nulla nocentior, nulla exit
ſufficientes iſtę cauſę ad p

Ezech: 42.

MEMPSIMOERVS. Plu

tuo, ne pro frugali tenacem regem facias: magnificentia enim regum est propria; & ne illi parti iustitiæ, quam philosophi distributiuam vocant, iniuriam facias. QVAES. Ne metuas: quantò plura habebit, tantò maiora & inter plures largiri poterit: de ipsis possessionibus & facultatibus agimus, non de fructibus facultatũ. Illas teneat, hos largiatur: quanquam & in hoc genere, quid excellens cuiusùis virtus & merita exposcãt, videndum erit. Sed nec illa inferior, interitus causa est. Nosti iustitiam fundamentum Rerumpub. perpetuæq; commendationis & famæ esse, humanæ societatis animam & vitam, sine qua nulla eius pars diutiùs cohærere potest; non rus, non oppidum, non domus, sed ne latrocinia quidem ipsa. Ex hac boni viri nominamur & sumus, in hac virtutis splendor est maximus: hæc est regina & domina virtutum. Quæ si oppressa & deserta, aut negligentius asseruata erit: nihil est quod quisquam sese habere certum, aut à patre accepturum, aut relicturum liberis arbitretur. Maiórq; hæreditas venit vnicuiq; nostrũ in iisdem bonis, à iure & à legibus, quàm ab iis, à quibus illa ipsa bona relicta sunt, maioréque diligentia, ea quæ à maioribus accepimus, publica patrimonia iuris quàm priuatæ rei nostræ retinere debemus: non solùm quòd hæc iure septa sunt: sed etiam quòd patrimonium vnius incommodo dimittitur: ius amitti non po[illegible]st, sine magno incommodo ciuitatis: huic inquam iuri & iustitiæ, etsi [illegible]nnia vitia sunt inimica; nullum tamen magis, quàm hæc ipsa de qua di[illegible]tamus prodigalitas, cum qua simul nullo modo stare possunt. Ius & [illegible]titia suum cuique reddere docet: hæc sua amittit, vt aliena rapiat. Iu[illegible]nium modum præscribit: hæc effusionem & immoderati[illegible] sanctam iustitiam conseruabit, quomodo ab alie[illegible] vrget, qum fœnus, quem fœnera[illegible] infamia, confiscationes bo[illegible] somnum eripiunt, nepotes & posteritas iniuria accepta oc[illegible]mma crede mihi cibũ iste p[illegible]i bene & lautè victitare [illegible]am suam prodit, Re[illegible]ic nihil quæras, can[illegible] nocentior est. [illegible]m auferri necesse est [illegible]ublata iustitia [illegible]re oportet. Potéstne igitur no[illegible]monst[illegible]se, quàm profusio & prodiga[illegible] igitur de illis malis & incommodis, quæ [illegible]e his quæ priuatos sequi solent. QVAES. [illegible]a seligamus. Primùm igitur illud est, & quod [illegible]istos suff[illegible]ere deberet; quòd id, quod volunt, [illegible]rò contraria omnia. Quatuor autem sunt præ[illegible]rofusione proponunt, sibíq. comparare volũt, [illegible]absunt. Primùm, vt sibi hac ratione, autho[illegible]tionem concilient: maiores ac augustiores [illegible]ciant. A quo quantum absint, illa in omnibus [illegible]enia notari solent, abundè testari possunt.

Græci ἀσώτους, hoc est, homines perditos, ἀκολάστους, id est, effrenes, & eos qui castigari nequeunt, vocant. Latini perditos, profusos, profligatos, desperatos, dissolutos, ne deteriora dicam, nebulones, lurcones, ventres, manducones, bibones, heluones, decoctores, euersores, conturbatores macellorum, voragines patrimoniorum, & aliis infamibus nominibus appellant. Miserat quondam Dionysius Lysandri filiæ, vestem nimis sumtuosam; qua ne vteretur prohibuit pater, adiuncta illa causa: Turpè est, inquit, in luxuria esse conspicuum. Indéq. euenit, vt neque testamentum, neq; liberos, neque magistratum, neque depositum huic generi hominũ, quisquam credere velit; sed fabula & exemplum ciuitati ac scenæ sint. Non his neque talibus artibus, veteres sibi honorem & dignitatem comparabant. non Metellus: cuius administratæ prouinciæ tabulas, popu. Romano. non aspexit: non in tabulis, sed in vita Q. Metelli argumenta sincerè administratæ prouinciæ, legenda sibi reputans. non superior Africanus: ad cuius dextram osculandam piratæ inter se conspirârant: quos cùm ille fugisset, dixisse feruntur: Non vitæ eius hostes, sed virtutis admiratores venisse: conspectum & congressum tanti viri, quasi cæleste aliquod beneficium expetentes. non Cato, magnus illæ parsimoniæ & frugalitatis assertor: quem, cùm in carcerem duceretur, vniuersus Senatus sequi non dubitauit: quo eodem præsente, pop. Rom. nescio quid impudicum in theatro aspicere erubuit: confessus, plus se maiestati illius tribuere, quàm sibi ipsis vniuersis. Quibus cõuiuiis, quibus opibus, imperiis, triumphis, hoc datum est; quod huic viro exigui patrimonii, vna paterni generis imagine claro, miniméque blandæ frontis tributum est? Deinde illud affectant, vt liberales, munifici, ac, si fieri possit, magnifici videantur. Consequuntur autem illa, vt à Latinis quidem homines nihili, vappæ, à suis autem golotæ & odardi appellentur. Nam verę liberalitatis ac magnificentiæ illæ leges sunt; vt det quibus oportet, & quod oportet, & vnde oportet, & quantum oportet, & quando oportet. Det, inquam, non accipiat: non modò vnde non op[illegible]
quidem aliquando; det autem pro fa[illegible]
nem, non in multitudine eorum qu[illegible]
re dicebat Aristoteles; vt det v[illegible]
ne omni dolore. Liberalitat[illegible]
iudicium, & honestam b[illegible]
seruent, ideò liberales [illegible]
ralitatis hæ leges sunt;
magni enumerant: tem[illegible]
fere ac suspendere: pub[illegible]
liter faciunt, captos red[illegible]
bello opem ferre: mon[illegible]
flictis & egentibus opitu[illegible]
bonarum literarum, con[illegible]
gatos magnificè accipe[illegible]

amissis, ne fornacem quidem collapsam erigere possunt, aut fores effractas restituere. Hos igitur tu liberales, munificos, magnificos, appellabis; qui non modò liberales non sunt, sed nullis minus licet, etiamsi velint, liberales esse, quàm illis? Vbi enim in res non necessarias & superfluas omnia profuderint; in liberalitatem quid conferant, reliquum nihil habent, nihilque minus facere possunt, quàm quod vellent. Nam frugi, tenacíq; homini, quandocunque volet, liberalem esse licet; prodigo non item. Amicitias deinde hoc genere beneficiorum paraturos se putant, certas & fidas clientelas, fortes propugnatores, parasitos nimirum, assentatores, comedones, barathra & voragines. Atqui euenit nonnunquam, vt nullos mordaciores obtrectatores habeant, vbi si ipsos deuorârint, & ad alios dominos se transtulerint, apud quos istorum reprehensione cibũ emunt. Parua est obligatio mensæ; simul cum cibo & potu deperit: dapibúsq; consumtis frigescit. Ideò deberi sibi plerunq. putant aliqui, quod earum ineptiarum spectatores fuerint: maledicunt quandoque alii, quòd nonnunquam plus, quàm par est comederint aut biberint: aliquando tẽpora sua necessaria & occasiones sibi effluxisse queruntur. His scilicet talibus amicitiæ fœderibus, illa ipsa notissima amicorum paria conglutinata fuerant: Orestis inquam & Pyladis: Thesei & Pirithoi: Damonis & Pythiæ: & vt hæc fabulosa mittam, apud Hebræos, Dauidis & Ionathæ, [illegible]ud Romanos Lælii & Scipionis. Lælius quidem de sua cum Scipione [illegible]nctione eiúsq. causis, ita: Quid enim Africanus indigebat mei? Mi[illegible]erculè: at ne ego quidem illius. Sed ego admiratione quadam vir[illegible]ille vicissim opinione fortasse nonnulla, quam de meis mori[illegible]me dilexit. Auxit beneuolentiam consuetudo. Sed quan[illegible]n sunt tamen ab ea[illegible]pecudum greges di[illegible]ominum charitas & [illegible]amici, aut profu[illegible]udio & opera, cõ[illegible]& diutius durant, [illegible]nsaniq. apparatus, [illegible]nsarum causa, tantum amicorum parare possunt, quantum ini[illegible]pecuniæ retentæ eorũ apud quos isti [illegible]illud est, vt sit sanum, benè coctũ, [illegible]pæ potius & ostentationis, quæ [illegible]s sunt humani. Caput autem to[illegible]cilius esse, non accipere, quàm [illegible]alitate vtamur, quæ prosit ami[illegible]nflatio à iustis dominis ad alie[illegible]n liberale, quod non sit idem iu[illegible],quę cum illa humanitate ac mo[illegible]quem, quartũ & vigesimum an[illegible]am, eximiæ formæ virgo ætatis

adultæ

adultæ adducta fuisset, illéq; & iuuenis, & cœlebs, & victor comperisset, illam illustri inter Celtiberos loco natam, nobilisimóq; eius gentis Indibili desponsam; accersitis parentibus & sponso, inuiolatam tradidit; aurum quoque, quod pro redemptione puellæ allatum erat, summæ dotis adiecit. Qua continentia & munificentia Indibilis obligatus, Celtiberorum animos Romanis conciliando, meritis eius debitam gratiam retulit. Aut cum illa Fabii vera & sincera liberalitate, quæ munificentia comparari potest? qui cum captiuos ab Annibale, interposita pactione nummorum, recepissent, iíq; à Senatu non præstarentur; misso in vrbem filio, fundum quem vnicum possidebat, vendidit, eiusq; pretium Annibali protinus numerauit. Aut cum illa itidem in hostem pietate, qui Annonis ducis Carthaginensium, Olbia oppido capto, in quo ille fortissimè dimicans occiderat, corpus è tabernaculo suo, amplo funere extulit. Hæc animos, hæc corda suffurantur & eripiunt.

Diuites ad extremum apparere volunt, quod quidem minimè ex omnibus consequuntur. Vt enim hominibus locupletibus, peierantibus etiam, nemo credit eos egere, aut diuites non esse; ita istis, etsi millies iurent, se abundare atq; diuites esse, quos quodùis prandium egentiores facit, nemo credit, cùm præsertim ipsimet creditores, mensæ illorum assideant. Itaque non modò id, quod volunt, non consequuntur, sed insuper vt diximus, miseri & infames euadunt. Quæ cùm ita sint, quis sapiens a
cordatus eam mercaturam exercere velit, quam nullum quidem lu
iacturæ autem & naufragia perpetua sequantur? Et magna qui
sunt, homini hæc rectè apud se expe
sola inani, fucata, falsáque lau
magna, & ad res sublimes
temnunt: ornamenta
consequenda nat
ciuibus, pro
quantò illustriora & maiora
ploret conditionem? aut quæ maior prodigalitas hac ipsa, non tam fortunarum quàm ingenio
non modò nulla orna
à natura, vel ab indust
guunt: corporis primum bona,
molestias, nunc arthretici, nunc isch
amentes euadunt, trunci & stipites, in
qui aliquid opis reipu. afferre possent, pr
quibus anima pro sale tantùm data esse vi
tanquam equites ab equo in luto pressi, sa
Animi deinde eodem modo bona amitt
perspicaciam, memoriam, acumen, so
sunt; hæc maiora accipio, pietatem
steritatem suam; quam tanquam

& cui nihil suum reddunt: prudentiam item, animi magnitudinem, temperantiam, iustitiam, fidem, sinceritatem, veritatem; nam mendacissimi sint oportet. Indéq; duo apud Persas censebãtur esse turpissima, vt docet Herodotus, τὸ ψεύδεσθαι καὶ τὸ ὀφέλειν χρεός: hoc est, mentiri, & debere: vt sit posterius hoc, prioris illius causa; quòd impossibile esse videatur, eum nõ mentiri, qui plurima debet. Quibus ornamentis amissis, quid restet hominis, ego non video. Consequuntur deinceps eosdem illa mala, insueta paupertas, dura mendicitas, improba seruitus (seruiendum enim est, plerunque illis, qui tibi aliquando seruiebant) inhumanus creditor, obsessę fores, matutina & vespertina custodia, importuni serui, graue iugum, & tabes crescentis in dies fœnoris, infamiæ, in ius quotidianæ vocationes, per tribunalia cursitationes: hinc tœdium; inde, vbi leuamen mali quæritur, desperatio, quam sequuntur fraudes, doli, technæ, insidiæ, imposturæ, mille artes, fanda & nefanda sacrilegia, templorum direptiones, rapinæ, peculatus, viarum obsidiones, tumultus, seditiones, cum hostibus clandestina consilia, proditiones, nundinationes, transfugia. Docuerũt hæc abundè, tria, quasi vno tempore, apud nos interregna. Quæ causa malorum fuerit, quò res deducta fuisset, nisi omnipotentis dextera adfuisset, vidimus omnes. Concussimus orbem nostra profusione, &, quæ inde nata est, indigentia. Sed hæc missa faciamus. Consequuntur deinde illa, iudicia, quæstiones, proscriptiones, exilia, vincula, infames mortes, diminutiones capitum, tam singulorum quàm familiarum, ad extremum illa sacræ scripturæ: Fiunt filii eorum orphani; vxores eorum viduæ: nutantes transferuntur filii eorum, & mendicant, & eiiciuntur de habitationibus suis: scrutatur fœnerator omnem substantiam eorum, & diripiũt alieni labores eorum: non est illis adiutor, nec qui misereatur pupillis eorum. Ferunt Augustum relata ad se magnitudine æris alieni, quam quidam eques Romanus dum vixit, excedentem ducenties HS celauerat, culcitram eius cubicularem in auctione emi sibi iussisse; & præceptum mirantibus, hanc rationem reddidisse: habendam esse ad somnum culcitrã, in qua ille, cùm tantum deberet, dormire potuisset. Satisné iustæ tibi videntur istæ causæ, quæ ab hoc insano morbo hominem sanum auocare possint, modúmque huic libidini statuere? MEMPSI. Satis equidem. Q[illegible] Hæcq; igitur il[illegible] est [illegible]ur in omnibus rectè ordinatis Re-
b[illegible] occurrebatur semper, quo nihil exitio-
[illegible]im esse potest. Notũ est studium & diligentia
[illegible] apud quos vna veste simplici annua ciuem vesti
[illegible]ulli focus priuatus, non mensa fuit: omnes publi-
[illegible]tenti, siue illi Reges, siue senatores, siue quicunq;
[illegible]ea nulla, vnguenta nulla, obsonia propemodum,
[illegible]nis aliquid, nulla: theatra, comœdias, & tragedias
[illegible]ue seriò neque ioc[illegible] audirẽt quid impudicum, aut
[illegible] peregrinis quidem cõsuetudo multa; exo-
[illegible]nihil: dot[illegible]s nullæ; cuius rei præclaram cau-
sam

sam primus eorum legislator Lycurgus dedit, vt neque propter egestatē aliquæ relinquantur innuptæ, neque propter opulentiam colantur: priuatæ ædes ex ligno non secto: tecta sine ferreo clauo: pro lectis & stratis æstate quidem iuuenes stibadibus vtebantur, quas è sumitatibus arundinum componebant: hyeme autem lycophonas stibadibus admiscebant, quod aliquid caloris habere videbantur: funerum cura nulla, preter puniceam vestem, & oliuæ folia, in quibus omnia omnium cadauera reponebātur: inscriptiones monumentorum nullæ, nisi quis in bello cecidisset. Et ideò auri quidem ingrediētis, vt inquit Plato, vestigia multa, egredientis nulla: & proinde septingentis ferè annis, legibus Solonis vsi, integri manserunt: vltimiq; omnium Græcorum seruierunt, idque Romanis tantùm; si modò iustum & legitimum imperiū seruitus dici debeat. Qui iidem Romani, quantum huic malo aduersati sint, & res[illegible]t; tot leges eadem de re apud eos latæ testantur. Fannia, inou[illegible]a, Æmilia, Antia, Iulia, Syllana: quæ non tantum suppell[illegible]tis, aut dotis, aut nuptiarum, aut iumentorum alend[illegible]iuiorum modum ponebant; sed cœnarum etiam [illegible]ptus assignabāt populo illi, qui princeps erat pop[illegible] diu obtempera-tum est, tam diu illis omnia pa[illegible]recessum est; non magis hostili ferro & igni[illegible]absumti conflagrâ-runt. In Catone illud m[illegible]senex post Consula-tum & triumphum ade[illegible]sus sit, quę centum denariorum, hoc est dec[illegible]cederet. Iam & in obsonium ipse Cato in die[illegible]at, hoc est vsu nostro Polonico, triginta solidos[illegible]ntuarię commoditatē qu'n-dam singularem, q[illegible]ud Liuium Cato: Quia quod aliqui habere non[illegible]per leges liceret, fuisse videntur. Cornelius Rufinus[illegible]us & dictatura functus, quòd decem pondo vasa ar[illegible]t, perinde ac malo exemplo luxuriosus, in ordine Se[illegible]s non est. M. autē Antonius, L. Flaccus Censores, Duro[illegible]nouerunt, quòd legem de coërcendis conuiuiorū sumtibus[illegible]lebis abrogauerat. Quid nunc Venetiis, quid Genuæ hat[illegible]sunonia & quæ opes?

MEM. Habésne aliqua alia[illegible] QVAE Non deesent qu[illegible] plurima, sed non pro hoc nostro i[illegible]sint tamen qu[illegible] Primùm, si ipsi reges, magistratus, se[illegible] duces & authores esse voluerint. Vn[illegible] plum, maximum esse reipub. vectig[illegible] præcepisse, quod ipse prius non f[illegible] genere apud nos Stephanus il[illegible] gium inuenimus, magn[illegible] quid; sed non ita facil[illegible] Regis ad exemplum, a[illegible] tota res, paruæ æmulatio[illegible]

Q. Catulum Campanam imitatum luxuriam primum spectantiũ confessum, velorum vmbraculis texisse legimus: & Pompeiũ ante omnes, aquæ per semitas decursu, æstiuum minuisse feruorem. Claudium Pulchrũ scenam varietate colorum adumbrasse: totam argento C. Antonium, auro Petreium, ebore Q. Catullum, prætexuisse. Versatilem fecerunt, Lucius & Cinna locum, quem argentatis choragiis, P. Lentulus Spinter adornauit. Vides, in vna profusionis vanitate, quanti sint profectus; idq; in deterius semper, ex stulta æmulatione. Secundò, si horum insanias & naufragia, homines sapientes non laudent, non suspiciant, ac ne aspectu quidẽ suo dignos esse iudicent. Iucundè quendam audiui iocantem, tribus modis molestias humanas & miserias subleuari posse. Primùm, si homines industrii, potentes ac diuites nõ ita multùm suspiciant: si viri mulieribus nimium non indulgeant: & si sapientes stultos non laudent, eorúmq; facta non mirentur. Hac enim ratione omnia contrà euentura dicebat. Nã & potentes magis industriis opus habent, & mulieres viris, & stulti sapientibus. Vltimò, si aliquam publicam notam & infamiam hoc genus hominum referat. Locrensium legislator, leges sumtuarias ciuibus suis præ-

[illegible] liebrem luxuriam reprimere voluisset, legẽ [illegible] ste non vtatur, nisi meretrix videri velit. [illegible] rent, abstinuêre omnes. At longè gra- [illegible] hominum ordine suo mouebat: de- [illegible] e censos referebat. Vocabantur [illegible] nto rogabantur, nisi publicis [illegible] ulo suffragia ferebant. Quod [illegible] s nati sunt, paulò subdurius [illegible] quissimum erat. Nam si le- [illegible] np. ciue priuant: quanto [illegible] tiles modò, sed exitiosos

[illegible] s nos vocat: & perop- [illegible] ac de re nunc in men- [illegible] ddo, me nolle, vt hæc [illegible] sibi, neq; aliis ꝓsunt, [illegible] inari videatur:

[illegible] li.

[illegible] uque caue ne hæc, [illegible] Mem. Nihil hoc [illegible] s, nam & h [illegible] verissimum:

[illegible] cos intra nux [illegible]

[illegible] n ad rati-

S

[illegible] ÆNIA

KSIĘGARNIA
ANTYKWARIAT
DOM KSIĄŻKI
E ❋ 030834

STANISLAI

SOCOLOVII

CANONICI CRACOVIENSIS

4

4386-69